Digitized by Google

Digitized by Google



FRANCOFURTI, APUD THEOBALDUM SCHONWETER. ANNO 1652.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMI

Domini, Domini

JOANNIS CARAMUELIS LOBKOWIZ,

DEI GRATIA ABBATIS IN MONTE Serrato, & Regni Boemiæ Officialis Generalis, &c.

THEOLOGIA MORALIS,

Fundamentalis, Præterintentionalis, Decalogica, Sacramentalis, Canonica, Regularis, Civilis, Militaris.



FRANCOFVRTI:
Impendio Ioan-Gottfridi Schonvvetteri.
ANNO M DC LII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CENSURA.

QVærunt Ethici, an qui conſulit doctos, & dubia ſua proponit, errare queat? Tunc enim exorbitat, etiam qui interrogat, quando dubitat ſtultè & barbarè, non verò quando hæret ingenioſè & acutè. Marcus Aurelius Imperator teſte Guevarâ in Horologio Principum lib. 1. cap. 39. ſic Fulvio ſtupidè roganti reſpondet. *Raræ ſapientia, & ſpiſſæ ſtultitiæ ſignum eſt, ſi quis feſtinata das ad ſingulas quæſtiones reſponſa. Neq; enim ad omnes quæſtiones abſurdè propoſitas reſpondere Sapientum eſt; Quam habent rudiores in quærendo licentiam, eâ Sapientes in reſpondendo carent: interrogationis enim origo eſt inſcitia, reſponſionis prudentia.* Et quia Reverendiſſimi D. Caramuelis Abbatis apud Montemſerratum, denominati Miſiæ Epiſcopi, & Eminentiſſimi Principis Cardinalis ab Harrach, Archiepiſcopi Pragenſis, Vicarij Generalis, Theologiam Fundamentalem evolvens, multa & varia, magna & gravia acutè poſita, & utiliter rogata interlego, & quia inter multa magno ingenio agitata, nuſquam Authoris expreſſam opinionem invenio, ſcientiam veneror cum humilitate conjunctam, & deſidero, ut tàm ſolidè ſingulæ diſſolvantur quæſtiones, quàm opportunè ab Authore ponuntur. Et ut multi Dubia hæc legere poſſint, multi illa ſolvere, librum hunc nihil contrà fidem, nihil contrà mores honeſtos continentem, prælo & prælio ſubjiciendum exiſtimo, ſi prælo, prælio: varij enim ſunt ſenſus hominum, & in rebus obſcuris diverſæ, aut etiam adverſæ ſingulorum ſententiæ. Non proponit Reverendiſſimus Caramuel Interrogationes feſtinatas, nec optat feſtinata Reſponſa. Habet parata omnia Moralia [nimirùm, *Dialecticam Moralem*, ſcientiam neceſſariam & novam, cujus ne quidem nomen Orbis Literarius audivit; artem ingenioſam & pulchram, in qua de Moralibus Terminis, Propoſitionibus, & Argumentationibus agitur. *Philoſophiam Moralem* ad Phyſicæ principia

elima-

Digitized by Google

climatam. *Theologiam Moralem* conſonam Moralis Philoſophiæ principiis.] nec eorundem editionem præcipitat,ſed vult Scholaſtica nonnulla præmittere,& interim alios audire: cum enim multa ſint,in quibus quid alii volent neſciat(eò enim venit Mundus,ut opinionum probabilitas quæ deberet à ratione pendere, interdum ab arbitrio & numero Authorum naſcatur;) mavult captivare intellectum in aliorum obſequium quàm abundare in proprio ſenſu, & hanc ob rem Fundamentalem iſtum librum præmittit, qui eſt quædam totius Theologiæ Moralis & Virtualis Synopſis. Peregrinam in illo doctrinam & ingenium oſtendit,& jure poteſt petere in ipſa Reſponſione doctrinam. Eſto Quæſtionibus abſurdè poſitis Sapientum non ſit reſpondere: at ſubtiliter poſitis ſatisfacere non eſt inſipientium & rudium. Et ſi quando ipſamet dubitatio, non ab ignorantia,ſed à ſcientia nobiliore ſuboritur,ratio, quæ unum cæteros rogare coegit,cæteros excitabit,ut illi accuratè reſpondeant. Suadebo igitur doctis,ut dum Author Curſum ſuum Scholaſticũ: imò etiam Theologiam Eccleſiaſticam imprimit(hæc enim immediatè ſequetur) eidem reſpondere dignentur; ut eorundem exornati Reſponſis evulgentur ſex Tomi, qui totam Theologiam Moralem complectuntur. Dedi Pragæ in Collegio immaculatæ Conceptionis Calendis Iuliis. Anno 1651.

Fr. Bernardinus Clanroy
S. Theologiæ Lector.

DEO.

QVanta poteſt animi demiſſione Filius Patri, ſervus Domino, & creatura creatori, tanta ego minor nihilo, Te DEUS alloquor, & in te omnium perfectionum eminentem abyſſum veneror & adoro. Sed quid ego ſapientia infinita & æterna? Antalcidas, aſſerente Plutarcho, cùm in Samothracia initiaretur, coram Deo os aperire noluit, quod crederet fruſtra ab hominibus orari Numina, quæ nihil neſciunt. Idem fecit Lyſander. Idem alii, utriusque ſcandalo aut exemplo inſtituti. At ego juſſus divinitùs Te adorare & orare, proponam, quæ Tibi ab æterno ſunt nota; & inter lachrymas, ſuſpiriaque ſinceritati mea labia præmovere permittam. ſed quid tibi ſinceritas? 1.

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε Πατὴρ ἕτερον δ' ἀνένευσε.
Huic dedit hoc Pater altitonans, verùm abnuit illud.

...Attalus Martyr à Tyranno per contemptum rogatus. Quod nomen Deus haberet? Qui plures ſunt reſpōdit, nominibus diſtinguuntur, quia unus eſt, nō indiget nomine, Euſ. l. 6 Eccl. hiſt. ca. 3. Hinc patet melius has literas inſcribi DEO, quā DEO OPTIMO MAXIMO, qui enim unicus eſt, in

Plutarchus in Lacone. *An ore, an verò potiùs corde coram Deo ſit loquendum?*

Sic fuit locutus Stratonicus apud Laert. l 6. Apoph.

b Et

Et quidem dediſti aliquid, negaſti aliquid; & ô utinam plus dediſſes, ſed minus. Quam felix ego, ſi eſſem omninò ignorans! Quam felix ego, ſi eſſem omninò ſapiens! Vel ſi Hominẽ dedeceant omnia extrema, quam ego tranquillam vitam agerem, ſi plus ſcirem vel minus! ſi minus, neſcirem ſcrupulos, qui me pungunt; ignorarẽ ſcopulos qui me morantur: ſi plus, ſcirẽ me ab illis expedire, & poſſem ſcyllas & carybdes vitare. at quoniam inter omnia & nihil mentis acie irrequieta intervolito, interſum ſupremis & infimis, & ideò nec pede terra inſiſto, nec manu Firmamentum teneo. Solari me volunt amici, & in medio conſiſtere virtutem aſſerũt; illis hodie non credo, quoniam in medio poſitus, quò vertam quin evertar, neſcio. Dives es tenebrarum & lucis; oro lucem aut tenebras, ut vel dediſcam Quæſtiones, quæ me cruciant; aut earũdem ſolutiones addiſcam. O Deus, quàm doctus eram olim, cùm humero tenus ſuperior coætaneis eminere videbar! Formabam idola meo modo; Divina, Cœleſtia, Terrena; quæ ſciebam garrire vel eloqui, & contra quoſcunq; ſcholaſticos Marte propugnare & defendere. Formabam quidem, ſed idola, quæ ſub mentis veſpertinum crepuſculum credebantur altiſſimis fundamentis ineſſe. Quãdiu illa eſſe certa ſuppoſui, in mea mentis horizonte nox fuit; ubi primùm Te favente alluxit veritatis Aurora,

rigore loquendo bonus & magnus eſt; optimus & maximus non eſt. Conſultò poſui illud, in rigore loquẽdo; *ſcio enim ſanctè & catholicè uſurpari iſtos titulos, quaſi non relativè, ſed abſolutè,* Optimus, Maxim. *hoc eſt* Infinitè bonus, *&* infinitè magnus *dicatur. Placuit hoc ſubmonuiſſe, unusquiſque prout voluerit loquatur.*

An ſit utilis mediocris ſcientia?

An virtus conſiſtat in medio?

Sæpè mentis conceptus ſunt Idola, h.e. vana ſimulacra & imagines.

rora,

:rora, vidi clariſſ. omnia eſſe obſcura, certiſſimè omnia eſſe incerta. O humanæ doctrinæ fundamenta! ſub dubiam lucem Heſperi, judicãtur certiſſima; clariſſima dum noctem obſcuram mens agit: et ſi mane, cùm lucet veritatis Phoſphorus, eadem quæſiero, non ſubſiſtunt. Fortè ſtant ipſa cùm maximè vacillare videntur. Fortè adfingemus rebus oculorum errores; nam ſi inſpicillo utimur flavo, croceas eſſe nives dicemus. Fortè noſtri hallucinantur oculi nimia claritate perculſi; ſed hoc ipſũ ignoro; & quia neutrum evidenter cognoſco, neutrũ pronuncio. Et quia vellem reperire vel punctũ, ubi ſecurè pedẽ figam, illudq́ in Terris nõ reperio, Ad Te cõfugio, & ſupplex tua Numina poſco. *Et quia cauſa prima es, & Virtutem tuam ordinariam exerces cooperando ſecundis, non ego miracula aut prodigia, h.e. infuſam ſcientiam poſtulo, qualis Sũmatib. Eccleſiæ data: ſed volo audire abs Te,* In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo; *quia ſudo, inſudo, et labore improbo diu & noctu libris diverſis impalleſco; & tamẽ, quia pane careo, jejunus à libro recedo. Multa ignoro; & cum formidine erroris multa opinor, quorũ aliter ſe habere poſſunt ſingula, & forſitan aliter ſe habet univerſa. Si adhuc poſſum priora addiſcere, aut etiam poſteriora dediſcere, nõ jam decimum tertiũ laborem, ut Hercules; ſed vigeſimum tertium vel quartum (à tot n. annis pro-*

Omnia debent examinari; nil ſupponi.

Inſpicilla coloratum objecti colores immutat.

An fundamenta recepta in Scholis ſint certa?

Fuit Archimedis lemma. *Da mihi punctum fixum extra terrã, & illam loco dimovebo.*

Parum aut nihil proficit, qui caret Magiſtro.

Decimus tertius labor Herculis.

Verus Magiſter Deus.

fiteor Theologiam) admitto. Sed quia ſine Magiſtro nemo prudens ad arenam deſcendit, Te in Magiſtrum & Conductorẽ eligo, & libertinam mentẽ meam in obſequium tuæ doctrinæ captivo. Poſt Te Magiſtros Cæleſtes & Terrenos: nempe in Cœlis Ambroſios, Hieronymos, Auguſtinos, Benedictos, Gregorios, Bernardos, Thomas, Scotos, &c. in terris Lugones, Chiſios, Dianas, &c. & exoro, ut mentem iſtorũ illumines, volũtatemq́; dirigas, ut veram & ſinceram doctrinã me velint & poſſint docere. Oro ut poſſint, oro ut velint: nam cùm intueor ſciẽtiarum Cæleſtium & Terreſtrium Oceanum inter plurimas Bacchas & Laureas naufragantes, apparent raræ nantes in gurgite vaſto: & quia vulgares cõmunesq́; Laureæ & Bacchæ me juvare non poſſunt, raræ non volunt; ad te cogor iterum iterumque vel invitus redire.

Doctrinæ naufragæ.

Derelictis ab Homine Deus favet.

Digniſſima Philonis verba.

Philo olim traductus apud C. Caligulam, & ejectus ab aulâ dicebat infortunij conſortibus, Bono animo nos eſſe oportet, quibus iratus eſt Cajus; quia neceſſe eſt adeſſe divinum, ubi deficit humanum auxilium. *Audio, inſtruor, & in me ſeductus ſic inquam. Doctores illi, quos ad majorem gloriam tuam & ſecuriorem inſtitutionem meam conſulit iſte Liber, vel mihi reſpondebunt, vel non: ſi reſpondeant, Tibi agam gratias,* Causa Prima, *quæ miniſterio ſecundarum*

me in-

Digitized by Google

me informas, ſi non; agam Causa absoluta *gratias Tibi, ſciens ubi abeſt humanum, adeſſe magiſterium Divinum. Hoc me dirige, ut vivam doctiùs, hoc eſt, ſanctiùs; ut moriar doctior, hoc eſt, melior; nam licèt Ars bene vivendi, & bene moriendi ſit obſcura & difficilis*, ubi ſpiritus Magiſter eſt, tã citò diſcitur, quàm docetur. *Hoc confidenter oro; hoc ſpero; & polliceor me Tuam Majeſtatem & Bonitatem gratiarum actione laudaturum, non ſolùm quamdiu vixero, ſed quamdiu fuero.*

Ars bene vivendi, et bene moriendi eſt obſcura.

An de omnib. Homines judicent?

A*N-non de illis, quæ ſoli Deo dicũtur, ratio eſt reddenda ſoli Deo? ſic putabam. At quia nihilominus Anticaramuel, ſe reponit, & dictorum rationem exigit, in me ipſum ſeducor & ſic diſcurro. Dixi Deo,* O utinam plus dediſſes, vel minus; *& iterum,* O utinã me, Domine, doctiorem aut indoctiorem condidiſſes; *hæc eadẽ verba recognoſco, ea-que iterũ coram Anticaramuele pronuncio. Si enim hebetioribus eſſẽ præditus oculis, nõ torquerer errorum in ſcholis obtinẽtium aſpectu; & ſi acutioribus, Veritatẽ tandem aliquãdo invenirem. Sed quia nec talpa ſum, nec lynx, inter lucem & tenebras ab opinionum crepuſculinâ traditione depẽdeo. Secundo Amorum Naſo.*

Aut nulla ebrietas, aut tanta ſit, ut tibi curas
Eripiat. Siqua eſt inter utrãq; nocet.

Laudo acumen: & ad illud conceptũ meũ elimo, & aio.

Quanta debeat eſſe notitia?

Nulla aut cognitio, vel tanta ſit, ut mihi cuncta
Exhibeat. Siqua eſt inter utramq; nocet.

Hæc ſaltem eſt Veritas pura. Vnde meritò Ovvenus lib. 3. Epigr. 134.

Beati: qui?

Iudice me ſoli, ſemperq; perinde beati
Sunt quicumq; ſciunt omnia, quique nihil.

Sed & hæc ipſa obſeſſus à contradicẽdi ſpiritu carpit Anticaramuel, qui tamen mihi multò gratior eſſet, ſi inſtrueret: dubiâ enim luce Orbem literariũ percurro, & in communi viâ viã quæro, & ideò manuductione ſola indigeo, non autem vituperio vel laude. Sanè quod mihi exopto, & invidet Anticaramuel, etiam illi deſidero; expediret enim illi & mihi, ut eſſet vel indoctior, vel doctior. Et quidem, ſi indoctior, quàm eſt, mea negligeret; ſi doctior intelligeret: ſed quia in medio poſitus, quò ſe vertat neſcit; & nihilominus nõ hæret, ſeſe vertit, quò neſcit. O utinã vigilaret, dormiretve; ſed quia dormitat, ſibi & nobis eſt oneri; & ſcholis jacturæ. Audebo illum monere, & dicere.

Anticaramuel.

Quantus ſomnus ſit utilis?

Altè qui dormit, nulli eſt injurius, ulli
Nec vult, ſi prudens, ſponte nocere vigil.
Sed cùm dormitãs eſt ſemiſopitus Homerus,
Nigras & cãlidas judicat eſſe nives.
Ergo tibi nullus, vel tantus ſit ſopor, ut vel
Nil prorſus videas invideas-ve nihil.
Sufficiunt oculi b.ni, ut quis dormiat: aſt, ut (eget.
Laudet aut carpat, pluribus Argus
Ergo quouſq; oculis nullis, vel Zoile centum (tace.
Cõtẽplari poſſis Dogmata noſtra,

An ſemper ſit virtus in medio?

Sic ſcribo, ſic ſentio: & in hac materiâ quia in medio non reperio virtutem, Me ipſum & Lectores meos in extrema propello.

INNO-

Digitized by Google

INNOCENTIO X. SUMMO PONTIFICI.

Pontifex primus à Chriſto.

II. *Omnes ſumus Chriſti Domini ſervi: alij à pede, à manu, à gladio: ſed Pontifex Summus à linguâ.*

TE Pontificem Optimum Maximum poſt Deum veneror, & ut per Te me docere dignetur, Chriſtum, cui ſervis à linguâ, ſtudioſè & inſtanter imploro. Chriſto Domino Principes ſæculares etiam ſerviunt; à pede, à manu, à gladio: ſed Tu à linguâ, Tu à verbo. A pede Chriſto & Orthodoxæ Religioni illi Principes, quorum potentiâ Evangelica veritas ad regiones ultra-maricas promovetur. Illi à manu, qui expenſis ſuis Evangelicos Concionatores manuducunt; qui manu potenti & brachio extenſo Catholicam Fidem propugnant. Et tandem illi à falce, à bipenni, & à gladio; qui falſæ doctrinæ aſſertores binis pœnis realibus & perſonalibus excipiunt; qui reſpitantes opiniones, quæ ſunt Hæreſeon ſemina, imò & palmites, amputant, & excidunt. At Chriſto ſervis eminentiore modo; nam à lingua, & à verbo: Chriſtus enim Patris æterni Verbum eſt, & Tu Humanum Verbi Divini Verbum: quod clariſſimè ſum perſuaſurus. Et ut evidentiùs poſſim, produco Chriſti Hiſtoriam, & in ipſâ unam aut alteram periodum dilucido:

Chriſtus eſt Verbum Dei: Pontifex verò Verbum Verbi.

Matth. 17.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum (ſurſum) *& transfiguratus eſt ante eos. Conſidero ſingula verba: Transfigurari hominem arduum eſt, ſed poſſibile: quot-quot enim peccato mortali inficiuntur, ſunt Dæmones; & ubi primùm exuunt veterem hominem, convertuntur in Angelos. Vt autem hæc converſio aut transfiguratio ſuccedat, debent aſſumi à Chriſto. Exſit ergo Pelagius; qui proprijs naturæ viribus poſſe Homines in Angelos transfigurari delirabat; opus divinâ gratiâ eſt, quoniam ejuſmodi converſio, gratiæ eſt opus. Terrigenæ & terricolæ ſumus; imò etiam terra & cinis: atq; ideò transfigurari in Cœlites, neque volentium neque currentium, ſed miſerentis (hoc eſt, adſumentis & manu-ducentis) eſt Dei. Sed quò à Chriſto Homines, ut transfigurentur, ducuntur? In montem excelſum ſeorſum, in montem eminentem ſurſum. Non intelligo. An-ne ſunt in rerum naturâ montes, qui deorſum excelſi? Plurimi. Vnum Tibi propono. Reſpicio Pyrinæum, quâ flagellatur ab Oceano, & duos eſſe ibi montes teſtis oculatus affirmo. Cùm caput elevo giganteam illam molem admiror, & ſuperiorem partem aſſero eſſe montem excelſum ſurſum.*

An, & quādo Dæmones cōvertuntur in Angelos?

An homines transfigurari queant?

Pelagij hæreſis.

Sunt in Mundo ethico mōtes; & mōtes: alii, qui eminēt ſurſū; & alii qui eminent deorſum.

Trāsfigurationu locus ſpecialiſſimus.

Sed

Sed dimitto oculos & in undarum ſpeculo montem alium deſpicio, excelſum quidem, ſed deorſum. Et quid eſt ſecundus iſte mons? Vana prioris imago: enti rationis ſimilis; eſt enim ens Viſionis, videturq; ſub aquas ſe dimittere, cùm tamen ſub aquis non ſit. Hinc jam incipio capere quantum diſtet Apoſtolus ab Hæreſiarchâ. Fuit Petrus, & eſt quicumque Eccleſiæ Pontifex, mons magnus & excelſus ſurſum. Et Hæreticus eſt Apoſtolomaſtix, unda irrequieta & liquida, quæ apices Eccleſiaſticorum collium flagellare conatur, eorundemq; exoſculari pedes cogitur, & ad ſuum elemẽtum redire. Ecce in Hæreſeos undâ etiam apparent Montes, ſed & ipſi ſunt excelſi deorſum; ſunt picti fictiq; ſunt vanæ Montium Evangelicorum imagines Hypochriſeos formatæ penicillo: ſunt juga liquida deorſum, hoc eſt, in infernum tendentia. Macte igitur animo, Anime, nulla virtuti eſt invia via: ſiquidem transfigurari vis in cœlitem, te Chriſto & Eccleſiæ permitte. Aſſumêris, & deduceris in montem ſtium, non deorſum, ſed ſurſum. nempe ad divinum Eccleſiaſtici Parnaſſi jugum; in quo Gymnaſium Chriſti eſt; in quo loquentis Dei eſt lingua Pontifex. Hoc erat, quod debuit demonſtrari præcipuè; ſed voluimus conceptus præcedentes præmittere, ne Hiſtoriam recenſentes acephalam diceremur capite condemnaviſſe veritatem.

Differentia Hæreſiarchæ & Apoſtoli.

Virtutis via; quæ?

Parnaſſus Eccleſiaſticus.

III. *Progreditur Chriſti Hiſtoriographus, & paucis interjectis ſic infit.* Petrus dixit ad Ieſum: Domine bonum eſt nos hic eſſe. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, Tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos; & ecce vox de nube dicens, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite. *Attendamus, & recognoſcamus hanc periodum.* Adhuc eo loquente *inquit Evangeliſta: ſed quo eo? Petro nimirùm; nam de Petro agit Textus ſacer, non de alio. Ergo Petro loquente dixit Pater,* Hic eſt filius meus dilectus, &c. ipſum audite. *Ergo cùm loquitur Petrus, auditur Chriſtus. Ergo Chriſtus per Petrum. Petrus igitur eſt lingua Chriſti.* SIQUIDEM *vera hæc omnia ſunt, patere,* INNOCENTI SANCTISSIME, *ut provolvatur ad tuos pedes, qui à Chriſto citra miraculum doceri vult, nec poteſt aliter, quàm eo per Te loquente. Tu Petrus es, & lingua Chriſti; tu es verbi verbum. Modò dicas, aſſentior; nam in rebus obſcuris & arduis, quæ non intelligo, meus quieſcit animus, cum audit,* ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ. *Multa ſunt, quæ Te indigent, nec poſſunt ab alio decidi. Quæ ſunt de neceſſitate præcepti, fortè luce non indigent; ſecuriùs enim ſæpè iter agimus noctu, & nihil aliud ſunt probabiles Theologorum ſententiæ, quàm quædam ſcholaſticæ noctes, quæ conſcientias à multis periculis liberant. At illa, quæ de neceſſitate medii, Tua luce indigent, & ut radios ſpeciales diffundas, aperiam ignorantiæ ſpe-*

Loquente Petro, hoc eſt ſummo Pontifice, auditur Chriſtus.

In humanis credimus quæ probâtur? in divinis verò, quæ dicuntur.

Via nocturna an ſecura?

Tiltæ apud Samios authoritatus fuit Pythagoras, ut fortiſſima fuerit ejus ſchola probatio ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ. *Videlicet* Ipſe ſic dixit, ſic ſenſit, ſic docuit.

ciales

An probabiles opiniones ſint noctes?

ciales abyſſus, quæ, humanam circumſedent animam. Baptiſmus, tabula quædam eſt conceſſa divinitùs naufragis, qui in peccato originalis pelago ſubmerſi ſunt, aut illam debet homo apprehendere, aut æternùm perire: quia, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, nõ poteſt introire regnum Dei. *Et tamen ſunt, qui doceant ſalvari Catholicorum, aut etiam Chriſtianorũ Infantes, qui ante diem & baptiſmum extincti. ſunt, qui nive, glacie, ſale, herbâ, flore, fronde, vitis lachrymâ, ſucco, aut integris, aut diſſolutis, poſſe Baptiſtas uti. Sunt qui dicant formæ verba poſſe verificari moraliter; nempe, ſi herus verba pronuntiet, infantemq; miniſter abluat. Pœnitẽtia eſt altera poſt naufragium tabula; & tamen multæ ſunt caligines etiam in ipsâ. Requirunt contritionem nonnulli, etiam cum Sacramento. In materia ſigilli nimis ſunt laxæ aliquorum ſententiæ, & videntur Sacramento ipſi injuriæ. Moribundum ſenſibus deſtitutũ, qui nullo ſigno confeſſionem petijt, poſſe & debere abſolvi aſſerunt multi, negant alij. Et circa pœnitentiæ acceptationẽ multæ opiniones ſunt valde periculoſæ. Euchariſtiã eſſe & non eſſe de neceſſitate medij legimus quotidie & audimus. Et ut univerſaliora aliqua proferam; An Sacramẽta cætera conferant, primam gratiam, indirectè aut per accidens, neſcitur: & quòd mirabile videri poſſet, ſunt nonnulli, qui non moventur intẽtionem miniſtri; nonnulli qui de ſingulorum Sacramentorum formis diſputent, & plures pauciores-ne dictiones ad valorem requirant. Hæc ſunt,* PATER SANCTISSIME, *quæ poſt Tridentinum Concilium altero videntur adhuc indigere Concilio. Scio aliquas ex his ſententiis ab Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus & ab Inquiſitoribus inhiberi; ſed & ſcio communi Theologorum judicio has ipſas inhibitiones habere tantum vim opinionis probabilis, aut probabilioris ut plurimum. Incepi loqui, & favore jam tuo audentior redditus ad minora, quæ tamẽ ſunt permagna, ſubvenio. Præter illa, quæ de neceſſitate medij ſunt, ſunt etiam aliqua, quæ à Te debent, nec poſſunt ab alio reformari. Bella & Hæreſes provincias plurimas defigurarunt; jam pernicioſa lues ſubrepit, & ſe inſinuat etiam in illas; quæ olim ſanæ. In multis opidis infans cùm naſcitur, debet è matris utero aurum aut argentum educere, ut dignus ſit, qui baptizetur: ſunt plurima in Germaniâ loca, quæ m gnos Præſulibus ſuis Theſauros conferunt, nec tamen confirmationem noſcunt vel ex nomine. Vidi non ſine lachrymis Abſolutiones & etiam communiones Venales & ſi Ruſticos, an-ne cõfeſſi fuerint, rogem, omiſiſſe defectu pecuniarum, audio. Pauperes ſine cruce, ſine luce, ſine parracho ſepeliri à cognatis, ſæpè video: & clamo ad Deum & homines; & inſurgunt in me Anticaramueles, quia clamo. Omnes iſtos abuſus condonaverimus militari furori; at jam habemus pacem, & debent morbi tandem aliquando curari: & quia graviſſimi inveteratique acerrimo alexipharmaco.*

Opiniones periculoſæ circa Sacramentũ Baptiſmi, quæ Eccleſiæ declaratione indigent.

Opiniones exorbitãtes circa Sacramẽtum Pœnitentiæ.

Circa Euchariſtiæ Sacramẽtum.

Et circa Sacramẽta in genere.

Poſt Cõcilia antiqua & recentiora adhuc videmur indigere Cõcilio.

Quàm ſint certæ Cardinaliũ & Inquiſitorum Deciſiones?

De morũ formatione & reformatione.

Bella hæreſes promovent.

Etiam ſimoniã, & rerum divinarum contemptum.

Digitized by Google

Laudatur Eminentiſſimus Cardinalis ab Harrach.

IV. Non eſt omninò univerſalis iſta lues.

Hæc omnia in locis plurimis SANCTISSIME PATER, *non in omnibus; habet enim Eccleſia in afflictiſſimis iſtis Provinciis multos bonos Prælatos. In Primis mihi recenſendus eſt Eminentiſſimus Cardinalis ab Harrach, Ingenio Genioq; benigniſſimo, & ſuaviſſimis moribus condecoratus; Cujus ſi premamus veſtigia, non erunt novæ reformationes neceſſariæ. Sunt præter ipſum etiam non pauci Epiſcopi & Abbates probi docti & modeſti; qui quà poſſunt & licet, allaborant reſtituendæ Germaniæ. Habes,* PATER SANCTISSIME *etiam Tu viros duos, quibus plurimum debet Eccleſia; qui ſe totos impendunt, ut Catholica triumphet Religio, & Heterodoxi convertantur. In ſuperiori Germaniâ Camillum Meltium, in inferiori Fabium Chiſium; pientiſſimos doctiſſimosq; qui exemplo inſtituunt, & doctrinâ erudiunt univerſos. A Deo per te, à Te per Iſtos omnia bona Impetrabimus, ſi hæc paucula, quæ concernunt Catholicos quà ſpeculativa, & quà practica, ad veritatem, quæ Deus eſt, elimentur, ſi abuſus ſentiendi & agendi excidantur. Et quia à transfiguratione noſtrâ Hæreticorum pendet trãſſubſtantio, ſpero, ſi nos accidentalia aliqua reformaverimus, noſtro illos exemplo monitos motosq; ſubſtantialia, in quibus errant, eſſe reformaturos. Circa eorum converſionẽ obſervavi & notavi nonnulla, quæ paucis non potero exponere; quæ ſummi momenti eſſe judico, velléq; attentiſſimè legi: nempe à Te, qui clavum tenes militantis Eccleſiæ; qui ingenium clarum ut noſtras miſerias percipias; voluntatem ſinceram, ut velis remedium adhibere; vires, ut poſſis. Vivâ jam dudum omnia voce me tibi expoſiturum credidi; ac me negotia in Germaniâ retardant. Vtar igitur calamo (nimirùm ſincero & fideli) & aliquando ediſſeram, quæ à Te,* PATER SANCTISSIME *ignorari non debent. Tuum erit ſingula approbare aut rejicere; meum Deo & Tibi ſervire; conſcientia propria ſatisfacere; & ſummâ demiſſione animi conſilia nonnulla ſuggerere, ſupponens Te (adnuas abnuas) nihil aliud facturum, quàm quod ſit ad Dei majorem gloriam, & Orbis Chriſtiani utilitatem.* VALE. *Scripſimus apud Montem-Serratum, anno Chriſti*

Item Illuſtriſſimus D. Camillus Melti⁹: & Illuſtriſſ. D. Fabius Chiſius: uterq; Apoſtolicæ Sedis Legatus.

A noſtris moribus pendet Heterodoxorum converſio.

Cùm Catholicus convertitur, trãsfiguratur: & cùm Hæretic⁹ tranſſubſtãtiatur.

Ad Coloſ. 1. [Deoper oMnIa pLaCentes.]

***

FER-

IV. *Non eſt omninò univerſalis iſta lues.*

Cùm Catholicus convertitur, träſfiguratur: & cùm Hæretic⁹, tranſſubſtãtiatur.

FERDINANDO III.
IMPERATORI ROMANORVM.

IN *Sereniſſimum Principum limina poni ſolent infantes, quos* Expoſitos *dicimus, ne deſit Majeſtati humanæ occaſio exercendi liberalem Clementiam, & ſerviendi Divinæ, quæ ait,* Quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. *Non ergo mirum erit, ſi liber is ad limina Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis mittatur. Filius meus ille eſt, infans eſt; pauper eſt: & magno eget Patrono; imò, ſi utamur dialecto Theologicâ, magno Patrino. Filius profectò eſt meus; quia* libri *dicuntur, quaſi* Liberi; *& chariſſimus quidem, quia ut optimè adnotavit Plato, Libri Liberis Parentibus tantò chariores ſunt, quantò Mentis filij ſunt præſtantiores filijs corporis. Eſt infans non enim fatur, ſed tacet, aut balbutit plurimùm, quæ ab aliis debeant eloquentiùs reſumi. Multa proponit, docet nulla; ut enim doceatur veritatem, & præjudicia dedoceatur eximio niſu ſatagit; fortè & ſat agit. Hæret interim: nulli enim licet Libro eſſe Libero. Pauper eſt, nudus, algens; ſed qui poſſit diteſcere, ornari, & foveri, ſi gratiam ſit Veſtræ. Cæſ. Maj. ſortitus. Baptizatus jam eſt; videlicet Fide Parentis; quæ circa Articulos Religionis catholicæ maxima, & circa Theologorũ Reſolutiones nulla; dictæ enim cælitùs, clauſis oculis ſuſcipit & adorat; dictata autem humanitùs, aure oculatâ examinat, & tunc primũ admittit, cùm probantur. Habet in tenuitate ſuâ nobiliſſimum nomen, nam* FIRMAMENTUM *dicitur; & aſſumpto reſpondebit vocabulo, ſi favor adſit. Tuũ ille ſubpetit, & quamdiù ſub alarum tuarum umbrâ ſpirat, ſperat ad ætatẽ perfectiorem venturum. Hæc dabit vires, ut poſſit nomini reſpondere, & Morales ſtellas (Concluſiones & Reſolutiones intelligo quas hucuſq; erronum & Planetarum impetu, adſcendere & deſcendere, dirigi & regredi obſervavimus) tandem aliquando firmare. At non caret tempeſtate iſtud facinus; ſolvit enim ſpiritus vehementer æolus, qui univerſa perturbant: caret tamen timore, pendunt enim ſacra ex profanæ litteræ ſecuriſſima exempla, quæ nobis ſunt ſolamini. Multos poſſem producere, ſed tamen unius tantũ aut alterius memi-nero, & à cæteris ſuperſedebo. Moyſes, antequã naſceretur hoſtes habuit; in Nilum à parente projicitur; verum à Pharaonis filia inventus; ex naufragante fiſcella*

Vtros intenſiùs diligamus libros, an liberos?

Authoris fides erga Deũ quãta? quanta erga homines? Aures oculatæ. Concluſiones Morales ſunt ſtellæ: anne erraticæ?

Exodi c. 2.

V. *Infantes expoſiti qui?*

Libri, liberi.

Iſte liber eſt infans.

Non eſt liber: Baptizatus eſt in fide Parentis: ejus nomen:

Moyſes eripitur ab undis.

Digitized by Google

ſcella ereptus, & Regio favore nutritus, gentem ſuam à Tyrannide Aegyptica liberavit. Romulus Remusq; projecti in Tiberim, ſunt à Lupa ſervati, ut axioma illud veterum, Homo homini lupus; homo homini Deus, *corrigeretur: his enim miſerculis infantibus, hominis inhumani furor lupus fuit, humanusq; lupæ favor: Deus. Erepti & nutriti à lupa, ſublato Amulio & Numitore reſtituto, coëgerunt proditionis artifices verbera* dura pati, & duris parere lupatis. *Non aliter, hic ipſe Liber Moyſes fuit, ... ſi malis Romulus Remusue-antequam ederetur, paſſus eſt Pharaones furibundos. Aemulios æmulos: ne graviori ſubjaceret periculo, periculo debuit exponi, deſeri à Genitore ſuo, & arbitrio Theologorū committi; imò etiam Invidorum, qui quacūq; ſe inſinuant, & facilius condemnant, quàm examinant. Sed ereptus à Majeſtate Tuâ Cæſareâ, non jam fovetur à Lupa, ſed ab aquila,* ut ſit generoſus Achilles, cogat & Invidiam duris parere lupatis. *Ganymedes domi ſuæ puellus & pauper fuit, & hodie in cœlo, Hygino teſte Gigas, urna divite preditus, ſtelligeras undas profundit, & Aquarius vocatur. Et unde ſuborta hæc apotheoſis? Ab Aquila. Volucrum Imperatrix fuit, quæ eum rapuit, & ab undis procelloſis Mundi hujus inferioris eripiens in ſuperioris ſereniſſimā regionem tranſtulit. Eripiar igitur ab hoc invido mundo, ſi faveat aquila. In cœlos trāsferar; & undis aſtricomis dives Chriſtallinum* FIRMAMENTUM *firmabo. Illud Tu clementer & potenter defende. Clementer ut ſis Atlas; nam ſicut olim Atlas eguit Hercule, ut ſuſtineret cœlum, ſic etiam hodie clementia eget Potētia, ut teneat Terram à ſua dignitate collapſam. Theologia Moralis mundus ordinis eminentioris eſt; in quo demonſtrata Principia ſunt ſtellæ aplanetica; & probabiles Authorum opiniones, ſunt Planetæ: in quo heterodoxa Hæreticorum dogmata, & multa improbabiles veterum, imò & Juniorum aſſertiones ſunt Cometæ, perniitioſius errantes. Sol eſt Deus: immotus immobiliſq; eſt enim prima & ſumma veritas, quæ quia indiviſibili conſiſtit loco dimoveri non poteſt. Sol veritas omnium cœlorum centrum eſt, quem errones circumeunt, Firmamentū coronat. Hoc à Cometis arietatur, & indiget Atlante, & Hercule, nempe doctrina & viribus, ut defendatur. Igitur,* INVICTISSIME CÆSAR, *ſiquidem ingenij celſitudinem conceſſam cœlitùs tanto humanitus ſcientiarum ſplendore exornaſti, meo* FIRMAMENTO *ſis Atlas; & ſiquidem omnem poteſtatem Politicam Cæſarea virtute complecteris, ſis eidem Hercules: ut ſi ab Ignibus fatuis (exhalationum genus eſt) quati vel turbari contingat* FIRMAMENTUM *hoc meum, ſecuro firmamento non careat. Hoc oro; & ne ulteriùs profundar, diſcurſum claudo hoc diſticho,*

Inveniat noſter Patronum ut ubique Libellus,
Illum Lecturis dedico, meque Tibi.

Corrigitur axioma vetus.

Romulus & Remus ſervantur à lupâ.

Liber hic Moyſi, & Romulo ſimilis.

Eripitur à periculis, & ſervatur ab Aquilâ.

Ganymedes idem qui Aquarius.

Scholaſticæ ſententiæ ſunt ſtellæ; & harum aliæ vocantur fixæ, aliæ erraticæ; & aliæ cometæ.

Sol eſt Deus.

An-ne Scholaſticus Mūdus eſt Heliocentricus, & ſimilis Copernicano?

DOCTRI-

Doctrina & dignitate

EMINENTISSIMO CARDINALI DE LUGO.

VI. Martial. l. 8 Epigram. 76.

HAs ad Te paucas lineas non auderem ſcribere, Pater Eminentiſſime, ni inſtruerer à Martiale, qui Domitianum Cæſarem, Mundi integri negotiis obrutum, interpellat his verbis;

Dante Tibi turba querulos Auguſte libellos,
Nos quoque qui Domino carmina parva damus.
Poſſe Deum Rebus pariter Muſiſque vacare
Scimus; & hæc etiam ſerta placere Tibi.

Poſſunt Muſæ & Scientiæ ſeveriores conſiſtere.

Te à Sanctiſſimo Domino ad laborum participium adſumptum, expedire afflictarum Regionum querulos libellos, non ignoro; & quia inter Eminentiſſimos emines ſcio totam aut ferè definitionum molem à tua dependere doctrina. Non ergo carere poterit temeritatis nota mea intempeſta præſumptio, quæ graviſſimorum negotiorum fluxum tenui habena ſiſtere, & immenſum ſtrepitum tenui voce impedire non ceſſat. Sed non; quia binas habet claves Eccleſia (Theologicam, Politicamque) quas Cardinalium manu torquet Pontifex, ut cælos & terras aperiat. Utraque igitur utere; Politica, ut pateat aditus diverſis gentibus, quæ ad Tuam protectionem confugiunt, Theologica, ut pateat aditus ſcriptoribus diverſis, qui à toto orbe literario Te conſulunt. IOANNES, *latinè* Ianus *diceris; & Ianum fortè bicipitem effinxit antiquitas, quòd Reipublicæ ſimul & Muſis ſtudere potuerit. Patere igitur ut privata unius Theologi veritatem inquirentis curioſitas curas Tuas interpellat: patere ut audeat dicere;*

Pontifex eſt Chriſto à clavibus: à manu Cardinales Pontifici.

Habet Eccleſia binas claves: quas? cur?

Ioannes Ianus.

Cur Ianus bifrons? Aut curã impendit Populo, aut otia Muſis. Lipſ. Cēt. I. ad Belgas. Ep. 16.

Dante Tibi Romæ querulos toto orbe libellos,
Conſulti à multis Te quoque conſulimus.
Te poſſe & Rebus pariter Muſiſque vacare
Scimus, & hæc etiam ſcripta placere tibi.
Reſponde his igitur Dubiis, Vir Magne: peritis
Meque Tuis ſcriptis inſtrue. Vive. Vale.

REVE-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

REVERENDO ADMODUM ET EXIMIO D.M.N. DOMINO ANTOnino Diana Panormitano, Clerico Regulari, coram ſanctiſſimo D.N. Innocentio X. Epiſcoporum Examinatori, S. Officij Regni Siciliæ Conſultori, &c. amico optimo S. P.

VII.

Quanti amicitia virorum illuſtriũ fieri debeat?

OLim privatis litteris honoratus, audebam privatim ſcribere; at quia etiam in Reſolutionibus tuis mihi publicos honores impertiris, AMICE OPTIME *(abſtineo ab aliis titulis; majoris enim facio Tuum eſſe Amicum, quam ſi corona multarum Regionum eſſet mea) hanc ob cauſam exiſtimo Tibi me nonnihil etiam publicè conſecrare debere. Sumo calamum ergo, ut illa eadem ſcribam, quæ ſæpiſſimè inculco. Nam ut ſentio, Hieronymo majora fuerunt merita quàm fortuna, voluitque Deus ad majorem Divi gloriam, eum à multis Pontificibus amatum fuiſſe, & à nullo promotum: ut videret, & admiraretur poſteritas, tot ab illo ſuperatos labores ſine præmio. Quem ipſum Pictores annis poſt mortem plurimis, non ut exprimerent penicillo quod factum, ſed quod debuit, donarunt purpura & Leone, ne nimiùm colore diſtaret à Gregorio, Ambroſio, & Auguſtino, quorum cultu doctrina & laurea eſt in Faſtis Eccleſiaſticis ſocius. Scio Catholicum Regem multas dignitates conferre; jam hos jam illos ſanctiſſimo D.N. Innocentio proponere, dum privati Pontificatus vacant; & conjector in mei Regis ſenatu obtinuiſſe opinionem, quæ docet,* Poſſe digniore omiſſo dignum quemcunque ad Epiſcopatum promoveri; *conjector eandem etiam hodie Romæ obtinere: nam ſi digniori dandæ ſint dignitates, cur meo negari Dianæ poſſint, non video. ſed eſto ſe ſubtrahant Hiſpani: quorum fides eadem cum Romana eſt: quorum Politica (ſicut etiam Gallorum, Belgarum, Germanorum, Venetorum & omnium Catholicorum ſæcularium) toto cœlo diverſa: cur autem Romani, à quibus in Politicis ſtas, non ſtabunt Tibi in Politicis, quo digniorem non facilè daturi ſunt? Condemno neminem: ſed meam ſolam ignoran-*

S. Hieron. Herculeos labores pro fide & Eccleſia ſuſtinuit ſine terreno præmio.

Pictorum potentia & authoritas.

An dignitates conferendæ digniori? Diana, Vir omni promotione digniſſimus.

Hiſpanorũ, Gallorum, &c. Fides, Romana eſt: non Politica.

Digitized by Google

ignorantiam profiteor, & hoc eſſe unum è plurimis, quæ non intelligo. Vt dicerem me determinavit ſinceritas, non cœcitas; amo n. Te: ſincere quidem, ſed non cæce:

An ſinceritas & veracitas crimina ſint?

Authoris ingenii, eloquentiæ & prudētiæ ad libram Humani mēſura.

An ſinceritatis ſum reus? (quantum crimen!) ſum ſane inſano Anticaramuelium iudicio, ad quorum libram mihi conceſſit Deus ingenium ut octo, eloquentiam, ut quinque, & prudentiam ut duo; hoc eſt ſinceritatem ut ſex: veracitatem enim imprudentiam appellant, & cautos illos iudicant:

Reſtrictiones mentales.

qui utuntur abutunturve reſtrictionibus intellectualibus: at quia longiſſime abſum ab omni adulationis genere, patere ut aliquid liberiùs & ſincerius ſcribam. Laudant Te & legunt viri docti, nec eſt in Europa Theologus, qui ſit Studioſus & Te careat: ſi qui obmurmurant, docti non ſunt; & tota obloquuntio æmulorum pervenit ad columnas Herculeas, cùm dicunt, Dianam eſſe agnum Dei, qui abſtulit peccata mundi.

Diana agnus.

Idem ego frequenter inculco, ut te commendem; & ex multis locis, in quibus cum encomio te cito, elegit Auſonius Noctinot Parragraphum 1053. *illumque in ſua (imo Tua) doctiſſima ſumma poſuit: repoſuitq́; ſub initium nonæ Tuarum Reſolutionum partis. Ibi ego.*

Opinionū probabilitas mutari poteſt, ſoletque.

Ingenio & induſtria magna præditus.

Ingenium Dianæ viri quidem doctiſſimi, veneror: ejus induſtria multas opiniones evaſiſſe probabiles, quæ antea non erant, invidus ſit qui non affirmet. *Si jam ſunt probabiles, quæ anteà non erant; jam non peccant, qui eas ſequuntur, licet ante peccaverint: ergo, ſi ejusmodi peccata ab Orbe litterario Diana ſuſtulit, meritò dicetur eſſe* Agnus Dei, qui abſtulit peccata mundi.

Summiſtæ antiqui Leones ſunt.

Habento Navarrus, & veteres Caſuiſtæ gloriam ſuam; ſunto Leones, & à rigore & ſeveritate laudantor: eſto Agnus Tu, laudandus à benignitate. Sequantur Leones, qui voluerint: & viribus propriis arrogantiùs confidant: illi inquam, quibus via placent minus tutæ.

Viæ benigniores, ſæpe ſunt tutiores & meliores.

Verum enim verò, qui mecum fragilitati propriæ timent, & alienum à tenuitate ſua reputant nihil humanum, Te prudentiùs ſequuntur, & merentur audire etiam in Terris, Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum quocunque ierit.

Accommodatitius ſenſus.

Vide Cōmēt. mei in Reg. D. Benedicti nu. 58. Apocal. cap. 14. 4.

Alibi ego litteralem horum verborum expoſitionem perſequor: ſed quia illa nunc Iuniorum multitudini appropio, accommodatitium expendo. Sic textum exponere volo. Hi ſunt *(diſcipulos & admiratores Dianæ intelligo: & me loco præcipuo, neſcio enim eſſe in mundo Hominem, qui Dianæ opera majoris faciat)* Hi ſunt *inquam,* qui cum Mulieribus *(hoc eſt, infirmis & fragilibus opinionibus)* non ſunt coinquinati: *ſententiæ enim Doctorum hodie differunt genere: ſunt enim aliquæ Maſculinæ, Fœmininæ aliæ: ut nihil dicam de neutris communibus, ambiguis epicænis.*

Omnigeneres opiniones reperiuntur in Ethica.

Fuerant elapſo ſæculo plurimæ Ethicorum opiniones inermes, inconſtantes, difficiles: & omni mulierum imperfectione laborantes: quibus jam ſuccurrerunt armatæ, conſtantes, perfaciles; ac

propterea

Digitized by Google

propterea viriles.ſi cui arrideant priores tenebitur audire Claudianum in Eutropii Eunuchum,

> Quid de (turpiſſime) bellis
> Inſeris? aut ſævis pertentas Pallada campis?
> Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ:
> Tu telas,non tela pati

Multæ veterum ſententiæ ſunt fœmineæ & imbelles, quia maſcula ratione deſtitutæ.

Quibus autem poſteriores arrident, non ſolùm milites, ſed virgines etiam appellantur. Sed cur? exponam breviter. Navarrus & quotquot internam attentionem requirunt in officio divino verbi gratia; conſiderata vivacitate Humani ingenii, concludunt vix aut ne vix quidem poſſe hominem ſatisfacere ſine aliqua diſtractione veniali: ſic de Præceptis aliis pariſirmiter philoſophantur: at nos, qui contrà generoſè ſentimus, & ſenſum noſtrum armato ratiocinio firmamus, non ſolùm Milites ſed & Virgines ſumus; poſſumus enim ita Horis, aut aliis etiam Eccleſiæ præceptis ſatisfacere, ut ne in levem quidem culpam labamur. Prolatio enim & quæcunque alia extrinſeca operatio eſt facillima; & Humanæ Principum leges (Eccleſiaſticæ aut ſæculares ſint) non præcipiunt internas. Porrò conſcientia, quæ ſine veniali operata, virgo eſt; & fortiſſima Miles; quæ vinci non timet, nam invita non poteſt. Sic ſentimus, & quia hac nos conducit Regularis hic agnus, dum philoſophamur generoſè & clemẽter ſequimur Agnum (*nimirum Dianam*) quocunque ierit. *Certi enim ſumus tanto illius dogmata Theologorum firmari numero, ut quærenti, an hoc aut illud liceat? ſufficiat reſpondere,* ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ *hoc eſt,* DIANA DIXIT. *Stat igitur Dianam eſſe de Eccleſia militante, de Theologia Morali, de orbe litterario optimè meritum, & quia interdum pati eſt melius quàm agere, digniorem qui coram ſanctiſſimo Domino Noſtro ad Epiſcopatum examinetur, quàm qui examinet. Dabit* DEUS*, ut eidem aliquando congratuler: aut aliàs appellabo ad Pictores, qui in Divo iam olim Hieronymo, ſi non quod habuit, ſaltem expreſſerunt quod meruit.*

Sententiæ virgines. Sententiæ martyres.

De attentione in officio Divino. An id perlegi poſſit ſine culpa veniali? Conſcientia virgo.

Humanæ Leges actus internos non attingunt.

Diana qualis? Eſt examinator Epiſcoporum: & quando tandè ipſe ab Epiſcoporũ examinatoribus examinandus?

An opiniones Dianæ ſint ſecuræ?

Pictores D. Hieron. à Cardinal. promoverũt.

Affectum meum adverſus Te DIANA DOCTISSIME *hiſ placuit pigmentis & coloribus pingere: è voluntate ad mentem tranſeo; & quia conceptus omnes mei, quia ingenioſiores ſubtiliores & notabiliores, à Te honorantur, citantur, explicantur, ut poſſim me in Te, velut in ſpeculo legere, liberam facultatem exoro. Fortè enim occurrunt aliqua, quæ apud te brevius poſita, non habent omnem lucem, quam apud me receperant, & dare poterant. Fortè amanuenſis tuus aliqua adſcripſit mihi, quæ non ſunt mea: & fortè apud Te aliqua ſunt Caramuelis ſententiæ, quas nunquam ſomniavit Caramuel. Fortè tuorum librorum lectione doctior redditus volam aliquid remiſſius aut intenſius reponere, & ſi vociferetur Humanus, cui ſummè diſplicet,*

VIII. An à Diana ſemper bene citetur & intelligatur Caram.

plicet, quod interdum ſibi ipſi non placeat Caramuel. At ego, qui coram Deo ſcribo, cui mearum ſum ſententiarum redditurus rationem, ſemper dico quod eſt ſentio: & ſi hodie videro lapſum heſternum, non illum protervè defendam, ſed potiùs confidenter expungam. Morales Reſolutiones apparo; & quia in ipſis cogor vulgus deſerere, ne meis abſim Principiis, volui ſubdubitare, an ſint Caramuelis Prajudicia, qua ille nominat Fundamenta? Hac Tibi diſcutienda propono; in quibus, ut exiſtimo, ſis reperturus tuorum operum ſubſtantiam & medullam. Illa attentè & diligenter perlege; & ſiquidem Tuarum Reſolutionum Parte NONA jam fruimur, & DECIMAM, qua de fœderibus Catholicorum cum Turcis & Hareticis erit, ſumma aviditate exſpectamus; ſit vndecima de primis Theologia Moralis Fundamentis, qua poterit reſpondere iſti libro. Vt hoc obtineam aut extorqueam, has publicas litteras ſcribo, ut illis Tu pramotus aut pradeterminatus, non neges cenſuram quam poſtulo, & liberè reprobando vel approbando qua ratio regerat vel admittat, à Prajudiciis Fundamenta diſtinguas. Tuum ſit DIANA DOCTISSIME, hac Principia altiùs examinare, ſi fortè arena inſiſtunt, qua ſaxo nativo (hoc eſt, legi naturali) videntur: & meum erit, à Te diſcere, utrùm expungere nonnulla debeam, aut aliter ſaltem exponere. Quoniam ſemel Fundamentis diſcuſſis, ſi firma & ſecura dicantur, dialecticabor liberè, & ſequutus Syllogiſmorum legitimorum impetum, ſcrupulos Adialecticorum non morabor. Tibi non plura: ſed tamen ad Deum convertam oculos, ut dicam reliqua. Ad Deum, inquam, oraturus, & ut ſpero impetraturus, ut ad gloriam ſuam, & Eccleſia militantis ſolamen, Te ſervare dignetur incolumem & ſanum multis annis.

Liberum cuicumq; Viro docto, priora ſenſa corrigere aut remittere.

Interdum Prajudicia ſunt, qua à Doctoribus dicuntur Fũdamẽta

Sententia virgines. Sententia martyres.

Cur hic liber pramiſſus?

Humana Leges actus inter nos non attingunt.

An opiniones Diana ſint ſecura?

QVanti Caramuel Dianam faciat, conſtat ex Epiſtola Theologia Regulari poſt fixa, conſtat ex hac ipſa quam legiſti; conſtat ex omnibus locis, in quibus eumdem citat; ex omnibus occaſionibus, in quibus de eodem loquitur. Vt autem videat Lector Caramuelem etiam redamari à Diana has pauculas lineas ſubjungo.

Igitur Part. 7. tract. 11. reſol. 1. ſic inquit Diana. Nota Lector, quod in tui gratiam inferiùs multas opiniones ſupradicti Caramuelis adducam, quia ejus Codex non ita facilè invenitur (*cuſus fuit Brugis, recuſus Francofurti, & ſtatim diſtractus*) & licèt aliquando ſuis opinionib. non adhæream, ſemper tamen illum honoris cauſa nominatum eſſe volo, eſt enim Vir doctiſſimus & acutiſſimi ingenii, & ut aliàs dixi non ſolùm Scholaſticæ & Moralis Theologiæ, ſed etiam politioris litteraturæ peritiſſimus; & utinam amiciſſimus Vir alios felices ingenii ſui fœtus in lucem pariat.

Et ibidem reſolut. 5 Ad hoc dubium

bium acutiſſimus Caramuel ſic reſpondet.

*Et iterum reſol.*12. In hoc caſu admitto ſententiam doctiſſimi Caramuelis.

*Reſol.*17. Sed acutiſſimus Caramuel fuſiùs difficultatem proponit.

*Reſol.*21. Affirmativè contra me reſpondet eminentiſſimus Dominus meus Cardinalis de Lugo,&c. Sed me citato negativa ſententia placet Caramueli, &c. Vnde etiam probabilem contra eminentiſſimum Dominum meum Cardinalem de Lugo noſtram ſententiam eſſe exiſtimo. *Nota illud* Vnde.

*Reſol.*24. Ioannes Caramuel, quia eſt vir acutiſſimi ingenii, ponit hoc dubium,&c.

Reſolut. 25. Opinioni Viri doctiſſimi libenter adhærerem.

*Reſol.*28. Contra me nominatim inſurgens affirmativam ſententiam tenet Ioan. Caramuel, ubi vires ſui acutiſſimi ingenii argumentando pro hac ſententia ſic demonſtrat, &c.

*Reſ.*30. Ioannes Caramuel me citato hanc ſententiam tuetur & ſolidè defendit.

*Et Part.*8.*tract.*7.*reſ.*54. Quod magis nunc opinor ex authoritate ſapientiſſimi Caramuelis.

*Et part.*9.*tract.*6.*reſol.* 27. Intrepidè negativam ſententiam tenet acutiſſimus Caramuel.

*Et tract.*8.*reſol.*31. Non aſſentior noviſſimè doctiſſimo Caramueli.

*Et reſol.*63. Amiciſſimus & doctus Caramuel putat hunc caſum eſſe impoſſibilem.

*Et tandem Reſolut.*66. Mihi magis placet opinio negativa, quam docui cum docto & amiciſſimo Caramuele.

Hæc ex multis, quæ habet Diana, collecta, ut ſiquando Lector videat, aut à Diana Caramuelem reijci, & impugnari, aut etiam à Caramuele Dianam, non ſuſpicetur voluntatum aliquam inæqualitatem intereſſe; ſincerè enim ſe redamant: ſed ſentiat potiùs diverſis præoccupatos ideis non poſſe ſemper diſcurrere eodem modo. Cognoſco medullitùs Caramuelis ingenium: ubi putat ſe forti ratione munitum, non multum curat quid ij dicant, qui extra gregem non audent: cautior Diana & prudentior, mavult authoritate ſuffulciri, quod ſummopere laudat Caramuel, nec tamen imitari ſemper poteſt, nec poterit, quamdiu in ea maneat ſententia, qua docet, Opiniones communes, ſupponi ab omnibus, diſcuti à nemine, & ideò interdum errori certiſſimo obnoxias. *Vide inferiùs num.* 203. *& patere, ut nulli authori credens, nulli confidens, omnia revocet ad examen Caramuel; per quem tibi licebit, ut nec illi confidas, ſed eumdem examines, ſequariſque, ubi eumdem non erraſſe cognoſcas.*

EXI-

Digitized by Google

Sicut Stellæ, tametſi omnes lucidæ, ſunt inæquales, ſic Viri docti, licèt omnes illuſtres. Sed quis illos auderet ad claſſes & gradus reducere. Qualem igitur ſervavi ordinẽ? abecedariũ; quali litteræ initiales dederũt: ſinguli n. mea opinione ſunt primi Sed cur Reverẽdiſ. & illu. tituli dignitatũ omiſi? Quia puerilis cõmatu eſt, Viris toto orbe notis titulos addere proprii nominis claritate minores. Et cur tandẽ vita functis ſuperſtites, & Cœlitibus immi-

EXIMIIS DD. MAGISTRIS SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTT. ET PROFESS.

Adriano Crommio, Alfonſo de Leone, Ambroſio Fornatori, Andreæ Calocero, Andreæ Capano, Andreæ Lancfranchio, Angelo Manrique, Antonio de Leone, Auguſtino Barboſſa.

Bartholomæo à S. Fauſto, Baſilio de Aërea, Bernardino Clanchy, Bernardo Bottyno.

Cæſari Carena, Camillo Meltio, Carolo Baucio, Caſtillo Soto mayor, Cæleſtino Sueſionenſi.

Danieli Bruoder, Danieli de Nobilibus, Didaco Narbona, Didaco Quiroga, Didaco Tranſmiera.

Fabio Chiſio, Franciſco Amico, Franciſco Bardi, Franciſco Ceſpedes, Franciſco Haroldo, Franciſco Oviedo, Franciſco Pellizario, Franciſco Salerno, Franciſco Torre-blanca.

Gregorio Carafa.

Hieronymo Garcia, Horatio Hemmetter.

Ioanni Alberghini, Ioanni Baptiſtæ Lezzanæ, Ioanni de Dicaſtillo, Ioanni Franſſens, Ioanni de Ionghe, Ioanni Molitori, Ioanni Petro Fontanella, Ignatio der-Kennis, Iulio Cæſari Boreæ, Iulio Clementi Scoto.

Leandro de Murcia, Leoni à Regibus, Lucæ Wadingo, Ludovico Bernaldo de Quiros, Ludovico Connæo.

Malachiæ Falloni, Martino Breſſero, Maximiliano Reichenperger.

Nicolao Donellano, Nicolao Fernandez.

Paulo de Tauris, Petro Bivero, Petro Gaſendo, Petro de Lorca, Petro Marchantio, Petro Martyri.

Reinero Piſtorio, Remigio Scofra, Roderico de Arriaga.

Theodoro Moreto.

Valeriano Magno, Vincentio Tancredi.

Zachariæ Paſqualigo, &c.

VIRIS MAXIMIS, MEIS DOMINIS ET Amicis optimis, quà Cœlitibus, & quà Terricolis, honorem & reverentiam ſummam.

ſco Terricolas? ut ab illis erudiar humanitùs; nã & mortui nos audiũt & cœlitùs ſuos diſcipulos devotes docent. Erunt fortaſſe plurimi Viri docti & illuſtres, quorũ mentionẽ nõ fecerim, quib. etiam aliquid dicturus ſum. Hanc inquam Epiſtolam direxi ad illos, quorũ vel libros lego, vel literis frequẽter honoror: ſi alij me ſuis literis dignabuntur, etiam ipſos meus ſtylus celebrabit.

Digitized by Google

VEſtra ego ſcripta, aut exarata manu, aut typis edita, quæque habere licuit, SAPIENTISSIMI VIRI, *quotidie diligenter evolvo; & noſtro ævo congratulor, quòd non habeat cur auręæ antiquitati invideat. Interlego priſcæ ætatis hiſtorias, & admirabundus obſervo nullum ſæculum debere conferri cum noſtro; nam ſi Ingeniorum numerum conſiderem, tot habes Viros Doctos hæc ætas quot omnes præteritæ ſimul: & ſi Ingeniorum eminentiam perpendam, fuiſſe olim in Orbe litterario Theologos vobis ſuppares vel majores, crediturus non ſum. Olim ut quæreretur doctus Vir, diligentia; ut inveniretur, opus erat fortuna: vix enim è millibus unus aut alter erat, dignus Laurea. At hodie vultis-ne Viros ſapientes invenire?* Ite aD eXItVs VIarVM, & qVos CVMqVe InVenerItIs. *hoc enim anno M. DC. LI. viarum Sæcularium, Eccleſiaſticarum, Regularium exitus ſunt Academiæ, in quas quidquid ſublime, quidquid ſubtile, quidquid eximium habet Orbis, exonerat. Quæ tam felices hodie & divites; ut quoſcumque inveneritis Theologiæ Profeſſores, poſſitis conſulere & colere. Multi ſunt hodie in Mundo Viri magni, & inter illos Vos præcipui. Ergo ſiquidem eſtis tam docti, neſcire non poteritis honorem habere ſua onera, & doctrinæ gloriam non poſſe labore carere. Ergo vel non ſitis tam magni, vel patiamini, ut Pygmæi ad Gigantum protectionem confugiant. Gymnaſia veſtra ingredior; & qui ab annis plurimis Theologiam ſum profeſſus, ſumo calamum, & inter veſtros diſcipulos à veſtro ore & dictamine pendeo: & ne aliquo illecti præjudicio in mea directione oberretis, me totum quà corporeum, quà ſpiritualem coram vobis effundo; æger enim ſe decipit, ſi Medicum velit decipere. Habeo,* AMICI OPTIMI, *aliqua ſingularia, quæ reddunt me mihi ſuſpectum. Valetudinem, Dei ſingulari beneficio, ſufficientem. Libris ſacris profaniſque horis quatuordecim impalleſco quotidie, & veſtris ex majori parte: Veſpere nimiùm ſum ſemper fatigatus & miſer; at manè, cùm vado ad Matutinas, nihil Patior. In ſingulis Senſibus nonnihil ſingulare percipio; & in Guſtu præcipuè; carnes enim ferinæ, ſylveſtres volucres, pretioſi piſces, & cætera deliciæ Principum, mihi ſunt tædio. Venio ad mentem; cujus gratia cætera fuerunt dicta. Me abripiunt nonnullæ opiniones, quas video à Doctoribus rejici, quas tamen tam certas & claras exiſtimo, ut auderem illas coram Deo juramento firmare, & carerem formidine, etiamſi ſumma rerum ab illarum veritate penderet. Hæc primo ingenii motu & ſtando privato judicio. At ſeducor in me, & me interrogo, An Caramuel debeat univerſis præferri? ſed cùm me ſuper-*

Marginal notes: IX. — *Noſtra ætas plures habet Viros doctos, & majores; quàm priſca.* — *Matt. 22.* — *Authoris Genius.* — *Senſus externi.* — *opiniones internæ.*

Digitized by Google

IX. *Noſtra ætas plures habet Viros doctos, & majores; quàm priſca.*

An oculis audiẽdum ſit?

me ſuperbiæ & temeritatis incuſo, etiam mihi reſpondeo, datos Homini oculos, non ut audiat & credat ſed ut videat. Cùm omnia fluunt tranquillè & in oceano cordis malacia præſidet, ſic dialecticor, & mihi adulor.

Adulationis Peroratio.

[Præditus ſum ingenio claro & forti, & Complutenſis Univerſitatis teſtimonio inter condiſcipulos primo. A primâ pueritiâ præter legere & ſcribere nil ago. Sive in viâ ſim, ſive in lecto, ſemper meditor, quæ ſum dicturus. Quotidie ingenium quatuordecim horis exerceo. Sincerus ſum; non habeo dictamen venale, nec minis nec precibus cedo; & experientiâ didici, etiam cum mortis evidenti periculo me poſſe meum dictamen tueri. Et tamen aliquando à cõmuni ſententia Theologorum egredior. Sed quid inde?

Nõ omnes ſunt docti, qui dicuntur.

Matt. 22.

Multi malunt docti dici, quàm eſſe. Multi non proprias, ſed aliorum opiniones exſcribunt. Non-nulli (& hoc ſcio certò) malunt contra dictamen loqui, quàm incurrere indoctorum cenſuram. Rari ſtudent: & rarò: nec omnes tanto ingenio ſunt præditi, quãtum ſubtilitas Moralis Theologiæ requirit.

Moralia ſæpè ab indoctis tractantur.

Iudicium prudentiale.

Tractant Ethicam & Politicam aliqui, qui Metaphyſicam ignorant; & non pauci qui Logicam; & audacter affirmant, non requiri ad Moralia Realium ſcientiarum cognitionem, ſed neſcio quod prudẽtiale Iudicium. Ergo exorbitent, quantum illi voluerint, ego veritatem tanto ſtudio & labore quæſitam, tanta felicitate inventam propter Andabatarũ umbratiles opinationes non relinquo.] Sic mihi abblandior, cum omnia ſunt pacata & ſerena. Sed cum cordis procelleſcit oceanus, violento tempeſtatis impetu arenæ miſcentur ſyderibus, & inter fluctuum vortices, diſcurſus Adulationis naufragatur.

Sinceritatis Replica.

Tunc inter terrores & fragores ſic incipit loqui Sinceritas. [Certiſſima ſunt argumenta quæ ſumuntur à ſenſu. Ergo tuos recognoſce Caramuel, & ſingulos male affectos videbis. Te Muſica practica nõ recreat (quoniam ſpeculativa, non ad aurem pertinet, ſed ad mentem.)

Organo læſo omnes ſenſationes alterantur.

Cibi delicati non ſapiunt: vix liquorem à liquore diſtinguis: odores amaros non faſtidis, nec dulces amas. Et in hoc ſenſus tuos omnium hominũ experientia condemnat.

à ſenſu ad mentem argumẽta deſumens.

Mella amara videntur ægroto; qui ſi ſincerus ſit & prudens, non illa, ſed arguet palatum. Ergo ſicut de ſenſibus, ſic etiam de mente diſcurre. Placent nonnulla Aſſerta, quæ cæteris hominibus diſplicent? Sincerus es, & prudens haberi deſideras; ergo ne dicito univerſos decipi, ſed mentem potiùs Tuam aliquo Præjudicio laborare. Morbus eſt recognoſcendus & expellendus, & mens à malo aliquo affectu recuranda.] Hæc mihi & ſincerè ſinceritas. Et ego ſinceritatis verba Adulationis blandis lenociniis præpono: Theſauros Idearum aperio; deſcendo in cor altum, & primos lapides Fundamentorum recognoſco, nec tamen Præjudicium reperio.

Moralia Authoris Opera. Dialectica. Philoſophia.

Habeo paratos ſpeculationum Moralium multos libros; Dialecticam Moralem à nemine quod ſciam tentatam; in qua fortè Narciſſus opinione æmulorum videbor. Philoſophiam etiam Moralem. Totam etiam Phy-

Digitized by Google

Phyſica & Metaphyſica reducta ad mores. Medicina. Theologia.

Phyſicam & Metaphyſicam tranſtuli ad mores; & Medicinam magno ægrorum ſolamine radiis Theologicis dilucidavi: & tandem Theologiam ingreſſus, multa ſum meditatus, quæ perire non patiar. Omnia meis principiis inſiſtunt: è quibus ſi vel unum auferam vel immutem, multa debebunt doctrinæ conſequentia mutari. Ergo proderit, à multis & Magnis Doctoribus ſecuritatem eorundem Fundamentorum explorari antequam Turres, quæ eis inſiſtunt, vento contradictionis exponantur. Sed à quibus? A vobis SAPIENTISSIMI DOMINI, *quibus Terrarum Orbis majores & doctiores non habet. Legite obſecro ſequentes paginas; & ſi quid in ipſis abſonum vel obſcurũ, ſplendoribus doctrinæ veſtræ decircinate aut illuſtrate. Deum, qui veritas eſt, ſolum reſpicite; & ſi quid evidenter ſit falſum, funditùs evertatis. Puto enim, ſi ſemel in Fundamentis conveniamus, mihi licitum fore ſervare rigorem dialecticum, & quidquid poſtulet conſequentia doctrinæ, affirmare aut negare. Obſervo enim in aliquibus noſtræ ætatis Theologis intolerabilem Dialecticæ rei ignorantiam; ſæpè enim concluſiones componunt, quæ non niſi ab incompoſſibilibus fundamentis enata. Hoc vitium conabor effugere, & ita haurire Ectheſes, ut conſiſtere poſſint, ſi ad prima Principia reducantur: & quia epiſtolæ debent eſſe breviſſimæ, ne moleſtæ dicantur, pono calamũ, exorãs Deum, ut per vos me dignetur inſtituere & juvare. Et quia vos, partim eſtis Cœlites, partim Terricolæ, ſiquidem triumphatis & valetis quà Cœlites, quà Terrigenæ valete, animi & corporis triumphate hoſtes, & Caramuelem veſtrum docete, juvate, redamate.*

Parvus error in principio, in fine eſt maximus.

Licet omnibus legitimè dialecticari.

OMNI-

Digitized by Google

Phyſicâ & Metaphyſicâ reductæ ad mores. Medicina. Theologia.

Licet omnibus legitimè dialecticari.

OMNIBUS VIRIS DOCTIS S. P.

X. *An præſtitiſſet hunc librum nõ edi, ſed manuſcriptum tãtum Cenſoribus cõmunicari?*

VOlui olim hunc librum exſcribi tãtummodò, non edi: non enim eſt ille qui poſſit à Grãmaticis aut etiam Rhetoribus intelligi, quibus nihil ſcribo. At, quia Amanuenſes tardi, & multa exemplaria petuntur, eumdem imprimi patior, hac lege ut non definitivus, ſed Propoſitivus & diſputativus dicatur. Multa in illo propono, nil definio: nolo ab aliquo Amico vel æmulo pro aliqua hujus libri opinione allegari: nihil enim in toto facio aliud, quàm inſinuare ſcopulos, quos Navarchus Ethicus debeat vitare; & quo vitare debeat modo aut non debeat, non expono, ſed alijs judicandum relinquo. Sed quia omnes Lectores etſi invidi & virulenti, candidi volunt dici, & docti etiam, licèt ſint ignorãtes; volo inſinuare quid nomine *Doctorum* intelligam; ne fortè aliquis intercurrere ad Nos præſumat nõ vocatus. quod ut uberiùs præſtem, aperio Pontificium Decretum, & ex compilatoris vitâ, quæ operi divino præfigitur, unam aut alterã periodum illuſtrandam aſſumam, quæ propoſito argumento reſpondeat; & ſi nonnullas alias controverſias evolvat, nihil ediſſerat, quod nõ ſit utile vel neceſſarium. In Decreti igitur primo folio iſta lego:

Qualis ſit iſte liber?

Quid Doctorũ hominũ nomine intelligendum ſit?

XI. A Quibuſdam prædicatur in populis hos tres, [Gratianum videlicet, Petrum Lombardum, & Petrum Comeſtorem] fuiſſe germanos ex adulterio natos. Quorum mater cùm in extremis peccatum ſuum confiteretur, & confeſſor redargueret crimen perpetrati adulterii, quia valde grave eſſet, & ideò multum deberet dolere, & pœnitentiam agere, reſpondit illa; *Pater ſcio quòd adulterium peccatum magnum eſt; ſed conſiderans quantum bonum ſequutum eſt, cùm iſti filii mei ſint luminaria magna in Eccleſiâ, ego non valeo pœnitere.* Et Confeſſor ad eam. *Quod tui filij ſint notabiles Viri; & opera utilia fecerint Eccleſiæ Dei, non ex te, ſed ex Bono Dei eſt; ex te autem adulterium crimen magnum, & de hoc doleas, & quod non habes tantum dolorem, quantum exigit tam horrendum ſcelus, de hoc tamen doleas, quod non potes dolere.* [Fuit Gratianus Monachus Benedictinus; Lombardus Pariſienſis Epiſcopus; & Comeſtor Presbyter Eccleſiæ Treccenſis.]

An boni poſſint effectus ſuboriri ex peccato?

XII. *Proponũtur Quæſtiones ventilandæ.*

CUm hęc interlego, paucorum verborum cõtextu video graviſſimas controverſias involui, aut etiam ſi velis, evolvi: è quibus illas eligam, quæ ad noſtram intentum conducant. *Exponam primò,* Qualis eſſe debeat Moralis aut etiam Scholaſticæ Theologiæ Profeſſor, ut vir doctus dicatur? nam præter Profeſſores in his delicatis materiis Viri eruditi multi, docti rari. *Secundò.*

Prima:

Secunda:

Quid

Digitized by Google

Quid ſit Ius & Injuria? ut ſciamus, quo Docti Viri modo debeant aliorum libros cenſurare. *Tertiò*, an contrahantur Matrimonia in ſcholis, & opinionum copulâ committantur adulteria ſcholaſtica? *Quartò*, Quantus & qualis dolor poſt culpam mortalem ſufficiat? an detractio remitti ſoleat poſſit-ve, ſi reſtitutio contemnatur? & qualis debeat honoris reſtitutio fieri ab æmulis, qui invido ſtylo & labio Viros candidiſſimos maculant? *Quintò*, Quantâ debeat Vir doctus libertate pollere? an poſſit ſpe vel metu regi? an habere conſilia & decreta vænalia? *Hæc quinque* Capita coincidere videntur in primū; & ideò à nobis hodie ſunt uberâ brevitate illuſtranda.

Tertia: *Quarta:* *Quinta:*

XIII. *Oratio ad S. Benedictum.* Exordium igitur à Primo ſumam, & ut felici auſpicio poſſim, ad Te Magne Benedicte mentis oculos ſubrigo, & Tuam ſummam diſcretionem conſiderans, Poëtæ labio utor, & exclamo.

Is genus indocile & diſperſum montib. altis,
Compoſuit legesq́; dedit.

Omnes ſcientiæ D. Benedicto debentur. Tibi legiſlatori optimo maximo debetur tota Philoſophia & Theologia Moralis: Tibi enim Jus Canonicum, Tibi etiam Regulare, Tibi ſæculare & Politicum. Gratianus Decretum, quod totius Juris Canonici baſis & fundamentum, edidit; & Gratianus, ſeu Claſſenſis ſeu Fœlicenſis fuerit Monachus; ſeu utrumque ſeu neutrum (nam ſcriptores variant) Monachus Tuus fuit; & ſi vitæ, quæ ex variis excerpta Decretorum volumini præfigitur, creditur, cœlum poſſidet; quoniam in converſatione regulari tuæ exactiſſimè cōſonuit Regulæ, & per duodecim ſecuriſſimos gradus Humilitatis ad gloriam divinam aſcendit. Jus Regulare Tu ſcripſiſti, indixiſti, obſervaſti; & à Te morum integritatem videntur juniores Patriarchæ & Ordinum Inſtitutores didiciſſe. Sed & Jus etiam Cæſareum Tuum eſt; nam Juſtinianus Legiſlator, nepos fuit Tuus, ipſeq; gloria Aniciæ gentis, à quâ Sereniſſima Domus Auſtriaca ducit originem; quoniam ſi res debito ſtudio examinetur, ante Rudolphos & Albertos, cum domus Auſtriaca audivit Juſtiniana & Anicia, illa Cæſarum fuit; à Cæſaribus orta, dedit Europæ Cæſares, & regiones nobiliores Cæſaribus. A Te, Pater Sanctiſſime, à Tuo Gratiano, à Juſtiniano Cæſare etiam Tuo, à Petro Lombardo & Comeſtore doceor, & qualis eſſe debeat Theologus, qui VIR DOCTUS nominetur, addiſco. Sic ſentio, ſic pronuncio, ſic aſſero. *Non eſt dignus eximio* VIRI DOCTI *vocabulo, qui non ſit alter Benedictus, alter Gratianus, alter Lombardus, alter Commeſtor, & alter etiam Iuſtinianus*, Rem pertingo.

Gratianus fuit Benedictinus. *Iuſtinian⁹ Cæſar, Legiſlator, D. Benedicti fuit nepos.* *Domus Auſtriaca deſcendit ab Aniciâ.* *Vir doctus quis?*

Volo inprimis, VIROS DOCTOS, etiam, eſſe Gratianos; quoniam *Gratianus* dicitur, quaſi *Gratiæ annuens*; & fruſtra de doctrinâ gloriabitur, qui illâ abutitur, & gratiæ non annuit. Solem ſuum Deus (gratiam ſupernaturalem intelligo) oriri facit ſuper bonos & malos; quod ſi gratiæ annuas, & ad DEI majorem gloriam ſudores ſcholaſticos dirigas, Gratianus es, & prima veræ Theologiæ fundamenta jeciſti; quoniam *Initium Sapientiæ timor Domini.* Intentionis puritate præventus ad actionē progredere: (temerè enim manum vel pedem moverit, qui careat intentione ſincerâ.) Lombardum indue, ut Magiſter ſententiarum ſis. Non eſt VIR DOCTUS, qui Magiſter unius ſolius ſententiæ; qui ita Scoticis Fundamentis adhæret, ut propoſitiones Thomiſticas defendere non poſſit, aut nolit. Nam Vir, ut à Doctrinâ gloriam habeat, debet

Gratianus unde dictus? *Gratia ſol.* *Prima ſapientiæ fundamēta.* *Vir doctus debet æquè omnes ſētentias Theologorum defendere.*

Digitized by Google

debet eſſe ſententiarum Magiſter; paratus Thomiſtarum, Scotiſtarum, aut etiam Nominalium ſententias propugnare & defendere, quoties occaſio aut ratio ſuppetat: multum enim ab Aquilâ differt Teſtudo, multum ab Accipitre Talpa, quoniam Talpâ ſubterranea vertente, & Teſtudine quodammodo reptante, Aquila (aut etiam Accipiter) ventos pectit, nubes calcat, & cœli hoſpes eſt volucrum cæterarum Regina. Informe Theologorum vulgus, cum aliquam propoſitionem audit, ſuperficietenus intelligit; Magiſtri eamdem intelligunt ter magis; nam præter ſuperficialem ſenſum, aſſequuntur & profundum, & altum: profundum, quia diſcurſu ad prima fundamenta perveniunt; altum, quia inde ad Corollaria ultima dialecticantur. Placent hæc omnia Tibi; & ais. Jam ſum alter Gratianus & Lombardus: ſum-ne VIR DOCTUS? Debes eſſe comeſtor, & libros quos alij vix libant, ruminare, maſticare, devorare, concoquere. Hinc incipio intelligere obſcuram Ezechielis periodum, capite enim ſecundo iſta lego. *Hæc dicit Dominus Deus.* ergo attende Chriſtiane. Non ſum ego qui loquor, ſed Deus. *Aperi os tuum, & comede quæcunque ego do tibi. Et vidi; & ecce manus miſſa ad me, in quâ involutus erat liber; & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus & foris, & ſcripta erant in eo lamentationes, carmen, & væ. Et dixit ad me: Fili hominis, quodcumque inveneris comede; comede volumen iſtud, & vadens loquere ad filios Iſrael. Et aperui os meum & cibavit me volumine illo & dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi. Et comedi illud & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Hæc Propheta; quæ relego, & propoſito conceptui accommodo.

Magiſter magis ter.

Prius quis debet edere ſciētias, quàm ēdere.

Ezech. 2.

Ecce loquitur Deus; & omnē creaturam tacere neceſſarium eſt. *Hæc dicit Dominus Deus,* Ezechiel ait, & ego ad pedes divinos, ora teneo, & aurem oculoſam ſubmitto: ubi loquuntur homines, licet oculatæ eſſe auri, hoc enim ævo prudens ille, qui audit oculis & auribus videt: at Deo loquente oculos claudere, & aurem ſubmittere opus eſt; cur enim homo contrà diſputet, cùm ille loquitur, qui nec fallere poteſt, nec falli? Sed quid Deus creaturæ ſuæ dignatur dicere? *Aperi os tuum & comede quæcunque do tibi.* Jam audio, *Quæcunque,* ait Dominus; ergo nobis obediendi, non autem arbitrandi aut decernendi gloria relicta eſt. A ſopore Præjudiciorum excitor; (Jura enim non ſunt dormientibus ſcripta, ſed vigilantibus) ſingula circumſpicio, ubi enim circumſpectio deficit, nec eccleſiaſticè, vivitur, nec politicè; & ecce Ambroſij, Hieronymi, Benedicti, Gregorij, Thomæ, Scoti, Ochami, &c. *manus miſſa ad me, in quâ involutus erat liber:* (nimirùm, Curſum, Philoſophicum, Theologicum, & Moralem complectēs) qui meritò *involutus* dicitur, quia difficultates graves continet, quæ ſummo ingenio evolvi debent. *Et* (ſpiritus Dei) *expandit illum coram me; qui erat ſcriptus intus & foris.* habet enim duas litteras internam & externam, ſpiritualem & corpoream; nam dum ſpeculationes Philoſophicæ terrena curare, conſideranti exteriorem contextum, viderentur, demonſtratur, ſi ſpeculemur interiora, terrena illas deſpicere & amare cœleſtia. Sed quæ ſunt in hoc volumine Scholaſtico ſcripta? Philoſophica, Theologica, Moralia; ſeu ut Propheta loquitur, *Lamentationes, carmen, & væ.* Vel attendite. Quid aliud ſunt omnes Meditationes Philoſophicæ, quàm cruces, & lamen-

XIV.

Loqui & audire oculis: videre auribus.

Liber ſcriptus intus & foris.

Et quæ in illo ſcripta?

Quid ſint Philoſophica?

Digitized by Google

lamentationes ingenij. Cùm Intellectus Phyſica (communia, ſpecialia; elementalia, cœleſtia; Inanima, vegetativa, ſenſitiva, & Rationalia) ediſſerit, eo modo format ſingula quo intelligere poſſit; non verò ut ſunt formata, intelligit Hinc tenuitatis propriæ conſcius lamentatur; & ſe hoc ſolùm ſcire, quod nihil ſciat, lachrymis ſuffuſus ingeminat. Et quid aliud quàm carmina omnes Theologicæ Reſolutiones? Tota illa Theologia, quæ *Scholaſtica* dicitur, eſt quædam Harmonia cœleſtis, in quâ Tactus (vulgò, el *compas*) dependet à Philoſophiâ. Hæc Theologicas opiniones metitur (imo & ſæpè inſolenter mentitur) & ubi hæc ceſpitat, illæ aut hærent aut errant, aut tandem laborant ametriâ, quæ eſt morbus in moralibus maximus. Ubi enim Theologus periculoſiùs exorbitare poteſt, quam in ethicis? væ illi ſi improbabilia doceat; væ etiam illi, ſi certò tenenda dedoceat. Væ ſi cœcus, ut contingere ſolet, ipſe ſit, & cœcos ductare præſumat.

Quid Theologicæ? Philoſophiæ & Theologiæ connexio.

Quænam Magiſter debeat docere & dedocere?

XV. Tu igitur Lector candide comede volumen iſtud; Philoſophiam, Theologiam & Ethicam (has enim facultates illud continet) maſtica, devora, digere; & eris Comeſtori ſimillimus; opinionem opinioni compone, & eris ſententiarum Magiſter; omnis tua cogitatio aut operatio à Gratiâ Dei ſemper incipiat, & in eam ſemper deſinat, & correſpondebis Gratiano, & VIRI DOCTI cognomentum mereberis. Profectò, ſi ſis ſemel VIR DOCTUS, eris & BENE DICTUS; quotquot enim cenſentur verè docti, ipſi apud omnes audiunt bene, & ab omnibus bene-dicũtur. Imò etiam bene dicunt; quoniam homo, quamdiu bene utitur fundamentis, quæ maſticaverat in Philoſophicis; & mentem ſuam alit & ſuſtentat Theologicâ Patrum doctrinâ, ipſamq; digerit per locos Morales & Practicos, & bene digeſtam producit, eructat ex corde verbum bonum, & eſt ſimillimus Regi, imò & Imperatori, & præcipuè Maximo Juſtiniano, qui ſumpſit à Juſtitiâ nomen. Sed monendus es obiter, amice Lector, non omnes eſſe Juſtos qui Juſtiniani vices agunt, & Judices eſſe dicuntur. Inter ſcholas celebres, quæ hodie in Europâ, una vocatur *Nominalis*; & inter Relationes Metaphyſicas aliquæ ſunt *ſecundum dici*. Dantur *Entia rationis* in Logicis: aut ſi hæc negentur, nemo poterit negare *Entia vocis*, quæ alibi curioſè dilucido. Ergo non erit mirum, ſi docearis, dari hodie in mundo Juſtitiam purè nominalem, hoc eſt, ſecundum dici, quæ ſit ens rationis vel labii, objectivè in vocis imagine, & ſubjectivè nullibi. Hâc hodie multi delectantur Theologi, multi Juriſperiti, qui ſemper Deum habent in linguâ, quem tamen proſcribũt à corde. Similia ſunt ova Galli & Gallinæ, & tamen ex his pullus, ex illis Baſiliſcus oboritur. Violentus motui naturali eſt ſimillimus, & tamen conſervatur in ſtatu naturali ſubſtantia, quæ periclitatur in violento. Et quia Juſtitia in connaturali rerum curſu, & Injuſtitia in violentiâ conſiſtit, etiam ſimiles ſunt, & ne erremus, debebunt accuratè diſtingui.

Omnis doctus, eſt etiam benedictus.

Juſtinianus à Juſtitiâ dictus.

Schola Nominalis.

Relationes ſecundum dici.

Entia rationis.

Entia vocis.

Juſtitia nominalis.

Pullus & Baſiliſcus.

XVI. Prævenimur Ariſtotelis dogmate, qui Phyſicorum primâ lineâ ediſſerit, tunc aliquid nos homines ſcire, cũ cauſas & elementa penetramus; ergo ſi elementa penetraturus ſim nimius non ero, ſi ipſum Juris vocabulum, non omnibus æquè notum, exponam. & quia Gratianum magnifacio, ejuſdem polito labio eloquar, & ejus mente prodigioſâ diſcurram.

Quid ſit ſcire?

Ius

Digitized by Google

Ius quid? *Ius generale nomen eſt*, ait, *Lex autem Iuris eſt ſpecies. Ius autem eſt dictum, quia Iuſtum eſt. Omne autem Ius moribus & legibus conſtat.* Juri opponitur Vis, & ſtatim mirari incipis, quod hæc duo ex diametro contradictoria nomina eisdem elementis componantur. *Ius, & Vis anagramm.* Tribus conflatur nomen JUS, tribus nomen VIS; & tota differentia videtur eſſe anagrammatica. Si reſpondes,

IVS VI eſt adverſum, VIS adverſaria IVRI eſt
Inverſum adverſum nomen utrumq; ſibi.

difficultatem urges, non diluis.

Sed cur? Puto igitur, ideò hæc duo celeberrima nomina JUS, & VIS, eisdem elemẽtis conſtitui, & totam differentiam in mero anagrammate & litterarum inverſione conſiſtere, quòd nihil in Jure reperiatur violentiæ expers, ſi velit Juriſperitus cavillari; unde cùm *Summum Ius ſummam eſſe Injuriam* profitemur, diſcrimen eſſe accidentale, & quod modum procedendi concernat, inſinuamus.

In connubiali Oceano Adulterium tempeſtas eſt. Ut hanc veritatem perſuadeam, ponam ob oculos cõnubialem Oceanum in quo Gratiani, Lombardi, & Comeſtoris Mater naufraga; nam adulterium eſt merum Iurium matrimonialium anagramma, ac proptereà violentia illata connubiali amicitiæ. *Hymenæi Mundi elementa, quæ? quæ?* Quoniam Hymenæus Mundus quatuor elementis componitur, videlicet, *Abſtinentiâ, Vſu, Alienâ, Propriâ.* Eſt enim continens, qui propriâ uſus ab alienâ abſtinet, & qui alienâ uſus à propriâ abſtinet, omninò incontinens. Continentia eſt quædam Mundi connubialis ſerenitas, & Incontinentia eſt ejuſdem tempeſtas; illa enim in Jure & hæc in Injuriâ conſiſtit.

XVII. Hinc duas conſequentias diduco; Phyſicam Ethicam; Naturalem, Moralem. *Quid ſit tempeſtas?* Mundi hujus ſerenitatem & Procellas conſiſtere in mero naturalium elementorum anagrammate ſtatuo & hoc Phyſicè; quod & clariſſimè oſtẽdo. *Elementorum anagramma.* Quatuor enim corporibus Mundus naturalis componitur; duob. gravibus & duobus levibus. *Aqua* debetur *Terræ, Ignis Aëri.* Hoc gravitatis Jura, & Leges naturales pronuntiant; quibus hæc quatuor corpora ſuo ingenio derelicta obediunt. At ubi procelloſus æolus aut coactus à Lunâ, aut ſolutus à ſole vires exſerit, miſerrimo elemẽtorum anagrammate univerſa permiſcet. Fulminei lapides Telluri debiti in Ignis ſupremâ regione gignuntur, nubibus arenæ commiſcentur. Ignes concipit ſubterranea concavitas, & Aëre male concepto Terra quatitur: agitatur tẽpeſtuoſus oceanus, & omnia corpora naturalia turbantur. Et ſi bene conſidero, Tempeſtati contrariatur ſerenitas, nec tamen plura aut alia elementa componit tranquillatq; naturalis ſerenitatis JUS, quàm VIS impetuoſæ Tempeſtatis confuderat. Nec aliter de mundo Ethico Philoſophabimur. *Elementorum Moralium anagrammata.* Quatuor elementis componitur, ea ſunt; *Supplicium, Premium, culpa, virtus.* Si ſtemus rerum veritati & ingenio, concatenantur ſupplicium culpaque, concatenantur Premium virtusq;, vinculo tam ſtricto, ut rumpi poſſit, at diſſolvi non poſſit. Cùm ſuæ naturæ genioque Moralis iſte Mundus permittitur, dicitur *res eſſe integra*; & Miniſter qui perfectionem hanc tuetur, *Integer vitæ ſcelerisque purus* glorioſo vocabulo denominatur. *Res integra. Vir integer.* Quando res ſic procedunt, ſervantur JURA & Reſpublica ſummâ fruitur ſerenitate. Sed quando aliquis æolus, vento ſuperbiæ inflatus Moralia hæc elementa perturbat, exlege impetu omnia ad procelloſum

Digitized by Google

anagramma reducit, & mutato tãtummodo elementorum ordine proſcribit ſcitè digeſtum JUS, & VIM indigeſtam protrudit. Præbeo ſpecimen,

Supplicium Culpæ, & Virtuti Præmia
JUS *dat:*
Supplicium Virtuti, & Culpæ Præmia
VIS *dat.*

& oſtendo nihil omninò eſſe in Jure, quòd abſit Violentiæ & Injuriæ; nihil contrà: & concludo, rationes ſignificatas his nominibus JUS & VIS differre tantummodò anagrammate; & Juſtitiam in ordine, Injuſtitiamq; in deordinatione conſiſtere.

XVIII. *Nomen I.V.S. per capitales characteres exponitur.*

A rebus ſignificatis ad voces ſignificantes redeo, & iterum anagramma litterarum admiror. & interrogo, cur hæc duo nomina (nimirũ IUS & VIS,) eiſdem coaleſcant Characteribus? & reſpõdeo, has tres litteras I.V.S. ſignificare Intellectum, Voluntatem & Senſum. Si Intellectus primum locum obtineat, ſi ſecundum voluntas, & hæc recta à Ratione ſenſus externos regat, JUS eſt; quod ſi *Principe cœcalo co ſtet pro Ratione voluntas,* & Intellectus, tametſi Linceis oculis præditus, cedere & obedire cœcæ voluntati cogatur, etſi ſenſus voluntati obedire dicatur, VIS eſt, quæ moribus Humanis infertur. Et ſi hoc verum, quantâ injuriâ hodie à nõnullis aliquę damnantur ſentẽtię, quod vel palato ſuo non ſapiant, vel præoccupatæ voluntati deſipi nt! A ſenſu ad mentem conſequentia non valet, *nec enim ſequitur,* ut 11. de Finib. inquit Cicero, *ut cui cor ſapiat, ei non ſapiat palatus.* Sanè in moralibus mirabilia anagrammata ſolent interſeri; nam ut ſæpè videmus, *dat veniam corvo & vexat cẽſura columbam.* Et quando aut quomodo cenſores iſti ſatisfacient? Peccarunt in Deum, quem irrident; in Rempublicam & proprium officium, quibus non correſpondent; in Juventutem, quam decipiunt; & ſpecialiter in Viros doctos & innocentes quos cenſurâ temerariâ condemnant; quibus detractam famam reſtituere debebunt, ſi poſſint; quod ſi quantam debent non poſſint, quantam poſſint debebũt. Sed hæc mõſtra ideò in Tribunalia & ſcholas ſubrepunt, quod Cenſores & Judices interdum libertate careant. Rem ediſſero. Iuris forma eſt libertas; illud enim exiſtentiâ Libertatis exiſtit; vel ſi dubitas, tolle liberum Arbitrium & omnia Jura legesque eodem ictu ſuſtuleris. JUS etiam ſubſiſtentiâ libertatis ſubſiſtit, nam ſubſiſtentia definitur ultimus terminus naturæ, & ſi bene rem mediter, Jura omnia & liberum arbitrium eundem terminum habent, illa enim ab hoc, & hoc ab illis ad virtutem, gratiam, & gloriam ordinatur. Hinc Lux Patriarchæ Iob dicenti Deo, *Cur non tollis peccatum meum, & quare non auferſ iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam, & ſi mane me quæſieris non ſubſiſtam.* Ac ſi diceret; Hominis ratione præditi ſubſiſtentia, gratia eſt, peccatum ſubſiſtentiæ carentia. Peccavi & in lachrymarum amaritudinibus morantur oculi mei, tolle peccatum, & libero meo arbitrio concede gratiam, aut aliàs ſubſiſtentia carebo. Ius etiam quantitate libertatis eſt quãtum: eſt enim vero-ſimile poſſe ſuperiorem in materiâ gravi ad leve peccatum obſtringere, eſt probabile legem, niſi liberè acceptetur à ſubditis, inanem eſſe, adeoque rigoris & materiæ quantitatem à ſuperiorum & ſubditorum amicâ & conſonâ libertate pendere. Hoc poſito ſequitur à Libertatis qualitate Iuris qualitatem pendere. alia enim moralia ſunt, alia pœnalia, & alia

Left margin notes: Non placet, ergo nõ licet, *qualis ſit conſequẽtia? Moralia anagrammata. Iudicum obligatio.*

Right margin notes: *Sæpè illi libertate carent.* *Ius exiſtit libertatis exiſtentiâ, & ſubſiſtẽtiâ libertatis.* *Subſiſtentia quid?* *Iob. 7. 16.* *Gratia hominis ſubſiſtentia.* *Libertas, Iuris quãtitas.* *An ſuperior poſſit obligare graviter, ſi materia ſit levis?* *An leges debeãt acceptari?* *Iuris qualitas.*

Ita mixta, & ſingula qualia vel Legiſlator tulit, vel ſubdita acceptavit communitas. Quando non datur libertas, Jura non obligant; ubi illa ceſſat, ceſſant iſta; quorſum illa ſe extendit, hæc ſe inſinuat; nec homini præcipi poteſt impoſſibilis actio, nec paſſio neceſſaria interdici, in illa enim omnia, quæ non habet in poteſtate ſua ſubordinatum inferiorum arbitrium, Jus regiminis ſuperiores non habent. Stat ergo JUS Exiſtentiam, Subſiſtentiam, Quantitatem, Qualitatem, Actionem, Paſſionem, Durationem & Locum, & ſiquæ aliæ ſunt prædicamentales proprietates, recipere à libero arbitrio, quo ſublato opus eſt jura omnia quà Eccleſiaſtica, quà ſæcularia præcipitatum iri. Stat igitur illos qui libertatem vendiderunt, vel perdiderunt (eccleſiaſtici ſint, aut ſæculares) nec poſſe Jus dicere, nec in ulla materia judicare.

Sublata libertate arbitrii omnes leges tolluntur.

XIX. *An impoſſibilia poſſint præcipi? an ad præteritũ detur potentia?*

Sed ſi impoſſibilia nemo præcipit, nemo neceſſaria interdicit, quo jure Gratiani, Lõbardi & Comeſtoris Parens, jubetur adulterium eluere, cùm illud præteritum ſit, & ad præteritum non ſit potentia? [Fortè ad omne præteritum non minor quam ad omne futurum Numini concedi deberet; ſed hoc non urgeo; nimis enim Theologicum eſt, & hîc non tam conceptibus quàm Legibus & Juribus agitur.] Moralia moraliter tracto, & aſſero ſacramentalem confeſſionem habere potentiam virtualem ad præteritum, qui enim ritè & canonicè abſolvitur, redditur innocens, & ita ſe habet ac ſi nullum unquam commiſiſſet peccatum. Sed quoniam illa generoſa virgo jubetur de peccato dolere & gaudere, ego doceor non omnia quæ illud concomitantur aut ſequuntur, eſſe execratione religioſâ damnanda, ſed ſæpe bonos & commendatione digniſſimos eſſe peccatorum effectus. Peccat Adamus, & infelici culpâ omnes ſuos poſteros reddidit infelices; & interim clamat Eccleſia, *O certè neceſſarium Adæ peccatum quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Peccat Gratiani, Lõbardi & Comeſtoris Mater, & ſi intrinſecè contempler adulterij malitiã, culpam execror; ſi effectum, peccatricem à peccato diſtinguo; iraſcor iſti, illi congratulor; & dico, *O certè neceſſaria hujus virginis fragilitas, quæ trium adamantum conſtantia quodammodò compenſata eſt. O felix culpa, quæ tales ac tantos dedit Orbi litterario Doctores.* Dicant Thomiſtæ, *Si Adamus non peccaſſet, Chriſtus natus non fuiſſet.* Firment id rationibus & teſtimonijs; Scotiſtis reſpondeant; ego alas deprimo, & intra mei argumenti terminos ſic diſcurro. [Si hæc nobilis virago non peccaſſet, nec Gratianum, nec Lombardum, nec Comeſtorem Mundus litterarius habuiſſet. Si natus non fuiſſet Gratianus, non compilaſſet Pontificum Sanctorum decreta, nec viam Decretalibus Clementinis & reliquis libris aperuiſſet; ſi natus non fuiſſet Lombardus, nec ab ipſo fuiſſet Theologia Scholaſtica, cujus dicitur Parens; Si natus non fuiſſet Comeſtor, nec Hiſtoria Eccleſiaſtica habuiſſet tam antiquum exordium. De primo ad ultimum, niſi illa peccaviſſet, luminaribus magnis cœlum litterarium careret, Jura Theologiam, hiſtoriamque non haberet Eccleſia; & in ignorantiæ tenebris ſepeliremur.] ergo ſi omnis peccans eſt ignorans, ut inculcat Hipponenſis Epiſcopus, inclamo iterum iterumque; *O certè neceſſaria hujus ignorantia Viraginis, quæ tantam ſcientiam Orbi Chriſtiano peperit!*

Confeſſionis potentia.

An à peccato boni effectus?

Eccleſia in benedictione Cerei.

An Chriſtus veniſſet, niſi Adamus peccaſſet?

O ſelix caligo & obſcuritas, quæ luminaria hæc magna, & per ipſa, & cum ipſis, & in ipſis, Theologiam ſupernaturalem, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, & canonicam Iuriſprudentiam Mundo dedit: & ad me converſus, hunc ipſum librum manu premo, & veſtra reſponſa conſidero. Illum tenebris ſcrupulis & dubiis plenum, hæc ſplendore, veritatis ſuffulta, eſſe video & admiror. Ibi Caramuelis inſcitiam, & hîc veſtram Sapientiam, meditor, & ſic ajo *O certè neceſſaria Caramuelis inſcitia, quæ oracula tam docta extorſit! O diffidentia fœlix, quæ lucrata eſt magnorum hominum Reſolutiones, quibus jam ſoli ignorantes diffidant!*

Qualis & quantus dolor ſit neceſſarius in Sacramēto pœnitentiæ?

Sed quia ejuſdem Matronæ Confeſſarius *Si non habes tantum dolorem*, ait *quantum exigit tam horrendum ſcelus; de hoc tamen doleas, quod non potes dolere*; veritatis ſtudioſus inquirit, An-ne, ad divinam impetrandam Clementiam, ſufficiat dicere, *Doleo me dolere non poſſe?* Et reſpondeo, extra ſacramentalem pœnitentiam contritionem requiri, at in ſacramentali Attritionem ſat eſſe. Quo ipſæ differant modo, conantur explicare Theologi, nec unquam ita clarè poſſunt, ut animus ſcrupuloſus quieſcat. At noſter Hiſtoriographus liquidò; nam ejuſdem ſententia, ille habet contritionem, qui dolet ſe patraſſe peccatum; ille Attritionem aut contritionem imperfectam, qui dolet ſe dolere non poſſe. Sit igitur hæc doctrina ſolamini fortis & duri ingenij viris, qui ſummam ſiccitatem in rebus divinis reperiunt, nam ſi lugere non poſſunt ob peccata commiſſa, & tamen illa deteſtantur omninò & habent ſincerum ſingula evitandi propoſitum, doleant & lugeant ſe dolere & lugere non poſſe, & ut ad ſacramentalē pœnitentiam accedant, optimè diſpoſiti ſunt. Et hic ego etiam in Scholaſticis proficio & proſum. Doctorem ab annis multis ago, & ex officio docere veritatem debeo; & tamen præter Fidei articulos, quos mei ſciebant diſcipuli cùm Gymnaſium ingreſſi, nullam doceo, quia nullam ſcio. An deſum dignitati & officio? Non puto. Aſſequi veritatem deſidero, & quòd non poſſim doleo. & quantum doleam ille ſcit, qui eſt ipſa veritas, quam ſtudioſè inquiro; cui dico, *verè Tu es Deus abſconditus*; apud quā ſum; quam quia cœcutio, comprehendere nequaquam poſſum. Nihil ſcio certò, & tamen ob incerta non doceo; cùm enim dico omnes opiniones, quæ vocantur probabiles, incertas & obſcuras eſſe, quod certū & clarū eſt dico.

Contritionis & attritionis differentia.

An multas Magiſtri doceant veritates vel ſciant?

Sed hinc novæ tempeſtates exſurgunt, novæ controverſiæ & Quæſtiones; nam cùm certum ſit eum, qui non poteſt dolere, debere dicere, *Doleo quod dolere nō poſſum*; videretur poſtulari ob ſervandam conſequentiam doctrinæ, eum qui non potuit proximo ſubveni re debere omninò dicere, *Doleo, me favere non poſſe*, & illum qui æger eſt, nec poteſt Eccleſiæ præcepto ſati facere, *Doleo me non poſſe ſacro aſſiſtere; doleo me à carnibus abſtinere non poſſe*. Et ſi hoc cenſeatur verum peccare videretur ille qui diceret, *Non jejuno quia nequeo: ſi poſſem facere omninò: ſed interim gaudeo me non poſſe*. Et ſi hoc verum deciperentur excellentiſſimi Theologi, qui contrarium affirmant. At hic ego inter obedientiam & Juſtitiam diſtinguo; non enim teneor deſiderare vires ad obediendum, ſed ad ſolvendum; nec mirum, ſi in materiâ confeſſionis ſeveriùs, benigniùs in Jejunii materia procedatur; nam in Confeſſione læſæ Juſtitiæ ſolvimus, & in Jejunio, quod extra confeſſionem indicitur, obedientiæ & Reverentiæ

An, qui obedire nequit, debeat dolere, quod obedire non poſſit?

An detur inter obedientiam & juſtitiā diſtinctio?

rentiæ

Digitized by Google

rentiæ ſatisfacimus. Cum igitur aſſerente Auguſtino, cujus verba canonica fecit Tridentinus Antiſtitû Romanorum conſenſus, *Deus impoſſibilia non jubeat, ſed jubendo admoneat, & facere quod poſſis & petere quod non poſſis & tandem adjuvat, ut poſſis.* Supponendum omninò eſt, non teneri dolere, qui dolere non poſſit; addendum, neminem poſſe de impoſſibilitate cauſari aut excuſationem prætendere, quoniam Sol gratiæ oritur ſuper bonos & malos, & ſingulis datur ſufficiens, vi cujus poſſint ſe ad gloriam æternam promovere, & legi divinæ ſatisfacere. Sed quia ſufficientia auxilia omiſſionem infallibilem, & efficacia obedientiam infallibilem in omnium ſententia imbibunt, quæris, *An-ne infallibiliter omiſſurus aut operaturus lege aliqua obſtringi & obligari queat?* Reſpondeo divinam legem eſſe actionum & omiſſionum Dominam, nec poſitâ infallibilitate ceſſare. Chriſtus & Deipara à primo conceptionis inſtanti; & Apoſtoli à ſpiritûs divini illapſu, ſine libertatis jacturâ fuerunt infallibiliter prædeterminati, ut obedirent liberè, & tamen in compoſito ſenſu deobedire non poſſent. At humana decreta ab infallibilitate eliduntur; quoniam infallibilitas ad prudentiam humanam judicata, eſt quædam virtualis neceſſitas, vi cujus infallibilis actus dicitur futurus non quidem neceſſariò ſed certò; & hæc ipſa infallibilitas Juri humano, & Canonico præcipuè opponitur: quoniam ſi omnes homines ſequerentur rationem, non ideò carerent libertatis arbitrio, & tamen Pontificum & Cæſarum Jure carerent. *Iuſto non eſt lex poſita*, & ſi omnes eſſent juſti, eſſent Jura & Leges univerſæ ſuperflua, non habuiſſet Decreta, quæ colligeret JVO Carnotenſis Epiſcopus, non quæ ordine meliore digereret noſter Gratianus; non habuiſſet Decretalia, quæ compilaret quinque libris Gregorius, non quæ ſexto complecteretur Bonifacius: careret Orbis terrarum Clementinis, nec Joannes extravagantes evulgaſſet. Tacuiſſent reliqui ſummi Pontifices; labij unius & ſermonum eorundem eſſet Terra, magnusque ille canonum & Legum apparatus ceſſaret.

An impoſſibilia poſſint præcipi?

An-ne infallibiliter futura, aut non futura?

Cur Iura & Leges fuerint inſtituta?

XX.

Hinc incipio intelligere, Cur Urbanus VIII. legem illam, quæ præceperat conceptionis Marianæ diem, feſtivam eſſe, revocarit. An-ne Urbaniſſimus Pontifex voluit ſoli Mariæ inurbanus videri; contra piam opinionem ſentire, aperireque portam, ut quæ hodie dicitur *Virginis immaculata conceptio*, cras *Virginis immaculata conceptio*, & perinde *Virginis conceptio maculata* dicatur? Abſit. Sed quia multi, & Hiſpani noſtri præcipuè, plurima in eum effutiunt, volo exponere breviter, cur præſcripta & annoſa lex illa fuerit à paucis annis abrogata. Aut fallor, aut tacitè, ſic loquebatur prudens Pontifex. [Juſto non eſt lex poſita. Si omnes ductum rationis ſequerentur, non indigeremus Jure Pontificio aut Cæſareo. Si omnes eſſent devoti Angelorum Reginæ; nunquam Prædeceſſores mei tuliſſent leges, quæ illi cultum & authoritatem conciliarent. Erat ante annos centum tepida adverſus B. Virginem Chriſtianorum devotio; illam Hæterodoxi (Martinus Lutherus & Joannes Calvinus præcipuè) auferebant; illam remittebant Catholici; & ideò ſanctionibus legibusq; debuit manu-teneri. At hodie ratio legis ceſſat univerſaliter, crevit ſingulorum devotio. Et quia devotionis efficacia præventi lege externâ non indigent, illam, quæ olim neceſſaria

Cur ab Vrbano VIII. fuerit conceptionis abrogata ſolẽnitas? Graviſſime obloquuti in Belgio sũt Hiſpani, et extraordinaria pompa cõceptionis immaculatæ ſolennitatem celebrarũt. Habui in illa concione hunc ipſum cõceptũ ediſſerui, & tota murmuratio ceſſavit. Vniverſalis erga Reginã Angelorũ devotio.

ceſſaria fuit & juſtiſſimè lata, hodie, ut ſuperfluam tollimus, caſsamus, annullamus. Et ut Nos non caſſaremus illam, ſuo ipſa pondere excideret; hodie enim univerſaliter ceſſat finis illius, & ceſſare univerſaliter legem quando finis univerſalis ceſſat ab univerſis Juriſperitis & Theologis aſſertum eſt.]

An ceſſante fine ceſſet lex?

XXI. Præter neceſſitatem & infallibilitatem ad unum, datur etiam neceſſitas ad alterum; nimirum, cum dantur duo quorum alterum vitare poſſum & tamen utrumque non poſſum. Talis neceſſitas in commiſſione & omiſſione reperitur; impoſſibile enim eſt, utramque ſimul aut adeſſe aut abeſſe, quoniam, qui non omittit homicidium, committit; & qui illud non committit, omittit. Hinc oritur lux capiti XIII. Danielis. Quoniam caſtiſſima Suſanna intercepta à ſenioribus, videretur contradictionis libertate carere, & incurriſſe perdendi honorem aut pudorem inevitabilem neceſſitatem. *Ecce oſtia pomarii clauſa ſunt*, inquiunt laſcivi Judices, *nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui ſumus: quamobrem aſſentire nobis & commiſcere nobiſcum; quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quod fuerit tecum juvenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te.* Et Suſanna animo perturbato & pectore anhelo ſic init: *Anguſtiæ ſunt mihi undique; ſi enim hoc egero mors mihi eſt, ſi autem non egero non effugiam manus veſtras.* Sed quid facies Suſanna? *E duobus malis minus eligam; Melius enim eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Hæc hiſtoria veriſſima eſt, & ex ipſa oriuntur aliquæ concluſiones Theologicæ, quas aſſumere debemus ut certas, illiſque practica judicia fundare.

Neceſſitas ad unum. Neceſſitas ad alterũ.

Dan. 13.

XXII. Prima. *Si Suſanna duabus legibus ſe obſtrictam credidiſſet, generali & ſpeciali; putaſſetque eſſe peccatum mortale ſuam pudicitiam proſtituere, & eſſe æquè grave & mortale non proſtituendo mortem & infamiam incurrere; non peccaſſet alterutrum eligendo.* & ad Matrem Gratiani *veniens, ſi ſincerè putaſſet eſſe contumaciam non dolere de Adulterio commiſſo, & eſſe invidiam de commiſſo dolere, ſeque teneri graviter non eſſe contumacem, & æquè graviter non invidere Eccleſiæ tantos viros; non peccaſſet alterutrum eligendo.* Patet, quia in tali caſu tollitur non peccandi libertas; atque adeo tollitur peccandi libertas: quæ in rigore Dialectico eſt mirabilis conſequentia, & tamen vera & ab univerſis admiſſa: ubi enim fingitur peccandi neceſſitas, reverà adſtruitur non peccandi neceſſitas. Secunda. *Si Suſanna in eodem caſu judicaviſſet, eſſe quidem peccatum mortale non conſentire ſenioribus, & eſſe gravius conſentire, debuiſſet minus malum eligere atque adeò iniquitati ſeniorum denegare conſenſum; aut aliàs judicari de exceſſu. Idem de Gratiani Parente dixero, ſi utrumque contradictionis extremum malum, ſed inæquale judicaſſet.* Et patet; quia omne peccatum libertatem ſupponit, & hæc in exceſſu daretur.

Qandoduo contradictoria æquè videntur mala, quid faciendum?

Conſequentia Moralis.

Quando duo contradictoria mala videntur, ſed non æquè, quid faciendũ?

XXIII. Hinc oritur illud Axioma receptiſſimum, quod ſine hæreſi negari non poteſt, videlicet, *Quod è duobus malis, quæ ſimul vitari non poſſunt, minus debeat permitti, peccatoque qui minus impediat.* Attentione hic indigeo, ora tenete. Sic diſcurro. Sum Theſaurarius Cæſaris, & illius juſſu numeratum aurum cuſtodio duobus locis; in altero centum aureorum millia, in altero nongenta millia (ſimus in pronuntiando liberales; eodem enim labore profertur ſumma magna, quàm parva) detur caſus, in

E duobus malis minus eſt eligendum.

XXII. *Qandodum contradi-ctoria æ-què viden-tur mala, quid faci-endum?* ſus,in quo hoſtes me obruant,nec poſſim utrumq; theſaurum defendere, ſed alterutrum. Pronuntio in tali rerum tempeſtate neceſſarium eſſe centum aureorum millia perdi; nam ſi perdatur minor ille cumulus perdentur centum millia, ſi major, nongenta millia; & ubi nongenta millia, ibi à fortiore centum millia. Cum ergo Deus impoſſibilia non jubeat, & hoc de fide ſit, erit hæreticus, qui aſſerat me minus malum permittendo peccare. Imo erit hæreticus, qui dixerit in caſu poſito, me poſſe majus malum permittere & minus cavere & vitare. *Conſequẽ-tia Mora-lis.* Quod clariſſimè oſtendo. Si vito minus malum in majus incurro liberè, quia poſſum non incurrere; ſi defendo centum aureorum millia, nongenta millia liberè perdo, quæ teneor ſervare ex officio; ergo pecco, & teneor ad reſtitutionem. *Quando duo con-tradicto-ria mala videntur, ſed non æ-què, quid faciendũ?* Hęc omnia nimis certa ſunt; & quæ ne poſſint quidem à primæ tonſuræ Theologo, aut à tyrone Canoniſta negari. Et tamen ſummè neceſſaria ſingula conſiliariis Politicis, ut practicè ubi utrumque impedire non valent, minus malum permitti jubeant, ne eveniat gravius. Conſultò ego *utrumque non poſſe impediri* ſuppono; nam qui vitare utrumque malum poſſet, peccaret, ſi eligeret minus.

XXIII. *[E] duobus malis mi-nus eſt eli-gendum.*

XXIV. Sic Veritas judicare nos præcipit. Occlamant Philoſophiæ & Theologię imperiti, *Non iri factum mala, ut bona eveniant.* Nam hoc quis neget? Non operatur, qui permittit. homini enim vix unquam neceſſaria eſt actio; cui tamen paſſio ſæpiſſimè neceſſaria eſt. Dicit Petrus, *Mori malo, quàm damnare innocentem*, & laudo, ſtatuoque nullius boni intuitu innocentem condemnari poſſe; at dicit Paulus, *Malo mori, quàm Conſtantinopoli Religionem Saracenam permittere.* Et ridebo. quoniam Conſtantinopoli velit Paulus aut nolit, clamet aut taceat, vivat aut moriatur, erit Saracena Religio, quam nec vivendo fovere, nec moriendo proſcribere poſſit. Dicit Scrupuloſus: *Moriatur Cæſar potius quàm hæreticos toleret in Saxonia.* Et ego Conſcientiam ſcrupuloſam, ſuperbam & ignorantem eſſe affirmo; quæ nimirum, nec rem intelligat, nec velit à doctiorib. inſtrui. Nullos unquã habet ſcrupulos, q doctus; nullos, qui humilis; nullos ille, quia veritatem penetrat; nullos iſte, quia doctiorib. ſuam mentẽ & ingeniũ ſubmittit. Dicat igitur Ignorantia, ſuperba quantum velit; ejus ego imprudentiam, aut impudentiam admirabor: Hæreticos Cæſaris vita non fovet, nec mors extingueret. imò ſi ob peccata noſtra, quod abſit, cœlos iniens nos desereret Cæſar, hæc ipſa Apotheoſis Heterodoxis vires adderet, & nos ad ultimas miſerias reduceret. Ergo Agarenorum infidelitas, Saxonum & aliorum populorum hæreſis, & Acatholicor. in Germ. perfidia, ſeu vitã cõſervet ſeu prodigat, Cæſ. neceſſaria eſt. *Conſcientia ſcrupuloſa eadem, quæ ſuperba & ignorans.*

At noto poſſe hominem facere ex neceſſitate virtutem: videlicet, ſi peccatis quæ impedire non poſſit, aut etiam peccatorum effectibus utatur ad Majorem Dei gloriam & utilitatem Eccleſiæ. Sic fecit Gratiani, Lombardi & Comeſtoris prudentiſſima Parens: peccata præterita infecta reddere non potuit & quia hi tres gnati effectus peccatorum fuerunt, illos generosè educando, & ſanctis Magiſtris cõmittendo fecit ex neceſſitate virtutem, & uſa eſt peccatorum effectibus ad Majorem Dei gloriam & Orbis Chriſtiani utilitatem: ſic ſolet Cæſar facere, ſic Reſpublica, cùm uſa alienis peccatis, quæ vitare non poteſt, præſcriptas vir- XXV. *Poſſumus alienis peccatis bene uti.*

Digitized by Google

tutes manutenet, & crimina turpiora proſcribit.

XXVI. Hinc ad vos ego EXIMII DOMINI iterum vocem & ſtylum converto: & doctrinam hanc ultimam ad compendium reduco, *Iuſto non eſt lex poſita*; & *è duobus malis debet eligi minus*; ergo nec ego vobis, cum hæc dubia propono, pono legem. Modò illa reſolvatis, de tempore loco & modo non diſputo. Liberum erit vobis me inſtituere quãdo & ubi volueritis: imò quo volueritis; nam, ſive pauca, ſive multa ad me velitis mittere, ſemper habebo gratias immortales & mãgnas. Si dicatis his ipſiſſimis ſubtilitatibus poſſe indoctos abuti; non nego; Sed è duobus malis minus permittendum pronuncio; nam & ſacrâ ſcripturâ abutuntur hæretici, cibo heluones, vino ebrioſi, fœminis libidinoſi, ferro homicidæ; nec tamen ideo interdicuntur iſtorum inſtrumenta facinorum, quibus alij homines utuntur bene. Et ego ne veſtrâ patientiâ abuti dicar, pono calamum, & doctiſſimas litteras veſtras Pragæ apud Montem-ſerratum exſpecto.

LECTORI DIVINO.

5. 1. 3. 4. 2. 6.

XXVII.

Homo binos in corpore oculos habet: binos in mente.

Ariſtocles cur Plato & cur Divinus dictus?

HOMO, Divinæ Omnipotentiæ ſoboles, binos oculos habet; non ut plura conſpiciat ſed ut meliùs. Binos in corpore, binos etiam in animo: & Ariſtocles, qui ab ingenij latitudine potiùs, quàm ab humerorum diſtenſione *Plato* dictus, ideò *Divinus* audiit, quòd pluribus præditum oculis haberet Animum. Et meritò; ſumus enim Cyclopes, qui humani: Argi, qui Divi. Homo, quamdiu intra Naturæ cancellos cogitur, Polyphemi ſimillimus, habet in fronte oculum, (rationis lumen) quo ſolummodò præſentia videat, præterita & futura; invideat. At Deus purum eſt lumen & millenis condecoratur oculis, quos Theologorum linguâ *Attributa* vocamus. Habet ob oculos præterita & futura; quæ enim tranſeunt oculos noſtros, in æternitate non tranſeunt. Philoſophus, ut Deo ſimilis ſit, hoc eſt, Divinus, binos oculos habere debet, Mathematicum, Phyſicumque: multos enim in Matheſin errores Phyſices ignorantia, & multos in Phyſicen Matheſeos ignorantia invexit. Juſſit Plato inſcribi Academiæ, NEMO INGREDIATUR HUC GEOMETRIÆ NESCIUS, nam clauſo oculo Mathematico, Phyſicus omninò caligat. Keplerus doctiſſimè in Dioptricâ. *Secundas Pena partes dedit dogmati de itineribus Planetarum, verè eccentricis: & rectè dedit. Habet Optice firmiſſima pro his argumenta. Illud ſolùm cavendum,*

Cyclopes. Argi. Polyphemus monoculus.

Deus quid ſit? quot habeat oculos?

Tempus eſt duratio fluens.

Æternitas eſt duratio ſtãs.

Philoſoph. quot & quales oculos habere debeat?

Digitized by Google

vendum, ne nobis accidat, quod Veteribus, ut alteri Optices oculo nimiùm ſecurè confidentes in pervidenda hac Planetarum orbita, alterum Phyſices oculum claudamus; & ſic quod utriuſque, & Optices & Phyſices rationibus ex æquo tribuendum erat, ſoli opticæ tribuentes, rurſum à ſcopo aberremus. Quæ verba ad Theologiam Moralem digniſſimè transferri poſſunt. Video authores, quos Pyracmontes, Brontes, & Steropes meritò dixeris, cæcos aut ferè; qui aure reguntur; garriunt quæ audierunt; & quæ in alijs legerunt, in ſuos libros diligenter transcribunt. Hi ſunt Theologo-Cyclopes, & clauſo oculo Phyſico, tantùm optico utuntur, & Reſolutiones omnes ſuas Principio illo, ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ, ſuccollant. Video & alios, qui clauſo oculo Optico, tantùm utuntur Phyſico; qui in ſuo ſenſu abundantes nullum authorem legunt, nullum curant: & hi etiam me judice Cyclopes ſunt, & inter animoſitatis incendia, & vanæ gloriæ fumum formant fulmina, quibus latentis veritatis exploratores omnes oppetant. Quid ergo acturi ſumus ut oculati Divinique, & non potiùs myopes cæci & Cyclopes dicamur? *Aperire duos oculos; opticum, Phyſicum; authenticum & Rationalem; ne nobis accidat, quod veteribus, ut alteri oculo* (hoc eſt authoritati Humanæ) *nimiùm ſecurè confidentes, in pervidenda Moralium Reſolutionum orbita alterum oculum* (hoc eſt Rationem) *occludamus: & ſic quod utrique oculo* (authoritati ſcilicet & Rationi) *ex æquo tribuendum erat, aut autoritati Ratione deſtitutæ, aut Rationi authoritate vacuæ & aëre pendenti tribuentes, rurſum ab ſcopo aberremus. Tales debemus eſſe, qui libros ſcribimus, qui libros legimus; aliàs enim nec ſine errore ſcribere, nec legere ſine invidia poterimus. Tales igitur eſtote Lectores mei, & D*IVINI *dicemini: vos enim aliàs inverſis litteris* INVIDOS *ore pleno & ſincero vocabo.*

Quot & quales Theologus.

Theologorum alii ſola authoritate reguntur: alij ſuo & ſoli judicio concedũt.

Sed debemus utrãque neceſſariò conjungere.

Divini & Invidi *anagrãma.*

XXVIII.

Divinitatis & Invidiæ diſcrimen.

Hinc jam intelligo quî differat ab Invidia Divinitas [Non ago de eſſentiali, quæ Deo competit ſoli, cujus eſt infinita diſtantia; ſed de Scholaſticâ, quæ ingeniis & doctrinæ attributa, à qua habuit Plato & alij doctiſſimi viri, quod *Divini* dicerentur & eſſent.] Inter *Divinum* & *Invidum* tota differentia eſt anagrammatica; inverte enim Divini litteras, & erit Invidus; converte Invidi litteras, & erit divinus. Conſidera Diſtichon ſubſequens.

Ariſtoteles cur Plato & cur Divinus dictus?

Peſſima condemnat DIVINUS *ſed bona laudat;*
Peſſima commendat quando INVIDUS *& bona damnat.*

Ut Lector Divinus ſit, & juſtè judicet, non indiget pluribus litteris & ſcientiis, quàm ut Invidus ſit, & condemnet iniquè; ſed indiget aliter diſpoſitis. Invidus litteratus eſt; at ejus litteræ, ſcientiæ notitiæ, malevolentiâ præoccupantur: & Divinus habet litteras liberas, quæ non affectu aliquo pravo aut prævio, ſed ſola ratione reguntur. Liberas quidem quia ſerviles literæ non ſunt Divinæ: unde rimor cur *Latini vocant* Librum, *quaſi* liberum: *qui enim liberè ſcripti non ſunt, Libri non ſunt.* Litteras in folia compactas Nomenclator Latinus *Librum* dixerit: Liber enim, ut Divinus ſit, debet eſſe liber: ſolum DEUM & conſcientiam reſpicere: nec ſpe nec metu rerum terreſtrium gubernari: quotquot enim Authores vænali ſtylo ſcriptitant, quotquot

Deus quid ſit? quot habeat oculos? Æternitas eſt duratio ſtã.

Lemma Heroicũ Philippi II.

Nec ſpe nec metu.

Digitized by Google

ſeducuntur timore, quotquot illiciuntur ſpe, Divini non ſunt, Invidi ſunt. Non eſſe Divinos eos aſſero; quia veritas libera eſt, nec vendi vult, nec lucri ſpe, aut damni metu poteſt ſe exuere, & in Falſitatem tranſire: Invidos eſſe aſſero; quia veritatem poſteritati invident; quæ aliàs fortè illam quæreret aut inveniret ſi libera relinqueretur.

XXIX. Amice igitur Lector, ſi candidus & divinus ſis, perlege has Paginas & cenſurâ tuâ ſingulas decora: Tibi enim omnia ſcribo; à quo, ut ſpero, juvabor honoraborque. Theologicæ ſunt iſtæ omnes; & quia Theologicæ, Divinæ; coram Deo ſcripta, appellant Lectorem Theologum, & Cenſorem Divinum, voluntque divinitus (hoc eſt, ad authoritatis Divinæ, & Rationis Humanæ, quæ Mentis Divinæ ſcintilla eſt, regulas) examinari.

Invidi & æmuli libros illectos frequenter condẽnãt.

Quod ſi non jam candidus, ſed Lividus ſis; non jam Divinus, ſed Invidus; labori parce. Ne unam quidem lineolam legito; tibi enim ne unam quidem ſcripſi. Libros olim interlegebas, & ſic putabas poſſe intelligi, præjudicio mirabili: at hodiè multò mirabiliori, illectos eſſe etiam intellectos deliras, & inviſos condemnas. Parce etiam & huic labori quæſo; nec velis ſtudio ſummo libros approbare aut damnare, quouſque confuſa Idearum tuarum anagrammata ad ordinem & ſtatum Divinum qualem Deus & ſinceritas poſtulat, tandem aliquando reducas.

PROOEMIUM
DE SIGILLIS ET CLAvibus Theologiæ Moralis.

Iam patet acceſſus. Lector procede: ſigillis
Olim ſeptenis Ethica clauſa fuit.
Clavibus at dudum reſeramus ſingula paucis;
Tu ſecurè illis Vtere: Vive: Vale.

XXX. *Theologia Moralis, eſt Liber ſcriptus intus & foris: viſus in Apocalypſi.*

INTER Revelationes, quas divinitus hauſit Joannes Theol. & Evangeliſta, mirabilis illa eſt quam Apocalypſeos ſexto ſcribit. *Vidi in dextera ſedentis ſupra thronum*, ait *Librum ſcriptum intus & foris, ſignatũ ſigillis ſeptem.* Et quidem Evang. Theologo non debebat alius Liber cœlitùs oſtendi, quàm Theol. Liber igitur ſcriptus intùs & foris, Moralis Theologiæ liber eſt, ut bene notavit Eſcobar, quãvis conceptum aliter fuerit proſecutus. Porrò Scholaſticæ ſpeculationes licèt internæ & mentales nos attingũt exteriùs (eruditionem enim & doctrinam perficiunt, ſed forum interius

non

Digitized by Google

non tangunt) at practicæ Moralitates forum interius & exterius concernunt, & ideò ſcriptæ interiùs & exteriùs dicuntur.

XXXI.

Pars interior hujus libri conſcietia eſt.

Si rem altè conſiderem, inveniā Libri interiorem faciem (conſcientiā humanam ſubintelligo) debere aperiri, & ſolere etiam frangi. Olim apud tenebrarum Principem, oraculis circumveniētem populos, ſolvi aut frangi ab Alexādro nodum Gordianum idem fuit; at apud Lucis Empyreæ Principem, aliud eſt aperire, aliud rumpere; aliud ſolvere, aliud frangere.

Nodus Gordius.

Ruptæ homines cōſcientiæ ſunt, quotquot divini timoris immemores temerè in Theologicas ſanctiones impingunt; apertę verò, qui in anguſtiâ dubiorum conſtituti, clavibus legitimis interpretando & diſpenſando, ſolverunt legū vincula & viam benignam aperuerunt. Sed quis eſt dignus anguſtias relaxare conſcientiæ, & aperire librū & ſolvere ſignacula ejus?

Quis librū conſcietiæ poſſit aut debeat aperire?

Profectò nemo poteſt in cœlo Angelus, nemo in terrâ Homo, nemo ſubtus terram ſpiritus, non ſolùm conſcientiā ſtrictam ſolvere, aut confuſam componere, ſed neq; providere anxiæ, & proſpicere dubiæ, niſi Agnus-Leo, aut etiam ejus nomine ille, cui claves ipſe cōmunicaverit. Sanè Agnus-Deus, Regni cœleſtis claves Pontifici Summo commiſit; at claves Libri ſcripti intus & foris; non ſolùm ipſi ſed etiam Eccleſiæ Doctoribus, quibus aperire conſcientiæ novas eaſq; probabiles vias divinitus conceſſum eſt. Cùm igitur ſeræ ſeu ſigilla ſint ſeptem, multæ erunt claves, quas juvat proponere & exponere.

Agnus-Leo. *Agnus-Deus.*

Quot ſint Libri ſigilla? Et quæ?

Sed quę ſunt iſta ſeptem Sigilla? Quę iſtæ analogæ eiſdem correſpondentes claves? Audiamus ipſum Evangeliſtam.

XXXII.

Iuſtitia ſpeculativa.

E primo ſigillo aperto ab Agno, ut Apocalypſeos ſexto Joannes ait, egreſſa fuit Juſtitia ſpeculativa; ſed unde id ſcio? ex charactere & ſymbolo: nā ſi dicebat olim vates, *Phœbus adeſt; ſonuere tuba, ſonuere pharetra: ſigna Deū noſco per ſua, Phœbus adeſt,* cur non potero ex ſymbolo Juſtitiam noſcere? ſed proponitur ſymbolum? *Eques, qui habebat Arcum; & data eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Multa interſpicio arcana quæ alibi uberiùs explicabo: nunc breviter ſingula perſtringam. Porrò Arcui eſt ſimilis Juſtitia ſpeculativa, flecti debet ut ſcopum attingat; & tamen, ſi nimiùm flectatur, rumpetur: quo ſenſu intelligendum eſt illud Pronunciatū Juridicū *ſubtilitas nimia nil valet.*

Arcui ſimilis Iuſtitia eſt.

Juſtitia poſtulat, ut leges Pietati & publico bono ſe attēperent, & quando ratio poſtulet, inflectantur; non tamen ut rumpātur: dantur enim decretum & legum cōmutationes, diſpenſationes & interpretationes, ſine quibus tyrannis eſſet, quæ nominaretur *Iuſtitia*: nam ut eſt in adagio, *ſummū Ius, ſumma injuria*; & quidem illud eſt ſummum Jus, quod nimium; quod rūpi ſolet & flecti non ſolet: quod nullam Commutationem aut diſpenſationem; quodque nullam interpretationem admittit. Pulchrè author quidam Junior. [Si omnia ad legum rigorem examinentur, injuria fiet plurimis. Leges enim de factis ſtatuūt, nullâ circumſtantiarum varietate definitis: facta verò ſingula circumſtantijs ſuis deſcripta ſunt, quibus vel mitigantur, vel aggravantur (*imò etiam aliquando mutātur ſpecie*) quarum cum (*penè infinita*) ſit varietas; nullis unquam legib. illa comprehendi poſſunt.]

Keplerus de Harmoniâ lib. 3. Digreſſ. Polit. p. 93.

Si ad alias facultates oculos convertamus, ſuccurrēt tres illuſtres Artifices, Polycletus, Lesbias & Vitrubius: primus utebatur Regulâ ferreâ, quæ frāgi priùs, quàm flecti poſſet: ſecundus plumbeâ, quæ ſe omnibus angulis accommodaret, ſed tamen eoſdem retineret: ultimus ligneâ, quæ fle-

Polycletus, Lesbias, & Vitrubius. Eorumdē Regula.

ſtcretur, cùm eſſet opus, at cauſâ ceſſante ad rectitudinem rediret. Tyranni Polycleto ſunt ſimiles, ferro ſubditos regunt, & malunt crepare quam flecti. Leſbiæ autem Principes, quos ignavos & remiſſos vocamus. Ex cauſâ liberiorem converſationem tolerāt, & ea ceſſante antiquum rigorē non reſtituunt. Hinc contra leges mores & conſuetudines, hinc præſcriptiones, hinc uſus & abuſus ſunt orti. Ergo peritura eſt Reſpublica, ſi Magiſtratus Regulâ utatur ferreâ aut Plumbeâ. Pereunt communitates, cùm in plumbum degenerant, non ſæculares ſolùm, ſed etiam Eccleſiaſticæ: Monachi enim, qui plumbeâ Regulâ probantur, D. Benedicto teſte, nullâ approbantur, *quoniam ſecundum plumbi naturâm molliti, adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur.* Ergo ſupereſt, ut Leges ſint ſimiles Vitruvii Regulæ, ut flecti poſſint, cùm ratio & prudentia præcipiunt, & è veſtigio redeāt, ſi ceſſet cauſa. Sint arcui ſimiles, habeant inflexionis menſuram, ut dum retorquentur redeuntque, ſcopum ſeu finem tangamus. Reſpublicæ, quæ tales leges habeat, *data eſt corona*; ut ipſa coronetur, & etiam ſuos cives coronet. Ut coronetur quidem; ejuſmodi enim communitas erit omnium Rerumpublicarum Imperatrix. ut ſuos coronet; nā ſi præmia abſint, languebit virtus, & animo deſpondebit modeſtia. At hæc ipſa corona, non inermi & indigno, ſed homini capaci, qui poſſit militare, debetur; Homini; qui ſit vincens ut vincat: eſt enim militia vita hominis ſuper terram, & in quocunque ſtatu cum improbis pugnandum eſt. Dantur præmia victori, & victuro: ſequuntur enim & præcedunt merita. Sunt enim præmia & prævia: quâ præmia virtutes antiquas coronant; & quâ prævia excitant & præformant futuras.

Polycletus tyrannus. Leſbius remiſſus. Unde abuſus & morū corruptio oriūtur? Benedictus in Regula cap. . Vitruvius Princeps vigilans. Cur datur corona Reipublicæ Dicuntur Præmia, quaſi prævia.

E ſecundo ſigillo Juſtitia Practica generalis exorta eſt; *& datum ei, ut ſumeret pacem de terrâ; & ut invicem ſe interficiant, datus eſt ei gladius magnus.* nam cùm agimus de ſpeculativis, ſumma eſt animorum tranquillitas; at verò ubi primùm venimus ad Practica, incipiunt quæſtiones & lites. Porrò litigantibus datur gladius magnus. An-ne ut vincant? ne crede. nam magni gladij non ſunt homini præſidio, ſed oneri: in cujus propoſitionis confirmationē ſuccurrit apopthegma ex Plutarcho. [Cū enim Lacones non in linguis, ſed & in lingulis (gladiis) etiam brevitatē ſummam affectarent, irridebantur à nonnullis: quibus fortiter reſpondit Agis. *His breviſſimis enſibus Lacedæmonij aſſequūtur hoſtes longiſſimis armatos gladiis.*] Quæ verba me juvant, & verbis Cypriani ad Donatum, ſi & iſta juventur, juvantur. *Paratur gladiatorum ludus*, ait Cyprianus: ſed quando? quando partes inter ſe diſſentientes litem conteſtantur juridice. Sed cur? *ut libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet*: omnes enim avari Judices & Advocati, crudeles ſunt: exſugunt enim clientum ſanguinem. *Homo occiditur*, aut exſpoliatur ſaltem, *in hominis voluptatem & qui poſſit occidere*, aut exſpoliare, *peritiâ eſt uſus: ſcelus non tantùm geritur, ſed docetur.* Ecce lites Advocatorum ſunt & Judicū frequentiſſimæ nundinæ, in quibus litigantes magnis utuntur gladiis, hoc eſt, foliis, & tamen ſemper à Miniſtris Juſtitiæ ſuperantur. nam dum inter te cognatūq; tuum ſunt jurgia & privatæ aliquæ diſſenſiones, (puta de hæreditate) ad utrū illa pertineat dubium eſt: cùm autem primùm lite conteſtatâ incipit tribunalium ſtrepitus, ante omnem ſententiam

XXXIII. Juſtitia Practica generalis. Litigantium gladius. Lites nundinæ. Nomen Oxa apud Hiſpanos ſonat chartā & gladium, dicūt enim, La oxa de un libro, La oxa de una eſpada.

tiam

tiam ceſſat dubium; illa enim jam hæreditas, non ad te, non ad illum pertinet, ſed ad Judices & Advocatos: nam dum vos gladijs magnis Jura propria tuemini, Advocati, Senatores, Conſules, Judices, &c. parvis aut nullis vos aſſequũtur, & tandem exuunt. Habet noſtra ætas multos Stratocles & Diocles, qui periti erant Juris, & ſe aſſerente Plutarcho, ad auream meſſem invitabant: unde meritò Ludovicus XII. Galliarum Rex, ut in Annalibus Francorum legimus, Tribunalia vocabat *Senatorum nundinas*, in quibus multi ſub haſtâ ſententias & jura mercantur. Scio eſſe multos Jure-conſultos pios; ſed quæ in avaros dicta, viros probos non tangunt.

Lis aurea meſſis.

Senatorũ nundinæ.

XXXIV. *Iuſtitia ſpecialis formalis.*

Prodiit è tertio Juſtitia ſpecialis formalis; illa quæ leges ipſas formaliter ſumptas conſiderat, & examinat. *& habebat ſtateram in manu:* ut doceamur debere leges in pondere numero & menſurâ proferri. In pondere; nam ponderari ſingulæ circumſtantiæ ſæpè debẽt, & onera ſubditorum viribus commenſurari; debet conſiderari numerus legum & civium; non enim omninò errant, qui dicunt, eò pauciores oportere eſſe leges, quò plures ſubditi. Debẽt leges attemperari & proportionari ſubditorum viribus & ingenio, omnes enim humana poteſtas à Deo, & ad publicæ Rei conſervationem & non deſtructionem data: quâ qui abuteretur, deberet ad Locrenſium mores & inſtituta judicari: debebat enim apud ipſos legem laturus, priùs collum laqueo inſerere, & legem poſteriùs pronunciare; acclamatione populi honorandus, ſi tuliſſet honeſtam; ſin minus, laqueo conſtricto ſuffocandus.

Legulatorũ ſtatera.

Legum numerus.

Vnde humana poteſtas: & quo?

Legis ferẽdæ mos apud Locrenſes.

XXXV. *Iuſtitia materialis.*

Egreſſa ex quarto fuit Juſtitia ſpecialis materialis: nimirùm, quæ legum contemplatur materiam. *Et vidi: & ecce ſpecialis equus pallidus* (pauper & languidus) *& qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors; & Infernus ſequebatur eum.* Ecce verbis pauciſſimis legum omnium materia comprehenditur. Agitur in Ethicâ de divitiis, agitur de vita, agitur de animâ.

Legum omnium materia.

XXXVI. *Iuſtitia Canonica.*

E quinto ſigillo prodiit Juſtitia Canonica; Juris Pontificij Fundamentis inſiſtens. *Et vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant: & clamabant voce magnâ dicentes: uſquequo Domine Sanctus & verus, non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra?* Quoniam Eccleſiaſtici omnes, ſi ſunt qui debent, mundo mortui, vivũt Deo. Habitant apud aras; imò infra aras; qui enim ſupra aras volunt poteſtatem exſererel, non Chriſti Domini, ſed Antichriſti ſunt. Duo ſunt Eccleſiaſticorum genera, aliorum enim converſatio eſt in cœlis, & aliorũ in terris; illorum qui cœleſtia diligunt, & deſpiciunt terreſtria, vita & mores implorant Deum adverſus illos, qui ſub Eccleſiaſticorum nomine & habitu deſpiciunt cœleſtia & ſola terrena procurant.

Eccleſiaſtici quales?

Huc pertinent Principia etiã Theologica, quæ voco *Axiomata*; huc etiam Regularia, quæ voco *Syntheſes*; huc Civilia, quæ *Regulæ* vulgò vocantur. Hæ Poſitiones ſæpè fuerunt proſcriptæ, ſæpè dilaceratæ, ſæpè extinctæ, ab Heterodoxis, imò & à Catholicis interdum. Sed clamavimus ad Deum; & jam ſuſcitantur, firmantur, revocantur. Jam obtinẽt ab omni malę interpretationis infectione aut ſuſpicione vindicatæ.

XXXVII. *Iuſtitia Theologica.*

Et è ſigillo ſexto Juſtitia Theologica emerſit: illa nimirùm, quæ dilucidat & illuſtrat Decalogum. *Et ecce terræmotus magnus factus eſt, & ſol factus eſt niger tanquam ſaccus ſilicinus, & luna tota*

facta

Digitized by Google

facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cœlo ceciderunt. Quando enim ad Decalogi Principia devenitur, lumen rationis etſi pulchrum ut luna ſit, aut etiam electum ut ſol, multa obſcuritate eclipſatur. Multa ſunt præcepta divinitùs, quorum obſcuræ ſunt rationes: quoniam ſupra humanam illæ ſunt, quibus æternus legislator Mundum rationalem gubernat. Unde merito in ſacrâ ſcripturâ eſſe dicitur Deus abſconditus, & qui poſuit tenebras latibulum ſuum; in quo rimemur paucula, & innumerabilia ignoremus.

Deliquia & eclipſes rationis.

XXXIIX. Et tandem ex ſigillo ſeptimo prodijt Sacramentalis Lex. *Et factum eſt ſilentium in cœlo quaſi media horâ. Si bene intelliguntur Sacramenta, aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Et ſi male, vitia pullulant, ſylveſcunt peccata, *& facta ſunt tonitrua, & voces & fulgura & terra-motus.*

Iuſtitia naturalis, hoc eſt, nativalis.

Et quidem mihi à me impoſitum eſt moralia dicendi & docendi ſilentium; non perpetuum, ſed quaſi mediâ horâ; non enim multis indiges, AMICE LECTOR, ut ſingulas propoſitiones recognoſcas; nec ego multis, ut tuas Recognitiones ſpeculer. Emitto in lucem iſtum librũ, & ſicut Cous Apelles olim, lateo apud Tabulam, & ſingulos audire deſidero; modò nemo ſutor judicet ultra crepidam; quoniam ſubaudire Grãmaticos de ſubtiliſſimis Theologiæ arcanis delirantes, ſi jocosè res agatur, jucundum; ſi ſeriò durum & intolerabile eſt. Judicium Tuum, quod ſpero, recipiam: ſilebo congruo tempore, quouſque ſubtiles meditationes tuas addiſcam: & poſtmodum à te doctus eloquar & ſingula eruditior reſumam. XXXIX.

Non ſutor ſupra crepidam.

***

THEO-

Digitized by Google

XIX.

n ſuto
ra cre-
lam.

THEOLOGIA MORALIS FVNDAMENTALIS:

MVLTAS COMPLECTENS POSITIONES,

QVÆ ASSERTÆ

PLACITA IVNIORVM THEOLOGORVM EVERTVNT;

QVÆ NEGATÆ

IN PRIMAS PHILOSOPHIÆ VERITATES IMPINGVNT;

QVIBVS ESSE VEL EXESSE PERMISSIS,
multarum Opinionum hucuſque probabilium, & aliarum hucuſque improbabilium neceſſaria demonſtratur Connexio:

QVAM, VT VEL REIICIANTVR PRIORES, vel admittantur poſteriores, Doctiorum mentes exploraturus, toti Orbi literario proponebat

Caramuel.

FRANCOFVRTI,
Apud Ioan-Gottfridum Schonvvetterum.
ANNO : pLaCeboDoMIno.

Digitized by Google

LECTVRO.

SCripſi hucuſque, quæ aut ſciebam, aut putabam me ſcire: iam ſumo calamum, & ſcribo illa ſola, quæ ignoro: & hunc in lucem Librum edo, non ut aliquid doceam, ſed ut diſcam. Hanc ob rem ante initiũ proteſtor me nolle citari aut audiri pro alterâ cõtradictionis parte, ſed ſolùm audire Doctiores. E vulgo enim *Interrogatorium Opus*, in quo multa rogãtur & ponuntur, & nihil omninò reſolvitur. Me honorabunt ſuis literis Viri Illuſtriſſimi, qui conſuluntur, & ad eorum mentem novam induet formam hic Liber, cum elapſo uno aut altero anno recudatur. Hæc ſtatim præmonere Te volui, ut inoffenſo pede Capita ſequentia percurreres. Lege, perlege; & me tuo ingenio fove, ut poſſim jacere Fundamenta clariſſima; volo enim à notioribus initium ſumere [*Vt eX hIs, qVæ anIMVs noVIt, sVrgat aD InCognIta, qVæ non noVIt.*] Gregorius.

THEOLOGIÆ MORALIS
FUNDAMENTA.

Ponimus ob Theologorum omnium oculos Fundamenta, quibus noſtra Conſilia & Reſolutiones ſubſtruximus, quibus Moralem Theologiam ſubſtruemus, niſi fortè Doctiorum ſuaſu aliquid alterare cogamur. Hoc enim animo pauca hæc fundamenta præmittimus, ut mentes Illuſtrium Hominum periclitemur, & examinemus exactè, an aliquod illorum vacillet? fruſtrà enim altis confideremus ædificijs, ſi diffideremus Fundamentis. XL.

Ea in duas Claſſes dividimus: in primâ ſpeculativa, Practica in ſecundâ locamus. Hæc in Generalia & Specialia ſubdividimus; & hæc ultima iterùm in Formalia & Materialia. Addimus Canonica, Theologica, Regularia, Civilia, Naturalia & Sacramentalia; quibus ſemel expoſitis nihil omninò remanere, quod notatu ſit dignum, putamus. Canonicorum Fundamentorum nomine intelligimus Regulas Iuris Pontificij, quas olim Bonifacius VIII. conſtituit, & nos accuratè illuſtramus. Et ſubintelligimus Theologorum nomine Axiomata, quæ aſſumuntur ab Authoribus Claſſicis. Regularia Fundamenta ſunt Synheſes, quibus olim Commentarium in Regulam D. Benedicti firmavimus. Civilia verò Iuris Cæſarei Regulas, quibus Eccleſiaſticas dilucidamus. Et tandem Naturalia vocamus Protheoremata præcipua Decalogi, quæ hîc per modum dubij proponuntur, & alibi explicantur exactiùs. Addentur aliqua de Sacramentis, ut nihil inconcuſſum maneat. Omnium harum Meditationum Ideam Synopſinque Paradigma ſubſequens repræſentabit.

Digitized by Google

SYNOPSIS TOTIVS OPERIS.

PRæter Epiſtolas Proœmiales, quarum Prima, *inſcribitur Deo*; Secunda, *Innocentio X. Summo Pontifici*: Tertia, *Ferdinando III. Imperatori Romanorum*; Quarta, *Eminentiſſimo Cardinali de Lugo* Quinta R.D. *Antonino Dianæ*; Sexta, *eximijs Theologis qui aut heri floruerunt aut hodie clarent*; Septima, *Omnibus Viris doctis*; & Octava, *Lectori invido*; *in quibus multa & varia, ſic diſtribuitur iſte Liber.*

FVNDAMENTA: quæ dilucidantur in hoc Libro, ſunt

SPECVLATIVA: nimirùm,

Caput I.

QVæ ad mẽtem ſpectant. *Hic ego de libertate Humanâ. De gratiâ. De alterius & alterius concordiâ. De auxiliorũ efficaciâ & potentiâ. De Omniſcientia & Omnipotẽtiâ Divinâ. De ſcientia Media, & Phyſicis Prædeterminationibus. De Creatione, Conſervatione, & Concurſu Divino. De prima Veritate & Veracitate. De Eccleſiæ Romanæ ſecuritate & infallibilitate. De ſummi Pontificis veracitate. De Rota, & Congregatione Cardinalium. De definitionibus Academiarum. De authoritate Doctorum & doctorum. De Iuniorum etiamnum viventium opinionibus. De Dæmonis authoritate. De ſenſibilium Experimentorum certitudine. De Opinionum probabilitate.*

PRACTICA: nimirùm,

Caput II.

GENERALIA. *videlicet, quæ agunt de authoritate & iuriſdictione Dei & Hominum; & primis fundamentis practicis.*

Caput III.

SPECIALIA FORMALIA; *& hæc Leges formaliter ſumptas concernunt. Adeoque earumdem naturam & ingenium; magnitudinem, qualitates, & attributa; habitudines, fines, pronunciationem, promulgationem, acceptationem; durationem, locum, ordinem & habitum.*

Caput IV.

SPECIALIA MATERIALIA; *quæ Legum materiam & obiectum concernunt. Et ideo hic agitur de rerum præceptarum ſubſtantia, quantitate, qualitate, relatione, actione, paſſione, tempore, loco, ſucceſſione, & habitu.*

Caput V.

CLAVICULARIA: *Sic dicta, quod Claves ſint, quæ Iura aperiant. Agemus hic de Clavibus ſeu Regulis Iuris Canonici. Subſcribentur Theologorum Axiomata: Syntheſes Regulares, & Regulæ Iuris Civilis.*

Caput VI.

DECALOGICA. *His ſubſtruetur vera intelligentia & expoſitio Decalogi. Hic de Lege naturali; de Fide, Spe, Charitate, & Gratia habituali: de Iuramentis, & Votis; de dierum diſcretione & obſervantia: de Officio divino hic de Parentum cultu: de Homicidio; Caſtratione; Abortu; Suicidio: de Duello & Defenſione honoris: hic etiam de peccatis Luxuriæ naturalibus, contranaturalibus, magnis parvis, hic tandem de Furto; Mutuo, Invidia, & Vſura: de Mendacio; Reſtrictionibus mentalibus. de Conſenſu interno & Scandalo.*

Ca-

Digitized by Google

Caput VII.

SACRAMENTALIA. His firmatur optima interpretatio & doctrina de Sacramentis Novæ legis, nempe, de Baptiſmi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Communionis, Extremæ-unctionis, Ordinis & Matrimonij materia, forma, inſtitutione, neceſſitate, utilitate. Hic agitur etiam de rebus Sacramentalibus, quæ ad inſtar Sacramentorum fuerunt inſtitutæ ab Eccleſia: Subiungitur denique

Appendix.

ET complectitur obſervationes aliquas circa ſeptem capita præcedentia: de eorumdem intelligentia & uſu: de arctiſſima Theologiæ Moralis & utriuſque Iuris connexione: & tandem de mente & voluntate Authoris agit.

Digitized by Google

FVNDAMENTVM I.

In hac materia mirabilis eſt Guillelmus Gibieuf: & Cornelius Janſenius, uterque enim indifferentiam negat, contingentiã admittit, & vult dici nullo modo libertatem negare.

XLII. *Libertas quadruplex.*

Libertas in Homine quadruplex; prima à coactione, ſecunda à neceſſitate, tertia à peccato, quarta à miſeriâ. *Prima* eſt communis Homini & Bruto; imò etiam Arbori; non enim coguntur ab extrinſeco in communi opinione quæ docet, Vitam vegetativam eſſe formam Subſtantialem intrinſecam: imò etiam lapidi, ſi gravitas intrinſeca qualitas eſſe dicatur. Vnde patet Hæreticos, ſiqui nunc in Homine ſolam hanc libertatem admittunt, divinitùs conceſſum arbitrium pernitiosè deprimere, & Hominem confundere cum Brutis, cum Plantis, cum Saxis. *Secunda* nulli alij convenit animanti, quàm Homini, qui indifferentiâ præditus, poſitis omnibus ad operandum, prærequiſitus, eo momento quo facit hoc, poteſt illud non facere. *Tertiam* habent Homines non tamen omnes, ſed ſolùm illi, qui donati juſtificante Gratia. *Quarta* aliqua umbra interdum reperitur in terra, at ipsâ perfruemur in cœlis, cum Deum viderimus ſicuti eſt.

An beatitudo reperiatur in terris?

XLIII. *Libertas Moralitatum omnium baſis.*

PRimum Theologiæ Moralis Fundamentum eſt Humana Libertas; fruſtrà enim Speculativa, fruſtra tractantur Practica, ſi libero arbitrio caremus. Hoc ipſum hodiè benè vident Hæretici, & ideò crudas illas & duras Lutheri & Calvini ſententias, quas ante centum annos propugnabant, aut remiſerunt, aut reiecerunt, & jam nobiſcum ſunt aut propè; admittere enim diſciplinas & leges, præmia & ſupplicia, promotiones, ſolicitationes, diligentias; & nihilominùs libertatem à neceſſitate negare, delirare eſt.

Hæretici ad nos paulatim veniunt.

XLIV. *Quid ſit libertas? An dentur phyſicæ prædeterminationes?*

Sed quale eſt Humanum Arbitrium? Præmovetur-ne & prædeterminatur à Deo? & ſi promovetur, Neceſſitaturne in ſenſu cõpoſito, ita ut nequeat omiſſionem actus, non jam cum operatione, ſed cum phyſicâ prædeterminatione componere?

Reſpondeo tres eſſe hodie Theologorum ſententias. PRIMA DOCET phyſicas prædeterminationes inducere ſenſus compoſiti neceſſitatem, ita ut homo affectus phyſicâ prædeterminatione ad operandum, abſtinere non poſſit. Et hæc ſententia eſt antiquorum Thomiſtarum, & hodie in Gymnaſijs Thomiſtarum defenditur. SECUNDA DOCET eaſdem phyſicas prædeterminationes, nullam voluntati neceſſitatem imponere, poſſeque voluntatem prædeterminatam adhunc actum, illum ipſum omittere in ſenſu compoſito, omiſſionem actus cum phyſica prædeterminatione conjungendo: additque effectum formalem prædeterminationis eſſe infallibilitare voluntatem, ad illum actum, ad quem eum prædeterminat. Et hanc ob rem hanc propoſitionem. *Impoſſibile eſt, ut voluntas prædeterminata omittat actum in inſtan-*

Prædeterminationes neceſſitantes.

Prædeterminationes infallibilitantes.

Digitized by Google

ſtanti, *in quo habet phyſicam prædeterminationem*, negant; admittuntque hanc *In inſtanti in quo habet voluntas phyſicâ prædeterminationem, infallibiliter & liberè operabitur: poterit quidem non operari, operabitur tamen: omiſſionem actus poterit coniungere, cum phyſicâ prædeterminatione; at potentiam hanc, licèt poſsit, non reducet ad actum.* Hâc viâ cœpi Salmanticæ tueri phyſicas prædeterminationes, quæ videbantur defendi novo modo, & quia placebat Propoſitionis ſuavitas, eas nonnulli *Prædeterminationes ſuaves* vocitabant. Has etiam ipſas ab aliquibus PP. Dominicanis vidi defendi: à paucis tamen: ſed inter paucos pro multis mihi ſit pater Conſul, qui hîc Pragę ante duos annos erat Regens. TERTIA NEGAT phyſicas prædeterminationes, & ad ſcientiam mediâ confugiens, ſine ullâ præmotione, Decreti Divini efficaciam, Sapientiæ Divinæ certitudinem & Voluntatis Humanæ libertatem ingenioſè conciliat, & miro compendio ſe explicat, à graviſſimis difficultatibus. Hanc doctrinam tuentur hodiè omnes Patres Ieſuitæ, & quotquot eorundem doctrinam ſectantur.

Prædeterminationes ſuaves.

Scientia media.

VI. *Sententia Authoris.*

Sed quid cenſeam de his ſententiis inquiris: & quia ſummè ſincerus ſum, reſpondeo, *Mihi nullam placere*, & exiſtimo, aut adhuc latere veritatem, aut aliunde petendam, & quidem, ſi res benè expendatur, Dominicani tertio ſyllogiſmo ad Ieſuitarum opiniones coguntur, tertio Ieſuitæ ad Dominicanorum opiniones: ita ut ſuſpicatus fuerim hîc, ſicut etiam alibi ſæpè, has duas Scholas non ſententiarum ſed linguarum varietate & difficultate laborare. Quando Germanus & Hiſpanus loquuntur, etſi eadem dicant, ſi ſe non intelligant mutuò, putabunt ſe loqui diverſa: & Dominicani & Ieſuitæ, quià idiomate differunt, ſæpe videntur diſſentire, ubi maximè tandem conveniunt. Linguâ utuntur Thomiſticâ Dominicani, Ieſuitæ Moliniſticâ; & niſi intelligantur utriuſque linguæ termini, Andabatarum more utrique, & nos cum ipſis divagabimur. Steganographici ſunt Iuniorum Libri, & ſine clavi nequeunt legi. Sed quis nobis ſuppeditabit claves? Alvarez, & ipſe Dominicanus, Vir doctiſſimus & celeberrimus. Volui præ alijs hujus Doctoris uti teſtimonijs, & Lexico; quia ita ſeverè videtur loqui, ut apud amicos *Thomiſta ſeveriſsimus* audiat; & apud æmulos multis laceſſitus injurijs videatur indigere Hyperaſpiſte, ne negare Libertatem dicatur. Hujus igitur hominis Lovanij Anno 1641. defenſionem aſſumpſi, & demonſtravi eum, tametſi malè intellectus videatur duriſſimas habere ſententias, intellectum benè (hoc eſt, eo ſenſu, quo ipſe intelligi vult, & præcipit) eas ipſas opiniones defendere, quas Moliniſtæ. Res videbitur fortaſſis mira; aut à Veritate remota: at illam nullâ viâ potero evidentiùs adſtruere, quàm ipſas Theſes ſubſcribendo. Illas ergo ſubjicio.

Nominales quæſtiones.

Dialectus Thomiſtica differt à Moliniſtica

Steganographica Philoſophia.

Alvarez qualis?

An fuerit Moliniſta?

THE-

Digitized by Google

THESES THEOLOGICÆ DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO;

Propugnatæ fuerunt ſub Caramuele Lovanij anno 1641.

IN quibus demonſtratur doctrina Illuſtriſſimi Patris Didaci Alvarez Archiepiſcopi Tranenſis & Salpenſis ex doctiſſimo Ordine P. P. Dominicanorum aſſumpti, eſſe eadem, quam hodie ſolent in Scholis defendere Patres Ieſuitæ.

XLVI. *Ex hac difficultate libertas nō inefficaciter probari poterit.*

NUlla eſt in toto Theologiæ Moralis Oceano difficultas, quæ prolixioribus implicetur ſalebris illâ, quæ divinæ ſcientiæ certitudinem, omnipotentis voluntatis irreſiſtibilitatē, & Divini auxilij ſummam efficaciam cum humanâ libertate componit. Ita cum Auguſtino Univerſi Doctores, qui errarent procul dubio ſi neceſſitaretur libertas: ut enim agentia neceſſaria cum Divinis Decretis componat quicumque analphabetos ſatis ſapiens. Sanè quæſtionem aliàs difficilem, difficiliorem aliqui Commentatores reddiderunt, aut diverſis terminis, in eâdem acceptione, aut eiſdem utentes in diverſâ. Logomachiæ, cum Ideomachiæ deberent eſſe, in Glottomachias vergunt, & eò ſtatum Theologiæ controverſiæ protrudunt, ut conſulendum potius veniat Lexicon, quàm Auguſtinus. (*Auguſtinus*) Hunc ſequi ducem univerſi putamus; eius mentem aſſecutos proſperè, Bernardum, Thomam (*Bernardus. Thomas.*) & alios Scholiarchas, aſſerimus ideoq; eos, quoad rem inter ſe differre, non libenter audimus. Theſes ad mentem D. Pauli (*Paulus.*) proponimus: hunc explicamus, non ſpiritu privato, ſed communi; nempe conſulto D. Thomâ, ut expoſitio ſit Angelica: ut melliflua Bernardo: Auguſtino ut Divina, ne Auguſtinum obtorquere videremur, fideliſſimos eius interpretes Bernardum & Thomam adjungimus. (*De ſpiritu communi & privato.*) Illum jam olim dedimus, hunc damus. Et ne in Angelici Præceptoris Lectione dicamur cœcutire, uſi ſumus Thomiſtarum Illuſtriſſimorum Commentarijs, & præcipuè Didaci Alvarez (*Alvarez.*) Archiepiſcopi Tranenſis & Salpenſis ex Prædicatorum Religione; parente grandium mentium, aſſumpti: ex quo demonſtraturi ſumus Thomiſtarum doctrinam, ſi loqui velint & ſentire cum Alvarez, non diſtingui à Patrum Societatis doctrinâ; & ut clariùs procedamus in ſingulis, Theſes à Scholâ ſocietatis ſumemus & eaſdem ipſas in terminis ab Alvarez admitti probabimus.

THESIS I.

De Gratiâ ſufficienti, & neceſſitate Peccati.

HOmini injuſto, ſi gratiæ auxilia negarentur, peccati (actualis aut originalis) ſtatus æternus eſſet: non enim poſſet natura Viribus egredi à peccato, etſi vellet. Eidem Homini iniuſto cùm Divina conceduntur auxilia, exitus à peccato neceſſarius, non eſt, poteſt enim in Culpæ Luto remanere, ſi velit. XLVII.

Pelagius diverſis temporibus habuit differentes ſententias.

PRobatur prima Theſeos pars : nam aliàs eſſet vera doctrina Pelagii, qui ſeverior omnem gratiam negabat, & mitior illam tantum concedebat ad melius. Sed inquiris? Utrùm ille [nempe Deus] qui nunquàm deſerit, niſi prius deſeratur, etiam deſertus deſerat? utrum concedat gratias ad ſanctè & meritoriè operandum, quæ habere effectum poſſint, & tamen non habituræ ſint? utrùm

An dentur auxilia ſufficiētia? Quid illa ſint? Concluſio.

& gratias ad exuendum peccatum? & iterum an ipſa debeant *Auxilia ſufficientia* vocari? Sanè auxilii ſufficientis nomine, nil aliud intelligimus, quàm gratiam, quâ quis poſſit operari, tametſi operaturus non ſit: & aſſerimus *Deum, quamvis, proxima aliquando auxilia neget, remota quæ ſaltem ad orandum ſunt, non negare.* Unde Alvarez diſp. 113. num. 12. *Homo* ait, *prius deſerit Deum, quàm deſeratur à Deo,* non ergo prædeterminatur ad materiale peccati : nam aliàs priùs Deus contra hominem, quàm homo contra Deum operaretur : prius homo deſereretur & poſteriùs deſereret, & diſputat. 112. num. 7. ut probet Deum, ne quidem deſertum

An per actus merè naturales ſe poſſit homo ad gratiam ſupernaturalem diſponere.

deſerere, citat hæc verba D. Thomæ, *ſi quis in ſylvis nutritus ductum rationis naturalis ſequatur, in appetitu boni & fugâ mali, certiſſimè tenendum eſt, quod ſi Deus, vel per internam inſpirationem, revelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria; vel aliquos Prædicatores dirigeret ad eum.* & alibi. *Ad fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt per id quod in ratione naturali eſt. Unde dicitur, quod ſi quis in Barbaris natus nationibus faciat, quod in ſe eſt, Deus illi revelabit, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando vel Prædicatorem mittendo.*

Facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiā.

Primum locum deſumpſit ex quæſtione 19. de Veritat. artic. 11. ad 1. ſecundum ex. 2. ſententiâ, diſtinct. 28. quæſt. 1. art. 4. ad 4. Noto illud *ductum rationis naturalis.* Noto illud *præparare* : & ut Theſeos partem poſteriorem clariſſimè oſtendam ſubſumo. [Actus naturales non præparant ad ſalutem; atqui quicunque rationis capax, ſe poteſt præparare ad ſalutem: habet igitur auxilia ſufficientia & ſupernaturalia, quibus ſi benè utendo, faciat quod in ſe eſt, certiſſimè impetrabit gratiam.] Unde citatus Alvarez. *Ad credendum mediatè vel immediatè omnes recipiunt, pro loco & tempore auxilium ſufficiens ſi perveniant ad uſum rationis*, atqui non omnes credunt, ergo certum eſt, dari ſufficientes gratias, quæ propter hominum ignaviam, malitiamve careant effectu.

Homo nūquam caret auxiliis ſupernaturalibus.

THESIS II.

De auxiliis remotis & proximis.

XLVIII. *Poteſt proximè à peccato voluntas egredi, cum elevatur Charitatis auxilio, quod eſt ad eliciendum actum contritionis, & amoris ſupernaturalis. Poteſt remotè, cum caret hoc auxilio proximo, habet tamen alind quo dirigatur & diſponatur ad auxilium proximum impetrandum.*

Auxilium quotuplex.

AUxilium remotum in morale & phyſicum, ſive quod idem eſt in intrinſecum & extrinſecum dividi ſolet. *Remotum intrinſecum* eſt auxilium Phyſicum

cum

Digitized by Google

cum & reale, ad aliquam operationem faciendam, quam infallibiliter (ex pacto aut merito) ſequatur, proximum. *Remotum extrinſecum* eſt aliqua realitas exiſtens in alio ſuppoſito; qualis eſt Prædeſtinatio, & abſolvendi poteſtas: utraque enim eſt favor, at illa non exiſtit formaliter in prædeſtinatis, ſed in Deo; hæc non in pœnitentibus ſed in confeſſario. Ita Alvarez in proœmio lib. 1. & diſput. 112. num. 4. & 5. ubi ait, *Si loquamur de auxilijs extrinſecis, Deus omnibus tribuit auxilia ſufficientia .... nam pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, pro omnibus inſtituit Sacramenta, & omni creaturæ præcepit Apoſtolis ut prædicarent Evangelium Marci ultim.* Nemo igitur teſte Alvarez auxiliis ſufficientibus extrinſecis caret, nemo eſt pro quo Chriſtus mortuus non ſit, nemo pro quo non ſint ſacramenta inſtituta: nemo cuius inſtructio non ſit præcepta. Et num. 8. rem dilucidat pulchro exemplo deſumpto ex quæſtione 6. de Veritate art. 3. ad 7. ubi ait, D. Thomas, *Aliquis poteſt dici poſſe dupliciter: uno modo conſiderando potentiam quæ in ipſo eſt, ſicut dicimus, quod lapis poſſit moveri deorſum: alio modo conſiderando id, quod ex parte alterius eſt, ut ſi diceres lapidem poſſe moveri ſurſum, non per potentiam quæ in ipſo eſt, ſed per potentiam projicientis.* Et ſubjungit Alvarez, *Proportionaliter nos dicimus in præſenti, cùm aſſeritur quemlibet peccatorem quamdiu eſt in viâ poſſe pro quolibet tempore & momento ad Deum converti & ſalvari.* His omnibus poſitis & conſideratis tenemus hominem à conceptione ad obitum habere auxilia ſufficientia, ut ad Deum convertatur, & omnia nova peccata devitet; auxilia quidem ſibi proportionata, nimirùm Infantes dormientes, & phreneticos, extrinſecâ; alios intrinſeca, quia ut optimè docet ſub initium citatæ diſp. idem Alvarez. *Quilibet peccator, quamdiu eſt in vitâ, poteſt ad Deum converti: aliàs enim daretur aliquis ſtatus peccatoris, de cuius ſalute eſſet deſperandum, & aliquod pecatum exiſtentis in viâ, quod per veram pœnitentiam deleri non poteſt, quod tamen eſt erroneum, ut docet S. Thomas 3. part. quæſtione 86. artic. 1.*

Potentia duplex. — *Intrinſeca* — *extrinſeca* — *De nullo peccatore eſt deſperandum.*

THESIS III.

De neceſſitate in ſenſu compoſito & diviſo.

11. *CVm dicimus, [Hominem Gratiâ ſupernaturali præventum poſſe diſſentire & peccare; imò & reſiſtere auxilio divino, ſi velit:] ſi diverſimodè ſenſus compoſitus & diviſus exponantur poſſumus intelligi in utroq; & in utroq; non intelligi.*

Variæ acceptiones ſenſus cõpoſiti & diviſi.

ET ut Theſin intelligas, adnotato multos eſſe ſenſus compoſitos multos diviſos.

Senſus cõpoſitus cõtradictorius.

PRIMÒ enim falſum eſt hominem poſſe gratiæ reſiſtere, in ſenſu compoſito contradictorio, non enim poteſt voluntas componere actum & non-actum, quamobrem omnes poſitiones de poſſibili debent hoc ſenſu compoſito negari. In hoc enim ſenſu, nec vivus poſſet mori, nec habens gratiam peccare; ille enim non poteſt vitam & non-vitam componere, nec iſte gratiam & non-gratiam.

Digitized by Google

SECUNDÒ agendo ſpecialiter de auxiliis negantur à Thomiſtis, poſitiones omnes de poſſibili in ſenſu compoſito & in diviſo conceduntur. Compoſitus is ſenſus, non jam voluntatem eum gratiâ, nec cum tempore in quo illam habet, ſed voluntatem gratiæ phyſicâ entitate præditam, cum decreto Divino componit. Cum dicitur voluntas in ſenſu diviſo poſſe omittere actum ad quem prædeterminatur, non dicitur, quod omitteret, ſi careret gratiâ & omittet cum carebit, ſed dicitur, quod voluntas poteſt componere reſiſtentiam, cum phyſicâ gratiæ efficacis entitate, quæ ad opus faciendum, non per modum neceſſitatis, nec per modum libertatis, ſed per modum Infallibilitatis inclinat; non tamen componere cum Decreto efficaci Divino, hoc enim non inclinat in opus faciendum neceſſariò, ſed in faciendum infallibiliter & liberè. Ratio eſt: quia decreto efficaci Dei, volenti, quod liberè operêris, non potes reſiſtere tametſi poſſis non operari; qui enim vult, ut liberè opereris, vult ut ita opereris, ut poſſis non operari; ergo cùm potes non operari, non jam decreto reſiſtis, ſed ei ſatisfacis; cui procul dubio decernenti ut liberè opereris, ſi operareris neceſſariò, reſiſteres. Bene igitur Doctiores Thomiſtæ gratiam in ſenſu compoſito & diviſo conſiderant. Gratia in ſenſu diviſo, eſt phyſica ipſiusmet Gratiæ efficacis entitas; in compoſito eſt aggregatum ex phyſicâ entitate gratiæ & decreto Divino. In ſenſu diviſo gratiæ reſiſtere poſſumus, in compoſito non poſſumus: in diviſo impetum illius non ſequi poſſumus: quia Petrum ad Divini amoris actum efficaciter prædeterminatum, poſſe non amare Deum, eſt poſſe reſiſtere entitati phyſicæ auxilij voluntatem infallibiliter præmoventi; non tamen eſt reſiſtere Decreto volentis, quod humana voluntas amet, ſed ita, ut poſſit hunc amorem omittere. Alvarez diſp. 87. ad quint. *Si conſilium efficax conſideretur*, inquit, *ſecundũ Phyſicã entitatẽ auxilij præſcindẽdo à decreto efficaci Divinæ voluntatis, cuius virtutẽ cõtinet, intentionaliter, poteſt voluntas ei reſiſtere, propriè de reſiſtentiâ loquendo.* Poteſt igitur humana voluntas reſiſtere auxilio efficaci præciſo à Divino Decreto, non verò cum eodem compoſito: ratio eſt, quia voluntas Dei infinitè potens non eſſet, ſi talis eſſet, cui poſſet humana reſiſtere, ideò homo non poteſt reſiſtere auxilio efficaci. Nota hanc cauſalem; ſi enim poſito auxilio efficaci cum Divina voluntate compoſito homo non poſſet omittere aut contrarium facere, reſiſteret illi auxilio formaliter, ac propterea ipſi Voluntati Divinæ Volenti ut homo liberè operetur, hoc eſt, quod ita operetur, ut cum operetur, tunc poſſit oppoſitum facere.

Compoſitio voluntatis & decreti.

Decreto Dei nemo poteſt reſiſtere: & tamen hoc nec lædit, nec minuit libertatem humanã.

Notetur & intelligatur bene objectum decreti divini.

His præmiſſis ſubjiciamus aliqua protheoremata de auxilio à Divinâ voluntate præciſo & diviſo, & ſecundum ſuam phyſicam & realem entitatem conſiderato, nam de irreſiſtibilitate intentionali, quæ eſt in ipſo auxilio, in ſenſu compoſito conſiderato, nulla poteſt eſſe difficultas: illam enim tam Thomiſtæ, quàm Scotiei & Moliniſtæ admittunt, docti ab Apoſtolo, qui voluntatem Divinam irreſiſtibilem fatetur, quam veritatem pulchris Auguſtini periodis roborat Alvarez diſp. 87. numer. 2. & ſæpe alibi.

PRO-

Digitized by Google

PROTHEOREMATA doctrinam de auxiliis ſubſtruentia.

lis ur ?is ſer- ga- imen.

PRimum. *Homini eſt liberum habere auxilia proxima & phyſicam prædeterminationem cum voluerit.* Primò, quia homini eſt liberum uti gratiâ, quæ ad orandum univerſis conceditur, & orando auxilia efficacia impetrare. Secundò, etiam homini liberum eſt uti auxiliis ſufficientibus, quæ eſſent verè efficacia, ſi illis ipſe uteretur. Alvarez diſput. 113. de auxiliis num. 12. *Nunquam Deus* (agit de homine exiſtente in gratiâ) *illum deſerit auferendo ab eo gratiam juſtificantem, niſi priùs natura deſerat Deum, ſe convertendo ad bonum commutabile per peccatum mortale, quod cum gratia habituali eſt incompoſſibile: nec etiam Deus hominem juſtum deſerit, ſubtrahendo ab eo ipſo auxilium ſufficiens, quo poſſit operari bonum, & perſeverare uſque ad finem. quod ſi interdum non dat ei auxilium efficax, quo actu bonum operetur, nec eſt Deo, ſed homini imputandum, nam per auxilium ſufficiens poterat perſeverare, & ſuâ culpâ perſeverare noluit; unde in exercitio ipſe prius, in genere cauſæ demeritoriæ, deſeruit Deum peccando, quàm Deus eum privaret auxilio efficaci.*

Notentur bene hac verba.

LI. Secundum. *Auxilia ſupernaturalia, cùm divinitùs conceduntur, homo admittere, etſi velit etiam non admittere poteſt.* Bannez 1. part. quæſtion. 23. dubitat. 3. præſertim concluſ. 8. & 9. docet, quod verbum *dare* ſumitur dupliciter; primò, ut eſt correlativum ad *recipere actu*, ſecundò, ut eſt correlativum ad *poſſe accipere.* Et addit in hoc ſecundo ſenſu dari à Deo omnibus, quamdiu ſunt in hac vitâ, auxilium, quo poſſint converti, & convertantur ſi velint. Noto illud *poſſint*, noto illud *convertantur.* Dat igitur Deus auxilia ſufficientia & efficacia, ſecundo modo acceptantibus: at primo modo, illa offert & præparat non acceptantibus, potentibus tamen acceptare, ſi velint. Hanc Bannez doctrinam ſequitur etiam Alvarez diſputat. 112. num. 4. & 7. & diſputat. 87. num. 2. citat verba Auguſtini dicentis, lib. de prædeſtinat. Sancto. cap. 8. *Gratia quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde recipitur.* Ubi notat variam eſſe Lectionem huius loci; ſunt enim, qui legant *reſpuitur.* Sed Alvarez hanc ultimam, quam Calviniani præponunt, lectionem rejicit in marginem, & priorem ut fidei & veritati conſonam retinet in contextu.

Verbũ dare habet duplicẽ ſignificationẽ.

Quod gratia recipiatur vel nõ, non pendet à natura gratiæ, ſed à cordis bonitate aut malitia.

LII. *De intentione auxiliorum.*

Tertium. *Auxilia Dei ſupernaturalia, homo & intendere & remittere poteſt.* Intenduntur auxilia, cùm redduntur potentiora & fortiora; fortiora ſunt cæteris paribus, quæ habent minorem reſiſtentiam. *Gratia enim efficax*, verba ſunt, Alvarez, nuper citati, *emollit liberum hominis arbitrium, duritiam eius aufert, & ſuperat reſiſtentiam:* Unde quæ reſiſtentiam non ſuperet, non erit efficax. Cumque experientiâ teſte maiori gratiâ indigeamus in maiori periculo, qui indiget gratiâ ut ſex, ne alliceatur ab obiecto præſente, & gratiâ ut quatuor, ne ab abſente, poteſt fugiendo occaſionem facere quod gratia ſit potentior. Quod ſi occaſionem fugere non poſſit, poteſt velle & orare, & orando gratiam maiorem aſſequi; hoc eſt, habitam intendere. Vide iterum Protheorema I.

LIII. *De auxiliorum reiectione.*

Quartum. *Auxilia Dei ſupernaturalia etiam admiſſa homo & retinere & abjicere poteſt.* Alvarez diſput. 87. num. 2.

Digitized by Google

Præmittere oportet omnes Catholicos in hoc convenire contra Lutherum, & Calvinum, quod homo concurrit liberè cum auxilio efficaci cooperando, & conſentiendo Deo excitanti & moventi, & per conſequens poteſt abſolute loquendo operari & diſſentire ſi velit. Id quod in Tridentino Concilio ſeſſ. 6. canon. 4. ſub anathemate diffinitur, ut cap. 5. eiuſdem ſeſſionis docet ſancta Synodus hominem per liberum arbitrium abjicere poſſe inſpirationem, quam à Deo recipit.

LIV. *De auxilij ſubſtractione.*

QUINTUM. *Auxilij ſupernaturalis ſubſtractio nonnunquam etiam auxilium eſt.* Alvarez diſput. 28. num. 10. *In prædeſtinatis (Deus) permittit peccata ad maiorem oſtenſionem ſuæ miſericordiæ, ut humilientur, & magis cauti deinceps efficiantur.* Adſonat Auguſtino libro de natura & gratiâ contra Pelagianos cap. 78. dicenti: *Deſerit aliquando Deus (id) unde ſuperbis, ut ſcias, non tuum, ſed eius eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe.* Ergo ne magnitudo favorum & revelationum extollant, aliquem, humiliat illum Deus, non ſolum privando prærogativâ illâ propter quam ſuperbiebat, ſed & aliquando permittendo, ut ita cadat, ut corripi & corrigi poſſit.

LV. *De auxiliorum recuperatione.*

SEXTUM. *Auxilia ſupernaturalia, etiam liberè rejecta, homo liberè recuperare poteſt.* Hæc veritas naſcitur, ex aliâ, quam Protheoremate primo ſtatuimus. *Quolibet momento,* ait, Alvarez diſput. 112. num. 9. *poteſt quilibet peccator, quamdiu eſt in viâ, habere ſpeciale auxilium per quod ſalvari poſſit.* Ergo tametſi olim non acceptaverit, aut acceptatum reiecerit, adhuc poteſt habere auxilium ſpeciale. Accedit, quod præcepta ſibi ipſis ſuccedant, ut qui peccavit reiiciendo auxilium, iterum peccaturus eſt ſi non obediat; ergo iterum eſt habiturus auxilium, aliàs enim non peccaret, quia ut ibidem docet, idem Author, *illi qui carent auxilio ſufficienti, non peccant, non enim impoſſibilia præcipiuntur à Deo.*

Qui nō habet auxilia ſufficientia no peccat.

Deus non præcipit impoſſibilia.

LVI. *De auxiliorum uſu & abuſu.*

SEPTIMUM. *Auxilio ſupernaturali, qui illud receperit & non abjecerit, uti, imò & ſi voluerit etiam non uti poteſt.* Subſcribimus etiam Didaco Alvarez diſputat. 87. dicenti: *Si nomine uſus* auxilii, *intelligatur; cooperatio arbitrij cum illo, ſeu terminus ad quem idem auxilium movet, liberum arbitrium ſi licet operatio, abſq; dubio talis uſus, ſubjacet noſtri arbitrij poteſtati, ut moti à Deo, propter rationem tactam ex Tridentino; nam liberum arbitrium, etiam quando movetur auxilio efficaci, ad piè operandum, reverà poteſt abſolutè loquendo, ut in ſenſu diviſo inſpirationem illam abjicere & diſſentire ſi velit; quamvis non ſtet ſimul cum auxilio efficaci, quod de facto, illud abjiciat, aut diſſentiat.*

Nota ſingula verba, & ut illa intelligas, diviſi & compoſiti ſenſus diſtinctionem ex Theſi III. ſumes. Sed & idem Author num. 4. diſtinguit, in auxilio duos effectus, *primus* eſt, dari à Deo ut nos prædeterminetur: hunc ſtatuit non ſubjacere noſtro arbitrio, auxilia enim Deus dat, quæ vult, quando vult, quanta vult, & quibus vult, tametſi omnibus ſaltem det ſufficientia. Unde Apoſtolus, *ſpiritus ubi vult ſpirat*, & iterum, *Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis.* De altero verò effectu ſic inquit. *Secundus* auxilii effectus, *eſt producere cum voluntate, quam movet, liberum conſenſum; & ſecundùm hoc ſubditur poteſtati noſtri arbitrij, ex parte termini ſcilicet, ex parte actus liberi, ad quem datur.* Hæc ille de entitate phyſicâ auxilii, ſeu de phyſicâ prædeterminatione; nam de auxilio in ſenſu compoſito, hoc eſt non diviſo & præciſo, à Divino decreto, aliter & optime philoſophatus. Unde cùm interrogaſſet, an ſtent, aut ſtare

Auxilij effectus duplex.

Digitized by Google

ſtare poſſint, hæc duo ſimul, quod auxilium illud conſideratum ſecundum, omnem ſuam realem virtutem quam habet, à Deo, ſit in homine & homo non operetur?

Nota hoc bene, quia ſemper involvitur intentio Dei volentis ut opereris & poſſis non operari.

Reſpondet, *dicendum eſt ..... hæc duo eſſe incompoſſibilia, quod auxilium efficax conſideratum ſecundum omnem realem virtutem, quam habet ut venit à Deo* (hoc eſt conſideratum ſecundum virtutem realem & intentionalem) *& homo non cooperetur cum illo, quamvis poſſit, ſi velit, non cooperari.* Ratio eſt, quia ipſum poſſe non cooperari phyſicæ realitati auxilii, eſt cooperari auxilii intentionalitati, ſeu voluntati Dei; per illud enim auxilium intendit Deus, ut homo liberè operetur. Sanè decreto Divino ſatisfacis, cum ita operaris, ut non operari etiam poſſis, non tamen cooperaris auxilio compoſito, cum decreto Dei volentis, ut liberè opereris, ſi operaris neceſſariò. Ubique tamen diſtinguendum eſt *poſſe* & *facere*, id enim pendet ab arbitrio & auxilio, illud in purè operantibus artibus, ab arbitrio humano non dependet. Hinc conſtat optimè Auguſtinum epiſt. CVII. ad Vitald. & poſt eum Alvarez diſput. 87. num. 2.

Vult Deus ut ſuæ vocationi conſentias & poſſis nō conſentire: ergo poſſe non conſentire, nō eſt poſſe divinam voluntatem fruſtrare, ſed illam de facto adimplere.

condemnare eos, qui, dicunt, *Vocationi Dei conſentire & non conſentire, ita noſtrum eſſe, ut ſi velimus fiat, ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Ratio eſt, quia tametſi conſentire & non conſentire, ita noſtrum ſit, poſitâ entitate auxilii phyſicâ, ut ſi velimus fiat, ſi nolimus, non fiat, non eſt noſtrum facere quod vel voluntas non poſſit, uti auxilio Dei aut id non poſſit, nos adjuvare & cooperari voluntati; poſſumus enim facere, quod gratia nihil phyſicè faciat, non verè quod nihil valeat facere.

Ex dictis patet, *quid reſpondendum ſit inquirentibus, An gratia, quam aliqui ex Auguſtino & antiqui ævi Patribus,* Omnipotentem *dicunt, ſubdita ſit libero arbitrio, an id gratia?* Semipelagianorum enim error eſt affirmare, quod gratia pendeat, quoad dari à naturali Voluntatis arbitrio, ita ut naturæ viribus, quis eius oblationem præparationem & infuſionem obtinere aut promereri valeat: unde Proſper in Epiſt. ad Auguſtinum poſt medium referens Maſſilienſium ſententiam, ait, *eos ſenſiſſe, quod voluntas hominis* (puta omni gratiâ deſtituti) *divinæ gratiæ ſibi pariat opem* (hoc eſt, quod vel phyſicè efficiat, aut mereatur moraliter) *non tamen gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem.* Ecce collatio gratiæ humanæ voluntati non ſubditur, nulli enim debetur: humana voluntas illi ſubditur, obtinere enim magna & efficacia auxilia, non à currentis ſeu volentis, ſed à Dei miſerentis voluntate dependet. Cæterùm tametſi non ſubſit humanæ voluntati gratiæ Divinæ præparatio & oblatio, ſubeſt acceptatio, ſubeſt retentio, ſubeſt uſus: intentionalis tamen virtus, gratiæ, (hoc eſt, ut loquitur Alvarez, auxilium in ſenſu compoſito; nimirum compoſitum cum decreto efficaci Dei cuius vices gerit, Dei inquam volentis, ut homo liberè operetur) quia formaliter divinam voluntatem complectitur, ut multi loquuntur Viri docti, Domina eſt, omnipotens eſt, nulli creaturæ ſubdita, tam quoad eſſe, quam quoad cooperari, *Virtus enim gratiæ* quæ exponente Alvarez, millenis locis, eſt intentionalis divinæ voluntatis *ſibi* (ſi libr. de Vocatione gentium audimus Proſperum) *quos voluit ſubdidit, & eos, qui inconvertibiles permanſerunt* (non ſolùm reddere convertibiles) *ſed ut convertere potuit.*

Gratia omnipotēs.

Non ſunt digna actiones naturales ſupernaturali gratiâ aut gloria.

An gratia humano arbitrio ſubſit?

Notetur hic ſenſus compoſitus.

S. Proſper.

Imò

LVII. *Nemo eximitur ab obedientiâ Dei.*

[imò creaturam ſibi non ſubdere non potuit: impoſſibile enim eſt quod aliquis eximatur ab obedientiâ Dei; impoſſibile quod vis intentionalis gratiæ effectu aut careat, aut carere poſſit.] Nota illud *quos voluit*, nam in auxilio efficaci in ſenſu compoſito ſumpto, ſi Didaco Alvarez credimus, datur formalitas faciens & formalitas volens; illa eſt entitas phyſica auxilij, hæc Divinum decretum, illa ex ſe non eſt efficax, quia auxilium quà efficax ex phyſica entitate creata, & intentionali voluntatis increatâ virtute, teſte eodem Authore, componitur.

Hîc tamen notari volo, voluntatem Divinam tantam libertati noſtræ imponere neceſſitatem in ſententiâ Alvarez ſic expoſitæ, quantam in ſententiâ Molinæ; infallibilitatemque adhuc aliunde eſſe quærendam; quia, ſi ideò Dei voluntas eſt irreſiſtibilis, tametſi auxilij phyſica entitas carere effectu poſſit, quia voluntas divina hoc ipſum vult; etiam humana eſt irreſiſtibilis in multis caſibus; vel dicito, quo Petrus modo poterit reſiſtere meæ voluntati, ſi dixero, *Fac, quod velis?* Quo Deus modo, ſi dixero, *Realis & phyſica voluntas tua fiat in cœlo & in terra?* Ergo, niſi Alvarez aliam aut maiorem irreſiſtibilitatem in Divinâ voluntate reperiat, nihil Deo attribuit quod Hominis perfectionem excedit, & tantam aut minorem efficaciam intrinſecam phyſicæ auxiliorum entitati concedet, quàm Molina, Suarez, Vazquez, & reliqui Patres Jeſuitæ.

Impertinentia

De Doctrina Auguſtini.

LVIII. *Placet & hac Protheoremata ponere; nam, ut video, in Auguſtini cultu, ſæpe defectu, ſæpe exceſſu peccatur.*

Amor Regis judicium diligit, & ità amare Regem Theologorum Auguſtinum debemus, ut non cœcam devotionem, ſed prudentem rationem ducem habere videamur & dicamur. Non indiget Divinus Doctor laude fictâ, aut Chimœricâ; nec ei devotus, qui illum ſubrigit, ut etiam Deo præponat. Hanc ob rem impertinentes has ſubjicimus, ſi impertinentes dici poſſunt, quæ hac rerum tempeſtate maximè ſunt in noſtra ſcholâ pertinentes.

I.

Quomodo concilia utantur doctrinâ Auguſtini.

Qui Concilia ab Auguſtino, in definitionibus ſuis, hoc eſt in Articulorum Fidei diſcretione & conſtitutione regi aſſerit, ea ab Spiritu ſancto, qui nec falli nec fallere poteſt, dirigi ignorat, & definitionum infallibilitatem auferens, certitudinem merè humanam in articulis Fidei relinquit.

II.

An Patrum veterum authoritas rationibus evidentib. præponi debeat.

Qui Auguſtini doctrinam maioris ſe facere aſſerit, quàm demonſtrationes, contemnit doctrinam Auguſtini. Ipſe enim in retractationum libris ſæpe probabilem propter probabiliorem rejicit, ſæpe Lectores admonet, ne ſibi ſubſcribant, niſi ubi ſe non erraſſe cognoverint.

III.

An omnibus Patribus diſſentiat Auguſtinus.

Qui Auguſtinum omnibus Patribus præponit, iniurius eſt ipſi Auguſtino; videtur enim admittere, aliquid eum in mate-

materiâ Religionis docuiſſe contra Catholicam omnium Patrum ſententiam, adeòq; eum non fuiſſe Catholicum, & ſimul imitari Calvinum, qui univerſos Patres erroris inſimulat, & ſolius Auguſtini teſtimoniis ſuas hæreſes fundare gloriatur, non enim eſt alia communis omnium Patrum doctrina, & alia quam docet Auguſtinus.

IV.

An D. Thomas legerit Auguſtin.

Qui dicet inlectum à Thoma Auguſtinum, Thomam non legit; vix enim articulus in toto opere, qui Auguſtini authoritate careat. Qui lectum quidem, non tamen intellectum aſſerit; Thomã Angelicâ mente præditum negat, & ab univerſæ Eccleſiæ pietate deficit, Thomam *Angelici Doctoris* nomine condecorantis. Qui Thomam ait, legiſſe & intellexiſſe Doctoris Divini volumina, voluiſſe tamen illum in partes ſuas vel invitum trahere, in Angelici Doctoris perſonam & doctrinam eſt impius.

Thomas Doctor Angelicus.

V.

Senſus Thomiſtarum compoſitus

Qui, cùm audit aut legit apud Thomiſtas hominem non poſſe reſiſtere gratiæ in ſenſu compoſito putat aſſeri hominem non poſſe illum actum ad quem prædeterminatur, omittere, non vult bonos Thomiſtas intelligere.

VI.

Veracitatis gradus.
Deus & Fides.
Demonſtratio.
Patrum conſenſus.

DICIMUS igitur Conciliis eandem nos concedere veracitatem, quam Deo: poſt Dei revelationes Mathematicas, Metaphyſicas, Morales admittere demonſtrationes. Nihil non-demonſtratum Patrum aſſertis præponimus, ubi univerſi in aliquâ opinione conveniunt: ubi autem aliquis, quicunq; ille, à communi omnium Patrum & Doctorũ ſententiâ diſceſſerit, nos nec Comites, nec aſſeclas eſt habiturus. Si Tridentina ſynodus alicuius Patris verba Canonica fecerit, ipſa de fide ſunt; nempe in ſenſu ab Eccleſiâ intento. Sanè in eodem Patrem locutum, piè putamus, hoc tamen non eſſe de fide tenemus. Thomam fideliſſimum Auguſtini interpretem, & Thomæ Didacum Alvarez exiſtimamus, ꝙ contra Thomã eſt, Aug. non eſt: ſicut nec Thomæ, ꝙ contra Alv. ſi totus & attentè legatur; Omnes tres poſſe hominem cum phyſicâ entitate gratiæ, omiſſionem in operis componere tenent, & hic eſt ipſorum ſenſus diviſus: poſſe hominẽ decreto, vel gratiæ cum ipſo decreto cõpoſitæ reſiſtere negant, & negamus. Qui poteſt omittere actionem quam Deus liberè faciendam decrevit, poteſt phyſicæ gratiæ entitati reſiſtere; non tamen ideò dicendus eſt poſſe reſiſtere decreto divino, aut gratiæ cum decreto compoſitæ; nam & hæc omittendi poteſtas eſt, etiam divinitùs decreta eſt. Ille enim unicus dicendus eſſet, poſſe divino decreto reſiſtere, qui poſſet facere neceſſariò, quod Deus faciendum liberè, hoc eſt, faciendum non neceſſariò, decrevit.

Patres à Conciliys citati.

Senſus diviſus & compoſitus

Quis poſſet Deo reſiſtere.

VII.

An Adamus extra Paradiſum ſit conditus?
An ſit poſſibilis pura natura?
An condita fuerit de facto?
Quid ſentiendum de Patribus ſingularibus ſententiis.

Adamum extra Paradiſum fuiſſe conditum ſacra ſcriptura expreſsè docet. Ergo ſi aſſerente Auguſtino non habuit gratiam antequam ad Paradiſum transferretur, procul dubio conditus eſt in pura naturâ, caput perlege, quia omnia huic conceptui cohærent, cuius ſi Cenſor denominarer, Melliflui mei Doctoris verbis ex lib. de præc. & diſp. ſumptis, uterer, diceremque. *Ad hæc nihil ad præſens certius breviusq; reſpondendum occurrit, niſi quod ita S. Antiſtes ſapuit, rectène ipſe viderit. Nam ego in ſenſibus actibusq; illuſtrium Patrum cautus profectò ſum omninò non aliud æſtimare, quam quod B. Apoſtolo 1. Corinth. 4. 2. teſte, quæritur jam inter diſpenſatores ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus ſum enim, ſive in ſuo abundaverit ſenſu, ſive in Dei ſpiritu, ſicut & in cæteris, ita & in his fuiſſe fidelem, aut in diſpenſando, quod*

præmanibus erat, aut in ſcribendo quod ſenſerat. Ergo ſiquidem dantur Auguſtini teſtimonia, quæ videantur ſuadere Adamum fuiſſe de facto conditum in pura naturâ: & dantur etiam, quæ videantur ſuadere non poſſe Deum de abſoluta potentia Hominem purum condere nos teſtimonia teſtimoniis temperantes, dicemus in ea ſententia Auguſtinum fuiſſe, quæ docet Adamum quidem de facto fuiſſe in gratia, & potuiſſe condi in pura naturâ, ſi Deo id placuiſſet. Cæteros homines Adami filios, ſtante peccato originali, & Juſtitiæ Divinæ decreto, non poſſe nimirum (in ſenſu compoſito) cõdi in pura natura. Angelorum Reginam mirabiliter & miſericorditer ab hac regula generali exceptam, non fuiſſe conditam in ſtatu peccati originalis, ſed neque in ſtatu puræ naturæ, ſed in ſtatu gratiæ.

Teſtimonia ſimul juncta ſe juvant & exponunt.

Diva conceptio immaculata.

Nota I.

LIX. *Hæ Theſes Louanij defenſæ, quoniam placuerunt multis & Claves Thomiſtici Lexici complectuntur, ne omninò perirent, ſunt additæ. Thomiſtarum erit nobis oſtendere,* Primò *An-non omnia, quæ adduximus, ſint Didaci Alvarez?* Secundò *An-non ipſe fuerit bonus Thomiſta?* Tertiò *An intellectis terminis, prout jubet & exponit ipſe, dicat aliquid, quod militet contra P. Molinam?* Quartò, *Annon P. Lemos (fuit Dominicanus, & Thomiſta ſeveriſſimus & ſapientiſſimus) olim Romæ phyſicas prædeterminationes eſſe contra D. Thomam docuerit?* Quintò *An-non hodie multi etiam alij tam ſuaves ponant, ut illas negare videatur.* Sextò *petimus huic argumento reſpondere.* [Non eſt in mea poteſtate non habere phyſicam prædeterminationem. Illâ poſitâ non eſt in meâ poteſtate omittere opus, ad quod inducit: ergò nihil eſt in mea poteſtate.] Septimò *aſſignare differentiam inter illud argumentum & ſubſequens,* [Cœco nato non fuit in ſua poteſtate habere poſitivam illam nubem, quæ viſum impedit: Poſitâ hac nube poſitivâ, non eſt in eius poteſtate videre; ergo videre non eſt in eius poteſtate.] *Si enim prædeterminatus ad claudendos oculos non habet maiorem poteſtatem ad videndum, quam cæcus à nativitate, ſeverus Thomiſta eſſe non nolo.*

Ratio edendi iſtas Theſes.

Ratio fortiſſima cõtra phyſicas prædeterminationes.

Rationis paritas.

Sed dices, *hæc omnia eſſe facilia, & centies ſoluta à Thomiſtis, nec novâ ſolutione indigere. Et ego iſto hac, etiam mihi interdum dicta; ſed ab hominibus, qui ſibi erant conſcij, quod hæc ipſa ratiocinia neſcirent exactè diſſolvere.* Mea ego dubia & ſcrupulos ſummâ urbanitate propoſui, doctiorum erit me doctè & urbanè juvare.

Nota II.

Hæc omnia dicta ex hypotheſi quod Deus cõcurſu prævio cum cauſis ſecundis concurrat; ſed quid fieret Durandiſtæ, qui etiam ſimultaneũ negaret? Durandus durè loquitur dicunt nonnulli: ſed aliud eſt dicere dura, & aliud falſa: multæ enim veritates duræ & malæ digeſtionis ſunt, nec quia duræ, ſtatim dicuntur eſſe falſæ. Sed quas duras nos dicimus illas, Durando, Dolæ, Lalemandetio, & alijs multis ſuaves eſſe videntur: & fortè, ubi illos arguamus, nos erramus. Res maiori indiget conſideratione, & ideò has Propoſitiones Theologicas, quas aliquando prælo & prælio commiſi; ſubjicio doctiorum examini. LX.

Non omnia dura, falſa.

THE-

THESES THEOLOGICÆ

De Omniſcientia & Omnipotentia.

LXI. *Ethica baſis.* PRimum Moralis Theologiæ Fundamentum Liberum eſt Arbitrium, non ſcientia, non Potentia divina: tolle enim illud, relinque has, & mores univerſos ſuſtuleris: tolle has (quod Athei, Ethnici, & Blaſphemi) & liberum arbitrium relinque, & adhuc mores (civiles ſaltem & humanos) reliqueris. Ergo poſtquam de libero diſſeruimus Arbitrio, de Omniſcientia & Omnipotentia diſputemus; Et has Concluſiones olim propugnatas ponamus. *Mores alij ſunt Theologici, & alii Politici.*

THESIS I.

De ſcientia Dei in communi.

Objectum ſapientiæ divinæ. *OBiectum divinæ cognitionis complectitur cognoſcibilia omnia, quidquid enim cognoſcibile eſt, à Deo cognoſcitur, & ſi quid à Deo non cognoſcitur, id non eſt cognoſcibile. Quam ob rem non eſt Deus ignorans, quod non cognoſcat, quæ cognoſcibilia non ſunt: ſicut nec eſt impotens, quod non producat, quæ producibilia non ſunt. Quatuor in Deo ſcientiæ ſolent poni: Chimæricorum; Poſſibilium, Futurorum conditionatorum, & Futurorum abſolutorum. Primam & Deo, & Angelo, & Homini abſolutè negamus, quoniam quæ non ſunt, non ſciuntur: ternas alias (nimirùm ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ: Scientiam conditionatam, & ſcientiam Viſionis: (ſic eas vocamus) dicimus à nemine verſari circa idem indiviſibile obiectum, & omnes Deo primariò & per eſſentiam Deo: ſecundariò autem & per participationem convenire Angelis & Hominibus.* LXII.

Enumerãtur quatuor diverſa obiecta.

Chimæræ aut entia rationis non dantur: & ideò à nemine cognoſci poſſunt.

LXIII. *Scientia divina qualis?* OMnis cognitio divina cognoſcit ſuum obiectum ut eſt in ſe; & quæ aliter illud quam eſt in ſe, non eſt divina. Ad Scholas venimus, ut doceamur cognoſcere Deum ut eſt in ſe, non ut eumdem cognoſcere aliter, quàm eſt in ſe, hoc enim ſine magiſtro faciebamus. Unde audiendi non ſunt, qui dicunt, *Deus quidem noſtro modo concipiendi aut fingendi eſt talis aut talis; &c. Sed corrigendus eſt noſter intellectus: &c.* Non inquam audiendi ſunt, quia non bene docetur ludere citharâ, qui docetur errare, & errorem cognoſcere; ſed qui docetur non errare: & idem de Theologia dico, quia eſt ſcientia, quæ aperit ſtudioſis errorem non patientes vias, ut ſimus etiam in hac

Cur ſcholas ineamus? *Noſter modus concipiendi, an corrigendus?* *Nota bene hoc.* *Quid ſit Theologia?*

Digitized by Google

hac via quodammodo Deo ſimiles, quia intellectualibus & abſtractivis oculis videmus Deum ſicuti eſt: nimirum Deum, qui omnia & ſingula videt ſicuti ſunt. Nec contra hanc cognitionem Theologicam, quàm participari à Deo dicimus militat Dei infinitas, non e-

Quo modo cognoſcatur infinitum? Quo modo Deus?

nim eſt bona conſequentia, *Deus eſt infinitus, debet ergo à creatura finita cognoſci aliter, quàm eſt in ſe*: multa enim ſunt in Deo, quæ à nobis cognoſcuntur confusè, multa quæ per negationes nobis notas, multa quæ in externis effectibus, multa quæ ignorantur omninò; at nihil quod poſtulet cognoſci aliter, quàm in ſe eſt: erraret enim, qui aut in-

Nota hoc bene.

tellectum divinum per modum voluntatis, aut voluntatem per modum intellectûs cognoſceret.

LXIV. *Homo habet etiam tres ſcientias aut notitias.*

Participamus à Deo ſcientiam, ſed quam? Tres omnes: nam & multa poſſibilia cognoſcimus, multas hypotheſes conditionatas, multa etiam abſolutè futura: omnia humanitùs & incertè; quia homines ſumus docti ab hominibus, & omnis homo mendax, nimirùm decipere potens & decipi: nam & ego ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ humanæ cognoſco hos eſſe characteres poſſibiles: ſcientiâ conditionata percipio, quod ſi calamum tali vel tali modo moveam, talem aut talem characterem formabo: & ſcientiâ viſionis cognoſco meum decretum & infero futuros eſſe illos eoſdem characteres quos ſcribere intendo.

LXV. Quæ tamen ex his ſcientiis latiùs patet? Exiſtimarunt aliqui primam latiſſimam & ultimam ſtrictiſſimam eſſe; plures enim ſunt creaturæ poſſibiles, & multò pauciores futuræ. Sed hi videntur ſupernatare tantùm, nec profundiùs ingredi in puriſſimùm Theologiæ ſcholaſticæ Oceanum. Rem igitur breviter expedio. Pono maioris claritatis gratia creaturas poſſibiles eſſe *a, e, i, o, u*, pono exiſtentiam eſſe accentum acutum, non exiſtentiam accentum gravem (quò exempla clariora, meliùs inſtruunt) ergo aperiat ſimplicis intelligentiæ oculos Deus & cognoſcet quinque mundos poſſibiles; nimirùm, *a, e, i, o, u*; ſuo divino decreto eligit mundum *é*, & illum creat; ergo ſcientia viſionis reflexa ſuper decretum videbit, *à, é, ì, ò, ù*. nimirum mundum *é* futurum: cæteros à, ì, ò, ù; non futuros: quia ſicut hic mundus habet à decreto divino, quod futurus aut exiſtens ſit, ita cæteri habent ab eodem decreto quod non futuri ſint. Ergo eaſdem creaturas, nullâ demptâ, attingit ſcientia ſimplicis intelligentiæ & ſcientia viſionis; & tota differentia in eo eſt, quòd illa omnes cognoſcat ut poſſibiles; hæc, aliquas ut exiſtentiam habentes in aliqua differentia temporum, & cæteras, ut carentes exiſtentiâ in omni differentia temporum. Scientia conditionata intereſt, & ſingulas creaturas cum omnibus aliis componit, & ideas miro modo multiplicat.

De harum ſcientiarũ amplitudine.

THE-

Digitized by Google

THESIS II.

An & quomodo Deus intelligat Entia rationis? An & faciat?

LXVI. *Quid apud omnes in hac cõtroverſia ſit certum?*

Hinc oritur primò, Quæſtionem illam, qua interrogat, An Deus cognoſcat Entia rationis? non eſſe Theologicam, ſed Metaphyſicam. Omnes enim Catholici ſupponimus à Deo cognoſci ut eſt in ſe, quidquid cognoſcibile eſt: Entia rationis, ſi poſſint cognoſci, ut ſunt in ſe, etiam cognoſci à Deo: & ſi illa cognoſcere, ſit illa facere, etiam fieri illa à Deo. Quod ſi eſſentia eiuſmodi Entium in hoc ſit ſita, ut cognoſcantur aliter quàm ſint in ſe: non poſſe à Deo cognoſci. Si verò poſſint duobus modis cognoſci, nimirùm ut ſunt in ſe, & aliter quàm ſunt in ſe: & tantummodò dicantur fieri, quando ſecundo modo cognoſcuntur, dicendum erit illa à Deo quidem cognoſci ſed non fieri. Hæc Theologica ſunt; & illa omnes Philoſophi Chriſtiani admittunt. In quo ergo differunt? Tantùm in Metaphyſica, & in purificatione conditionum. Aliqui enim nobiſcum negant Entia rationis, & introducunt Entia vocis, qualia nos dedimus. Alii docent illa non poſſe cognoſci ut ſunt in ſe: & iſti differunt quoad rem: Alii in eiſdem Entibus fieri & cognoſci diſtinguunt, & iſti differunt quoad nomen. Et interim ubi Theologicè differre videntur, conveniunt maximè; nam concluſionem è maiori Theologicâ, & minori Philoſophicâ eliciunt: nempe variam, tametſi enim maior ſemper ſit eadem, variatâ minori non poteſt non variari Concluſio.

Non dantur Entia rationis, ſed quæ talia vocantur, ſunt Entiæ linguæ.

Status cõtroverſiæ.

LXVII. *Veritatis potentia.*

Mira eſt veritatis vis. Omnia ingenia conſpirant, cùm illa adlucet. Longo tempore poſtquam theſin iſtam ſcripſeram, incidi in Controverſiam de Ente rationis, quâ Oviedus curſum Philoſophicum claudit: & quia mihi placuerunt, quæ dicit punct. 7. num. 1. pagin. 442. inquirens; An cognoſcat & faciat Ens rationis? Volo illa adjungere: ſic enim ait. [Diverſitas opinandi in hac quæſtione, meâ quidem ſententiâ, tota oritur ex diverſitate conſtituendi entia rationis, ſeu aſſignandi cognitiones, per quas cognoſcuntur, & fiant entia rationis. In multorum opinione circa eſſentiam entis rationis, & naturam cognitionis, per quam debet fieri ens rationis, eſt fide certum Deum non poſſe facere entia rationis, quod nullus ex doctoribus Catholicis, qui affirmet Deum facere entia rationis negat, loquuntur enim omnes in alio ſenſu longè diſtincto, dum aſſerunt Deum facere entia rationis, neque duos Doctores invenies requirentes cognitiones humanas eiuſdem rationis ad Entia ratio-

Oviedus. Cur in hac materia ſint diverſa ſcriptorum ſententiæ?

 nis

nis facienda, quorum unus affirmet, & neget alter Deum facere Entia rationis: tota enim diverſitas opinandi in hac materia oritur ex diverſitate aſſignandi cognitiones factivas Entium rationis; quâ ablatâ nulla diviſioni huius difficultatis ſupereſſet difficultas; & ſi omnibus eadem mens eſſet de cognitione factivâ Entis rationis, vix ullus daretur in hac re diſputandi Locus. Rem clarè oſtendo. Affirmat Pater Herice *diſputat. 8. de ſcientia cap. 1. in fine*, cognitionem factivam Entis rationis debere eſſe judicium falſum de exiſtentia obiecti, quod non ſit, vel ſaltem apprehenſionem, quæ inclinet ad hoc judicium; certum debet eſſe apud hunc Authorem, Deum non facere Entia rationis; ſi enim aſſereret cognitionem factivam Entis rationis importare judicium falſum de objecto non exiſtente, & ſimul aſſereret Deum facere Entia rationis, apertè diceret Deum habere judicium falſum de objecto non exiſtente, quod eſt hæreticum. Hac ratione optimè dixit Hurtadus, qui judicium falſum requirit ad Entia rationis facienda, fide ſanctum eſſe, Deum non facere Entia rationis ab ipſo explicata, quod veriſſimum eſt. Authores iſti, qui Catholicè defendunt Deum non facere Entia rationis, & ad ſanctum Inquiſitionis tribunal eſſent deferendi, ſi oppoſitum dicerent, fatentur Deum cognoſcere eadem Entia rationis per verum judicium, ex vi cuius cognoſcit illorum exiſtentiam repugnare, & cognitionem humanam terminari ad eadem Entia rationis. En quomodo in re conveniant Doctores, qui affirmant, & qui negant Deum facere Entia rationis; in quibus tantùm eſt diſſenſio in aſſignandâ cognitione, quæ vocanda ſit factiva Entis rationis; omnes enim eaſdem cognitiones circa idem objectum eodem omninò modo tendentes conſtituunt. Quia illi, qui affirmant, Deum facere Entia rationis, dicunt cognitionem quamcumque terminatam ad obiectum repugnans, etiamſi ſit judicium de non exiſtentia tali objecti, vel quo tantum affirmetur, cognitionem aliam ad illud terminari, eſſe factivam Entis rationis, quam cognitionem Deo tribuunt Doctores negantes Deum facere Entia rationis, quin ex illorum principiis inconſequentiæ aliquid notetur; hi verò, qui aſſerunt quamcumque cognitionem terminatam ad objectum repugnans modo explicato eſſe factivam Entis rationis, non poſſunt non conſequenter dicere Deum cognoſcentem Ens rationis ut factum ab homine, vel per actum, quo judicat eſſe objectum repugnans, facere Ens rationis, quod omnes concederent, ſi admitterent quamcumque cognitionem quomodocumque terminatam ad obiectum repugnans, etiam diſſentiendo ab illo, eſſe factivam Entis rationis. His præmiſſis facile à nobis tota decidetur difficultas puncti capite præfixâ, quæ placuit etiam prænotare, ne quis religionis ſpecie carpere præſumat doctores aſſerentes Deum facere Entia rationis, qui nihil Deo tribuunt, quod non concedant, qui aſſerunt Deum huiuſmodi Entia non facere, ut ſupra notavi; neque huiuſmodi religionis ſpecie ſuam ſententiam commendandam, aut præferendam eſſe præſumat ſententia illorum, qui aſſerunt Deum facere Entia rationis per actum, quo ab illorum exiſtentiâ diſſentitur, & dicat illa ab intellectu humano ut verè exiſtentia cognoſci, etſi enim Catholica ſit laudanda

An Entia rationis in falſo judicio conſiſtant?

An illa non poſſe fieri à Deo de fide ſit?

An potius illa à Deo fieri de fide ſit?

Conciliantur Authores.

Quæſtio de mero nomine.

Digitized by Google

Quæſtio à ... merito ... mine.

Vtraq; ſententia laudabilis & plauſibilis eſt.

danda ſententia negantium Deum facere Entia rationis, ne cogantur aſſerere Deum habere judicium falſum, quo decipiatur & judicet exiſtere objectum, quod in ſe repugnat; hac laude carere non debent, qui aſſerunt Deum facere Entia rationis, tantùm per actum, quo judicat ipſa repugnare, & eſſe objectum intellectionis creatæ, & nullo modo per judicium aſſertivum de illorum exiſtentiâ, aut per apprehenſionem, quæ inclinet ad hoc judicium, quia longè abeſt à Deo omnis cognitio, quæ aliquam falſitatis umbram redoleat.]

THESIS III.

Quomodo ſcientia ſimplicis Intelligentiæ verſetur circa res poſſibiles?

LXVIII. *Hinc etiam oritur controverſiam illam, quæ inquirit, An Deus cognoſcat infinitas creaturas poſſibiles? non eſſe Theologicam: habemus enim ex Theologia Deum univerſas cognoſcere, nullamque eſſe, quæ eius oculos lateat: quamobrem, cùm Deus illas cognoſcat prout ſunt in ſe, conſulendus erit Philoſophus, orandusque ut definiat: An ſint finitæ aut infinitæ? numerabiles aut innumerabiles? & ſi infinitæ: An categorematicè, an ſyncategorematicè? & ſi finitæ, An in aliquo numero determinato, an potiùs in aliquo terminabili? Nam ſi in continuo datur ultima pars, quod voluit Zeno, non eſt dicendus Deus infinita cognoſcere: & ſi illud in infinitum diviſibile ſit, quod voluit Ariſtoteles, debebit dici, in continuo non cognoſci à Deo ultimam partem, quoniam non datur ultima. Creaturæ ergo poſſibiles, cognoſcentur à Deo ut ſunt in ſe, & quia in ſe non ſunt in aliquo numero determinato, non cognoſcentur à Deo tanquam numerus determinatus. Et quia in ſe non ſunt infinitæ categorematicè, non erunt infinitæ categorematicè in cognitione divina, aliàs enim cognoſcerentur aliter quàm ſunt in ſe. Ergo, ſiquidem infinitæ ſyncategorematicè ipſæ ſunt, & ut clariùs loquar, indefinitæ, & indeterminatæ, infinitiſſima definitiſſima & determinatiſſima cognitione illas eſſe indefinitas & indeterminatas cognoſcet Deus.*

An creaturæ poſſibiles ſint infinitæ?

An continuum ſit in infinitū diviſibile?

Nota hoc nomen Indefinitum quod aptiſſimum eſt.

De

Digitized by Google

LXIX. *An creaturam infinitum repugnet?*

DE infinito no'o hîc multa ſcribere, puto enim illud tam clarè repugnare, ut non poſſit ſeriò propugnari in ſcholis: nam, ut video, qui illud dicunt eſſe poſſibile, novas ſibi definitiones formant; & quia novas, cùm maximè admittere infinitum videntur, illud negant; illud enim, quod nos definimus, & eſſe impoſſibile dicimus, non admittunt. *An creatura poſſibiles ſint infinitæ?* At hæc difficultas, quæ numerum creaturarum poſſibilium concernit, ſpecialis eſt apud docentes non poſſe à Deo creari infinitas; multi enim exiſtimant eaſdem prout ſunt objectum omnipotentiæ eſſe infinitas ſyncategorematicè, & prout ſunt objectum ſcientiæ divinæ eſſe infinitas categorematicè; & hac ratione ſeducuntur; quod tametſi non poſſint omnes ſimul creari, omnes tamen cognoſcuntur ſimul: quam ob rem eaſdem creaturas reſpectu Omnipotentiæ dicunt eſſe infinitas potentiâ, hoc eſt, ſyncategorematicè, & reſpectu cognitionis divinæ eſſe infinitas actu, hoc eſt categorematicè. Sed *Quid ſit infinitum ſyncategorematicũ?* ut video carent verò conceptu infiniti ſyncategorematici, illud enim eſt idem ac indefinitum: nam multitudo, *Multitudo quotuplex* vel eſt finita, vel infinita, & huius ultimi generis dicimus eſſe multitudinem partium, quæ ſunt in continuo Ariſtotelis, & creaturarum poſſibilium, quæ ſunt in Omnipotentiæ flaviſſis.

THESIS IV.

Quomodo ſcientia viſionis verſetur circa res præſentes?

INtuitiva eſt & infinita omnia comprehendit, vel ſupercomprehendit potiùs, ut cum Patribus Eccleſiæ loquamur. LXX. *Quo Deus modo cognoſcat certa, probabilia, & dubia?* Cognoſcit res exiſtentes prout ſunt in ſe: certas, certiſſimè cognoſcit eſſe certas: dubias certiſſimè cognoſcit eſſe dubias, & probabiles certiſſimè cognoſcit eſſe probabiles: erraret enim Deus, ſi vel certa cognoſceret ut dubia, vel dubia ut certa. Hinc eſt duas poſſe moveri quæſtiones de Viſione divinâ, priorem: An ſit incerta? poſteriorem, An certiſſima ſit, & tamen circa incerta verſetur? *Scientia Dei eſt certiſſima: An dentur creaturæ incertæ.* prior eſt Theologica, Philoſophica altera, qui enim diceret ſcientiam Dei eſſe incertam, atrocem blaſphemiam committeret: at qui certiſſimam eſſe concederet, & tamen adderet obiectum illam incertum aliquando reſpicere, non Deum, ſed creaturas, de incertitudine & imperfectione accuſaret: ergo hæc ſecunda quæſtio non Theologos propriè, ſed Philoſophos tantum concernit.

Sed

Digitized by Google

LXXI. SEd quia poſſes inquirere, An exiſtant de facto in rebus Entia incerta? proponam aliqua phyſica, aliqua Logica, aliqua Mathematica.

Multitudo partium continui incerta. PRIMÒ enim IN PHYSICIS ſuccurrit Quantitas Peripatetica in infinitum diviſibilis, habens de facto omnes ſuas partes: ſed quot? non finitas, non infinitas categorematicè, ſed infinitas ſyncategorematicè, hoc indefinitas & indeterminatas: ergo certiſſimâ & definitiſſimâ cognitione Deus intelligit indeterminatiſſimas continui partes, quas ſi eſſe determinatas cognoſceret, aliter cognoſceret, quàm ſunt in ſe.

Opinio probabilis incerta. SECUNDÒ in LOGICIS, ſuccurrit Opinio probabilis, item Opinio dubia, poſitivè aut etiam negativè. *Opinio dubia quæ? quotuplex* [Eam dico *negativè dubiam*, pro quâ nullam rationem habeo nec quidem levem; *dubiam poſitivè*, pro quâ habeo aliquam rationem congruam, quam motivum rationabile vocant, quod tametſi leve ſit, affectu vel urbanitate cooperante, poſſit impetrare conſenſum. *& probabilis quæ?* Voco *probabilem*, quam gravi & forti ratione fulcio, homini docto dignam, quæ tametſi demonſtrativa non ſit, non poteſt demonſtrativè elidi. *Evidens quæ?* Quibus addo *ſententiam evidentem*, demonſtratione phyſicâ aut morali fulcitam.] Pono igitur, quatuor viros rogari; Utrùm materia exiſtat exiſtentiâ formæ? Pono Petrum nullam rationem habere prò nec contrà: Paulum habere aliquas leves ſeu congruas: Joannem fortes condignas viro gravi, non tamen evidentes & certas: & Philippum demonſtratas & indubitatas: & Deum interrogo, qualis ſit humanitùs Thomiſtarum ſententia? Reſpondebit, illam reſpectu Petri eſſe dubiam negativè, reſpectu Pauli dubiam poſitivè, reſpectu Joannis eſſe probabilem, reſpectu Philippi demonſtratam. Ecce Deus certiſſimâ cognitione divinâ, cognoſcit incertitudinem cognitionis humanæ: illa enim quæ dubia aut probabilis, incerta eſt: & quæ demonſtrata humanitus, fortè evidentiâ negativâ ſubſiſtit: illam enim rationem demonſtrativam dixero, contra cuius efficaciam & ſecuritatem nihil occurrit. *Humanarũ demonſtrationũ ſecuritas.*

TERTIÒ IN MATHEMATICIS ſuccurrunt aliqua multò ſubtiliora, quàm in phyſicis; nam ſi ponamus continuum componi ex indiviſibilibus, quod tenuit Zeno, & multi viri docti cum ipſo, adhuc lineam potero conſiderare, quà longam præſcindendo à craſſitudine, etiam indiviſibili; & tunc lineam quam phyſicè nequeo, ducere mathematicè potero, & aſſerere, ſuperficiem Mathematicam non componi ex lineis Mathematicis, etiam ſi phyſica componatur ex phyſicis; nam ſi Zeno negat Ariſtoteli hanc propoſitionem, *Indiviſibile additum indiviſibili nihil addit*, putat enim duo indiviſibilia, eſſe plus quàm unum indiviſibile, non poterit negare Euclidi, hanc; *Nihil additum nihilo nihil addit*, non enim plus ſunt duo nihila, quàm unum nihilum; & Euclidis omniumque Mathematicorum linea ſubtilior indiviſibili eſt quoad latitudinem, hâc enim conſideratione nihil habet. Idem dixero de ſuperficie, quoad profunditatem, mathematicè enim conſiderata non habet altitudinem indiviſibilem, ſed nullam prorſus. His poſitis duco unum circulum & juxta trigono- *Continuũ.* *Linea.* *Nota id bene.* *Superficies.*

D

Linea tangens, ſecans. gonometriæ cõmunes leges dimitto unam tangentem, & à centro in illam produco nonnullas ſecantes; incipio à gradu primo, & interrogo; An Deus cognoſcat ultimam, quæ poſſit duci, & ſit gradui nonageſimo proxima? & ſi Deus ultimam non cognoſcat, cùm non ſit defectus ex parte ſcientiæ, erit ex parte objecti, quod non habeat lineam ultimam, quæ poſſit cognoſci. Idem dicam de triangulis, æquis baſibus inter duas parallelas deſcriptis; idem de lineis, quæ in infinitum accedunt, & nunquam coincidunt, quales in Matheſi meâ audace & in aliis Libris reperiuntur innumeræ. Stat ergo in rebus Logicis, Phyſicis & Mathematicis, quæ in mundo reperiuntur de facto, eſſe aliquas dubias, incertas, & indeterminatas, quæ imperfectè cognoſcerentur, ſi aliter quàm ſunt in ſe; adeoque non poſſe aliter à Deo, quàm ut dubias incertas & indeterminatas cognoſci.

Deus ultimam ſecãtem non cognoſcit.

Res dubia incerta & indeterminata.

THESIS V.

Quomodo Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta.

Conſto eidem doctrinæ, & ex iiſdem fundamentis deduco quæſtionem illam, quæ interrogat, An Deus cognoſcat futura contingentia? non eſſe Theologicam, ſed Metaphyſicam: nam ſi iſta cognoſcibilia ſunt, cognoſcuntur à Deo, aliàs non. Nec quæri debet, An Deus cæcutiat & aliqua viſibilia non videat? Sed ſuppoſito, quòd omnia cognoſcibilia videat, inquirendum ſolummodò eſt, An futuri contingentis veritas ſit cognoſcibilis? Quod eſt quærere, An illa habeant determinatam veritatem aut falſitatem? Eorum cognitionem negavit Ariſtoteles Deo: & eamdem concedimus nos: nec tamen differimus in Theologia, ſed in Philoſophia ſolummodò: ſi enim Ariſtoteles in Philoſophicis tenuiſſet contingentia futura habere determinatam veritatem aut falſitatem, in Theologicis conſequenter docuiſſet illa cognoſci à Deo: at quia philoſophicè erraverat, debuit theologicè conſequenter errare. Vnde non ſine admiratione legi cuiuſdam Salisburgenſis Theſes, qui futuris contingentibus abſolutis, non ſolùm negabat determinatam veritatem aut falſitatem, ſed etiam contendebat hanc eſſe doctrinam D. Thomæ, & tamen ex alio capite concedebat, Deum determinatè cognoſcere, utrùm poſitiones de futuro ſint veræ? quem quia alibi evidenter

LXXII.

Theologizamus cũ Ariſtotele, ubi diverſimodè philoſophamur.

Ariſtotelis error.

Inconſequentia Philoſophi Salisburgenſis.

Digitized by Google

evidenter impugno, non volo in præſenti producere, nec ampliùs in re clara immorari.

LXXIII. *An ſcientia viſionis ab omnipotentia dependeat* COgnoſcit Deus ſcientiâ viſionis intuitivâ omnia futura; eademque cognoſceret etſi per impoſſibile eſſet impotens, nec illa crearet aut creare valeret: eadem etiam, etſi illa eſſent producta ab alio Deo, quem poſſumus fingere, ut meliùs ſcientiam viſionis cognoſcamus. *Æternitas male cognoſcitur.* Video conceptum æternitatis peſſimè formari, etiam à Viris doctis; & ex hoc æternitatis monſtro, quod Deo adfingunt, plurimas prodire conſequentias intolerabiles. *Quid illa ſit?* Ait Boëtius, *Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul ac perfecta poſſeſſio.* clariùs & breviùs. *Æternitas eſt interminabilis vita tota ſimul.* *Differunt perpetuũ & æternũ.* Sanè ſi daretur homo productus ab æterno & in æternum duraturus, haberet vitam utrimque interminabilem, nec tamen ipſe æternus eſſet, quia non haberet totam ſimul. *Deus omni tempori eſt præſens.* Ergo ſi Deus habet totam durationem ſuam ſimul, omnibus temporibus (præteritis, præſentibus, & futuris) eſt ſimul præſens: ergo omnia videt, quæ in illis temporibus fiunt: omniaque etiam videret etſi non concurreret ipſe: nam ego præter ea quæ facio, etiam video præſentia quæ non facio; non enim ideò video quia facio, ſed quia habeo oculos quibus illa præſentia ſunt: & de Deo eodem modo debebimus philoſophari. Deo igitur nihil eſt præteritum, nihil eſt futurum, ſed omnia ſunt præſentia, tametſi ſibi ſuccedant, non enim valet illud axioma adulterinum, *Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe.* *Axioma commune rejicitur.* Unde poſſes deducere, *Quæ ſunt præſentia & coexiſtentia uni tertio, ſunt præſentia & coexiſtentia inter ſe.*

* * *

THESIS VI.

De ſcientia media & futuris conditionatis.

LXXIV. *Futurum conditionatũ quale, & quotuplex?* F*Vtura conditionata dicuntur, quæ conditioni innixa: qualia ſunt* I. Si Petrus eſſet Leo, eſſet animal rugibile. II. Si eſſet canis, perſequeretur leporẽ. III. Si eſſet Romæ, loqueretur Philippo. *Ex quibus exemplis colligitur aliàs conditionem eſſe impoſſibilem, aliàs poſſibilem, & conſequens aliàs eſſe neceſſarium, aliàs eſſe contingens.* CIRCA PRIMAM PROPOSITIONEM, *nemo dubitat,*

Digitized by Google

tat, eſt enim eſſentialis & vera, & non Deo ſolùm, ſed etiam nobis per ſe nota: nomine enim Rugibilis, intelligimus differentiam illam prædicabilem, quâ contrahitur animal ad eſſe Leonis. CIRCA SECUNDAM, amens ſim, ſi dubitare velim. Deſinio ſine formidine non cognoſci à Deo, utrùm falſa vel vera ſit, caret enim determinatâ veritate, vel falſitate: & quia Deus illam debet cognoſcere prout eſt in ſe, cognoſcet antecedens eſſe impoſſibile, nullamque connexionem habere cum veritate aut falſitate conſequentis. Et, ſi objicias, dari hic duas contradictorias ſimul veras aut ſimul falſas, utrumque negaturus ſum: primò, quia dicere potero, has duas propoſitiones, [Si Petrus eſſet canis modò perſequeretur leporem, ſi Petrus eſſet canis modò non perſequeretur leporem,] non eſſe contradictorias, contradictionis vocabulum ſtrictius accipiendo. Secundò, quia, tametſi contradictoriæ dicantur, non erunt ſimul veræ, nec ſimul falſæ, ſed potiùs nec veræ nec falſæ: nam inter determinatè falſum & determinatè verum datur neutrum, quod eſt nec determinatè verum, nec determinatè falſum: ſicut inter finitum & infinitum datur neutrum, quod eſt indefinitum, ſeu indeterminatum, & vulgò dicitur, infinitum ſyncategorematicum. CIRCA TERTIAM ſunt graviſſima Theologorum certamina, quæ in una philoſophica poſitione fundantur, quæ ſi diceretur eſſe falſa, univerſa ceſſarent. Porrò, ſi tertia propoſitio determinatam habet veritatem vel falſitatem, Deus determinatè ſcit, an ſit vera vel falſa: quod ſi eadem propoſitio ſecundum ſe indeterminata ſit, ſimulque veritate & falſitate careat, falleretur Deus, ſi illam cognoſceret ut determinatè veram, aut ut determinatè falſam. Ergo Thomiſtarum & Moliniſtarum pace, antequam concertemus Theologicè Philoſophos audire debemus. Dico igitur primò, ſi hæc propoſitio, [Si Petrus eſſet Romæ, loqueretur Philippo,] ex ſe determinatam habet veritatem vel falſitatem, cognoſcetur à Deo ante omne decretum liberum, & illa notitia Divina meritò dicetur ſcientia media, quod ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiæ viſionis interſit, ſtabitque doctrina Molinæ, quam hodie Patres Ieſuitæ, & alii Doctores defendunt: & per conſequens ſuperflua erunt & inutilia conditionata decreta omnia, quæ à Thomiſtis ponuntur. Dico ſecundò, ſi illa propoſitio ex ſe & ab intrinſeco non habet determinatam veritatem vel falſitatem, ſi tamen determinari poſſit ab extrinſeco, hoc eſt, à Deo, doctè ad conditionata decreta, Diſcipuli Angelici Doctoris recurrunt, ut eamdem propoſitionem determinent. Sed quia hæc phyſicas prædeterminationes ſupponunt, non poterunt admitti ab illis

Rugibile quid? — Conditionata eſſentialia. — Conditionata impoſſibilia. — Objectio. — Contradictio ſtrictior quæ? — Conditio contingẽs & libera. — Nota id bene. — Scientia media quæ? unde dicta? — Decreta conditionata Thomiſtarum. — An dentur phyſicæ prædeterminationes?

Digitized by Google

Conditionata eſſentialia. *Conditionata impoſſibilia.* *ab illis, qui has dicunt nocere libertati. Quomodo ergo cognoſcet Deus illam propoſitionem, ſi ex una parte phyſicæ prædeterminationes negentur, & ex altera propoſitio illa ſecundum ſe indeterminata dicatur? cognoſceret procul dubio eamdem prout eſt in ſe; & ſi illa nec habeat intrinſecam nec extrinſecam determinationem, ſcientiâ determinatiſſimâ Deus cognoſcet illam eſſe indeterminatam, certiſſimâ illam eſſe incertam, veriſſimâ illam eſſe expertem veritatis & falſitatis.* *Objectio.* *An non in hoc reperitur abſurdum? minimè. nihil enim Divinæ cognitioni detrahitur, cui omnia cognoſcibilia ſubjiciuntur, & incognoſcibilia negantur: ſicut enim non eſt minùs omnipotens, quod impoſſibilia non creet, ita etiam non erit minùs ſapiens, quod incognoſcibilia non ſciat.*

LXXV. EGo quidem ſtando principiis naturalibus, & a ſacra ſcriptura præſcindendo, non video, cur non poſſit dici, *Conditionata futura libera, quæ non oriuntur infallibiliter aut neceſſariò ab actu exiſtente aut futuro abſoluto, eſſe indeterminata, hoc eſt, non habere determinatam veritatem nec determinatam falſitatem*: *Futura incerta.* quæ doctrina, ſi ſemel admitteretur, ſummas tolleret difficultates, unoque ictu ſcientiam mediam conditionata decreta, & phyſicas prædeterminationes, ab encyclopediâ Theologicâ decircinaret, & aperiret viam juventuti ſcholaſticæ, ut ſubtiliùs & expeditiùs poſſet ad ſublimia contendere: *An poſſint defendi ſalva fide?* ſed quia aliqui putant hanc ipſam objectivam indeterminationem repugnare ſcripturæ divinæ operæ pretium erit breviter explorare, An loci qui circumferuntur, non poſſint explicari probabiliter illæſâ doctrinâ, quam ponimus. Conſultò *probabiliter* dico; non enim negaturus ſum contrariam ſententiam eſſe probabiliſſimam, ſeu ſcientia media, ſeu decreta conditionata defendantur: ſufficiet enim nobis oſtendere indeterminationem, quam ponimus, & ſi conferatur cum ſacris literis, permanſuram probabilem. [Fortè cum probabiles ſolutiones promittimus, dabimus probabiliores: fortè manifeſtas & certas: ſed hoc non urgeo; non enim ad me judicium, ſed ad candidum Lectorem ſpectat.] Ergo ad Biblia & Literas divinas veniamus.

LXXVI. *Quid particula fortè ſignificet in ſacra pagina.* Sunt multa loca in ſacra Pagina, in quibus utitur Deus hac particula *fortè*: Dabo unum vel alterum, quia reliqua ſimilia ſunt. Ezechielis 3. *Hæc dicit Dominus Deus, ſi fortè audiant & quieſcant* (quid ſi *adquieſcant?*) & Pſalm. 54. 13. *Si is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo*, quæ verba de Chriſto Domino ſolent intelligi. [Iſidorus Clarius Bricianus Monachus Caſſinas & Epiſcopus Fulginatenſis delet illud *forſitan*, quaſi errore exſcriptorum irrepſerit.] Et Pſalm. 90. 12. *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quæ verba de Chriſto intellexit diabolus Matth. 4. & Luc. 4. alii de

Digitized by Google

juſto univerſaliter intelligunt, & de quocunque intelligantur, verba Dei ſunt. Sed quo ſunt modo intelligenda hæc teſtimonia? PRIMA SENTENTIA ſequitur Iſidorum Clarium & particulam dubitantis expungit, ſed hoc temerè fieri non debet, ſunt enim multa ſcripturæ loca, in quibus debet retineri hæc particula ex Manuſcriptorum conſenſu. SECUNDA docet ſic locutum Deum fuiſſe, ut ſe nobis accommodaret, ſic enim nos loqui ſolemus. Hanc tuetur Ariaga *tract. de ſcientia Dei diſput.* 21. *ſec.* 2. *num.* 7. illamque Hieronymo & Auguſtino adſcribit. At mihi placet TERTIA, quæ eſt Hieronymi Laureti Monſerratenſis Monachi, & apud S. Felicem Abbatis, qui in ſylvâ allegoriarum ſic inquit, FORTÈ *adverbium dubitantis, præcipuè de futuro: quod, cùm dicitur de Deo, non dicitur, quia ipſe dubitet, ſed quia per hoc liberum hominis arbitrium indicatur*; ubi doctiſſimè Lauretus revelationem ipſam ab objecto revelationis diſtinguit, illamque eſſe certiſſimam & infallibilem aſſerit, iſtud incertum & indeterminatum; adeoque præcipit, ut illud *fortè* non Deum, ſed creaturam afficiat, nec de cognitione divinâ ſed de objecto illius intelligatur. Hoc ſufficeret, ut objectionibus omnibus expeditiſſimè reſponderemus, ſed ut meus Lector videat, quam longè abſunt à me fulmina, quæ ex ſacra pagina diduci poſſunt, eruditionis gratiâ, theoremata nonnulla ſubjicio, contra quæ libenter videbo quid ex ſacris Literis objici poſſit.

In ſacra pagina nihil temerè mutari debet.

Deus ſe nobis attemperat.

Particula illa ſignificat libertatem humanam.

Incertum certiſſimæ cognitionis objectū.

LXXVII. *Scientia media.*

PRIMUM ſit. *Non datur ſcientia media.* Nempe illa, quam PP. Jeſuitæ tuentur, ſcientiam enim conditionatorum, quæ ab abſolutis neceſſariò inferuntur, non negamus.

SECUNDUM. *Non dantur phyſicæ prædeterminationes*; nam neceſſitantes tollere libertatem videntur: & infallibilitantes, aut ſunt impoſſibiles, aut ſuperfluæ.

Phyſica præmotiones.

TERTIUM. *Non dantur decreta in Deo conditionalia, quæ actus hominum liberos prædefiniant, qualia ponuntur à Thomiſtis.*

Decreta conditionata.

QUARTUM. *Futura libera conditionata, nempe illa, quæ ab alio futuro abſoluto non inferuntur infallibiliter aut neceſſariò, nec habent determinatam veritatem, nec falſitatem.*

Futura conditionata incerta.

QUINTUM. *Futura conditionata imperata, quæ ab alio futuro abſoluto neceſſariò aut infallibiliter oriuntur, habent determinatam veritatem; nimirùm in futuro abſoluto, ita ut iſtud cognoſcens, illa non poſſit ignorare.*

Futura conditionata certa.

SEXTUM. *Ad hanc ultimam claſſem pertinent futura omnia conditionata, quæ in ſcriptura ſacra revelantur, adeoque divinæ illæ revelationes tam formaliter quàm objectivè ſumptæ, habent certitudinem & infallibilitatem veram realem, in omni rigore metaphyſico.* Et quidem hæc Theoremata nullo alio meliore modo propugnare poterimus, quàm diſſolvendo, ſingulas objectiones quæ poſſunt contra noſtram doctrinam adduci.

Futura conditionata revelata.

LXXVIII. *Obiectio prima.*

PRIMA OBIECTIO ex 1. Reg. 23. deſumitur; ibi enim anxius & perturbatus David Deum conſulit, inquiritque, An ſi maneat Ceilæ, superventurus ſit Saul, ut capiat eum? An ſi ille ſuperveniat, ſit à Ceilitis prodendus & tradendus? & utrique conſultationi Deus aſſertivè reſpondet. Igitur hæ duæ propoſitiones: *Si David maneat Ceilæ, veniet Saul: ſi ſuperveniat Saul, tradetur à Ceilitis David*, fuerunt determinatæ veræ; aliàs enim erraviſſet Deus qui

De Ceilitis.

Digitized by Google

Phyſicæ præmotiones.

An in Deo detur ſciẽtia conjecturalis?

qui eſſe veras aſſeruit. Corruit ergo doctrina, quæ illis determinationem negat, & eſſe indeterminatas affirmat. Voluerunt aliqui Thomiſtæ hoc teſtimonium intelligere de ſcientia conjecturali; ita, ut Deus non certò & infallibiliter, ſed ſolummodò conjecturaliter illas propoſitiones cognoverit & prædixerit: Sed hæc expoſitio duplicem ſenſum adhuc poteſt habere; nam vel dicitur ſcientia Dei formaliter eſſe incerta & conjecturalis, vel formaliter eſſe infallibilis, cognoſcens tamen obiectum conjecturale prout in ſe eſt. Qui primum diceret, Deo eſſet injurius, & contra lumen naturale peccaret in Theologia, ſed deberet exponere, An revera illa prædictio divina, ſi manſiſſet David Ceilæ, potuiſſet conſiſtere cum non deſcenſu Saulis, vel cum non traditione Ceilitarum? Dico igitur ſcientiam Dei in illa prædicatione fuiſſe infallibilem, de obiecto infallibili, nec tamen contra noſtram doctrinam militare. Sciebat Deus Saulem habere iſtam voluntatem de facto, quod ſi David veniret Ceilam, aut ad aliam ſimilem civitatem, eſſet iturus illùc & intercepturus illum; & videbat Deus Saulem multis diebus ſequentibus continuaturum iſtum actum, & hoc ſcientiâ viſionis, ſciebat etiam Ceilitas decreviſſe de facto, tradere Davidem Sauli, ſi illum in poteſtate haberent, & hic eum peteret; & ſtantibus iſtis duobus decretis actualibus, (altero Saulis, altero Ceilitarum) quæ Deus ſcientiâ viſionis cognoſcebat, evidenter & infallibiliter videbat Deus, Saulem deſcenſurum in Ceilam, ſi ibi manſiſſet David; & Ceilitas tradituros illum, ſi Saul deſcenderet. Hæc doctrina mihi videtur valdè clara; illamque dilucidabo notiſſimo & clariſſimo exemplo. Interdicit Cæſar verbi gratia ſub pœnâ capitis ingreſſum in urbem Pragenſem; & revelat mihi Deus hoc decretum non eſſe revocandum menſe integro, nulli ignoſcendum eſſe, adeoque quemcumque, qui auſus fuerit ingredi, ſtatim trucidatum iri; quæ omnia ſunt futura abſoluta, nec ab ulla conditione pendentia. Quid ergo vetat, quod ego hac notitia præventus ſubinferam, *Ergo ſi Petrus cras ingrediatur Pragam, trucidabitur?* Sanè iſta propoſitio erit conditionata contingens & libera; & tamen infallibilis & certa, & ex futuris abſolutis per neceſſariam conſequentiam illata: Potuit ergo infallibiliter Deus cognoſcere illas duas conditionales infallibiles, quin uteretur ſcientiâ mediâ, aut conditionalibus decretis, ſufficiebat enim decreta humana abſoluta ſufficienti tempore eſſe manſura, & à Deo ſcientia viſionis ea cognoſci.

Decreta conditionata.

Futura conditionata incerta.

Futura conditionata certa.

Futura conditionata illata.

LXXVIII. *Obiectio prima.*

De Ceilitis.

Hæc doctrina adhuc exponitur & dilucidatur.

LXXIX. *Obiectio ſecunda.*

OBIICIUNT ALII ex 3. Reg. 31. verba dicentis Dei, *Non ingrediemini ad mulieres alienigenas, certiſſimè enim avertent corda veſtra*, ubi notari volunt illud *certiſſimè*, ne aliquis antiquus Thomiſta, velit intelligere *forſitan*. Sed hæc inſtantia contra nos non militat, qui non ad conjecturas, ſed ad infallibilitatem divinas prædictiones reducimus: hîc tamen re bene conſideratâ non putaremus malè expoſiturum hæc verba, qui reponeret; *Ne ingrediamini ad mulieres ethnicas & idololatras, eſt enim res plena periculo* (&, ſi vis *moraliter infallibile*) *quod decipient vos*, quâ ſemel expoſitione poſitâ, prædictio divina eſſet formaliter & objectivè infallibilis,

Digitized by Google

bilis, hac tamen differentiâ, quòd infallibilitas formalis, quæ ſe tenet ex parte Dei, eſſet realis; & infallibilitas, quæ ſe tenet ex parte objecti & creaturarum, eſſet moralis, & ipſi obiecto proportionata: Et quidem ego exiſtimarem hanc expoſitionem ſufficere; Quòd ſi aliquis maiorem adhuc poſtulet ſecuritatem in obiecto, non Dei iſte, ſed creaturarum cauſam aget; quia ſi iſta propoſitio *Omnis, qui ingrediatur ad alienigenas, avertetur*, eſt moraliter certa, erraret procul dubio Deus, ſi vel cognoſceret eam infallibilitatem habere, quam non habet, & eam non habere infallibilitatem, quam habet. Cæterùm, ſi velimus aſſerere illam propoſitionem objectivè ſumptam eſſe metaphyſicè certam, fortè excedemus limites humanæ conditionis; hodiè enim non eſt metaphyſicè certum, *Omnem hominem, qui ducit hereticam; avertendum à Catholica fide*; nihilominùs, ut videant adverſarii nos obiectionibus iſtis non urgeri, adhuc oſtendemus ex futuris abſolutis humanis poſſe infallibiliter oriri iſtam realem & metaphyſicam certitudinem conditionatam; nam, ſi ponatur ex parte Hebræorum voluntas abſoluta concedendi uxoribus, quod primum petant, & ex parte Ethnicarum voluntas abſoluta petendi idololatriæ propagationem, per conſequentiam realiter infallibilem inferetur Hebræorum corda avertenda, ſi ad idololatras viri ingrediantur. Ergo clariſſimè vides, quàm inutilis ſit ſcientia media divina! quàm inutilia decreta divina conditionata! quàm inutiles phyſicæ prædeterminationes!

Infallibilitas duplex: realis, & moralis.

LXXX. *Objectio tertia.* OBIICIUNT ALII ex 4. Reg. 2. illa verba: *Rem difficilem poſtulaſti, attamen ſi videris me quando tollar à te, erit tibi quod poſtulaſti: ſi autem non videris, non erit.* Hoc teſtimonio utitur Rodericus Ariaga *tract. de ſcientia Dei, diſput. 21. ſect. 2. num. 8.* Sed non video quid eo poſſit probare; quoniam hîc non agit de libertate humanâ, ſed divinâ, cuius decreta intuitivè cognoſcit Deus cum cognoſcit ſeipſum.

LXXXI. *Objectio quarta. De Babylone, Corozaima, & Bathſayda* FORTIÙS ALII objiciunt Ezechielis 3. *Si ad illos mittereris, illi audirent*, & ex Luc. 10. & Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bathſayda; quia, ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Sed his teſtimoniis non urgeor; Babylones enim (ipſi ſunt populus profundi ſermonis & ignotæ linguæ, de quo agit Ezechiel) habebant piam affectionem erga miracula & prophetias, qualem etiam habuerunt Tyrus & Sidon: & ſtante illorum decreto, quod vellent habere religionem, quæ confirmaretur prophetiis aut miraculis, neceſſariò ſequebatur per conſequentiam realiter infallibilem illos, ſi prophetiam audiviſſent, iſtos ſi vidiſſent prodigia, fuiſſe ad Deum convertendos. Et quidem pios eorumdem affectus, & deſiderium inquirendi veritatem per prophetias & miracula cognoſcebat viſionis ſcientiâ Deus, nec indigebat ſcientiâ mediâ.

LXXXII. *Objectio quinta.* TANDEM OBIICIUNT ALII illud Sapientiæ 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ipſius*: quod etiam neminem movere poterit, nam & hodie ſcimus humanitùs ſtante Petri & Pauli aliquo decreto multa eventura eſſe, ſi tales aut tales circumſtantiæ ponantur; poſſumus ergo dicere, ſive ille locus intelligatur de Enoch, ſive de quocumque alio juſto, ſæpè contingere quod

Digitized by Google

quod ſcientiâ ſuâ viſionis Deus cognoſcat aliquod decretum humanæ libertatis perſeveraturum v. g. per duos dies & reſpecturum objecta ſecundùm ſe indifferentia, quæ prima die ſint bona extrinſecùs propter adjacentes aliquas circumſtantias, poſtridie mala propter aliquas ſubſtantias ſupervenientes: poterit ergo Deus intacto hominis libero arbitrio illas ſecundas circumſtantias impedire aut etiam hominem eripere è loco, in quem illæ concurrent, neque ad hoc egebit ſcientiâ mediâ. *Res tota illuſtratur exemplo.* Et ut clariùs hoc ipſum innoteſcat, ſit craſtina dies jejunio colenda Madriti, non Compluti: ſit Madriti Albericus, & nihil de jejunio cogitans ſtatuat apud ſe voluntate efficaci, ſe cœnaturũ totâ hebdomade; maneat hoc Decretum etiam totâ: ergo hodie cœnando Petrus non peccabit, & cras ſi cœnet Madriti peccabit. Quid vetat ergo, quod vel Deus faciat, quod in mentẽ eius non veniat diem craſtinam eſſe jejunij, aut etiam ad alicuius amici inſtãtiam, aut etiam tactus divinitùs (& ſi velis, non ſolùm prædeterminatus, ſed & neceſſitatus) transferatur Complutum, antequam legem cognoſcat, quã violaturus erat infallibiliter, ſi manſiſſet Madriti? Sanè in hoc caſu eſſent veræ illæ duæ propoſitiones. Prima, *Si manſiſſet Madriti, cœnaſſet & conſequenter peccaſſet.* Secunda. *Raptus eſt.* (motu nimirum libero, vel neceſſario; nam quoad hoc alterutrum perinde eſt) *& trãſlatus eſt Madrito Complutum, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.*

THESIS VII.

De Omnipotentiâ.

LXXXIII. *Quæſtio illa, quæ interrogat, An Deus poſſit infinitum producere; nimirùm in genere ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, &c. An poſſit ſummum angelum? An poſſit infimum? An quantitatem in omnes ſuas partes diſſolvere? & ſexcenta alia, quæ videntur agere de potentiâ divinâ, non ſunt Theologica, ſed meræ philoſophica, & quæ ſolas creaturas concernant. Conveniunt enim, qui aſſerunt, & qui negant, in re Theologicâ, conceduntque produci divinitùs poſſe, quidquid contradictionem non implicat; & ſolùm quærunt, An hæc vel illa creatura contradictionem implicet, vel non implicet?* *Quid ſit omnipotentia?*

LXXXIV. Ut omnipotentiæ objectũ cognoſcatur, ſemper recurritur ad nonrepugnantiam: & ut prudentia Scholaſtica innoteſcat, ſemper recurritur ad parcitatem, & videntur ſibi opponi *Axiomata, quæ videntur opponi.* hæc principia, Alterum, *Concedendum eſt poſſe à Deo, fieri, quidquid contradictionem non involvit*: alterum, *Non ſunt concedenda nova entia ſine neceſſitate.* Nam, ſi agamus de repugnantiâ probabili in primo principio, agemus de neceſſitate etiam probabili in ſecundo: & tamẽ evidens eſt quòd repugnat dari neceſſitatem probabilem: nam nihil probabile neceſſitat, & ideò neceſſitas probabilis nihil eſſet aliud quàm *neceſſitas* *Probabilis neceſſitas.*

non

non neceſſitans, quam nemo admittet. Quod, ſi utrobique agatur in ſenſu evidenti (nimirùm de neceſſitate & repugnantiâ manifeſtis) eſſet dicendus Deus infinita producere poſſe, & non poſſe. Poſſe, quia non datur repugnantia evidens: non poſſe, quia ubi non datur repugnantia evidens, non ſtatim datur neceſſitas evidens. non enim eſt bona conſequentia, *Non repugnat evidenter, ergo eſt neceſſarium evidenter*. Reſtat ergo ſic efferendum hoc principiũ, *Concedendum eſt, à Deo poſſe omnia fieri quæ dicunt non-repugnantiam evidentem; hoc eſt, illa omnia, contra quæ ne quidẽ probabilis occurrit repugnantia*. Et ſi hoc admitteretur, multum contraheretur Sphæra Divinæ activitatis. Ergo libenter audirem viros aliter objectum omnipotentiæ deſignantes, exponenteſque, An illa *non-repugnantia*, quam imbibit, futura ſit evidens, aut tantum probabilis?

THESIS VIII.

De Concurſu Divino.

An detur concurſus ſimultaneus?

LXXXV. *Concurſus duplex: prævius & ſimultaneus.*

DUplicem cognoſcunt Thomiſtæ; prævium, & ſimultaneum; illum reÿciunt Scotiſtæ, illum Moliniſtæ, illum alij. Simultaneum omnes Theologorum ſcholæ, quæ hodiè florent, mirabili conſenſu admittunt; & cur debeant, non capio. Certum eſt enim non eſſe multiplicandas entitates ſine neceſſitate, nec neceſſitatem hic experior, quoniam ſine illo concurſu multa expediuntur facillimè quæ cum illo vix intelligi poſſunt. Vnde potiùs dicerem dari neceſſitatem negandi illum concurſum, quàm adſtruendi: Concurſus enim ad materiale peccati, quomodocumque exponatur eſt difficilis; nec videtur, cur non ſit cauſa peccati Deus, ſi eſt cauſa totius materiæ, quæ dicitur eſſe peccatum. Vt igitur experiamur quid contrà magna ingenia poſſint, has concluſiones ſpecialiter defendendas proponimus.

An Deus ſit author peccati?

Concurſus ad actus neceſſarios:

Prima, *De actibus neceſſarÿs (ſive hominum illi ſint ſive brutorum, aut quarumcumque aliarum ſubſtantiarum) non ſumus ſolliciti, nec vociferabimur, ſi illis aliquis concurſum ſimultaneum affingat.*

Ad ſupernaturales.

Secunda, *De actionibus habituum ſupernaturalium non ſumus ſolliciti, etiamſi ad illas dicatur Deus concurſu ſimultaneo concurrere; poſſumus enim dicere eſſe actiones imperatas à voluntate, ac proptereà non in ſe, ſed in ſuâ cauſâ liberas.*

Concurſus moralis:

Tertia, *De concurſu morali non ſumus ſoliciti, nam ad multa concurrere ſolemus moraliter, ad quæ phyſicè non poſſemus, aut non vellemus.*

De motu projectorum.

Mediatus.

Quarta, *De concurſu mediato non ſumus ſoliciti. Nam ſi eo ſenſu quo dicitur motus projectorum eſſe generantis, quia qui dat formam, cenſetur*

Digitized by Google

tur dare conſequentia ad formam, dicatur Deus ad actiones liberas voluntatis concurrere, hoc eſt, dediſſe voluntatem, quæ concurrit immediatè: concurſum ſimultaneum non negamus. Quem mediatum concurſum, ſi prævium dixeris, de nomine non diſputabo.

immediatus ad actus liberos, purè naturales.

QUINTA, *Tota difficultatum machina ad actiones purè naturales, quæ ſunt libertatis humanæ aut angelicæ imperantis alijs potentijs ſeu habitibus naturalibus vel ſupernaturalibus, devoluta, non videtur concurſum ſimultaneum exigere. Quod hoc brevi ratiocinio perſuadeo. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; nulla urget, ut ſimultaneum concurſum admittamus: poterit ergo non admitti. Probatur minor. Non enim datur ratio naturalis, quæ ejuſmodi concurſum poſtulet: non datur revelatio divina, quæ illum credi præcipiat (vel qui aliter ſentias, produc vel textum Sacræ Paginæ, vel Concilij Canonem, qui hunc concurſum definiat) dantur rationes poſitivæ, quæ hunc concurſum excludant; datur authoritas magnorum hominum, qui ſufficiunt ut faciant opinionem probabilem: non ergo tenebimur ejuſmodi concurſum admittere, ſed poterimus mirabili compendio & ſuavitate dicere, Deum ad actus bonos ſupernaturales cooperatione ſimultaneâ concurrere, ad malos & peccaminoſos nullo modo concurrere: & hoc, quinque iſtis concluſionibus, quæ Durandi doctrinam attemperant & remittunt, ſtando.* *Ratio generalis.*

LXXXVI. *An concurſus ſimultaneus negari poſſit ſalvâ fide?*

SEmel, iterumque vidi hîc Pragæ cõcurſum ſimultaneum defendi; & cũ eum oppugnarem, Præſes teſtatus eſt multa poſſe expeditiùs & faciliùs ſalvari, negato nimirùm hoc concurſu, ſi poſſet ſalvâ fide negari: quam ob rem concluſit, non ſe ratione aliquâ, ſed religione merâ induci, ut illum admitteret. Poſtulavi, ut è Bibliorum textu, aut Conciliorum Canonibus periodũ produceret, quæ in ſpecie diceret, *Deum concurrere, non moraliter, ſed phyſicè; & hoc concurſu immediato & ſimultaneo (hoc eſt, non ſolùm dando prævium adjutorium, ſed etiam cooperando) non ſolùm ad terminos actionum, aut etiam ad actiones ſupernaturalium habituum, ſed etiam ad ipſas actiones liberas voluntatis alijs potentijs imperantis.* Et quidem multa poſtulavi, & quæ reperiri non poterunt; videlicet in textu evidenti; nam doctrina, quæ de fide evidenter non eſt, probabiliter ut minimum non eſt de fide. Produxerunt illud, *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis.* Sed ubi quæſo dicit *operatus eſt phyſicè?* Annon poſſet aliquis dicere actiones neceſſarias cauſarum ſecundarum Deum operari phyſicè, & liberas ſolùm moraliter. Sed concedamus textum intelligi in ſenſu phyſico: ſed ubi dicit *operationes?* Quid enim vetat, ut *Operum* nomine intelligamus operationũ ipſos terminos, quos à Deo conſervari non negamus? & ſi condonemus *Operum* nomine non opera ipſa, ſed operationes intelligi, ubi obſecro, dicit *operationes naturales?* poſſet enim aliquis adhuc textum intelligere de operationibus ſupernaturalibus. Et ut liberaliores ſimus, concedamus adhuc & condonemus hoc, Dixerit Propheta, *omnes operationes noſtras naturales liberas, omnes volitiones noſtras operatus eſt in nobis, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè:*

Nota ſingula bene.

An omnia in nobis faciat Deus: & quo id ſenſu?

Quid opus propriè?

adhuc non urgebor; quia adhuc poſſet intelligi de concurſu prævio & mediato juxta concluſionem quartam. Stat ergo hanc eſſe materiam merè Theologicam, & quæ fidem non tangit.

LXXXVII. Intererat P. Eduardus Tirellus S. Theologiæ Profeſſor, & magni ingenij Vir, vociferabaturque neſcio cujus Concilij verba eſſe clara, quæ tamen non fuerunt producta. Poſt paucas hebdomades defendebantur ab alio eædem Theſes, & debebat præſidere Tirellus, & contigit quod etiam eadẽ doctrina impugnaretur; & cùm argumentator rationem peteret vel authoritatem; ſe cogi ut aſſerat hunc concurſum, inquit Tirellus, non teſtimonio aliquo S. Scripturæ, ſed ratione naturali tantummodò; & ad eſſentialem dependentiam, quæ clauditur in conceptu creaturę recurrit. Ex quibus Ego formo hoc argumentum, ut me juvem & dirigam. [Fuit Tirellus magni ſtudij & ingenij Vir, & ipſe præſens, quãdo concurſus ille ex ſacræ ſcripturæ teſtimonijs defendebatur: ipſe tunc clariſſima pollicebatur teſtimonia, quæ nõ dedit: & tamen cùm res ſua agebatur, non eſt auſus hanc viam ingredi, ſed teſtatus ſe non moveri teſtimoniis, ad rationes confugit: ergo obſervaverat hanc propoſitionem, *Concurſus ſimultaneus eſt de fide*, probabiliter non poſſe defendi: At Ego non habeo motivũ, quo caruerit ille; Ergo debebo eandem opinionem tenere.]

Qualis fuerit Tirellus.

LXXXVIII. *Circulus & petitio principij.* Poſito, quod de fide non ſit ille concurſus, rationes omnes difflabo: nam in ipſis lepidiſſimus committitur circulus. Si dicitis, *Ideò Deus debet concurrere, quia creatura non poteſt operari ſine divino concurſu:* idem per idem dicitis aut probatis. Si dicitis, *Creatura eſt eſſentialiter dependens tam in eſſendo, quàm in operando*, aſſumitis idem quod quæritur. Et ſemper eamdem orbitam teritis, circulum agitis, & *chordam pulſatis eamdem*. Ergo unicè examinandum, *An de fide doctrina illa ſit, quam hæ Theſes oppugnant*: ſi enim Fidei articulus ſit [quod tamen nõ dicit Durandus, Dola, Lalemandetius, Pariſienſes hodie, Salmanticenſes illi, qui Cathedram Durandi inſt tuerunt, & cum illis omnes aut fere docti, qui volunt ſincerè diſcurrere:] triumphare debet, & contraria atteri, nec ampliùs in libris aut ſcholis permitti. Quod ſi in hac materiâ nihil ſit revelatum divinitùs, ſtabitur rationi humanæ: at hæc dictat tã multa abſurda ex illo concurſu ſimultaneo deduci, ut nequeat prudenter admitti. *Objiciunt* Durandiſtæ Deum concurrere ad formale peccati, Hominem libertate carere: *reſpondent* alij, ita tamen ut ſibi ſatisfacere nequeant: ſaltem mihi non poſſint. Ponerem rationes, & etiam reſponſiones illorum. Sed cur illas? non hîc pungit me ſcrupulus. Doceri volo, *An in Durandi doctrinâ, ſit aliquid evidenter hæreticum?* Multi enim negant hodie, quæ alij putant probabiliter eſſe de fide; non enim humanus intellectus probabilitate ligatur. Quod ſi ſemel mihi concedatur, poſſe hanc doctrinam ſalvâ fide defendi, in rationum conflictu ſine formidine aggrediar qualeſcumque Gigantes.

Quid faciendum ſit opinionibus oppoſitis Fidei?

Durandiſtarum objectiones.

Argumentabor primò ſic. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: at nulla urget nos, ut ſimultaneum concurſum concedamus: igitur non eſt cõcedendus. Probabo non aliter minorem, quàm illam rationem urgentem poſtulando: iam enim multis annis Theologiam docui, nec unquam inveni LXXXIX. *Ratio generalis.*

veni

veni aut legi rationem, quam gràvem judicarem.

Quæ opinio inter probabiles eligi debeat?

Secundò ſic. E duabus opinionibus, quæ ſecundum ſe conſideratæ judicentur probabiles, illa præ eligi debet, quę aperit viam ut clariùs & expeditiùs cōtroverſias alias intelligamus. Sed ex iſtis duabus opinionibus, quarum prior docet *Dari concurſum ſimultaneum*, & *Non dari* poſterior, modò nihil habeat contra fidem hæc poſterior, ſtando rationi nudæ non ſolùm eſt probabilis, aut probabilior, ſed Durandi & aliorum teſtimonio certa: & tamen dilucidat implicatiſſimas & obſcuriſſimas difficultates, quas vix aut ne vix quidem aliùs ſententiæ Authores poſſunt intelligere aut defendere. Eſt ergo eligenda ſententia poſterior. Vltima minoris pars oſtenditur. Quia ratio formalis virtutis, peccati, libertatis, male intelligitur poſito ſimultaneo concurſu: quæ tamen eſt clariſſima illo ſublato.

Quomodo loquendum ſit de Deo?

Tertiò ſic. De Deo dicendum illud eſt quod eſt grandius & excellentius: nam ſapientiâ ſummâ mundum condidit, & immenſâ gubernat: At concurſus ſimultaneus magnam ſapientiam non requirit; & ſummam infert ejuſdem concurſûs carentia: non ergo datur ſimultaneus concurſus. Minor hoc exemplo illuſtratur.

Exemplum aptiſſimũ.

[Sum Urbis Prætor, & deſidero duas turres optimis automatis exornari: & duos Artifices (Franciſcum & Joannem) accerſo, & oro ut omni arte & induſtriâ allaborent, ut Automata forment excellentiſſima, & præter millenos aureos (tanti ponitur fuiſſe facta conventio) adhuc alios mille polliceor illi, qui ingenioſiorem & nobiliorem machinam elimârit. Franciſcus magno rotarum apparatu turrim priorem onerat, & ſtatis temporibus noctis & diei viciſſitudines, Lunæ motus, & omnia Luminarium deliquia accuratè exprimit; indice & campanâ horas diſtinguit, & Muſicam multiplicem addit, & ſuppoſito pondere totam hanc machinam abſens & diſtans à pondere moveri permittit. Ioannes nullam rotam elimat, nullis ponderibus utitur, ſed concurſu ſimultaneo horologium dirigit & gubernat: turrim enim ſcandit, retrò tabulam ſedet, & manu movet indices, & tempore quo vult campanam manu quatit, & horas diſtinguit. Te eligo in Iudicem; te in Arbitrum: & interrogo, Uter alterum ingenio vicerit? Uter horologium dignius & melius efformaverit? Aut ſummoperè fallor, aut pretiũ præmiumque deberi Franciſco arbitraberis: dicesque Joannem non iam minus ingenium oſtendiſſe ſed nullum; nec pretium cōventionis mereri. Hoc eſt Iudicium tuum, & me judice bonũ: quo tamen inſtructus poteris theologizare convenientiùs & digniùs.

Applicatur exemplũ.

Mundus eſt magnum Horologium; Deus eſt artifex; & ſi Durando credimus, Franciſco ſimilis, adeoque humanarũ potentiarum rotas appetituum ponderibus promovet nullo ſimultaneo concurſu: ſed, ſi cæteris credimus, Deus Joanni ſimilis, Mundo non jam quà immenſus, ſed quà rector adeſt, & concurſu ſuo ſimultaneo omnes cauſas cōmovet, & omnia cooperatur in ſingulis. Ergo quantam laudem Ioanni, tantam Deo cōcederes, ſi in Deo non maiorem ſcientiæ manifeſtationem fuiſſe, quàm in Ioanne ſentires. Ergo ut de Deo dignè loquamur & ſentiamus, debemus eius omnipotentiam & providentiam concipere qualem in Franciſco concepimus: nimirùm ſervatâ analogiâ, quæ eſſe debet inter infinitum

Digitized by Google

finitumque, de quo non agimus, ſed tantùm de neceſſitate illius ſimultanei concurſus.

An actio, paſſio, & fieri à ſuis fundamẽtis diſtinguantur?

Quartò ſic. Sunt multi, qui actiones & paſſiones diſtinctas ab extremis negant; quorum doctrina plurimis ſummè placet, & hodie in excellentiſſimis ſcholis defenditur. Si igitur inter voluntatem & eiuſdem actum nulla actio mediat, nulla erit quæ dependeat à Deo. *Prætereà.* Si actio creaturæ non eſt aliquid realiter aut modaliter interjectum, neq; actio Dei erit aliquis modus aut realitas diſtincta à termino. Ergo ſtando huic doctrinæ, non poterimus non ſtare fundamentis Durandi. Vel dicito, qui poteſt affirmari cooperatio realis aut modalis, ubi non datur realis aut modalis operatio? Hoc ipſum alibi pleniùs & uberiùs explico; nunc breviſſimè expedio; non enim in toto hoc libro mihi animus exponendi meam mentem, ſed alienas explorandi & rimandi.

THESIS IX.

De Conſervatione.

XC. *An omnis entitas naturaliter eſſe deſideret?*

Omne Ens deſiderat conſervare ſuum eſſe, inquiunt Philoſophi: ſed non probant: & nos contrà id non poſſe probari propugnabimus, parati reſpondere cuicumque. Sed quid de conſervatione ſentimus? Omne ens creatum appetitu innato tendere in ſui non-eſſe. Hinc eſt qualitates omnes & omnes illas realitates, quæ gradus habent, paulatim ſeneſcere & remitti, nullo urgente adverſario: illas accidentarias eſſentias, quæ conſiſtunt in motu, in quietem, hoc eſt, in non-eſſe, procurrere. Rarefacta ad condenſationem feſtinare; ut vel ſic conſtet, omnia aut ferè accidentia merâ ſenectute deficere, appetitu & vi intrinſecâ ex eſſe ad non eſſe impellente. (*Seneſcunt omnia.*) *Hinc argumentum ad ſubſtantiam deducitur: nam ſi forma ſubſtantialis gradus habet, eodem modo, quo accidentia (analogiâ nempe ſervatâ) demoritur; Si autem gradus non habet, conſiſtet in indiviſibili, & tunc tandem peribit, cùm productivæ diſpoſitiones ad ſuam conſervationem neceſſariæ.* (*An ſubſtãtialis forma gradus habeat?*) *Sed quid dicemus de Materia prima: quo nomine intelligi volo primum ſubjectum, quodcumque illud ſit? An appetitu illud innato in mortem tendit? Et ſi tendit; Cur non perit in ſingulis inſtantibus, ſiquidem conſiſtit in indiviſibili? Poſſet quis dicere ſuis Materiam-primam meritis non-niſi unico inſtanti duraturam, at quia ſingulis inſtantibus à Deo producitur (conſervatio enim eſt continua creatio) poſſe pluribus exiſtere & perſeverare.* (*An materia prima inſtantibus ſingulis reproducatur?*)

XCI. *Hebræorũ antiquorum doctrina.*

Ex dictis lucem habere poteſt Rabbinorum veterum opinio, quam faciliùs falſam dixeris, quàm falſam probaveris. Dicunt enim creaturas unico inſtanti durare, & quæ videntur durare pluribus, pluries reproduci.

Acci-

Accidentia eſſe ſingulis inſtãtibus nova; & à prioribus diverſa. Quæ omnia nos cum aliquâ limitatione admittimus, ut conſtat ex Theſeos contextu.

Diſcrimen ſubſtantiæ & accidẽtis.

Volui aliquando in hoc ſubſtantiam ab accidente diſtingui, quòd illa appetat *eſſe*, hoc *non-eſſe*: quâ doctrinâ præmiſsâ meliùs videbantur intelligi Definitiones, quæ à Philoſophis circumferuntur: videlicet, SUBSTANTIA *eſt ens per ſe: eſt exiſtens per ſe.* ACCIDENS *eſt entis; eſt ens non exiſtens per ſe.* Sed, ſi ideò accidens in *non eſſe* tendit, quia eſt forma, omnes etiam formæ ſubſtantiales tendent in nihilum: & ſi ideò ad *non eſſe* feſtinat, quia eſt creatura & finitâ perfectione præditum, etiam tendent in nihilum non ſolùm formæ ſubſtantiales, ſed ipſamet materia prima.

Lovanij in Diſputationibus pro Doctorali Laureâ ſic ſubſtantiam volui ab Accidentibus diſtingui: nempe quod Eſſentia divina & Accidens opponantur ex diametro: illa infinitè petat exiſtere quia eſt infinita; & hoc petat non exiſtere, finitè tamen, quia eſt finitum. Et inter hæc duo oppoſita extrema ſubſtantiam creatam collocavi, quæ nec petit *eſſe*, nec *non eſſe*. Unde concludebam, Accidentia ſeneſcere, remitti, & tandem deperire, nullo corrumpente contrario: at ſubſtantias niſi corrumpantur diviniùs, æternas eſſe. & ut hoc ultimum ſuaviùs poſſem defendere, addebam, præter Humanam, quæ eſt ſubſtantia, omnes omnium Plantarum & Animalium formas eſſe accidentarias: & in Hominum obitu nullam ſubſtantiam deperire entitativè, ſed Corpus & Animam, quæ nexu intimo erant conjuncta, ſeparari.

An ſubſtãtiæ ſint perpetuæ & æternæ?

Omnia corpora præter humanum carentne forma ſubſtantiali?

At re medullitus examinatâ ita hodie Creatorem à Creaturâ diſtinguo, ut dicam illum æternum & immutabilem, hanc temporaneam & mutabilem, hæc enim agentium externorum impetu aut creſcit aut minuitur: & ſibi derelicta nullo extrinſeco agente impellẽte, ſed naturæ ſuæ pondere tendit in nihilum, unde emerſit. tendit inquam per gradus, ſi illos habeat; & inſtantaneo motu, ſi illis careat. Quod ſi aliquæ entitates videantur perſiſtere, hoc debetur, non earumdem naturæ, ſed liberalitati Conditoris. Hinc Damaſceno Lux. *Angelus*, ait, *eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea: Deo miniſtrans: gratiâ & non naturâ immortalitatem ſuſcipiens: cuius ſubſtantiæ ſpeciem & terminum ſolus, qui creator eſt, novit.* Ita ille *libr. 2. cap. 3.* Mutabilitas, de quâ loquitur, eſt radix & appetitus tendendi in nihilum; unde ſupponens hanc eſſe bonam conſequentiam, *Eſt mutabilis, Ergo corruptibilis.* ait: *Natura Angelorum mutabilis eſt, quia ineſt illis mutabilitas in naturâ: ſed fecit eos incorruptos charitas ſempiterna.* Et iterum; *Angeli ſunt naturâ mutabiles conditi, ſed facti contemplatione immutabiles, animo impaſſibiles, mente rationales, ſtirpe æterni, & beatitudine perpetui.* Sicut de Angelo, ſic de rationali Animâ debebimus philoſophari: quod ratio evincit, & conceſſit antiquitas. Nam Apollo Myleſius conſultus, An Anima mortalis eſſet? reſpondit his verſibus:

Diſcrimen inter Deũ & creaturas.

An Angeli ſint immortales?

An etiam rationales animæ?

Ψυχὴ μὲν μέχρις, *&c.* hoc eſt:

Anima quidem quoad vinculis corporis tenetur,
Corruptibiles paſſiones ſentiens, mortalibus cedit doloribus,
Cùm verò humanam ſolutionem velociſſimam
Poſt corruptum corpus invenerit, omnis in æthera fertur
Nunquam ſeneſcens, & manet in æternum ſine pœnâ;

Primo-

Digitized by Google

Primogenita enim hoc divina diſpoſuit
Providentia.

ubi vides Animam ideò eſſe æternam, ideò non ſeneſcere, ideò non mori, quia ſic diſpoſuit providentia divina. Ergo niſi à Deo illa conſervaretur (hoc eſt, continua creatione produceretur: aut ſi ſic velis loqui, ſingulis inſtantibus recrearetur) ictu oculi ad *non-eſſe* rediret, & adnihilaretur.

NOTA.

XCII. *Controverſia curioſa.* Quæri hîc poteſt, *An-ne Anima rationalis recipiat magis & minus?*

Eam recipere magis & minus in paſſionibus & actibus, manifeſtum eſt: quod & Apollo Myleſius paulo antè confeſſus. In entitate poſſet, ſi eſſet diviſibilis: & hodie à magnis Theologis etiam Catholicis eſſe diviſibilis creditur, & propugnatur. *An anima ſit diviſibilis?* non enim debet ſpiritualitas & immortalitas cum indiviſibilitate confundi. fide enim conſtat immortalem eam eſſe, & ſpiritualem, & eamdem eſſe indiviſibilem non eſt de fide. Quam ob rem R. P. Andreas Caloerus S.I. Vir magnæ doctrinæ & ingenij, & hodie Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor, publicè dictavit, & ſæpè defendit Animæ diviſibilitatem, quam Æmuli propoſitionem, cùm fortiter oppugnare non poſſent, ad varias Vniverſitates transmiſerunt, & in nullâ condemnata fuit. Sed Ego puto Animam eſſe indiviſibilem, & ideò hæc non urgeo.

Varietas in homine unde ſit? Poſſet dici eam in radicatione recipere magis & minus, & ratione maioris aut minoris radicationis eſſe vegetam languidamque: & tandem in morte Hominis non deperire, ſed eradicari ſolummodò: Quam Ego doctrinam ſæpe propugnandam ſuſcepi, nec vidi qui contra aliquid obijcere poſſet, quod aliquâ ſolutione indigeret.

XCIII. *Lucretij Error.* Hinc placet examinare opinionem Lucretij, qui de rerum naturâ Lib. III. ab experientiâ & ſenſu argumenta deſumit, aitque.

Præterea gigni pariter cum corpore, & unà
Creſcere ſentimus, pariterq́ ſeneſcere mentem.
Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur
Corpore, ſic animi ſequitur ſententia tenvis
Inde ubi robuſtis adolevit viribus ætas,
Conſilium quoque maius, & auctior eſt animi vis.
Poſt ubi iam validis quaſſatum eſt viribus ævi
Corpus & obtuſis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque, menſque;
Omnia deficiunt, atque uno tempore deſunt.

Et infrà ex dictis concludit

Quapropter fateare neceſſe eſt, quæ fuit antè
Interiſſe, & quæ nunc eſt, nunc eſſe creatam.

Concedimus ergo Lucretio vires ingenij creſcere & decreſcere, & eiuſdem incrementa & decrementa corporis conſtitutionem & ætatem concernere: at negamus inde colligi poſſe ipſammet Animam entitativè augeri aut minui, negamus ex morte Hominis probari Animæ interitum: *Mors hominis interitum animæ non ſuadet.* Eadem enim Anima, cùm profundiùs radicatur, operatur intenſiùs: & cùm minus profundè, remiſſiùs. Et tandem cùm tota eradicatur, ſeparaturque, moritur Homo, non Anima; adhuc enim hæc in ſeparationis ſtatu vivit, & perſeverat.

Digitized by Google

verat. Nam, ut ait Ovidius Metamorph.15.

Morte carent animæ, &c.

& ut Propertius 4.7.

Sunt aliquid Manes. Lethum non omnia finit,
Luridaque evictos effugit umbra rogos.

HÆC SUNT.

Quæ ex Scholaſticâ Theologiâ præponenda eſſe cenſui, ut Deus gratiæ & bonorum omnium Author, & Cauſa prima meliùs cognoſceretur; puto enim radicitùs non poſſe cognoſci Morales ſcientias Scholaſticis ignoratis. Priores & poſteriores Theſes (illas de libero arbitrio, has de omniſcientiâ & omnipotentiâ) non expono defendendas, ſed examinandas ſubijcio; & oro, ut ſine vocum & injuriarum ſtrepitu (nam multi hodie furiunt, ſi conſulantur) me juvare dignentur, & oſtendere, cur debeant vel admitti, quæ nego; vel quæ admitto, negari. *Authoris votum.*

****

FVNDAMENTVM II.

De primâ Veritate, & primâ Veracitate.

DEus eſt infinitè ſapiens, eſt infinitè bonus. quia infinitê ſapiens, falli non poteſt: quia infinitè bonus, non poteſt fallere. Omnia ergo, quæ à Deo revelata, ſunt vera. Hæc eſt veritas, quam præter Chriſtianos, etiã Iudæi ac Mahometani admittunt; nam in hoc ſyllogiſmo; *Quidquid Deus revelavit, eſt verum: At revelavit Deus ſacramenta eſſe ſeptem: Ergo verum eſt eſſe ſeptem:* Lutherani & Calviniani negant conſequentiam, non quod de maiori dubitent, ſed quod minorem falſam teneant. xciv.

Sacramẽtorum numerus. *Cur differant à nobis Hæretici?*

xcv. *Humana veracitas quanta?* DEus eſt veritas prima, eſt veracitas prima: homo eſt mendacium, homo eſt mendax: & ſi quis fide dignus fidei divinæ compos eſt. Sed unde ſcio veritatem principem non poſſe falli, veracitatem principem non poſſe fallere? Si enim alterutrum demonſtrare non potero, tota mea doctrina vacillat. *Cur Deus falli non poſſit?* *Porrò non poſſe falli Deum,* Infinitas ipſa demonſtrat: ſapiens eſt, & quia nõ eſt finitè ſapiens, eſt ſapiens infinitè: ergo habet ſapientiam, quæ omnem ſcientiam exhaurit, quâ maior, quâ melior nec eſſe, nec concipi poteſt; habet igitur ſapientiam infallibilem: intellectus enim qui falli nequit, illo qui fallitur & decipitur, nobilior eſt. *Et Deum* non poſſe fallere demonſtrat veritas: qui enim alios decipit, bonus nõ eſt; & qui poteſt decipere & non decipit; eſt, quidem bonus, ſed eſſe malus poteſt: Ergo ſi Deus ita eſt bonus ut infici non poſſit malitiâ; ita erit verax, ut dicere mendacium non poſſit. Hanc rationem confirmat generalis diſcurſus, qui ad hos terminos reduci poteſt. *Cur nequeat fallere?*

Digitized by Google

Deus mentiri non poteſt. *Omnis perfectio realis, omnis moralis, imperfectione omni ſublatâ infinitè competit DEO. Sed eſſe fide dignum eſt prærogativa, eſt perfectio: & dedecus carere fide: Ergo Deus eſt infinitè fide dignus. Ergo Deus mentiri non poteſt*: nam ſi mentiri quidem poſſet, ſed nollet, non eſſet tam dignus fide, quàm ſi non poſſet.

FVNDAMENTVM III.

De Eccleſiæ Romanæ ſecuritate & infallibilitate.

XCVI. ECcleſia vera in ſubſtantialibus articulis errare non poteſt. Cum loquitur Eccleſia vera, DEus loquitur *ut quod*, & illa *ut quo*. Eccleſia Romana ſola eſt vera: Ergo ſola eſt infallibilis, & ſola verax. Eccleſia Lutherana, Calviniana, &c. (ſi Eccleſiæ vocari ipſæ poſſunt) non eſt vera. Igitur Romana in ſubſtantialibus Articulis errare non poteſt: illę poſſunt. Et, quia eidem, quæ errare non poteſt, contradicunt; illæ ſolent. Atqui omnia, quæ Iuſtificationem, Sacramenta, Gratiam & Gloriam concernunt ſunt ſubſtantialia: Ergo in his omnibus errare Eccleſia Romana non poteſt.

XCVII. *Eccleſiæ authoritas in Philoſophicis.* COnſultò diſtinguo ſubſtantiales articulos ab accidentalibus: nolo enim ingredi illam quæſtionem, quæ inquirit, *An ſi Eccleſia Romana aliquam controverſiam merè Philoſophicam, & quæ nec mores nec fidem concerneret, definiendam aſſumeret, habitura adhuc eſſet certam & infallibilem Spiritus-Sancti adſiſtentiã?* hanc alibi controverſiam examino, & exiſtimo propoſitiones merè Philoſophicas, aut non definiendas ab illã, aut infallibiliter definiendas: Nullus enim foret in Eccleſiæ definitionibus error, qui indirectè in fidei articulos non incideret, & ipſiſſimos ſuſpectos redderet. Deus, qui revelare ſubſtantiales propoſitiones voluit, accidentales potuit: imò & revelavit non-nullas, ſine quibus conſiſtere poſſet Eccleſia. Multa ſunt in ſacrâ ſcripturâ veteri & novâ ad melius; multa ad eruditionem; multa ad ſolamen; multa ad neceſſitatem; & tamen omnia ſunt æquè vera, æquè certa, æquè de fide: nam omnia revelata à Deo. *Deus multa, quæ ad meliùs, revelavit.*

COROLLARIVM.

XCVIII. *In unicam omnes controverſiæ coincidũt.* OMnes controverſiæ, quæ hodie in orbe Chriſtiano ventilantur, magno poſſunt Catholicorum bono ad unicã quæſtionem reduci. Demonſtratur: Nam ſi ſemel conſtet Eccleſiam veram errare non poſſe, & demonſtretur Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiam Romanam veram eſſe, ſtabit Eccleſiam Romanam nec falli nec fallere poſſe: quam ob rem omnes Heterodoxæ Controverſiæ ad iſtum Syllogiſmum reducentur: videlicet. *Quidquid Romana Eccleſia definivit, eſt verum: At illa hoc definivit: &c. Hoc ergo eſt verum.*

XCIX. Multa in unum congeſſi; quorum, ſi ſingula bene probentur, triumphabit in hoc libro Orthodoxa Religio, quæ in alijs, quos Viri doctiſſimi ſcripſerunt, etiam triumphat, & certiſſimis argumentis firmatur. Perſpicuitatem amo; & ideò ſub ipſum initium agam de Fidei & morum diſcretione.

Porro Romanæ Eccleſiæ Veritatem & Veracitatem, quam Fundamentum II. ſtatuit, clariſſimè demonſtrandas aſſumo: nec patiar, terrena cœleſtibus, & humana divinis commiſceri, diſtinctè enim diſcurro, & volo oculis diſcretiſſimis legi. Catholicorum aut etiam Acatholicorum mores Eccleſiaſticos & Sæculares, antiquos novos, uſus abuſuſque, diſtinguo à Religione & Fide; nec volo examinare, quid fieri ſoleat, ſed quid debeat. In quadam epiſtola Maurum alloquens Antonius de Gueuarâ, *Pono calamum* ait, *& oro Deũ, ut tuos mihi indulgeat mores, tibi meam fidem*: & meritò; contingit enim aliquando ut in bonâ religione nonnulli perditiſſimè vivant, & alij in malâ modeſtiſſimè. Hinc ſatisfit omnibus Heterodoxis, qui à privatis aliquorum hominum moribus argumenta deſumũt; nam neque apud nos omnes ſunt mali, nec apud ipſos omnes probi: ſed utrobique reperiuntur nonnulli moralium virtutum cultores, & utrobique etiam contemptores nonnulli. Et, ſi de Sanctitate, quæ in omnium virtutum obſervantiâ conſiſtit, inquiſitio procedat, apud nos invenientur perpauci, & apud Hæreticos nullus.

Debent mores à Fide diſtingui.

D. Antonius de Gueuara.

Fateor ait Valerianus Magnus in Iudicio de Catholicorum & Acatholicorum Regulâ credendi in Prologo Bibliſtis inſcripto, *fuiſſe ſub finem (initium potiùs) ſuperioris ſæculi* [ſubintelligo ſub annum MD. & MDX.] *cur homo amans boni publici ac prudens voluiſſet reformari apud Nos pleraque* [Nota benè; *pleraque* dicit, non *aliqua*] *ſalvâ Fidei integritate, nuſquàm deformatâ. Fuerat eâ tempeſtate Catechiſmus Chriſtianæ Plebi rarus* [in multis locis etiam hodie] *ignorantia frequentior* [& hodie etiam inter doctiſſimos Viros, qui ſerpunt, multi ſunt ignorantes in alto] *mores in populo corrupti, uſque ad orbis ſcandalum* [at hodie vix datur ſcandalum; non enim ſcandalizantur ſummè boni, nec ſummè mali.] *Inſederat animis ex inſcitiâ illa, frequens ſuperſtitio in cultu Sanctorum; indevotione erga Sanctorum Reliquias:* [& hanc ipſam video altas radices egiſſe alicubi, & creviſſe alibi; & vix ab ignorantiâ ſeparari.] *Invaſerant pleroſque Eccleſiaſticorũ* [Magna eſt Valeriani ſinceritas; *pleroſque* iterum dicit, non *aliquos*] *ambitio, Simonia, Pompa, Delitiæ, Quæſtus etiam ex Iuriſdictione Eccleſiaſtica gravis populo Chriſtiano. Ipſa Indulgentia à privatis Eccleſiaſticis ſæpe trahi videbantur in nundinas.* [Anne correcta ſingula? Vociferantur, qui tanguntur, cùm vel leviter inſinuatur veritas.] *O tempora! O mores! Sed ô iram Divini Numinis! Defuit qui expoſtularet opportunam reformationem; nec tamen defuère, qui in orbe creparent ſeceſſionem ab Eccleſia Romana.*

C. *P. Valerianus Magnus.*

Hinc debet incipere Hæreticorũ converſio.

Hinc incepturus erat Marcellus II. Summus Pontifex, ſed morte præventus non potuit.

Ni corrigantur jota, fruſtra libri ſcribuntur & cum Heterodoxis diſputatur.

Incepit Martinus Lutherus contra abuſus CI.

Martini Lutheri defectio.

abuſus Indulgentiarum concionari: & quamdiu contrà abuſus ſolummodò, piè & ſanctè. Reperit, qui propugnent, quæ præſtaret corrigere, exacerbatuſque ad alios abuſus transgreditur, & ſalva Fidei & Eccleſiæ unitate corrigi ſingula vult, quæ carpit Magnus. In Colloqu. Convival. titul. de Sacram. fol. 211. iuxtà editionem Isleb. *Quoad ipſam Subſtantiam & eſſentiam attinet*, inquit, *Sacramenta & Biblia nequaquam abolet Papa. Veruntamen cogere nos vult* [ſed non erat Papa Martine, ſed Miniſtri, qui eius nomine invidiam Germaniæ concitabant] *ut iis ex ipſius arbitrio & nutu utamur. Non negat opus ipſum, ſed uſum. Itaq; omnes meæ Diſputationes Scriptiones & Actiones ſunt contra abuſum Pōtificis* [aliquorum Miniſtrorum potius eius nomine abutentium] *directa.* Et iterum, *Tota diſſenſio eſt de quibuſdam abuſibus, qui ſine authoritate* [hoc eſt à Miniſtrorum avaritiâ & malitiâ] *in Eccleſias* [plurali utitur numero, ut privatas intelligat] *irrepſerunt.* & rurſus, *Cum Eccleſiæ* [iterum privatas intelligit] *apud nos de nullo articulo Fidei diſſentiant ab Eccleſiâ Catholicâ, tantùm paucos quoſdam abuſus omittant.* Quæ omnia verè potuerunt dici ſub initium: quamdiu non res ipſæ, ſed modus exceſſusque reprehendebantur.

Hæc omnia verè potuerunt dici ſub initiū, falsò poſtmodum, cū ipſamet Fidei ſubſtantia à Luthero & eius Aſſeclis oppetebatur. Quāobrem dici omninò debebit his verbis abuti Philippū Melanthonem in Cōfeſſionis Auguſtanæ art. 21. pag. 22. iuxta librum Concordiæ, qui editus eſt Lipſiæ an. 1580. c11.

Someus. Covellus. Hokerus. Bunius. Henricus Fiz. I. Calvin.

Impatientia tranſivit in animoſitatem; huic Zelus indiſcretus ſucceſſit; ut enim ex Somc. in def. contr. Penrie pag. 176. Covello in defenſ. Hokeri pag. 68. & 73. Edmundo Bunnio in ſua pacificatione, & aliis Hæreticis Catholicisque P. Henricus Fiz in ſuo Britannomachiæ lib. 1. cap. 10. pag. 76. colligit *judicio omnium eruditiorum, in defectionis initio* (& utrimque ut exiſtimo) *ignaro Zelo laboratum.* unde Calvinus artic. 2. contr. anabapt. *Cum ſub ſpecie perfectionis imperfectionem nullam tolerare poſſumus, aut in corpore aut in membris Eccleſiæ, tunc Diabolus nos tumefacere ſuperbiâ & hypocriſi ſeducere moneamur.* Indiſcretio & ſuperbia retuſæ Irritationē peperēre; morbum gravem; quem lucrū reddidit immedicabilem: nam ut ab annis plurimis expertus ſum, veriſſima eſt ſententia Bunij in ſuâ Pacificatione poſt finem, & aliorum dicentium, *Hodie eſſe manifeſtum* [N.B.] *non ex conſcientiâ aut fide, ſed ex commoditatum ſæculi amore homines prætenſæ Reformationi adhærere.* Incepit ab irritatione Hæreſis in Germaniâ, fovetur avaritiâ & lucro; & nonnulli Catholici dum nimium fervidè caduca curant, Hæreticos vehemētiùs irritant, & eorundem converſionem, aliàs facilem, difficillimam reddunt. Sunt, qui Hæretici, Homines rationales, ſtudioſi etiam & eruditi, & niſi irritatione excœcentur, ad nos paulatim redeunt, etiam ſæpè cùm abire dicuntur. Nam ſi ſingula examinemus, antiquos errores remiſerunt, & ita in aliquibus philoſophantur, ut ſi Eccleſiam admitterent, facili negotio ſanarentur. Hæreſim ſuam merâ irritatione & avaritiâ fundatam non poſſe diu ſubſiſtere, ſed debere paulatim deficere; & fore ut Lutherani paulatim ad Eccleſiam redirent, prævidit Martinus Lutherus contra Zvvinglium. *Si diutiùs ſteterit Mundus, iterum erit neceſſarium propter diverſas ſcriptura interpretationes, quæ nunc ſunt, ad conſervandam Fidei unitatem, ut Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Et quidem quod prævidit Lutherus, experientiâ didicit Kingus; & impatiens occlamat, *hac tempora ad Papiſmum relabi, & generali apoſtaſiâ omnia transverſo curſu eodem retrocedere.* Idipſum etiam didicit experientiâ Covellus, qui tria dicit; primū,

Hodiernæ Hæreſeos cauſa.

Bunius.

An Concilia ſint neceſſariò admittenda?

Kingus apud Leachū pag. 60. & Henricum Fiz Simo-

jam

Digitized by Google

nem in Britannomachia lib. 1. c.6. pag. 51.

jam Reformatam Puritanorum Religionem, modicè à Romanâ differre; ſecundum, eſſe ad ipſum glorioſum; tertium; multos hac ipsâ veritate Puritanos offendi. *Dolemus* inquit in exam. pag. 185. *offendi ab Infirmitate Puritanos, ex eo quod nos ducimus gloria & præſtantiæ nobis in Eccleſia noſtrâ; nempe nos modicè ægreque ab Eccleſia Romana diſcrepare.* & à pag. 185. ad 195. poſtquam ſibi obiecisſet Liturgiæ Anglicanæ formam ab Antichriſto fuiſſe acceptam; reſpondet; *ſe ſuosque gloriari, quod parcè & illibenter ab Eccleſia Romana (à qua ipſi, ut pleraque Eccleſiarum Fidem hauſerunt) deſciſcant, non omninò diſſenſuros, ſi per corruptiones licuiſſet.* Se ex irritatione diſceſſiſſe: & jam paulatim aperire oculos, & propiùs redire fatentur. Et ſi alterū quiſpiam aut falſum aut incertum judicet, vel legat, quæ de Arbitrio ſervo olim Lutherus, quæ etiam Calvinus, aliique ſcripsêre aut dixêre, legat & Iuniorum ſcripta, audiat Theologos Heterodoxos, qui hodie vivunt, & ſummam inter Magiſtros & Diſcipulos differentiam inveniet: videbitque illos voluntatem paſſivè ſe habere, & ab extrinſeco neceſſitari docuiſſe: & nihilominus ex his quamplurimos Molinæ, alios D. Thomæ fundamentis inſiſtere; non paucos laborare homonymiâ; omneſque iam reijcere fatalem neceſſitatem Stoicorum, & inire viam probabilem aut tolerabilem. Bona opera gratiâ non indigent in ſententiâ Pelagij, ut meritoria ſint: & gratia ipſa, ut meritoria ſit, non indiget bonis operibus in ſententiâ Lutheri & Calvini: utrumque errorem damnat Paulus: [Priorem dicens, *non eſſe condignas paſſiones huius mundi ad futuram gloriam*: & poſteriorem aſſerens, *repoſitam ſibi eſſe divinitùs coronam Iuſtitiæ*:] utrumq; Eccleſia Naturæ & Gratiæ concurſum & cooperationem dilucidans, & meritum utrique concedens. Et etiam hîc Heterodoxi, dum à Pelagio & Luthero recedunt, ad nos accedunt, tam enim clara eſt Eccleſiæ Romanæ doctrina, ut verbis ſæpiùs quàm mente oppeti ſoleat.

Iam Hæretici paulatim aperiunt oculos & ad nos accedunt.

Iuniores Hæretici minùs ſeveri ſunt, quàm antiqui.

Hodie ex Hæreticis alij dicunt ſe ſequi D. Thomam, alij Molinam.

An bona opera ſint neceſſaria?

Si ſemel liberum admittatur arbitrium, intelligaturque Potentiarū naturalium & ſupernaturalium cōcurſus, pauca remanent quæ poſſint aut debeant agitari. At hæc pauca, ut expediantur dignè, Libris integris indigent. Multos hoc ſæculo evulgarunt eximij & ſubtiles Theologi; & quia multos & magnos, multa robuſta & efficacia miſcuerunt, & enervarunt argumentis debilibus; unde Hæretici, ſi ſemel nodum aliquem ſolverint, aut exciderint, cætera putant non eſſe maioris efficaciæ, nec nova ſolutione indigere. Video à nemine magnos Libros evolui; parvos à paucis; & hanc ob rem Decreto Marcelli Papæ inſiſtendum exiſtimo, debereque Hæreticos converti, non tam verbis & libris noſtris, quàm pietate, ſobrietate, & liberalitate. Multa facerem, niſi avaritia illorum, qui Anticaramueles ſe inſcribūt irritaret Hæreticos: condoleo omnino, & quia huius ſæculi mores vertere non præſumo, ne nihil facere dicar, ſumo calamum; & quæ ab omnibus legi deſidero, ad Paginas paucas reduco. Sed quo potero modo, tam multas variaſque Hæreſes tam brevi compendio expugnare? Si nullus eſt Fidei Romanæ articulus, quem non centenis modis legant & explicent Heterodoxi; & ſi milleni ſunt errores, qui in ſingulas Fidei veritates impingunt; qui vix magno poſſem volumine ſingulos recenſere, quomodo potero uno aut altero folio expugnare univerſos; nam recē-

An liberum arbitriū?

Verus modus convertendi Acatholicos.

Anticaramuelium avaritia.

Omnes cõtroverſiæ ad unicam poſſunt reduci. fere facilè, & expugnare difficillimum eſt? Potero quidem; nempe omnes, quotcunque & qualeſcunque ſint, ad unicam ſolam Quæſtionem reducendo; illamque non multis, ſed paucis, his verò evidentibus & irrefragabilibus argumentis monſtrando; ut qui primum catenæ annulum teneat, cæteros non tenere non poſſit. Ingrediamur igitur paulatim, & ne probabilia commiſceamus incertis, qui evidentias promittimus, ab ipſâ evidentiâ exordiamur.

DE EVIDENTIA, QUÆ *ad Fidei aſſenſum requiritur; & de evidentia, quæ Fidei opponitur obſcuritati.*

CIII. *An Fides cũ evidentia componatur?* Fides obſcura eſt, inquis; & evidentia clara: ergo tunc concurrere aut coincidere poterunt, cùm detur vel tenebroſa claritas, vel clara obſcuritas. Et ego inquam; tenebras eſſe obſcuras clarum eſt, & homines debere credere & aſſentiri Deo, clariſſimum: nimirùm, ita notum & certum, ut adſtruatur ab omnibus, nec debeat ab ullo probari. Interim hac claritate non obſtante Fides manet obſcura, & quia hoc ipſum luce indiget, aliqua breviſſimè hîc perſtringam, quæ alibi uberius retractabo.

Credibilitatis evidentia. Datur, Candide Lector [attende obſecro] *Credibilitatis evidentia:* & hæc in omnium Theologorum ſententiâ. Et Iuniores, qui rem diſcuſsêre radicitùs, non iam credibilitatis ſolummodò, ſed & Credenditatis etiam evidentiam & certitudinem ad Fidei aſſenſum requirunt: *Credenditatis evidentia.* & Nos veterum & Iuniorum fundamentis recognitis, non eos aliud, ſed aliter loqui putamus. Si ſtemus dictionis rigori, ſicut aliud eſt rem eſſe poſſibilem, aliud eſſe futuram; & ſicut aliud eſt rem eſſe factibilem, & aliud rem eſſe faciendam; ſic etiam aliud eſt propoſitionem aliquam eſſe credibilem, & aliud illam eſſe credendam. *Credibilitatis & credenditatis differẽtia.* Non eſt bona conſequentia, *Hoc eſt factibile, ergo debebis illud facere*: adeoque nec hæc erit bona, *Hoc eſt credibile, ergo debebis illud credere.* Aliquid igitur præter credibilitatem requiritur, ut detur credendi obligatio: & hoc ipſum *credentitatem* appellamus; & ſicut ſublata albedine non datur album, ſic credenditate ablatâ nihil remaneret credendum. Puto vulgus Theologicum *Credibilitatis* vocabulo credenditatem intelligere, & à nobis non differre mẽte, ſed linguâ, & ideò tantùm à Credẽditatis vocabulo abſtinuiſſe, quod voluerint Scholaſtica & Theologica ad Ciceronis labium caſtigare; *Eloquentia in Scholaſticis ſæpiſſimè nociva eſt.* quoniam apud eloquentiſſimos Rhetoras multa reperiuntur abſtracta *Credibilitati* ſimilia, nullum *Credenditati.* At quia hodie univerſa ſubtiliſſimè & diſtinctiſſimè ſolent tractari; nullius injuriâ nos Credibilitatem à Credenditate diſtinximus, & æquivocatione, quâ laborabant ſub ipſum initium controverſiæ, illuſtratâ aut ſublatâ, pede ſecuriore progredimur, & conſequentias aliquas dilucidamus. Sentimus eſſe malas has, *Hoc eſt poſſibile, ergo & futurum. Hoc eſt præceptibile, ergo ſubditus obedire tenetur:* & inferimus malam etiam eſſe iſtam, *Hoc eſt credibile, ergo tenemur credere*: quoniam aliud eſt *poſſe* aliud *debere*, & ex merâ potentiâ debitum inferri non poteſt; *Nota illud mera: nam aliquibus additis poteſt.* quamobrem præcedentes conſequentias reformo, & loco illarum has ſubſtituo: *Hoc eſt poſſibile, ergo illud Deus poterit facere. Hoc eſt futurum, Illud igitur ſua cauſa efficiet. Hoc eſt præceptibile, ergo non repugnat ut ſubditus olim obedire teneatur;* *A potentia ad actum mala eſt argumen-*

Digitized by Google

tandi forma:

neatur; *teneretur enim ſi præciperetur, & tenebitur cum præcipiatur. Hoc eſt credibile, Illud igitur poterimus credere. Hoc eſt credẽdum, ergo non ſolùm poterimus credere, ſed debemus.*

Malderus.

Hinc patet ſummo olim conſilio Malderum Duaci dum eſſet Theologiæ Anteceſſor, ſemper dictaſſe & propugnaſſe iſtam Propoſitionem; videlicet, *ut aliquis teneatur credere, oportet talem ei fieri Fidei propoſitionem, quæ evidenter videat, res Fidei eſſe credibiles & credendas.*

Antuerpienſium Epiſcopus.

Hinc patet ſummo etiam iure, dum eſſet Antuerpienſium Epiſcopus, hoc eundem Dogmate doctiſſima volumina fundaſſe; erat enim Hæreticis multis præpoſitus, & debebat exactè ſcire & exactè docere regulam & obligationem credendi.

Libertus, Fromondus. Pater Leonardi: &c.

Hinc patet tandem Lovanienſes, & præcipuè Dominum Fromondum, & Patrem Leonardi, alioſque Theologiæ Doctores Profeſſoreſque, meritò hãc ipſam Poſitionem feciſſe ſuam, & publicis illam Diſputationibus dilucidaſſe & propugnaſſe. Hinc patet ultimò, meritò Gallos conſonare Duacenis, Lovanienſibuſque:

D. Petrus à S. Ioſeph Fulienſis.

Quando detur obligatio credendi?

& D. Petrum à S. Ioſeph, Fulienſium (ſunt Ciſtertienſes reformati) decus & ornamentum, meritò dixiſſe, *Tenentur infideles actu credere, quando Articuli ſunt illis ſufficienter propoſiti & explicati: quia cùm tunc ſufficienter ipſis conſtet, ea quæ proponuntur à Deo revelata, ac proindè vera eſſe: eò quòd DEVS, utpotè infinitè ſapiens & bonus, falli nequit nec fallere: ſine gravi Primæ Veritatis iniuria, aſſenſum rebus propoſitis negare non poſſunt.*

An Hæretici noſtros audire cõcionatores teneatur? an ſi audiat teneatur aſſentiri?

Quod ita intellige, ut infidelis de veritate ſuæ Religionis, minimè dubitans, non teneatur audire Concionatorem Catholicum cupientem eũ inſtruere de rebus veræ Fidei. Et ſi eum admittat, non teneatur illius doctrinæ aſſentiri, niſi eam eſſe creditu dignam, evidenter probet rationibus, miraculis alijs-ve ſignis. Et cùm hoc probatum novit, adeò ut nulla ſuperſit ratio, qua oppoſitum errorem, cui hactenus adhæſit, creditu dignum arbitretur; teneatur ſtatim aſſentiri, cùm nulla tunc appareat ratio, cur in aliud tempus aſſenſum differre debeat. Ita ille in Summulâ Caſuum Conſcientiæ in Decalogum cap.1. de primo præcept. articul.1. pag.3. Ita etiam F.C. de la Hage Benedictinus; I.Hobier; C. Bourlon; Academiæ & Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi, qui eandem Sũmulam, legerunt, laudarunt, approbarunt. Ita etiam omnes, qui illâ utuntur, & ſummis encomijs exaltant.

CIV. *An Fides poſſit demonſtrari?*

At dices auferri Fidei meritum, ſi ad demonſtrationem recurritur; imò ipſos Fidei articulos, humano omni eminentiores ratiocinio, demonſtrari non poſſe.

Propoſitionis de ineſſe & modalis diſcrimen.

Et Tibi ego, debere propoſitionem *de ineſſe* quam vocant, à modali diſtingui: alia enim Propoſitio eſt, *Non juſtificamur Fide, ſed Gratia*; & alia, *De Fide eſt nos non juſtificari Fide ſed gratia:* prima enim rationibus evinci non poteſt, at ſecunda facillimo negotio demonſtratur.

Vtra demõſtrari poſſit, utra nõ poſſit?

Nam ſi ſecunda eſſet ſolum probabilis, prima poſſet negari tutâ Fide, ut patet in centenis Aſſertis, quæ dicuntur probabiliter eſſe de Fide. Vnum in exemplum propono.

Dantur Propoſitiones quæ ſunt de Fide probabiliter tãtum.

Hæc Propoſitio, *Dies illos ſeptem, quorum meminit Sacra Scriptura, cap. 1 Geneſeos, eſſe ſimiles & æquales noſtris diebus, de fide eſt*, non eſt evidens, ſed probabilis, & ideò tutâ conſcientia ab Auguſtino, & etiam hodiè à multis Auguſtinianæ doctrinæ Sectatoribus negari ſolet; doctrina enim illa quæ docet, dies illos eſſe Metaphoricos, & cogitationibus Angelicis cõmenſurabiles, etiam hodie tolerabilis eſt, & Lovanij me præſente defenſa. Et hic maximè notandum eſt, Authores qui Modalem propoſitionem poſſe & debere

Digitized by Google

Demonſtratio moralis.

debere demonſtrari ſupponunt. *Demõſtrationis* nomine moralem tantummodò intelligere; tota enim Fides conſiſtit in quæſtione de facto [Videlicet, Utrum id Deus dixerit vel nõ dixerit?] quæ non poteſt decidi ex fundamentis naturalibus : quæ enim à Deo liberè ſunt revelata, ſtante tota natura prout nunc, potuerunt liberè non revelari. Demonſtrari ergo debet, non ipſa propoſitio *de ineſſe* ſed modalis. Demonſtrabitur, ſi à Deo fuiſſe revelata probetur ſillogiſmo legitimo [in formâ ab omnibus receptâ conſtructo] cuius præmiſſas nemo Hæreticus negare poſſit: agimus enim cum Lutheranis & Calvinianis, præcipuè, qui nobiſcũ admittunt iſtas Propoſitiones

Omnis noſtra Fides pendet ab hiſtoria.

Quid Hæretici nobiſcum admittant?

I. *DEUS eſt. Deus exiſtit.*

II. *Deus eſt infinitè ſapiens & per conſequens qui falli non poſſit.*

III. *Deus eſt infinitè bonus; & per conſequens qui fallere nec velit, nec valeat.*

IV. *Quidquid Deus revelavit, eſt Articulus Fidei, debetque ab omni Chriſtiano teneri.*

Quid adverſus nos negent?

Et tantùm differunt in ſubſumpto; ubi enim Nos dicimus, *Atqui Deus, qui neceſſariò exiſtit, & eſt infinitè verax bonuſque, revelavit Sacramenta eſſe ſeptem; item hoc & illud &c.* reſpondent negando minorem abſolutè.

Articuli Fidei à plurimis dilucidati ſunt.

Profectò iſtæ Minores [nimirùm, Articuli Fidei] multæ ſunt; & ideò debuerunt ad claſſes reduci, & ſingulæ ſeorſim demonſtrari ; qui labor à maximis Viris aſſumptus, Eccleſiæ Romanæ ſummè profuit. At hodie Hæretici ſaltim controverſias exagitant; & cùm convincuntur in unâ, exſiliunt ſtatim ad aliam, ſi in hac convincantur ſimiliter, aut exſiliunt in tertiam, aut etiam revertuntur ad primam ; ita ut vix vita integra ſufficiat, ut ſingulæ demonſtrentur exactè. Hinc eſt, quod iſte illis excurſus clypeus ſit, ut non poſſint adæquatè convinci; non enim poſſunt unâ horâ omnes controverſiæ decidi, & ipſi nolunt hærere in uno puncto, ſed ſemper tranſcurrere ad alia. Poſſem nominatim producere Homines, qui apud Heterodoxos magni fiunt, & tamen, ſi agamus de adoratione imaginum , de bonorum operum fructu & neceſſitate, ſi de Summi Pontificis authoritate, tandem mihi conſentiunt, nec tamen Catholici fiunt, ſed ſcrupulos novos allegant, quos qui tollere velit, incipere debeat ab ovo, & prævidere alios eſſe obijciendos , cùm hos funditùs eradicaverit.

Nunquam Hæretici eidem Propoſitioni inſiſtunt, ſed ex una in alteram diverſam ſaltitant.

Cur non ſoleant convinci?

CONTROVERSIAE OMNES, quæ inter Catholicos & Heterodoxos agitantur, ad unicam eamque facilem & claram reducuntur.

CV.

QUid ergo remedij in intricatiſſimâ re? quid conſilij, ubi ſummũ Heterodoxorum conſilium eſt controverſias multiplicare & intricare? Quo rem ſummam modo poterimus verbo expedire? Non aliter profectò, quã omnes controverſias omninò , quæ centenis indigerent diebus, aut annis etiam, ſi eſſent ſingulatim tractandæ, ad unicam ſolam reducendo; & reductionem ipſã negari non poſſe monſtrando. Pronuntio igitur omnes controverſias omninò debere coincidere in illam, quæ de Eccleſiæ diſputat veracitate ; & ut demonſtrem coincidentiam , vos Lutheranos alloquor, vos Calvinianos alloquor; & ſic incipio argumentari.

Omnes cõtroverſiæ reducuntur ad unam.

Digitized by Google

GENERALIS PROBATIO.

CVI. *Vera Eccleſia character.*

An vera Eccleſia errare poſſit?

ECcleſia vera quæcumque illa ſit in doctrinâ ſubſtantiali errare non poteſt: vera enim ideò dicitur, quod verax ſit; nam Religio, quæ mendax non eſt vera. At doctrina de libero arbitrio, de votis & bonis operibus, de peccatis & juſtificatione, de Sacramentis & mediis neceſſariis ad æternam ſalutem; item doctrina de Cœlo, Purgatorio & Inferno &c. ſubſtantialis eſt: ergo in ejuſmodi doctrinâ Eccleſia vera errare non poteſt.

De Eccleſia Lutherana;

Ergo ſi Eccleſia Lutherana eſt vera, ſtandum eſt Sacramentorum materiæ, forma, & numero & doctrinæ, quam ſtatuit Auguſtana Confeſſio.

De Calviniana;

An Calviniſtæ ſuum Calvinum ſequantur?

Ergo, ſi Eccleſia Calviniana eſt vera, ſtandum eſt Inſtitutionibus Ioannis Calvini, & in Sacramentorum & Iuſtificationis materiâ debebimus omninò noſtram ad mentem Calvini, aut fortè, [nam in pleriſque Diſcipuli dicuntur à Magiſtro differre] Calvinianiſtarum formare.

De Romana.

Ergo, ſi Eccleſia Romana vera eſt, Concilio Tridentino eſt ſtandum; damnandæ ſunt Lutheri & Calvini Poſitiones; admittendus eſt cultus imaginum; bonorum concedenda eſt utilitas & neceſſitas: aſſerendum eſt Sacramenta eſſe Septem, & ſingulis materiam, formam & Miniſtrum & effectum habere, quæ Tridenti definivit Eccleſia.

CVII. *Unde Religio vera dicitur.*

HUcuſque videtur eſſe partium concordia; nec enim vel unum Prædicantem inveni, qui aliquid ex prædictis negaret. Sanè Religio à veritate doctrinæ *vera* dicitur, & hanc ob rem non minùs repugnat doctrinam veræ Religionis eſſe falſam, quàm veram doctrinam eſſe falſam. Quod ipſum tomo VII. Germ. Wit. fol. 561. titul. de veteri Eccleſiâ, cõfitetur Martinus Lutherus cùm dicit, *Eccleſiam* (ſubintelligo *veram*) *mendacium falſamque doctrinam pronuntiare nec velle nec poſſe.*

In quibus Eccleſia errare aut mentiri nõ poſſit?

Sed in quibus? Quidquid de accidentalibus & impertinentibus ſit, in quibus fortè major eſt veræ Religionis authoritas, quàm vulgò creditur, ſaltem in eſſentialibus & ſubſtantialibus veram Religionem non poſſe mentiri, aut errare, omnes Romani, Lutherani, & Calviniani confitentur. Sed quæ vocantur ſubſtantialia? Reſpondeo, totam de peccatis & iuſtificatione, totam de ſacramentis & mediis ad Salutem neceſſariis doctrinam, eſſentialem & ſubſtantialem eſſe; nati enim cœlo ſumus, & ſine mediorum ſecurorum notitiâ iſte finis haberi non poteſt. Stat ergo Religionem veram (quæcunque tandem illa ſit) errare non poſſe in Sacramentorum materiâ. Sed progredior,

Quæ ſint ſubſtantiales materia.

Fildeus. Vera Religio eſt quærenda, & tenenda.

Fildeus enim in epiſt. dedic. tractat. de Eccleſ. doctiſſimè me monet his verbis. *Quid reſtat hominibus ſatisfactionis avidis in tanti momenti rebus, niſi diligente indagine inveſtigare, quænam inter omnes hominum ſocietates eſt illa ſancta ſodalitas ſanctorum, illa Fidei familia, illa Chriſti Sponſa, & DEI viventis Eccleſia, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, ut ſic*

eius amplectantur conſortium, ſequantur præcepta, ejuſque arbitrio acquieſcant? Multa & ea certiſſima me mones, ſed cur non ipſe ſuſcipis admonitionem?

Adquieſco, vera Eccleſia & Religio quæratur. mente me ſequere; nam ſic ſubſumo:

AT Lutherana Religio non eſt vera; Non eſt vera Calviniana Religio: ſed neque cæteræ, quæ à Romanâ damnantur: & tamen ſola Romana eſt vera. Ergo omnes & ſinguli Articuli Fidei, quos Romana proponit ſunt veri. Sacramentorum ergo omnium, quæ traduntur à Romanâ Religione, Materia, Forma, Miniſter, Valor, &c. ſunt vera; & quæ à cæteris traduntur non ſunt vera.

CVIII. SI probemus Minorem, nimirùm *Religionem Romanam eſſe veram*, probabimus cæteras omnes eſſe falſas: ſibi enim ſingulæ contradicunt, & binæ contradictoriæ ſimul eſſe veræ non poſſunt. Et quidem, ſi contrà ſeveros Lutheri Aſſeclas diſputaremus, ut puto, non teneremur demonſtrare Minorem, quam centies conceſſit Lutherus, [& præcipuè tom. 4. German. Wit. fol. 227. b. & tom. 7. German. Ienenſ. fol. 169. b. ubi ait: *Nos fatemur ſub Papatu multa eſſe bona Chriſtiana, imò omne bonum Chriſtianum; atque inde etiam ad nos perveniſſe,* & mox: *Imò dico in Papatu veram eſſe Chriſtianitatem, imò verum nucleum Chriſtianitatis.* Unde Bucerus in præparatione ad Concilium, *Planè profitemur inter priſcos Eccleſiæ Patres convenire. Primatum habuiſſe Romanam Eccleſiam ſuper reliquas Eccleſias.* Unde etiam in rationibus deſumptis ex verbo Dei Iacobus: *Romam totius Chriſtiani Regiminis originem & fontem* appellat.] At quia multi ſunt hodie Lutherani, qui Lutherum non curant, illam Minorem demonſtrabo. Igitur, ſi perſuaſero Religionem Romanam eſſe veram, omnes eius Definitiones eſſe veras conſequenter probavero: ergo & ſimul evicero, omnia, quæ in Sacramentorum materiâ à nobis dicuntur eſſe vera; & omnia quæ ab Heterodoxis contra ponuntur, eſſe falſa; ſupereſt igitur ut illam Minorem probemus.

An Lutherus concedat Romanam Religionem eſſe veram?

An & Bucerus?

An & Iacobus?

An-ne Lutherum ſuum Lutherani ſequantur?

CIX. TOt ſuccurrunt rationes, ut in librum Libroſve tranſiret hæc Summa, ſi ſingulas ponerem, expenderem & dilucidarem: eligam pauculas; ſed quæ ſint faciliores & fortiores. Faciliores quidem, quoniam univerſis ſcribimus, è quibus pauci capiunt Theologicas ſubtilitates; rarò enim eadem ſubtilia, quæ bona: nam Aranearum telæ ſubtiliſſimæ ſunt. Omiſſis igitur ſubtilioribus & eminentioribus conceptibus, quos ſuo loco expendemus, toroſis utamur ratiocinijs, quorum veritas & efficacia ſit tam ſolida ut manibus poſſit palpari.

Rationes ſubtiles ſæpe debiles & malæ ſunt.

***

PRIMA

Digitized by Google

PRIMA RATIO.

x. ...iæ Re-nis eſ- ia.

Fides Divina revelata à DEO eſt. Lutherana à DEO revelata non eſt. Ergo non eſt Fides Divina. Probatur Minor. Quoniam prima & præcipua illius fundamenta à Diabolo tradita ſunt: & cætera Diabolica Fide ſubcollantur.

An Lutherus fuerit Auditor & diſcipulus Diaboli?

xxI. ...ne Lu-...rani ...t Dæmo-...i diſcipu-...?

AVdiveram ſæpe obijci Lutheranis, non tam Lutheri quàm Dæmonis eſſe diſcipulos, & putabam omninò, eodem illos ſenſu diſcipulos Diaboli dici, quo peccatores & Hæreticos cæteros, qui ducti & docti aſſeruntur à Diabolo. At reperi Metaphoram tranſire in Hiſtoriam, tropum in veritatem, Lutherumq; tom. 7. Germ. Witt. fol. 479. b. & tomo 6. Ienenſ. fol. 82. b. clarè & expreſsè confiteri ſe verè & realiter diſputaſſe cum Diabolo, in diſputatione ſuccubuiſſe, convictum Diaboli Logicâ Religionem mutâſſe, & novum Evangelium cudiſſe. Sic diſcurro.

Legat pius Lector Lutheri & Dæmonis diſputationem, & cæcum me dicat ſi in invincibili adhuc ipſe cæcitate permaneat.

Fatetur rotundè Lutherus, totam ſe doctrinam Eucharſticam didiciſſe à Diabolo: ergo vel mentitur, vel non. Si mentitur, tota Lutherana Religio ſplendidiſſimo fundatur mendacio: Si non mentitur, tota Lutherana Religio fundatur verbo Diaboli. Tam igitur erit illa vera, quàm ille verax. At ille mendaciſſimus eſt, ergo Religio Lutherana eſt falſiſſima.

1. Pet. 5. cap. 8.

Fratres vos alloquitur Petrus, *ſobrij eſtote & vigilate:* ne veitis plus ſapere quàm oporteat ſapere, ſed ſapite ad ſobrietatem: *vigilate*, lex enim Divina Ius eſt, & Iura non ſcribuntur dormientibus, ſed vigilantibus. *Vigilate* obſecro, & veſtræ ſaluti invigilate; *quia adverſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit*, (circumvenit) *quærens quem devoret*; non enim devorari ab eo poteſt, qui circumveniri non vult, ab hoc fallaciſſimo Leone, *cui reſiſtite fortes in Fide*. Sed cur in Fide, quoniam infidus ipſe eſt, & quia omne agens optat aſſimilare ſibi paſſum, infidelitatem animabus circumventis inſtillat, ut Fidem Fortitudinemque evertat, aut eradicet. Attendite Fratres, attendite: multa nos docet Petrus paucis lineis. Opponitur infidelitas Fidei, & fortitudini Fragilitas; & exiſtimo ſicut Fidei comes eſt Fortitudo, ſic etiam Infidelitatis eſſe comitem Fragilitatem. Ceſſet ergo omnium Hæreticorum puſillanimitas; legem DEI iudicant impoſſibilem? ſignificationis expers Caſtitatis vocabulum? Liberum arbitrium eſſe titulum ſine re? Non miror.

Omni niſu hominem Diabolus conatur decipere & perdere.

Comites Fidei & Infidelitatis.

An ſit impoſſibilis divina lex?

An voluntas ſit libera?

Carent Fide, & ideò exuberant fragilitate. Fidem Orthodoxam ſuſcipiant, & induent Fortitudinem tantam, ut Diabolo adverſùs inſidianti, & linguâ Lutheri loquenti, reſiſtere poſſint in fide.

Porrò ego iſtam Propoſitionem, *Doctrina Eucharistica tota, quam Lutherus variis in locis tradidit, & hodiè complectitur Auguſtana Confeſſio, fuit revelata à Diabolo*: ſi eſſem Lutheranus, negarem; & ſi tam clarè probaretur, ut illam negare non poſſem, Lutheranus

Nota benè.

G 2 non

Digitized by Google

Idem omnino eſt à Diabolo duci ac ſeduci. non eſſem : ſummo enim pudore & terrore ſuff[illegible] [illegible] & confuſus putarem idem eſſe à Diabolo duci, quàm ſeduci.

cxII. *Henricus Fiz Simon.* Hoc unico argumento converſus fuit Franciſcus Walſingamus, cuius hiſtoriam ediſſerit Henricus Fiz Simon in ſuæ Britannomachiæ lib. 3. cap. 2. parte 1. pag. 254. ego eandem ad paucas periodos reducam. [Feriâ ſextâ *Franciſci Walſingami libellus.* Paraſceves Anno M.DC.IV. Regi Angliæ Walſingamus obtulit libellum ſupplicem in hanc ſententiam, *Si Papiſtæ falsò criminati eſſent CHRISTVM & Sanctos eius, Rex ſceleratum genus calumniatorum, ſolito ſeveriùs mulctari iuberet: ſin è diverſo indelebilis fama illa eſſet Lutheri præcipuam doctrinam à Diabolo emanaſſe, eandem abiurandi Rex indemnem faceret ipſi poteſtatem.* Rem examinari iubet *Montacutus. An Angli Lutherani ſint?* Rex. Et Montacutus Regius Sacellanus *Lutherum* (de cuius Apoſtaſiæ authore & magiſtro agebatur) *quamvis Virum Sanctum & eruditum, Anglicanæ Religionis Authorem non haberi* pronuntiat; ut vel hinc ſuperſedere poſſit à quæſtione, quæ inquirit, An fuerit edo- *Witakerus.* ctus à Diabolo? alij (ex Witakero ad Rat. Camp. pag. 155.) *Nos Lutherum libenter ut Patrem veneramur*, dicebant; *Cantuarienſis Archiepiſcopus.* & Cantuarienſis Archiepiſcopus, *quod de Lutheri magiſtro Papiſtæ aſſerunt ſplendidiſſimum mendacium eſſe.* Quæritur liber. Producitur tomus VII. fol. 479.b. *Lutherus tom. 7. Germ. Witt. fol. 479. pag. 2. & tom. 6. Ienenſ. fol. 82. pag. 2.* & ibi ad literam ſingula reperiuntur. Hærent, turbantur. Quid poſſint reſpondere neſciunt; nihil, præter minas reponunt : non terrent iſtæ Walſingamum, ſed nolens perſiſtere in doctrinâ revelatâ à Diabolo abjurat Hæreſin, & redit ad Eccleſiam Catholicam. Illum ſequitor Lutherane; & tuo Magiſtro dicito cum Auguſtino, *Si quod dicis [illegible], à Diabolo accepiſti, & Diabolo* *Auguſtin. tract. 42. in Ioan.* *credidiſti, mendax es.*

cxIII. *Federicus Balduinus. An licitè & ſecurè aliquis erudiatur à Diabolo?* Sed Federicus Balduinus Martini Lutheri Hyperaſpiſtes, in libello ſpeciali, vult videri Auguſtino prudentior doctiorque, & fatetur *id quod de miſſâ, Euchariſtiâ, Ordinis Sacramento, Lutherus dixit & docuit, à Diabolo verè & ſeriò accepiſſe, Diabolo omninò credidiſſe, nec tamen eſſe mendacem, quoniam fas eſt & ab hoſte doceri.* Sed Federice ſtomacho polles fortiſſimo; hoc enim ego non poſſem ullo modo transglutire; ſi tráſglutirem, non poſſem ullo modo concoquere : & tamen tu Lutherum ſequeris, quem Diabolum ſequi fateris. *Luthero Diabolus familiariſſimus.* Diabolus familiariſſimus Luthero fuit; cum eo ambulabat, diſputabat [Colloquia Menſal. edita Francofurt ad Mœnum fol. 216. a.] cum eo cubabat, dormiebat, vigilabat, Catharinâ frequentior. & duo ſuggeſſit : alterum ut Chriſtum relinqueret [Colloqu. menſal. fol. 217. a.] alterum ut *Dilemma.* miſſam abrogaret privatam [tomo 7. Witt. fol. 479. & tom. 6. Ienenſ. fol. 82.] utrumq; vehementi rationum & argumentorum inſultu. *Ergo vel Diabolo credendum eſt vel non credendum. Si credendum; CHRISTVM debuit deſerere: ſi non credendum non debuit ab eo Lutherus cæteros errores addiſcere. Ergo Lutherus utrumque credere debebat, vel neutrum: non utrumque, ut vidimus: neutrum ergo.*

cxIV. *An ſit abſurdum à Diabolo.* Addo aliud ratiocinium, quod ab ipſomet Luthero deſumo. Libro de abrogandâ miſſâ tom. 2. lat. Ienenſ. fol. 444. b. ſic ait. *Quod enim è Scripturis authoritatem non habet manifeſtiſſimum eſt ſurdum à Diabolo eſſe.* Sed quid abſurdi, niſi quod abſurdum ſit à Diabolo doctrinam eſſe? Ergo teſte Luthero doctrina, quæ à Diabolo eſt, mala eſt: at eodem Lu-

thero

thero etiam teſte præcipua Religionis Evangelicæ Dogmata ſunt à Diabolo. Abſurda igitur ſunt & peſſimam doctrinam continent.

SUfficiat hæc de Authore Hæreſeos Lutheranæ dixiſſe; qui audiunt Zvvinglium ſubdubitantē, An ſpiritus, à quo fuerit doctus fuerit niger, an candidus? & qui aliorum Hæreſiarcharum, aut mendacia aut deliria; dignabuntur hanc primam rationem attentiſſimè conſiderare. Tranſeo ad nomē & Catholicorum omnium Populorum conſenſum. Sit igitur

doctus fuerit à Diabolo?

SECVNDA RATIO.

Religio vera eadem quæ Catholica. At Lutherana (& idem de Calvinianâ & cæteris omnibus dixero) non eſt Catholica; & ſola Romana eſt Catholica. Ergo Religio Lutherana (adde Calvinianam &c.) non eſt vera. Probatur Minor, Quia omnium Chriſtianorum conſenſu Catholicorum nomine ſoli intelliguntur Romani.

Omnium Chriſtianorum cōſenſus.

QUi citò credit, levis eſt corde; unde colligo, aut D. Auguſtinum levem corde fuiſſe, aut iſtam rationem gravem eſſe, & quæ virum ſimilem Auguſtino convincat. Ille epiſtol. 170. *Quàm dolendum eſt*, inquit, *ut qui ſecundum carnem fratres ſumus, non unâ ſocietate vivamus; præſertim quia vobis facile eſt attendere & videre civitatem ſuper montem conſtitutam, de quâ Dominus ait in Evangelio, quod abſcondi non poſſit. Ipſa eſt enim Eccleſia Catholica, unde Καθ λικὴ Græcè appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet: Ideò ſecundum verbum Domini noſtri IESV CHRISTI, abſcondi non poteſt.* Et ego Sanctiſſime Pater, convincor. eſſe volo Catholicus, & quamcumque Acatholicam doctrinam aut ſententiam deteſtor. Si Religio Catholica extra Eccleſiam Romanam ſit, hanc abiuro: ſi nulla ſit Catholica præter Romanam, in illâ ſecuriſſimè maneo, & cæteras eidem adverſarias deteſtor. Quo ergo modo Catholicam ab Acatholicis potero Auguſtine diſtinguere? nam facile eſſe diſcretionem affirmas, & quia Chriſtiani omnes hodie non pauca difficillima ſcimus, facilia ignorare non poſſumus. Sed iam te audio: iam rem capio: ad ipſummet nomen recurris, & nihil notitiâ nominum facilius eſt. Contra Epiſtolam Manichæi cap. 4. ſic inquis. *Tenet me in Eccleſia ipſum* Catholicæ *nomen, quod non ſine causâ inter tam multas hæreſes, ſic ipſa ſola obtinuit, ut cum omnes Hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen Peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Dixiſti, Sanctiſſime Pater, & multum didici; & à Te doctus ad Lutheranos Ego me & ad Calvinianos converto. Singuli volunt dici *Catholici* & *Apoſtolici*, ſed volunt, & ab alijs non hoc prætenſo illi nomine, ſed *Lutherani* potiùs aut *Calviniani* nominantur. Catholicorum nomen penes Romanos ſolos eſt; Auguſtini argumentum etiamnum

Efficax eſt hîc argumentum, quod à nomine communi ſumitur.

Digitized by Google

vincit. Ergo vel Auguſtinum, vel omnes Hæreticos accuſa; quos eſt evidens temerè & imprudenter agere, ſi Auguſtinus prudenter proceſſiſſe dicatur. Habitavi in Hæreticorum Civitatibus, & hoc propriis oculis vidi, propriis audivi auribus, quod deberet ab Heterodoxis ponderari. Præter Prædicantem & pauculos qui plus ſapiunt quàm oportet ſapere, totum Hæreticorum vulgus *Catholicos* vocat Romanos. Ergo ſi Romani ſunt Catholici communi, hoc eſt, Catholicâ & omnium Chriſtianorum ſententia; nulla eſt Aſſertio magis Catholica & univerſalis, quàm, *Romanos Catholicos eſſe*, erit igitur Acatholicus, qui illam negaverit. ergo non excuſabit voluntaria cœcitas in re facillimâ: nam qui nolunt convinci ratiocinio, quo fuit Auguſtinus convictus; laureâ ipſi, qua redimitur Auguſtinus, non coronabuntur in cœlis.

CXVIII. Hoc argumentum quod deſumpſi à communi & catholico omnium Chriſtianorum conſenſu, non ſolum Auguſtinum ad Romanam Religionem adduxit, ſed & Hieronymum alioſque Patres in Romanâ Religione firmavit. Audiatur Sanctiſſimus Senex; ait enim Libro adverſus Luciferianos ſub finem. *Brevem Tibi apertamque animi mei proferam ſententiam.* [Ecce *brevem* & apertam eſſe ait, quam *facilem* dicit Hipponenſis Epiſcopus.] *In Eccleſiâ illâ permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata, uſque adhuc durat. ſicubi audieris eos, qui dicuntur CHRISTI, non à quocumque alio nuncupari, ut puto Marcionitas, Valentinianos, Montanenſes, ſive Campates* [addo *Zvvinglianos, Lutheranos, Calvinianos &c.*] *ſcito non Eccleſiam CHRISTI, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Ex hoc enim ipſo quod poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiavit. Nec ſibi blandiantur.* [Auditote Acatholici] *ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt, cùm & Diabolus aliqua de Scripturis ſit locutus, & ſcripturæ non in legendo, ſed intelligendo conſiſtant.* Nihil hic addo; hæc enim omnia mihi videntur valdè clara; tantùm ergo Argumentum Auguſtini & Hieronymi ad hanc formam reducam;

Hieronymus.

Hoc teſtimonio prima ratio firmatur.

Doctrina quæ Catholica & univerſalis tenenda eſt:

At nulla Aſſertio univerſalior & magis Catholica eſt, quàm hæc, Romani ſunt Catholici: *quia ut vidimus, illam Romani omnes & exceptis pauculis, quæ menti ſuæ violentiam inferunt, illam etiam Heterodoxi & Hæretici admittunt.*

Ergo hæc Aſſertio ab omni Chriſtiano tenenda eſt.

Sed quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem; hoc eſt ut ſit Catholicus.

Ergo ante omnia opus eſt, ut qui vult ſalvus eſſe, teneat Fidem Romanam.

HÆc ratio ſola videretur ſufficere, ſed quia Hieronymus in loco citato etiam ab antiquitate argumentum deſumpſit; illud placet expendere, & ad Dialecticas Poſitiones reducere. CXIX.

Ratio ab antiquitate deſumpta.

Sit igitur

TER-

Digitized by Google

TERTIA RATIO.

CHRISTVS & Apoſtoli (quod ſaltem Hæretici dignabuntur concedere) fuerunt Catholici, & docuerunt Religionem veram. Ergo vel hodie non dantur in Mundo Catholici; quod nemo dicet, vel ſi dantur, dabitur à Chriſto & Apoſtolis ad ipſos doctrinæ interrupta ſucceſſio. [Ago hic non de ſucceſſione Epiſcoporum, ſed doctrinæ.] ergo Te compellamus Lutherane: A Chriſto ad Te interruptam doctrinæ ſucceſſionem oſtende. Aliquos Libros Sacros è Canone confidenter proſcribis, & inter alios Machabæorum Hiſtoriam; admittis alios, ſed in diſſonos ſenſus eorundem ſententias obtorques. Sed unde habes non eſſe Canonicam Machabæorum Hiſtoriam? Vnde Euchariſtiæ conſecrationis verba reduci debere ad Metaphoram? unde cætera? Fortè à tuo Prædicante. & ille? aut ab alio Seniore; aut ſaltem à Confeſſione Auguſtanâ, & eius authore Philippo. At Philippus à quo? A Martino Luthero, qui eſt primum principium Hæreſeos. Quod ſi altiùs rem reſumere placeat, ad Diabolum veniendum eſt, à quo Lutherus didicit, quæ Te docuit. Sed à quo nova omnia dogmata, quæ vocas antiqua, *Lutherus aut Diabolus habuit? Inter te Chriſtumque dari interruptam doctrinæ ſucceſſionem non video. Profectò ante Martinum Lutherum, aliqui erant in Mundo Catholici, & hi non niſi Romani, qui tamen excommunicationis fulmine condemnarunt Lutherum. Lutherus igitur, ſi quidem ab illis, qui ante ipſum erant & dicebantur Catholici, Hæreticus eſt declaratus, doctrinam Ipſe ſuam aliundè habuit, non ab illis; ergo non poteſt ex Te Lutherano, ad Apoſtolos & Chriſtum oſtendi doctrinæ interrupta ſucceſſio. Idem edico Tibi Calviniſtæ: idem cæteris. At penes Romanos eſt doctrinæ interrupta ſucceſſio, ergo penes eoſdem vera Religio Fideſque. Probatur Minor. Quia nullus dabitur Romanus Epiſcopus, qui novam & ab antiquioribus aut etiam coætaneis condemnatam doctrinam in orbem Chriſtianum invexerit.*

An apud Lutheranos ſit doctrinæ interrupta ſucceſſio?

An apud Calviniſtas?

QUid ergo Lutherani ad hæc? actum eſt de eorundem Religione, ſi *novam* dicant; actum, ſi *veterem*: quoniam ſufficit eam eſſe novam, ut non ſit Apoſtolica & eſſe veterem demonſtrare non poſſunt cùm potiùs eſſe novam clariſſimè demonſtraverimus. Quid dicent igitur? Suam Religionem *novam* eſſe. *Novam* ipſi? *Novam* ſuam? magnum eſt pondus veritatis! Sed ubi *novam* ſuam ipſi? ubi noſtram vocitant veterē. Nimirū, in Pacis Religioſæ Diplomate, quod à toto Imperio per modū concordiæ & contractus expeditū fuit Anno 1555. Audiatur Virgilius Pingitzerus, & ſub eiuſdem præſidio Petrus Syringus & Iuſtus Springerus, nam & Theſes nonnunquam eædē ſub eodem Præſide, etiā apud nos à pluribus ſolent defendi; omnes ſunt Lutherani

Apud Dominicum Arumæum de Iure publico vol. 2. diſc. 10.

rani & tamen hæc habent Concl. XII. *Vnanimi Procerum totius Imperij Romani conſenſu, regnante adhuc Invictiſſimo Cæſare Carolo V. & vices ipſius gerente Fratre, Ferdinando Romanorum Rege inita eſt illa, nunquam ſatis laudata Religionis Pacificatio, quæ non inſcitè GERMANIÆ PALLADIVM dici poteſt, per quam hucuſque viguit, & in futurum vigebit Sacro-Sancti Imperij noſtri Majeſtas. Eſt autem Pax-Religionis Senatûs-conſultum, quo Civibus Romanis certæ Religionis liberæ colendæ facultas limitato modo conceſſa eſt à Principe, Electoribus, cæteriſve SS. R. Imperij Proceribus ceu Patribus Conſcriptis Auguſtæ Vindelicorum Anno MDLV. concordi ſuffragio factum promulgatum-ve.* Vide me in S. R. Imperij Pace licitâ demonſtrata, num. 152. & 289. Sed quid in hoc Diplomate de antiquitate utriuſque Religionis definivit Imperium? Romanam eſſe veterem: aliam eſſe Auguſtanam, hoc eſt, novã & Auguſtæ Anno MDXXX. natam. Legitur enim in Pacis Religioſæ §. 2. *Imperij Status veteri Religioni adhærentes.* §. 4. *Veteri Religione receſſerit.* & iterum *Veteri Religioni addictum.* §. 7. *Statibus Veteris Religionis.* Ecce igitur à toto Imperio definitur Religionem Romanam eſſe veterem & Lutheranam novam: ergo ab eodem Religionem Romanam eſſe veram, & Lutheranorum eſſe falſam; quoniam in Chriſtianæ hodie Religionis materiâ novitas repugnat veritati.

Quid ſit Pax Religionis?

Authoris liber, qui inſcribitur, Sacri Romani Imperij Pax.

CONFIRMATIO.

CXXI. *De ſucceſſione Pontificum.*

CHRISTVS fuit Summus Pontifex: eius Vicarius Petrus fuit; ab illo ad Innocentium X. qui modo Chriſti vices agit, in terris, ordine interrupto ſucceditur. Demonſtratur ergo Romanæ Religionis antiquitas, & novitas Hæreticarum. Vel Si Lutherana, Calviniana aut alia Secta non ſit nova, ab eo vel illis, qui modo præſunt ad Apoſtolos uſque oſtendatur Superiorum & Prælatorum interrupta ſucceſſio.

CXXII. SUcceſſionem doctrinæ à Pontificũ ſucceſſione diſtinxi; quoniam tametſi utraque ſatis clarè probetur, & ſemel probata perſuadeat noſtram Reſolutionem ſatis clarè; nihilominus fortiùs videtur ſucceſſio doctrinæ convincere. Utramque ob ſimilitudinem coniungo, ut ſe mutuò corroborent. Multos ipſæ Heterodoxos convicerunt, & inter alios Auguſtinum, qui contra Epiſtolam fundamentalem Manichæi de ſignis veræ Eccleſiæ diſputat & has binas ſucceſſiones producit. *Multa ſunt alia,* ait, *quæ in eius* [Eccleſiæ Romanæ] *gremio me juſtiſſimè tenent. Tenet* [me] *conſenſio populorum & gentium* [imò etiam ſæculorum &c.] *Tenet ab ipſa ſedes Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus poſt reſurrectionem ſuam commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum* [Epiſcopum] *ſucceſſio ſacerdotum.*

Auguſtinus hac ratione convincitur.

CXXIII. *An poſſit verum dicens mentiri?* MEntitur, etiam cùm verum dicit, qui decipere vult; nec dignus fide qui fallere velle convincitur: multa poſſem adducere, quibus mendacij Fideique oppoſitionem demonſtrarem: ſed quoniam certa illa eſt, præſtat eam ſupponere, quàm examinare. Sic diſcurro:

QVAR-

Digitized by Google

QVARTA RATIO.

Religio, quæ inventa & divulgata fuit à Viro, qui animum habebat decipiendi, & contrà mentem concionabatur, non debet admitti à prudentibus. At Lutherus ſciens & volens mentitus, quæ ſciebat eſſe falſa, docebat: Eius ergo doctrina non poteſt admitti à prudentibus. Et quidem minorem eſſe veram, negare nemo poterit, qui fuerit in libris Lutheri verſatus. [Idem argumentum formari poſſet contrà alias Hæreticorum Religiones, ſed clariùs contrà Lutheranam.]

An deceptori convicto credi debeat?

UT huius ratiocinii efficaciam meliùs intelligas & capias, aliquas periodos ſubſcribo.

Lutherus in colloquio Iſleb. de Chriſto fol. 96. § 3. *Sæpè ſic mecum cogito. Propemodum neſcio, quo loco ſim; & utrum veritatem doceam; nec ne.*

Joannes Mattheſius plures Conciones in Vitam Lutheri compoſuit, quas etiam in lucem emiſit. Immoderatis illum laudibus evehit, & quia veritas etiam non quæſita ſe inſinuat, concione ipſe 12. fol. 147. ſic inquit. *Magiſter Ioannes Muſa, Prædicans Rochlizenſis narravit mihi, ſe quodam tempore admodum dolenter Luthero queſtum eſſe, quod ipſemet ea credere non poſſet, quæ aliis prædicabat. Tum reſpondiſſe Lutherum, Benedictus ergo ſit Deus, cùm idem aliis, quod mihi uſu venit: adhuc enim id ſoli mihi uſu venire credidi.* Hic multa conſideranda eſſent; at ſufficiat evidenter videre Lutherum, Muſam &c. contra dictamen concionari & ſuadere populo, quod ipſi non credunt. Multa poſſem de Prædicantibus teſtimonia congerere, ut oſtenderem nihil eos minùs credere, quàm quæ vociferantur; at brevitas calamum abripit, ne me uberiùs in rem minus neceſſariam diffundam. Redeo ad Lutherum. Appellabant Germani ad Concilium, ut ibi audiretur Lutherus: appellabat ad illud Hæreſiarcha, ſed non ſeriò, nec ex mente. In Epiſt. ad Philippum Melanthonem data 20. Julij. 1530. hæc lego; *Poſtquam iſthæc mendaciſſima Diabolorum capita ludunt in permittendo* (promittendo) *Concilium liberum, ſic volo & ego cum eis ludere, voloq; ab eorum ſomniis appellare, ad illud ipſum Concilium, quod tamen nunquam futurum eſt, ut ego interea in pace agam.* Quæ verba Henricus Fiz Simon in ſuæ Britannomachiæ lib. 1. cap. 6. pagin. 48. ſic exponit: *Ludendum eſt & illudendum, ut pace tantillâ patiamur; nec ſcripturarum aut Conciliorum ratio aliter habenda, quàm cavillandi, ergo & imponendi.*

Contra dictamen ad Concilium appellat.

Anxius & dubius ille concionabatur CXXV.
aliquando, & quia ſciebat Romanam Eccleſiam eſſe in poſſeſſione pacificâ quàm dubia impugnare non poſſent, ſe Hæreticum ſciebat & fatebatur. In Epiſt. ad Spalatinum in tom. 2 Epiſt. Latin. *Hoc corde quo hactenus fui & modo ſum, non fiet inquit, ut uxorem ducam, non quod carnem meam aut ſexum non ſentiam, cum neq; lignum neq; lapis ſim, ſed animus alienus à conjugio eſt; cum exſpectem quotidie mortem, & meritum Hæretici ſupplicium.* Et in Colloq Iſleb. fol. 10. 125. 158. 260. 261. 288. & ſæpè alibi. *Iſtas cogitationes* (agit de exortis ab Apoſtaſia & Hæreſi

Se fatetur Hæreticū.

Digitized by Google

cuiis,) *nunquam ex animo dimitto, quin optem hanc me cauſam nunquam ſuſcepiſſe.*

CXXVI. Et quia tandem deſperatam cauſam eſſe videbat à ſe aſſumptam, ſeſe effert, & in furorem raptus libr. adverſus Henricum Regem Angliæ (habetur tom. 2. Jenenſ. Latin. fol. 520. pagin. 2.) ſic inquit, *Summus Vivens Papatus Hoſtis ero. Exuſtus bis Hoſtis ero. Ite Porci Thomiſtæ quod poteſtis; Lutherum habebitis Urſum in via, Leonem in ſemitâ; undique vobis occurret & pacem habere non ſinet, donec ferreas Veſtras cervices, & æreas frontes contriverit, vel in ſalutem, vel in perditionem.* Ecce illi ſtat pro ratione voluntas, & non qualiſcunque ſed malevolentiâ præventa & perturbata. Tanto ipſe odio in Romanum Pontificem arſit, ut Pomeriano teſte adhuc vivus hoc ſibi Epitaphium ſcripſerit, PESTIS ERAM VIVENS, MORIENS TUA MORS ERO PAPA: quod tamen vanum fuit Vaticinium, ſupereſt enim & vivit Papa, in cineres verſo Luthero, & vivet quamdiu Mundus durabit. Hoc odium erat quædam prædeterminatio, quæ mentem Lutheri præmovebat & præmovendo obnubilabat & excœcabat; hinc ortum quod ipſe ſolus ſaperet ſe judice & omnes Patres rejici deberent eo cenſore. In libro citato ſic ait. *Neque enim quæro, quid Ambroſius, Auguſtinus, Concilia* (etiam hæc?) *& uſus ſæculorum dicant: nec fuit opus mihi Henrico Rege Magiſtro, qui hæc me doceret, qui adeò pulchrè noveram, ut etiam impugnarim.* [Impugnabat igitur, quæ vera noverat.] *ut miranda ſit ſtultitia Sathanæ* [hic ſtultum dicit, quem al bi irrefragabilem Logicum aſſerit] *quæ ijs me impugnat, quæ ipſe impugno, & perpetuò principium petit. Non inquam diſputo, quid à quoquo dictum ſit, vel non dictum, ſcriptum vel non ſcriptum ſit; ſed, An hoc dictum vel ſcriptum neceſſarium ſit ſervatu? An ſit articulus Fidei? An ſit æquale verbo Dei? an conſcientiam liget?*

Thomiſtæ reſiſtunt Martino Luthero.

Epitaphium Lutheri.

Lutherus Patres & concilia contemnit

Semper petitur principiū

in Dialectica Diaboli.

CXXVII. Sed & ipſe Lutherus contra falſum nominatum Eccleſiæ ſtatum: & contrà Regem Angliæ (ut habetur tom. 2. Wittemberg. fol. 335.) *Certum eſt inquit Dogmata mea habere me de cœlo.* [Dixerat alibi ſe illa hauſiſſe à Diabolo.] *Non ſinam vel vos vel ipſos Angelos de Cœlo de meâ doctrinâ judicare. Cum enim certus de ea ſim, per eam quoque & veſter & Angelorum Iudex eſſe volo.* An hæc effutit ſeriò? Nugatur ut exiſtimo, cum tamen ſeriò locutum ſupponamus, & videamus unum aut alterum dogma, de quo eſt ſecurus. Tom. 1. Germ. Wittenb. fol. 273. f. 3. ſic inquit, *Cum tibi venit in mentem Chriſti velut Iudicis qui te villicationis ſive anteactæ Vitæ rationes reddere juſſurus ſit, tum pro certo & explorato habeas, eum non Chriſtum, ſed ipſiſſimum eſſe Diabolum.* Conſonat ſibi aliis in locis & multò clariùs tom. 2. epiſt. Latin. Iſleb. fol. 44. & tom. 6. Lat. Wittenberg. in cap. 2. cap. 23. cap. 25. cap. 42. & cap. 49. Geneſ. & tom. 4. Lat. Wittenberg. fol. 109. b. unde hæc pauca teſtimonia deſcribo. *Veriſimile eſt* inquit *exceptis paucis, omnes dormire inſenſibiles.* Iterum: *Ego puto mortuos ſic ineffabili, & miro ſomno ſopitos, ut minus ſentiant, aut videant, quam hi qui aliàs dormiunt:* Iterum, *Animæ mortuorum, nec ingrediuntur in purgatorium, nec in Infernum.* Iterum: *Anima humana dormit, omnibus ſenſibus ſepultis.* Iterumque, *Mortuorum locus cruciatus nullos habet.* Periodum primam ſic urgeo. Aut Diabolo credendum aut non. Si credendum: tota iſta inſtantia obliterari debet. Si non: tota Euchariſtica doctrina, quam à Diabolo Lutherus didicit, debebit neceſſariò abjurari. Præterea, ſi tota Fides, quā

Certitudinem ſe habere delirat, & ſe judicaturum eſſe etiam Angelos.

Lutherus negat judicium univerſale & particulare.

Imò & alterā vitā.

Corroboratur ratio prima.

quâ credimus *finale judicium* eſt illuſio Diabolica: ſi errat Eccleſia tota, cum credit *Ieſum Chriſtum judicaturum eſſe vivos & mortuos.* Si deſipit decipitque, cum ſymbolum S. Athanaſij approbat, & inquit; *Aſcendit* (Chriſtus) *ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, & inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Ad cuius adventum omnes reſurgere habent, cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt ibunt in Vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum*: tolluntur Virtutes & vitia, merita & demerita: *tollitur præmium & pœna.* hoc eſt, tollitur Cœlum & Infernus, & ſublato Deo, quâ fine ultimo, fortè manebit Theologia naturalis, at tota moralis proſcribetur. Et quidem quia abyſſus abyſſum invocat, ex hoc errore alius pernitioſior ſubnaſcitur, videlicet articulum illum, quo credimus *Animam eſſe immortalem*, eſſe Luthero Judice, *portentum hauſtum è Romano ſterquilinio Decretorum, quod Papa condidit ſibi & ſuis Fidelibus.* Hinc animoſiores redditi, Novatores cœperunt de Animæ immortalitate dubitare. Brentius hom. 35. in cap. 20. Luc. *Etſi inter nos nulla ſit publica profeſſio, quod Anima ſimul cum corpore intereat, & quod non ſit mortuorum reſurrectio: tamen impuriſſima & profaniſſima illa vita, quam maxima pars hominum ſectatur, perſpicuè indicat, quod nõ ſentiat vitam poſt hanc. Nonnullis etiam tales voces, tam ebrijs inter pocula excidunt, quàm ſobrijs in familiaribus colloquijs.* Quibus declarat licet non publicâ ſaltem privata perſuaſione & licentiâ vitæ, apud Heterodoxos iſtam invaluiſſe ſententiam, ipſoſque illam vel ſobrios interdum profiteri.

Hæc & alia cùm lego, in eam opinionem inducor Lutherum afflictum & irritatum hominem [quod ipſum de multis eiuſdem Diſcipulis etiam affirmo] pauca ſeriò aut ex mente ſcripſiſſe, pleraque ex paſſione, aut potiùs ex perturbatione. Cur enim ipſe quintum Evangelium vociferatur; cur ſuos inſtituit & noſtros; ſi poſt mortẽ ratio anteactæ vitæ non exigitur? Quod ſi Chriſtus neminem judicaturus eſt, quâ ſe fronte reponit, & homines Angeloſque ſe judicaturum affirmat?

Lutherus quo fine fuerit mẽtitus?

Contrà dictamen locutũ fuiſſe Martinum Lutherum dixi probavique. Sed interrogas quo ille fuerit fine mẽtitus? Reſpõdebo aliquas ex eo adhuc periodos ponendo. Tomo enim 2. German. Witt. in epiſt. ad Argentinenſes fol. 10. §. 4. & tom. 3. Jenenſ. fol. 104. §. 5. ſic ait. *Hoc ſanè confiteor: ſi quis ante quinquenniũ me docere potuiſſet, in ſacramento nihil niſi panem & vinum remanere, quod in magni beneficij loco habiturus fuerim. Graviſſima enim in eo ſuſtinui meq; ipſum torſi* [NB.] *& extremã mihi vim feci.* [loquendo & ſcribendo contra conſcientiam & dictamen] *ut eam ſententiam evincere & obtinere poſſem; quoniam probè intelligebam eiuſmodi ictum longè maximas ad Papatum proſternendum vires habere.* Et Tom. 2. Germ. Jen. ad Equites Teut. fol. 314. §. 3. & fol. 252. §. 4. *Si contingeret per Decretum Concilij Eccleſiaſticis nubendi poteſtatem dari, tunc ego Eccleſiaſticis omnibus loco Dei præciperem, ut nullus ipſorum vi decreti illius, uxorem ducat, ſub æternæ damnationis pœnâ, ſed potius caſte vivat; aut ſi hoc non queat, Vnam, duas aut tres cõcubinas habeat, & in hac infirmitate ſua nequaquam de Dei gratia deſperet.* Conſonat ſibi Libello de formula Miſſæ. ſerm. 4. poſt Invocat. In D. articulis: artic. 115. 302. 391. & ait: *Si quo caſu Concilium id ſtatueret, ac permitteret, tunc minimè omnium nos velle* & ſubdit. *Imò tum primum in deſpectum tam Concilij, quam ſtatuti ſui vellemus &c.*

Spiritus contradictionis.

Odium in Papam.

An Eccleſiaſtici debẽat uxores ducere?

An poſſint concubinas habere

Et iterum; *Nullo pacto ſinas te à libertate, in quam te Deus poſuit; extrudi, ſed in eius deſpectum contrarium agas, & dicas, ob id ipſum ſanè quod mihi prohibes, ideò in deſpectum tuum &c. ſic facias in omnibus.* Et tom. I. Jenenſ. Germ. lib. de confeſſ. ad Franciſcum Sicking. *Idcircò fidele conſilium meum eſt, ut homo Chriſtianus in quadrageſima & Paſchate, neq; confiteatur, neque ad hoc ſacramentum accedat, at ſic cogitet. Quandoquidem homo (Papa ſcilicet) præcipit, ob idipſum non faciam; & ſi non præcepiſſet, facturus eſſem. Faciam autem alio tempore, quo ipſe non præcipit, quando & quomodo me voluntas mea libera,* [ergo datur voluntas libera] *impulerit.* Et iterum in formulâ Miſſæ. *Amplius dicimus. Si quo caſu Concilium ſtatueret, aut permitteret utramq; ſpeciem, tunc minimè omniũ nos velle utrâq; ſpecie potiri, imò tunc primũ in deſpectum tam Concilij, quàm ſtatuti ſui, vellemus, aut utrâ tantum, aut neutrâ, & nequaquam utrâque potiri, ac planè eos anathema habere, quicunq; authoritate talis Concilij vel ſtatuti utraque potirentur.* Et quod videri debet mirabilius & miſerabilius, iterum in formulâ Miſſæ, tom. 2. Germ. fol. 214. & tom. 3. fol. 55. & 274. *Elevationem Sacramenti ſciebam eſſe idolatricam; ſed tamen* [NB.] *eam retinebam in templo Wittembergenſi, ut ægrè facerem Diabolo Caroloſtadio.* Ecce, tota fides & doctrina Lutheri problematica eſt, ſi ais, negat; ſi negas, aſſerit. Quidquid ſit contra Papam, ut verum ſtatim admittet: quod ipſum ſi admittas, ne non tibi contradicat, negabit. Videtur ſibi doctè & eruditè loquutus, ſi rivalibus ſuis contradixerit: unde omnia, quæ hucuſque ut Papæ contradiceret, dixerat, obliterat, ut diſcipulis ſuis contradicat. *Audio*, ait, *nonnullos ex hoc fundamento Anabaptiſmum inſtituere ut Papæ moleſti ſint, quippe qui nihil ab Anti-Chriſto habere velint, quemadmodum etiam ſacramentarij, nudum panem & vinum in Eucharistia credunt, ſeq; hoc demum modo Papatum dejecturos exiſtimant. Profectò hoc eorum fundamentum eſt, prorſus nullius rei, neque ſuper illud, quidquam boni ædificabunt. Nam ſi hoc juſtum ſit, oportebit nos etiam negare totam ſacram ſcripturam, & prædicandi officium (nam hoc totum ſine dubio à Papa habemus) oportebit quoque nos novam ſcripturam cudere &c.* Ita in Epiſt. ad Anabap. tom. 4. Jenenſ. fol. 320. §. 2. & tom. 2. Witt. fol. 279. §. 4.

An detur liberum arbitriũ?

An communio neceſſariò ſit danda ſub utrâque ſpecie?

Lutheri fides verſatilis & problematica eſt.

Argumentum quod nimium probat nihil probat.

QVINTA RATIO.

CXXIX. *Reſpublica benè gubernata non poteſt carere tribunali ſupremo.*

Scripſit olim Inſulam Atlanticam Plato; nuper Civitatem Solis Campanellæ: alias alii Reſpublicas, da unum qui aliquam, quæ careat Tribunali ſupremo. Si aliquis Iuſtinianus Iura edidit, vi quorum nullis litibus finis imponeretur, imprudens omnino ille fuit. Ergo ſiquidem Apoſtolicam & Catholicam Rempublicam fundavit & inſtituit Chriſtus, omnia illius ſubordinavit tribunalia alicui ultimo, alicui ſupremo, à quo non detur Appellatio: aut Legiſlator imprudens Chriſtus fuit. Et quia imprudens non fuit (nam impudentem illum dicerem, qui Chriſtum imprudentem vocaret) Reſpublica, quæ inſtituta eſt à Chriſto non caret tribunali ſupremo. At Religio Lutherana, caret tribunali ſupremo: ſupremo etiam Calviniana caret: etiam cæteræ, & Romana ſupremo tribunali non caret: ergo nec religio Lutherana (ergo nec Calviniana &c.)

Digitized by Google

na &c.) eſt Reſpublica inſtituta à Chriſto. Ergo ſola Religio Romana eſt Reſpublica inſtituta à Chriſto. Apud Lutheranam Religionem non dari ſupremum tribunal conſtat ex eorundem varietate & diſcrimine. In ſcripturis Lutheri nihil conſtans: Eadem centies aſſerta, centies etiam negata. Et ipſa Auguſtana Confeſſio, tametſi medulla doctrinæ Lutheranæ dicatur, anno M. DLXXVIII. duodecies jam mutata fuerat, nec datur Iudicium aut Tribunal, quod ultimum & infallibile ſit. Idem de Calvinianis dicendum eſt. At inter Romanos privata aliquorum ſapientum & proborum ſententia dicitur opinio probabilis: & fore certior ſi alicuius Academiæ aut Nationalis Concilij decreto roboretur: & eſſe nihilominus errori obnoxia, quouſque ab Eccleſia Romana Fidei articulis adnumeretur. Ergo, ſiquidem hoc ſupremum tribunal character eſt Eccleſiæ veræ: & hoc ipſum non apud Lutheranos aut Calvinianos, ſed ſolummodò apud Romanos reperitur, concluditur alias Religiones eſſe falſas, & ſolam Romanam eſſe veram.

Chriſtiana eſt à Chriſto inſtituta.

Auguſtana Confeſſio eſt Doctrinæ Lutheranæ medulla.

Nec juvat ad ſacram ſcripturam recurrere, illámque in Iudicem cauſarum aſſumere: Quoniam duæ ſunt Quæſtiones graviſſimæ: altera, an hæc, quæ traditur ſit ſacra Pagina? altera quomodo ſit intelligenda? In priore Quæſtione ipſa Sacra-Scriptura rei Perſonam ſuſtinet, nec eſſe Iudex poterit, niſi Circulum velimus admittere: in poſteriori: Ipſa Iudex non eſt: tunc enim controverſia inter expoſitiones ſolùm eſt, videlicet, an totius Eccleſiæ in Generali concilio congregatæ authoritas & interpretatio, ſit privatæ cuiuſcunque vetulæ aut ruſtici ſtupidi & ignari authoritati & interpretationi anteponenda? Et quia quotquot privatum admittunt ſpiritum, aſſertivè reſpondent, tam evidenter errant, ut audire deberent, quod ille olim qui interrogavit Ariſtotelem, eſſent-ne colendi Parentes? cui Prudentiſſimus Philoſophus; Qui de hoc dubitat inſtitutione non eget, pœna eget.

An in controverſiis Fidei, ſit Iudex ſcriptura ſacra?

An colendi parentes ſint?

LUtheranorum dogmata eſſe varia, diverſa, & frequenter adverſa, experientia demonſtrat, nec pluribus debet ſuaderi: non enim vellem adhibere laborem & probare, quæ nota omnibus à nemine negari poſſunt. Britannomachiam Henricus Fitz Simon ſcripſit eruditiſſimè, & in toto Lutheraniſmo & Calviniſmo, nihil eſſe quod non fuerit pluries, jam contrariè & jam contradictoriè immutatum, magna doctrinæ ubertate & ſecuritate demonſtravit. Brevitati ego ſtudeo, & tantummodò ſubſcribam aliquas Heterodoxorum Authoritates. Omitto diſſidia Lutheranorum, illæ enim fortè ideò excuſari poſſent, quod ſint inter Diverſas ſectas. Nō miror Calvinum in defenſione ſecunda adverſus Weſtphalum pagin. 155. inclamaſſe: *Evangelicos tam virulento in Reformatos crepare odio, ut citiùs illis Pax cum Turcis futura ſit & cum Papiſtis Fraternitas, quàm cum Reformatis induciæ.* At miror vocari à nonnullis Catholicam (hoc eſt Univerſalem.) Religionē Lutheri, quæ ferè in tot Sectas eſt diviſa, quot capita.

Nolo multa producere, ſatis erit ipſos audire Heterodoxos, quos ſequi nequeas, ſi audire placeat.

CXXXI. I. *Pappus.* Joannes Pappus contrà Sturmium apud Schluſſelb. in Theol. Calvin. l. 1. arg. 28. fol. 153. *Agitur nunc inter nos de Omnipotentia Dei, de unione Perſonali duarũ Naturarum in Chriſto, de communicatione idiomatum, de Chriſti corpore glorioſo, de aſcenſione eius in cœlum, de diſcrimine Sacramentorum Novi & Veteris Teſtamenti, de vi & efficaciâ Baptiſmi, de prærogativa infantium natorum ex Parentibus fidelibus, de Cœna Domini, de Prædeſtinatione, &c. de quibus omnibus Articulis nemo Pius negare poteſt, magnas inter nos Controverſias eſſe.* Et tamen hoc ipſum negat Juellus, ne quidpiam apud Lutheranos ſit, quod negari non ſoleat.

Ivellus.

Ph. Melan. Philippus Melanth. in Conc. Theo. parte 1. pag. 249. *Nulla res æquè deterret homines ab Evangelio* (hoc eſt, *Confeſſione Auguſtana*) *ac noſtra diſcordia.*

Th. Beza. Beza in Epiſt. Theol. Epiſt. 1. ad Andream Duditium pag. 13. *Exercuerunt me diu & multum illæ ipſæ, quas deſcribis, cogitationes*: ſed quæ? *Noſtros Palantes, omni doctrinæ Vento, & in altum ſublatos, modò ad hanc, modò ad illam partem deferri. Horum, quæ ſit hodiè de Religione ſententia* [NB.] *ſcire fortaſsè poſſis: ſed quæ cras* [NB.] *de eadẽ futura ſit opinio, neq; tu certò affirmare queas. In quo tandem Religionis Capite, congruunt inter ſe Eccleſiæ, quæ Romano Pontifici bellũ indixerunt? A capite ad Calcem ſi percurras omnia, nihil propemodũ reperias, ab uno affirmari, quod alter* [NB.] *ſtatim non impiũ eſſe clamitet.* Ergo aſſerente Bezâ in hoc conveniũt Acatholicæ Sectæ, ꝙ Dogmatũ conſtantiã non habeant, ſed diebus ſingulis heſternos Articulos Fidei exauthorent, craſtinosq; conſcribant & ſubſtituant: cuius in Romana Religione contrarium ipſimet Hæretici vident licet cæci.

Quotidie mutant ſuam Religionem Hæretici.

Oſiander. Oſiander ad annum 1583. *Theologi quidam, qui libro Cõcordiæ ſubſcripſerant, eumq; approbarant, mutatâ ſentẽtia eum reprehẽdere cœperunt, inter quos erant præcipui Theologi Brunſuicenſes.*

Muſculus. Andreas Muſculus in Colloq. Hertzberg. fol. 91. & 92. fatetur, *Confeſſionem ipſam Auguſtanã ab anno 1530. ad 1578. fuiſſe duodecies mutatã.* Sed quid debemus intelligere *mutationis* ſpecioſo vocabulo? ſubverſionem, inverſionem, converſionẽ, perverſionem, mutilationem, & depravationẽ, ut ipſi Lutherani teſtãtur. Vide Oſiandrũ apud Hoſium in AntiBrentio & Clebitiũ in Victoria & ruina Papatus Saxonici, & vide etiam Eccl. Sciop. c. 101. 128.

Auguſtana confeſſio quinquagint a annis fuit duodecies mutata.

CXXXII. *Dreſſerus.* Dreſſerus in Millenar. 6. pag. 86. fatetur, quod cũ anno M. DLVII. Wormatiæ proponeretur, Lutheranis hęc quæſtio, *Anne omnes uno eodemq; ſenſu hanc Cõfeſſionẽ tueri vellent?* factum fuerit, ut diſſentientes inter ſe Evangelici, nec ad Pontificiorum quęſtionem reſpondere potuerint, neque cum illis congredi. Et ſimilia exempla Amsdorfius in confeſſ. veræ doctr. Lavatherus in Hiſt. Sacrâ, Hoſpinianus in Hiſt. Sacram. part. 2. fol. 250. & Scultingus to. 4. & alii Lutherani producunt. Vide Surium ad ann. 1557.

Evangelici inter ſe cõvenire non poſſunt.

Zwingl. Zwinglius to. 2. com. de vera & fol. Relig. cap. de Euch. fol. 202. *Retractamus hic quæ illic diximus tali lege, ut quæ damus anno ætatis noſtræ 42. præponderent iis, quæ 40. anno dederamus.*

Cur plura in re tam manifeſtâ & clarâ? Differunt Lutherani & Calviniſtæ; & alterutri ſubdividuntur inter ſe, & in tot ſectas, ut videantur ſimiles Peripateticorũ Continuo, quod in infinitũ interciditur. Lindanus Ruremundenſis Epiſcopus in ſuo Dubitantio, & ex eo P. Bonaventura Hocquardus in ſuo Perſpectivo, & alii Lutheranorũ Sectas nominant & enumerant; & præter multas minus notas, & quæ in incunabilis aut infan-

Lindanus. *Hocquard.*

Digitized by Google

infantiâ perierunt, cæteras ad Claſſes recenſent. Et quidem

Primo loco Puri Lutherani ſolent poni. Sub illis militant Illyricani, Majorani, Antinomi, Manſfeldenſes, Oſiandrici, Stancariani, Muſculani, Juſtificatorii, Pfeffingeri, Paſtillari; quibus addere libet, rigidos Confeſſioniſtas, videlicet Samoſatenicos, Infernales utroſq;, Antidæmoniacos, Amsdorffianos, Antidiaphoriſtas, Antoſiandrianos, Antſvenckfeldianos, Anti Calvinianos, Manus impoſitorios, Biſacramentales, Sacerdotales, Inviſibiles, & alios plurimos.

Secundò poni poterunt Lutherani remiſſi, & cōplectuntur Interimiſtas Adiaphoriſtas, Luthero-Antoſiādrianos Luthero Zvvinglianos, Bellianos, Huſhuſios, Melāthonicos, Frōtones, Pneumaticos, Luthero-Papiſtas, &c.

Tertiò poterunt poni illi, qui Anti-Lutherani vocantur, qui tametſi à Luthero diſſentiant, à Luthero habuerunt exordium & audaciam. Recenſebo præcipuos: nimirū, Sacramentarios, Zvvinglianos, Oecolampadios, Martyrianos, Buceranos, Farelliſtas, Calviniſtas, Bezanitas, Boquincos, Richerios ſeu Marcioniſtas, Valentiniſtas, Servetianos, Alaſcanos, Cāpaniſtas, Poſtellanos, Deiſtas, ſeu Trinitarios, Anti-Marianos, Anabaptiſtas, Muntzericos Apoſtolicos, Nudipedes, Spirituales, Catharos, Tacentes, Euchitas, Enthuſiaſtas, Adamitas, Mennonitas, Tibbas, Maliapos, Liberos, Adiaphoros, Huttitas, Ambroſianos Auguſtinianos, Melchioritas, Monaſterieſes, Clancularios, Ollarios, David-Georgianos, Batenburgicos, Pacificos, Doſtoricidas, Sanguinarios, Ægidianos, Libertinos, Quintiniſtas, Anti-Chriſtianos, Dæmoniacos, Dæmonicolas, Epicuræos vel Atheos.

Aliæ etiam Sectæ ſunt, quas alii enumerant: aliæ fuerunt, quę ſenſerunt occaſum: aliæ quotidiè oriuntur, & vix domi conceptæ unum vicum inficiunt, cùm jam Catholicæ volunt vocari; cùm tamen nihil certiùs ſit, quàm illas, non eſſe Univerſales, *Omnes & ſingulæ*, [utor Hilarii conceptu, imò etiam verbis.] *dum ſe invicem vincunt; nihil tamen ſibi vincunt: Victoria enim earum* [nimirùm, quæ ex tanta hæreſeon varietate & contradictione reſultat,] *Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt, dum in eo hæreſis contra alteram pugnat, quod in Hæreſi altera Eccleſiæ fides maneat.* Omnes Sectæ ſunt ſibi ipſis contrariæ: Differunt in Canone ſacræ ſcripturæ, differunt in expoſitione, nec omnes eodem modo admittunt Canonicam Lutheri Grammaticam, quā tradit tom. 5. Witt. Latin. fol. 171. b. nu. 5. Comm. in cap. 3. ad Gal. Ubi ait. *Hæc tibi norma & regula eſto, quam in Scripturis Sacris intelligendis ſequaris*; [tu attende] *ubicunque ſcriptura jubet bona opera facere, tu id ſic intelligas, quod ſcriptura prohibeat bona opera facere*; vel aliter in hunc modum: *Tametſi Papiſtæ ingentem cumulum locorum Scripturæ afferant, in quibus bona opera præcipiuntur, ego nihil curo omnia dicta ſcripturæ, ſi etiam ijs adhuc plura afferrentur. Tu quidem Papiſta valde quidem faſtidis, & ferocem te facis cum ſcripturâ, quæ tamen Chriſto ut Domino ſubeſt. Itaque nihil eâ re moveor. Age ſanè; famulo nitere quantum voles.* Et quidem hæc Regula admittenda eſt vel non. Si admittitur, ſeriò non agit Chriſtus: ſi non admittitur; ſeriò eſt condemnandus Lutherus.

CXXXIV.

Hilarius de Trinitate lib. 7.

Mart. Lutheri Grāmatica, contemnit ſcripturas illasq; in ſenſum contrariū obtorquet.

Dilemma.

Quanta ſit Lutheranorum diſſenſio, & quanti apud ipſos fiat hæc Hæreſiarchæ Regula, clariſſimè videmus quotidie. In eundem convenire locum Evangelici ſolent, at rarò in eandem opinio-

CXXXV.

Colloquiū Altēburg. Impreſſum fuit Jenæ in 4. anno 1569.

Digitized by Google

opinionem vel dogma. Carent credendi regulâ; & ideò in eorundem Comitia tot confluunt, Religiones quot capita. Alia poſſem producere, ſed placuit Colloquium Altenburgenſe ponere; nam in ipſo [à 20. Novemb. 1568. ad 9. Maij 1569.] Electorales Theologi, Paulus Eberus, Henricus Salmuth, Andreas Freidhub, & Gaſpar Cruciger Junior contra Lutherum ſtatuunt opera requiri ad ſalutem. Sequuti ſunt Maiorē, qui libro contrà Amsdorffium c. 2. anno 1552. operum neceſſitatem admittit. Stant à Luthero Theologi Ducis Saxoniæ, Joannes Wigandus, Joannes Fridericus Cœleſtinus, Chriſtophorus Irenæus, &c. Et ſemper ſtat Lutheri doctrinam non ſtare: ſed in tot dividi & ſubdividi ſectas, ut numerum Perſonatum exæquent. Hæc ſufficiant ut hoc argumentum formemus.

Religio vera debet eſſe certa, conſtans, & uniformis.

At Lutherana, Calviniana &c. nil certi habent; ſunt diſformes, inconſtantesque & ſola Romana ſibi conſtat, & retinet antiquam doctrinam, &c.

Ergo nec Lutherana nec Calviniana, nec aliqua alia Acatholica Religio eſt vera. Ergo ſola Catholica, hoc eſt Romana, eſt vera.

Conſequentia eſt legitima: Minor jam clarè oſtenſa: major ab omnibus admiſſa & præcipuè à Luthero to. 7. Ger. Witt. fol. 561. dicente; *Eccleſia non debet nec poteſt mentiri, nec falſum docere: nec in unico quidem capite.* [NB.] ſi petas rationem hanc ſubdit. *Eſſe nimirum Eccleſiā Dei os, & Deum nec decipi nec decipere poſſe.*

CONFIRMATIO I.

Quæ & qualis ſit Reſpublica à Chriſto inſtituta?

CXXXVI. *Inſtitutor Reipublicæ, ni imprudēs ſit, omnia ad finē media neceſſaria concedit. An Chriſtianis omnia ad ſalutē neceſſaria conceſſa?*

CHriſtus Rempublicam Chriſtianam inſtituit: ſed quam? veram omninò: nullam aliam. At hodie Chriſtiana Reſpublica, eſt hodiè diviſa in multas ſectas, & ſingulæ ſe vocant veras: cæteras falſas. Vnde igitur cognoſcere potero, quænam inter centenas Religiones ſit illa, quam Chriſtus inſtituit? Rationem fortiſſimam poſui: illam confirmo. Pronuncio Eccleſiam, in quâ Chriſti inſtitutio verſatur, eſſe veram, cæteras omnes eſſe falſas. Ergo, cum finis Inſtitutionis fuerit, vita æterna, (nam de hoc nemo mortalis dubitat) inveſtigandum eſt. An Chriſtianis ſuis Inſtitutor, omnia neceſſaria conceſſerit ad æternam Salutem, vel non? & ſi non, An quia noluerit, an verò quia non potuerit? Chriſtum Chriſtianis ſuis neceſſaria concedere potuiſſe ſtatuo; eſt enim Deus Omnipotens & infinitus. Addo & concedere voluiſſe, quia ſummè eſſet aliàs imprudens, ſi poſſet & tamen nollet neceſſaria concedere. Addo & dediſſe: hæc enim conſequentia [Potui: Volui: ergo feci] *judico infallibilem eſſe, qui enim finem intendit, omnia adhibet neceſſaria, ut aſſequatur illum, niſi imprudens aut ſtupidus ſit, quod de Chriſto Domino dici non poteſt. Tunc ſic. Conceſſit Chriſtianis à ſe Inſtitutis Chriſtus neceſſaria ad ſalutem. At inter alia neceſſaria eſt infallibilis & certa cognitio earum rerum, quæ requiruntur neceſſitate medii (ideò enim de medii neceſſitate eſſe dicuntur, quod eis omiſſis, etiam ſi ex ignoran-*

Qualis hæc conſequētia ſit potui volui: ergo feci? Quid ſit rem eſſe de neceſſitate medii.

De rebus neceſſita-

Digitized by Google

gnorantia inſuperabili omittantur, tunc habebitur æterna vita, cum finis non poſitis mediis.) Ergo Reipublicæ à ſe inſtitutæ Chriſtus conceſſit aliquem certum & infallibilem modum aſſequendi Veritatem, ſaltem in controverſiis, quæ de illis diſputant, quæ de neceſſitate medii eſſe neceſſaria dicuntur. At eiuſmodi certus & infallibilis inveniendæ Veritatis modus, nec apud Lutheranos, nec apud Calvinianos, nec apud ullos alios Acatholicos eſt: atqui eſt apud ſolos Catholicos ſeu Pontificios: Ergo ſola Pontificiorum Eccleſia illa eſt, quam Mundi Salvator inſtituit.

te medii requiſitis, & de earumdem notitiâ.

SEmel demonſtrato Eccleſiam ſeu Rempublicam inſtitutam à Chriſto, in eſſentialibus & ſubſtantialibus errare nō poſſe; hoc eſt habere privilegium ab Inſtitutore conceſſum, vi cuius in notitiâ rerum, quæ neceſſariæ ſunt de neceſſitate medii errare non poſſit: facili negotio, ad ea quæ ſunt de neceſſitate præcepti, & ad ea quæ ſunt accidentalia, poſſet conſequentia diduci, partim aſſerens & partim negans: ſed quia hæc ipſa diductio minùs eſt neceſſaria, & maiore molimine pertractari deberet, ab ea impræſentiarum ſuperſedeo, Veritatemq; Romanæ Eccleſiæ ab aliis motivis confirmo.

CONFIRMATIO II.

ARguebam ſic. [Eccleſia vera in Articulis ſubſtantialibus Fidei errare non poteſt: At Eccleſia Romana eſt vera; Lutherana & Calviniana non ſunt veræ: Illa igitur in ſubſtantialibus articulis errare non poteſt, iſtæ poſſunt.] Hanc eandem rationem verto, & ad alium modum & figuram reduco. Sic diſcurro: [Religio vera in articulis ſubſtantialibus Fidei errare non poteſt: At Religio Lutherana (& idem de Calviniana & cæteris Acatholicis dixero) errare poteſt: imo ſolet. Ergo non eſt Religio Vera. Minorem probant omnia Lutheri ſcripta, quæ multa & varia ſunt, in quibus nullus eſt articulus Fidei, qui non aſſeratur, nullus qui non negetur, aut expreſsè & implicitè. Minorem firmat ipſa Auguſtana Confeſſio toties mutata (hoc eſt verſa, converſa, inverſa.) Minorem ipſamet Ioannis Calvini Inſtitutiones, quæ ſæpè prodierunt alteratæ. Eandem confirmat quorumcumque Theologorum Hæreticorum aut etiam Civitatum collatio, in ſingulis enim angulis diverſimodè creditur, & Libri ſinguli diverſam (imo adverſam) complectuntur doctrinam.

Rationis præcedentis inverſio

Errorē varietas & inconſtantia monſtrant.

QUi omnes velit Lutheri contradictiones legere vel colligere, deberet eius omnia reſcribere; vix enim quid piam ab eo aſſertum, quod nō etiam ab ipſo negatum. Multas contradictiones & mendacia collegit P. Bonaventura Hocquardus, Ordinis Minorū ſtrictioris obſervantiæ Reformatorum, in erudito illo Opere, quod *Lutheranorum & Calviniſtarum perſpectivū* inſcribitur: Articulo enim vigeſimo-tertio iſtum præfigit Titulum, *Contradictiones à Martino*

Perſpectivum Hocquardi.

Contradictiones Calvini. Henrici Fitz Britannomachia.

Luthero Lutheranorum Prophetâ, Evangeliſta, Coryphæo, in diverſis rebus etiã maximis Fidei commiſſæ. Illasq; expẽdit a pag. 374. ad 934. nimirum per paginas 560. quæ ad librum complendum ſufficerẽt. Calvinianiſtarum contradictiones & incõſequentias dilucidat & enumerat Henricus Fitz Simon, toto illo libro, qui inſcribitur *Britannomachia Miniſtrorum in plerisque & Fidei Fundamentis & Fidei Articulis diſſidentium:* etiam ego alibi: etiam alii doctiſſimè & eruditiſſimè. Hanc ob rem nolo hic multum hærere, ſed ſupponere eſſe hoc tàm evidens, ut à Lutheranis nec poſſit nec debeat negari.

SEXTA RATIO.

CXL.

Quænam ſit Patrum & ſanctorum Religio?

An inter Hæreticos ſint ſancti?

IN vera Religione ſunt ſancti: ita ut Vitæ ſanctitas & Religionis Veritas videantur adæquatè converti: illa enim & ſola Religio, quæ habet ſanctos eſt vera: & illa unica & ſola, quæ eſt vera ſanctos habet. At omnes illos veteres, quos colunt Heterodoxi, ſunt Romani, & in ſuis novis Sectis nullum habent, qui ſit, fueritvè converſationis inculpabilis. Ergo Religio Romana unica & ſola, vera eſt: & cætera mendaces & falſæ.

Sancti qui ab Hæreticis citantur ſunt Romani.

LUtherus & Melancthon Gelaſium, Pium, & Gregorium ſummos Pontifices, Chryſoſtomum, Irenæum, Cyprianum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum in Auguſtanâ Confeſſione producunt, licet immeritò; & eorum teſtimoniis totam ſuam doctrinam roborare conatur. Calvinus tametſi multos alios alleget, ſolo Auguſtini teſtimonio contentus eſt. At illi omnes ſub Eccleſiâ Romanâ militarunt. Ergo Hæretici, cùm viros ſanctos & Illuſtres quærunt, non niſi ad Romanã Religionem recurrunt. Et li. de votis Monachorum [habetur to. 2 Lat. fol. 480. b.] Bernardum, Franciſcum, Bonaventuram, & alios *ſanctos* nuncupat. Videamus igitur quos qualesque Sanctos habeant Sectæ Acatholicæ.

CXLI.

Quis & qualis fuerit Mart. Lutherus?

Incipio à Martino Luthero. Religioſus fuit, & Apoſtata; duxit in Uxorem Catharinam Boram, Monialem: perditiſſimè vixit, & in ebrietate mortuus eſt. Eraſmus in Epiſtolâ ad Godenium, eum ſceleratiſſimum fuiſſe, ex eius ſcriptis collegit. Nos ob oculos ponimus hæc paucula.

Eius uxor ſacrilega.

Eius vita ſceleſta.

Eius Genius.

Fuit ebrioſus & vorax.

Colloq. Francofurt. 1571. fol. 445. ſuum genium & mores depingit. *Nihil ſingulare,* ait, *in vitâ meâ eminet. Poſſum jocari, potare, frontem exporrigere, ridere: ſumque cõmodus & facetus convivator: cumque unum biræ aut cerviſiæ cantharum teneo, ſtatim dolium ipſum totum concupiſco; ſæpiùsq; bene bonũ hauſtum facio in Dei gloriam. Pro eo itaq; quòd priùs macerabã corpus meum, mox cum mortuus & in capulo poſitus fuero Vermibus ventricoſum beneq; craſſum Doctorem eſcam dabo.* Et uſq; adeò genio & inertiæ indulſit, ut in Colloq. Isleb. de Fanaticis dixerit; *Ego non ita ſum affectus, Papæ ut cauſa meum otium, cibum potum & recreationem velim corrumpere:* imò neq; Chriſti ut causâ illud velit; ait enim. *Si cœlum apertum viderem, idq; culmo ſtramineo de terra ſublato mereri poſſem, culmum nequaquam vellem tollere.* O ſummam Germani Evangeliſtæ devotionẽ! Et quò tandem tota iſta doctrina protendit? Ille, *Voramus ad mortem,* ait, *potamus*

Ignavus.

Rei divinæ contemptor.

Digitized by Google

mus ad egeſtatem, & ad infernum dormimus. [parcant modeſti oculi & aures] *viſimus*, addit (fortè *mingimus*) *pedimus cacamus, deniq; ad mortem.* Vide Colloq. Iſleb. de Fanaticis fol. 356. §. 2. & de creatione fol. 59. §. 5. & de mundo fol. 70. §. 5. & Poſtilla Dom. 9. poſt Trinit. fol. 124. Quod ſi adhuc mirabiliora legere placeat, recognoſce Breviſſ. annot. in cap. 15 Mat. tom. 5. Lat. Wittenb. ibi enim ait, *Omnis ſanctitas conſiſtit in cacando & mingendo.*

Generaliora hæc ſunt; ſed quæ ſufficiunt, ut hominis impietatē noſcamus. Veniamus ad ſpecialiora. Quanti ipſe totam primam tabulam fecerit, conſtat ex formula miſſæ: tom. 2. Germ. fol. 214. & tom. 3. fol. 55. & 274. ubi ait, *Elevationem Hoſtiæ eſſe idololatriam & hanc ſe permiſiſſe, eo tantum fine, ut Caroloſtadium vexaret*: & ut vides errat in Fide, & contra dictamen & conſcientiam procedit, ut vel ſic torquere poſſit corrivalem. Et apud Henricum Fitz ait, *Doctori Staupitio ſæpè confeſſus ſum, non de mulieroſis, ſed verò atrocia & ſolida facinora*: & hinc conſtat quanti fecerit ſecundam tabulam.

Hæc eſt Lutheri pietas & ſanctitas; & quia agens intendit ſibi aſſimilare paſſum, hanc eandem, in ſuos magno concionum & librorum apparatu & molimine inſpirat. to. 2. Latin. Witt. fol. 74. §. 4. docet *unicum eſſe peccatum, ſolam videlicet infidelitatem: eundem qui credit, peccare non poſſe*: & ſui oblitus, ſuadet *ut ſint peccatores & peccent fortiter.* Ibidem in Colloq. de peccat. edit. Iſleb. fol. 130. b. urget, *ut blaſphemias, parricidia, Dei contemptum, adulteria &c. confidenter committant.* Et tom. 4. Germ. Witt. fol. 305. §. 5. exiſtimat, *eos eſſe germanos, & veros ſanctos, qui fortibus & atrocibus peccatis obnoxij*: & ut uno ictu omnia tollat peccata, to. 1. Germ. Witt. com. in c. 5. ad Galat. fol. 273. & tom. 5. Germ. Witt. fol. 112. & in colloq. Iſleb. de Fanat. fol. 369. *Nos prorſus*, inquit, *nec debemus nec volumus pati vel unicam Moyſis legem aut unicum præceptum cervicibus noſtris imponi.* Et iterum: *Ita omninò manifeſtum eſt, Iudæis tantum, non nobis data eſſe decē Præcepta.* Et tandem: *Tollantur de medio decem Præcepta Dei, & ceſſabunt omnes hæreſes: nam decem Præcepta ſunt fons, ex quo velut ex ſcaturigine hæreſes omnes emanant*; &c. & tom. 1. Epiſt. edit. Jenæ fol. 345. in eundem ſcopum mirabiliter dialecticatur. *Si vera eſt gratia*, ait, *verum non fictum peccatum ferto: cum Deus non faciat ſalvos fictos peccatores*: ergò fortiter peccandum eſt, ut veri peccatores ſimus.

Tollit Decalogum.

CXLIII. Obedierunt tam benè Prædicantes huic legi, ut apud omnes exoſi & infames evaſerint, & ut illos excuſet Lutherus ad neceſſitatem recurrit: in Poſtillâ Eccleſ. Dominic. 4. & 26. poſt Trinit. & in cap. 46. Geneſ. *Bene habet*, inquit. *Cape, furare; rape, quod lubet. Veniet tempus cum vice verſa præda tua aliis prædonibus præda erit.* Conſonat ſibi aliis in locis. Inquit alibi; *Tametſi peſſimo ſanè loco ſint res noſtræ, cùm omninò Prædicantes furari cogamur, nihilominus alacriter in nomine Domini furari poſſumus. Omninò enim urbani cives & agricolæ, cum quid nobis dant, ſe veluti furibus & prædonibus ſe illud dare perſuaſum habent.* & alibi. *Brevi rurſum eò rem redire oportebit, ut probi ſinceri ac fideles Prædicantes cœlibem vitam ducant, & alienis uxoribus ac filiabus utantur; quæ cùm erga ipſos benè affectæ fuerint, etiam mariti ac Patres eos diligere cogentur.* Ita ille tom. 2. Germ. Witt. ad cap. 31. Geneſ. fol. 215. §. 3. Et in Colloq. Iſleb. de Prædicantib. fol. 235. §. 4. Vide Britan. lib. 2. cap. 2. nu. 5. & Henricum Fitz in Britannomachiæ lib. 3. cap. 5. part. 10. pag. 342. Ecce his duobus locis Lutherus furtū & adulterium ſuadet, excuſatque æque impia ac ridi-

Furta & adulteria præcipit & permittit.

 ridi-

Digitized by Google

ridicula fundamenta ponendo. Videtur voluiſſe ethniciſmum à Græcis tráſferre ad Germanos, nam in Gentilium libris interdum legimus *fures ab ingenio laudari* : & Ariſtoteles inter alia falſa & abſurda loco axiomatis haberi voluit *Bonum eſſe adulterari cum uxore Tyranni tempore belli.* Quod ipſum inter Philoſophica poſuit, expoſuitque Monfortius pag.49.

Hæc de Luthero & Lutheranis breviter dixiſſe ſufficiat:aliquid de Calvino & diſcipulis eius dicamus.

Ioannes Calvinus Sodomita: publica ſententia damnatus & liliatus. Fuit Preſbyter Noviodunenſis : captus convictusque de infando crimine; fuerat adjudicandus igni, ni interpoſitus fuiſſet imprudens Amicorum favor. Leniuntur Judices,& ſententiâ mitiore ſignatur lilio Gallico, & Civitate pellitur. Si dubites, lege Cochlæum, aliosvè, qui Hæreſiarchæ huius miſerabilem vitam mortemq; literis commendarunt. *Abſit*, ait Beza, *ut Calvinum inter ſanctos referam* : eundem alii adſcribunt perditiſſimis : & mirum eſſet tam multa & execrabilia falsò dici, voluiſſeque Deum, Mundum reformari & inſtitui ab homine liliato & nefario.

CXLIV. *An Calviniani Atheiſtæ ſint?* Sub Hæreſiarchis iſtis multi Prædicantes perierunt; quorum ſceleratiſſimam converſationem noſcunt ipſi Acatholici, apud quos ſunt execrabiles & intolerabiles.

VVhitgiſt. Whitgiſtus in ſua Defenſ. à pag. 31. ad 51.& clariùs pag.278. *Eccleſia noſtra plena eſt Atheiſtis.*

Parkes. Parkes in epiſt. dedic. Apol. *Hæ contentiones noſtræ* (licet Barlous & Epiſcoporum fautores, omnia inter nos pacata eſſe dicant, & nobis perſuadere conentur.) *Non minimæ ſunt ad Atheiſmum præparationes.*

Sandes. Eduinus Sandes in Relat.num.45.& juxtà editionem anni 1605. *Noſtræ lites ad Atheiſmum augendum domi, & Mahumethiſmum foris vehementer faciunt.*

Covellus. Covellus in modeſto & rationabili examine pag.179.juxtà editionem Londinenſem anni 1604. *Quæcumque irrepſerunt profanationes in Eccleſiam noſtram; quæcumque Sabbati violationes, quæcumque irreverentiæ contrà divinas ſine concionibus preces ; breviter Atheiſmus & Hypocriſis in omnibus Ordinibus huius Regni Puritanorum impio deſpectui, Libri publicarum precum accepta referantur.*

CXLV. *Kingus.* *Qualis ſit Reformatorum pietas & ſanctitas.* *Qualis ſit Anglia?* Kingus Londinenſis Epiſcopus ſuper Jonam ſect.32. pag.442. *Iam ſumus nos peregrini operibus & fructibus pœnitentiæ, ut quid ſignificet pœnitentia vix intelligamus. Adeòq; procul abeſt, ut veriſſimus Iſraëlita cum Natanaële, aut ex parte Chriſtiani cum Agrippâ, ut potiùs convincamur eſſe perfecti Athei. Et quod Tullius inter naturæ portenta retulit, in quâdam regione ex ſiccitate cœnum, & ex pluvia pulveres ſuſcitari, in nos verè quadrat, apud quos abundantia gratiæ peperit abundantiam peccati. Et ſicut aliqui ex lege arripuerunt occaſionem maioris nequitiæ, ſic iniquitas noſtra nunquam fuiſſet adeò luxurioſa, niſi ex Evangelij exuberantia.*

Barlous. Barlous conc.21.Sept.1606. *Religio in Anglia ab annis multis converſa in ſtatiſmum, brevi tranſibit in Atheiſmum.*

Ieffrius. *Quale Londinum?* Richardus Jeffrius in Concione habitâ Londini 7.Octob. Anno 1604. *Liberè eloqui poſſum, quod manifeſtè vidi in meis itineribus, & adnotavi ex quibuſdam diſcurſibus : Nunquam in Belgio maiorem ebrietatem, in Italia maiorem Luxuriam, in Iudæa maiorem hypocriſim, in Turcia maiorem impietatem, in Tartaria maiorem iniquitatem, quam in Anglia generaliter, ſpeciatim verè Londini eſſe in uſu.*

Tale eſt Londinum aſſerente Richardo, at vix eſt umbra Genevæ, de quâ occini ſolet hoc Diſtichum:

Furum

Digitized by Google

Furum & Latronum atque impoſtorum
& nebulonum
Natura hic poſuit, quidquid ubique
fuit.

Sic vulgus: cui apud Bezam in libro quem Sicophantem inſcripſit, adſtipulatur Caſtalio dicens: [*Vocant Genevam* Civitatem Sanctam, *Conventiculum vero ſuum* Jeroſolimam: *at nos dicimus*, O Babylon, Babylon: ô Ægypte: ô Sacrificuli Ægyptii, & Babylonici Incantatores.]

Calvinus de ſcandalis [juxta edit. Gall. anni 1560. in quatern. K. 1. a. b. & juxta editionem Latin. pag. 65. 66. 118. 127. 128.] adverſus Genevenſium Adminiſtros hæc habet. *Quidam miri ſunt ad captandum Artifices. Humaniter excepti, ſpoliatis hoſpitibus, fugâ dilabuntur. Alij ancillas ad flagitium pelliciunt; ipſusq; ſine ſcrupulo conjuges ſollicitant. Alij mutuò petunt quantum valeat, quod nunquam reddituri ſunt. Alij depoſita ſibi uſurpant: &c. Ipſimet Paſtores, turpiſſimæ ſunt nequitiæ, vel malorum aliorum exempla &c. Et tales ſcilicet in contemptu ſe eſſe apud plebem, aut etiam ludibrij causâ digito demonſtrari queruntur. Ego verò potius miror* [NB.] *vulgi patientiam, quod non eos luto & ſtercoribus mulieres & pueri operiant.*

Et ut aliquem nominatim notemus, producam Authorem Anonymum in extracto Reſponſionis ad Edictum, qui ait; *Agit de Domini VValteri Raleighi ſcholâ Atheiſmi: ut etiam de Mago eiuſdem Inſtitutore: & de diligentia in infatuandis Iunioribus Aulicis ibidem impensâ: in quâ ſcholâ Moyſes, & Chriſtus Dominus cum veteri novoque Teſtamento habentur ludibrio, docenturq; inter reliqua Diſcipuli inverſè Deum pronunciare* [nimirum faciendo ex God *Deo* Dog *Canem*] Fuit Walterus captus, & in turrim Londinẽſem invectus; ubi, quia vexatio intellectum immutat, ex Atheiſmo formali ad virtutem (hoc eſt, ad Calviniſmum) rediit teſte Henrico Fitz in Britannom. lib. 1. cap. 12. pag. 114. *Atheiſmus virtualis.*

ſed reponet aliquis Heterodoxus, etiam apud nos ſceleratos homines reperiri; & apud Evangelicos & Reformatos multos Sanctos. Cum lachrymis concedo illud prius, & nego rotundè hoc poſterius. Non arguebam ſic: *Religio vera illa eſt, quæ nullos improbos habet: Romana nullos improbos habet: ergo Romana eſt vera.* Non inquam arguebã hoc modo: Collegium enim Apoſtolicum, etiam vivẽte Chriſto, Judã habuit. Sed iſto omninò: *Religio mala certè eſt, quæ nullum ſanctum habet: Lutherana, Calviniana &c. nullum ſanctum habent: ergo iſtæ Religiones ſunt malæ.* *An apud Heterodoxos ſint ſancti?* Et nomine *Sancti* illum intelligo, qui fuerit non jam in aliqua virtute morali, clarus, ſed in omni; qui fuerit inculpabilis vitæ, & ſimilis Auguſtino, Bernardo, Franciſco, Bonaventuræ, & aliis, qui Pontificii fuerunt, & ab ipſomet Luthero & aliis Hæreticis vocantur *ſancti*. *Quid ſancti nomine intelligendum?* Poſtulamus nobis deſignari vel unum qui vitæ ſanctitate [aut etiam miraculis & revelationibus] fuerit illuſtris, & tamen vixerit extra Eccleſiam Romanam, & oſtendimus duo; alterum eos omnes, qui apud Heterodoxos coluntur, eſſe noſtros; alterum apud ipſos reperiri non paucos modeſtos pacificosque; Sanctum verò & inculpabilis cõverſationis: nullum; nullum. Et quod mirabilius omninò eſt, eorundem Patriarchas, Martinum Lutherum & Joannem Calvinum, fuiſſe homines perditiſſimæ vitæ, nec dignos qui diſcipulos habeãt. Quod ipſum fatentur, quotquot ab utroque ſeducti, nolunt enim *Lutherani* aut *Calviniani* dici, nam pudet illos talis nominis. Conſentiunt ipſimet Prædicantes & inter ipſos ille qui ante annos pauculos in Palatinatu ab

Digitized by Google

Quæſtio à Rebolledo Prædicanti propoſita.

Illuſtriſſimo D. Comite de Rebolledo, Gubernatore Comitatûs, rogatus, *An Lutherum Calvinumque eſſet admiſſurus, ſi in Mundum reduces, illi vellent adhærere aut convivere?* ſincerè reſpondit coram me, eiuſmodi Pacis publicæ perturbatores repulſurum, ſeque nec Lutheranum nec Calvinianum, ſed Chriſtianum purum & reformatum eſſe, ac ideò nec Lutherum, nec Calvinum curare.

SEPTIMA RATIO.

CXLVIII. *Quænam ſit Religio quæ veris miraculis daret?*

Quæ ſint vera miracula?

An hodie ceſſent?

Vera miracula à ſolo Deo poſſunt fieri: ea enim quæ à natura, ſed rariùs fiunt, & ea quæ ab Angelis & Dæmonibus poſſunt, non vocantur vera miracula. Cum igitur Deus non poſſit mentiri, non poterit Deus falſam doctrinam miraculis confirmare. Ergo ſolùm in Religione verâ vera reperiuntur miracula. Atqui apud Lutheranos, Calvinianos &c. ceſſant miracula ut ipſimet confitentur: apud Pontificios non ceſſant. Ergo iſti procul dubio ſunt in Eccleſia & Religione vera, illi in falſa.

Plerique Hæretici dicunt ſe inſiſtere Auguſtini doctrinæ.

Laudant Auguſtinum Hæretici, ſanctiſſimum doctiſſimumque, Illum ſolum Ducem habere volunt, & cæteros Patres rejiciunt. Ergo ſtent vel ſemel conſequentiæ doctrinæ, & S. Auguſtinum ſequantur. Sic arguo. [Septima hæc Ratio ſecundum Auguſtinum eſt evidens & demonſtrativa, & cui ſolus contumax reſiſtere poſſit; Vir ſincerus & prudēs dare manus & cedere debeat. At vos vultis ſequi Auguſtinum; ergo ſicut ille, ſic etiam vos de huius rationis efficaciâ, judicare debetis.] Probo maiorem producendo unam aut alteram Periodum ex Auguſtino de utilit. cred. cap. 17. inquit, *Culmen authoritatis obtinuiſſe Eccleſiam hæreticis miraculorum majeſtate damnatis.* Et iterum de ſign. Eccl. contr. Epiſt. fund. cap. 4. ait: *Omittens ſinceram ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis multa ſunt alia, quæ in ejus gremio* [NB.] *me juſtiſſimè tenent. Tenet conſenſio Populorum atque gentium* [hodie autem inter Sectarios nulla datur conſenſio] *tenet Authoritas miraculis inchoata, ſpe nutritâ, vetuſtate firmata* [& tamen hodie ceſſant miracula apud Heterodoxos, quæ apud nos frequentiſſima ſunt. Spes illorum in præſumptionem tranſit. Exauthoratur Charitas, & juſtificatio peccatoris ſoli Fidei aſcribitur. Et tandem eorundem Religio non vetuſtate (concepta eſt enim anno 1517. nata anno 1530.) ſed merâ novitate firmatur] *tenet ab ipſa*, &c.

Apud Hæreticos quot capita tot ſunt ſententiæ.

Miracula.

Richardus de S. Victore; & ipſe pius & Pontificius, Deum generosè alloquitur, & ait: *Domine, ſi error eſt* (nempe id, quod credimus) *à te decepti ſumus: nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt.* Ita de Trinitate lib. 1. cap. 2. [Vide I. Lipſium in Virgine Aſpricollenſ. cap. 2. pag. 5.]

Dicunt Hæretici apud ſe eſſe ſupremum Tribunal, quoniam apud ipſos & ſacra ſcriptura, quæ eſt Regula omnium veritatum, & quia multi ſunt, qui loquuntur hoc modo, ſit.

OCTA-

Digitized by Google

OCTAVA RATIO.

Vel datur in orbe Chriſtiano authoritas & infallibilis cenſura, quæ diſcernat Libros Canonicos à Non-Canonicis: vel non: ſi non datur, nulla datur Religio, quæ ſit certa, & per Conſequens non datur Fides divina, quæ enim incerta Fides eſt, Catholica & divina non eſt. Vel dicito, quam certitudinem ego habere potero, ſi duos libros habeam, & neſciam, an utrumque an neutrum, an alterutrum Deus dictaverit? Ergo ante omnia debet ſtatui Librorum revelatorum Canon. Sed unde ille ſtatuetur? Ex Eccleſiæ definitione, ſi ſtemus doctrinæ Auguſtini tom. 6. contra Epiſt. fund. c. 5. dicentis: [Ego Evangelio non Crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas:] & ſi ſtemus novæ ſectariorum doctrinæ, ex ipſamet ſacra ſcriptura. Sed male hinc: [Quoniam ſi nihil credendum eſt, niſi quod in ſacra ſcriptura eſt, nihil omninò credendum, quod in ſacra ſcriptura eſt; quia non debebit credi hos libros quibus utimur, eſſe ſacram ſcripturam, quoniam eos eſſe ſacram ſcripturam non eſt in ſacra ſcriptura:] vel date teſtimonium indubitatum, in quo dicatur, quinq; Libros Moyſeos, quibus nos utimur, & non fortaſſis alios quibus non utimur, eſſe ſacram ſcripturam. Monſtrum Dialecticũ at legitimè natũ.

Tunc ſic. In Religione Catholica & vera datur infallibilis authoritas diſtinguendi Libros Canonicos à Non-Canonicis: At hæc authoritas non eſt in ſacra ſcriptura ut oſtendimus. Ergo neq; apud Lutheranos, Calvinianos, &c. qui nihil admittunt, quod non ſit in ſacra ſcriptura. Ergo hæc authoritas eſt in Religione Romanâ tantummodò: nam excluſâ Lutheranâ, Calvinianâ, &c. ſola remanet; & quæſtionem, quæ examinat, An hic vel ille liber ſit Canonicus? Concilio generali, hoc eſt, toti Eccleſiæ committit.

Vel dicito, An non eſſet imprudentia ſumma arguendus, & accuſandus Iuſtinianus, aut alius Legislator quicunq; qui talem Rempublicam inſtituiſſet, in quâ non eſſet modus certus & politicè infallibilis leges veras à legibus adulterinis & fictis diſcernendi. At hodie quæritur, quot & quinam ſint libri Iuris Divini. Ergo vel Reſpublica Chriſtiana habet modum certum & divinitùs infallibilem hanc controverſiam decidendi; vel fuit imprudentiſſimus Chriſtus. Non hoc, niſi blaſphemus eſſe velis: ergo Reipublicæ à Chriſto inſtitutæ concedendum Tribunal eſt, in quo certitudine divinitùs infallibili decidatur: Quinam Libri à Deo dictati ſint, & qui non ſint? Atqui hoc Tribunal non penes Lutheranos, non penes Calviniſtas &c. ſed penes Romanos ſolum eſt: ergo unica Eccleſia Romana eſt Reſpublica, quam Chriſtus condidit.

Siſe-

Digitized by Google

CL. SI ſemel unicuique liceat, libros quos velit admittere, & quos velit è Canone ſacrorum proſcribere, tota tollitur de medio Religio; & qui dubitet, legat ſequentia.

An dentur quatuor Evangelia

Lutherus in 2. præf. Novi Teſtam. & tom. 1. novor. oper. edit. Lipſ. anno 1603. & in ſerm. de Phariſæo & Public. ibid. *Abolenda eſt falſa illa opinio, quod ſint quatuor Evangelia. Nam Evangelium Ioannis eſt Unicum pulchrum, verum, ac principale Evangelium, alijs tribus longè anteponendum.* & ibidem: *S. Ioannis Evangelium & prima Epiſtolarum; Epiſtola S. Pauli, imprimiſq; Romanis Galatis, & Ephesiis ſcripta, tum prior S. Petri Epiſtola; ejuſmodi ſunt libri, qui tibi Chriſtum intento velut digito demonſtrent, omniaque te doceant, quæ ſcitu ſunt neceſſaria.* Sed cur cæteros libros Canonicos rejicit? quia in cæteris clariùs eius errores condemnantur; nam & hos fuiſſet rejecturus, ſi in ipſis aliquid prævidiſſet ſuæ prætenſæ Religioni adverſarium. Anteponit cæteris Joannem, & ut ait, *quia parum ille de operibus Chriſti ſcribit*: admittit & libros nonnullos, & ut ait, *quia in ipſis non multum audis de operibus Chriſti.* Et quis Luthero dedit conſtituendi Canonem authoritatem? Reſpondet in Apoc. editionib. prior. Bibl. *Meus quidem Spiritus in eo acquieſcere non poteſt. Quiſquis verò reliquorum Scripturas has tanti faciat, quanti cuiq; ſpiritus ſuus dictabit.* Hæc Lutherus; & quia abyſſus abyſſum invocat, Bucerus apud Sanderum de Schiſm. Anglic. lib. 2. pag. 272. *Si quidquid Evangeliſtæ tradiderunt, verum habeatur, Chriſtus verè & realiter eſt in Sacramento. Sed utrum teneamur abſolutè credere, quidquid ab ipſis eſt traditum, verũ ſit an ſecus, Iudex eſſe nolo.* Si non in omnibus ſed aliquibus ſolummodò credendum eſt Evangeliſtis, in quibus quæſo? & cur non in omnibus? Lutherus in Colloq. Iſleb. de tentationib. fol. 286. *Apoſtoli etiam ipſi peccatores fuère, & inſignes magniq; nebulones, nempe Paulus. Petrus quoq; Chriſtum negavit, quod erat facinus hominis improbi.* Willetus in Medit. ſuper Pſal. 122. pag. 91. de Hokero & Covello hæc ſcribit. *Ajunt inter alia Chriſtum originaliter non eſſe Deum. Scripturas non eſſe media quoad Deum, omnium quæ utiliter creduntur. Scripturas ſolas non ſufficere ad æternam felicitatem. Verbo Dei non conſtare, quod ſit Verbum Dei; Voluntatem naturaliter quodcumque ſibi objectum ſine supernâ gratiâ appetere vel reſpuere poſſe: & conſequenter ſine gratiâ opera moraliter bona, naturaliter edere, quæ Deo ſint grata, &c.* & quidem de Verbo Dei nõ conſtat, apud Heterodoxos, quod ſit verbum Dei: adeòque tota eorundem Religio ab aëre pendet. At apud Catholicos conſtat de verbo Dei, illi n. Evangelio credimus, quod eſſe dictatũ à Deo pronuntiat ſupremi Tribunalis authoritas.

Cur aliquos libros Lutherus ex Canone expungi voluerit.

Nota bene iſtam conditionalẽ.

An Evangelium ſit de Fide?

Quales apud Lutherum Chriſti Apoſtoli

An Chriſtus ſit Deus?

CLI. Invento divinorum Librorũ Canone, adhuc quæritur, quo ſenſu debeant intelligi, aut non debeant. Sed quis erit Judex & Doctor? An ne unuſquiſque Prædicans in vico ſuo? In Sermone de Hieruſalem negat Lutherus. *Neq; vides,* ait *duriſſimam plagã Dei, quâ nos punit, per innumeros falſos fratres & ſectas, quas nobis undequaq; immittit? qui tam ſecurè prædicant, perinde ac ſi Spiritum ſanctum penitus devoraverint. Et quos velut omnium optimos exiſtimavimus, illi nunc homines uſque adeò dubios reddunt, ut penè ignorent omninò quid facere vel omittere debeant.* Nã, ut addit tom. 1. German. Witt. fol. 114. comm. ad cap. 3. Gal. *Prædicantes eò omnẽ operã conferunt, ut omnia argumenta contra ipſos allata illudant, & Scripturarum loca commentitiis ſuis expoſitionibus adulterent.* Ergo ſemel conceſſo textum aliquem eſſe Canonicum, adhuc poſſunt occur-

In textu divino certiſſimè, incerta expoſitiones ſolent eſſe.

Et apud Prædicantes præcipuè.

Digitized by Google

occurrere duæ expoſitiones adverſæ, quarum altera verax, & altera commentitia ſit. Sed quis certò & infallibiliter commentitiā à veraci diſtinguet? Prædicantes? *Nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt: Nec authoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec ſuaſionibus flectuntur, quia ſubverſi ſunt*; inquit Bernardus ſerm. 66. in Cantica. Quis ergo? Sacra Pagina? Minimè; Eius enim eſt ſemper idem tenor, & niſi illuminaremur ab Eccleſia aſſequi veram intelligentiam non poſſemus. Sit igitur

NONA RATIO.

Multa quæ docent Hæretici ſunt poſſibilia falſa tamen.

OMnia aut ferè, quæ hodie in Sacramentorum materia dicunt Hæretici, potuerunt eſſe vera de potentia abſoluta: & tamen ſunt falſa inquiunt Romani: Deus enim, qui ſeptem Sacramenta inſtituit, potuit pauciora, & talia qualia Lutherus aut Calvinus protrudunt. Addunt Hæretici, omnia aut ferè, quæ à Romanis dicuntur eſſe poſſibilia: Deus enim qui duo vel tria Sacramenta conſtituit, plura potuit. Ergo tota noſtra diſputatio Quæſtionem de facto concernit. Pono in exemplum iſta verba: [Hoc eſt corpus meum:] *potuit tale Sacramentum inſtituere Deus, in quo panis in Corpus Chriſti moraliter, virtualiter, ſignificativè, aut aliter converteretur: potuit tale, in quo eſſet phyſica & realis converſio: etſi feciſſet alterutrum, potuiſſet adhuc forma Sacramentalis conſtare eiſdem verbis. Ergo hæc Poſitio* [Hoc eſt Corpus meum] *ſi ſtaremus primæ hypotheſi, deberet Metaphoricè intelligi: ſi ſecundæ, realiter & hiſtoricè. Ergo manentibus iiſdem omninò verbis, mutaretur ſenſus & ſuppoſitio: ergo ex verbis non poteſt colligi, utro modo Chriſtus Sacramentum Altaris inſtituerit: ergo errant omninò Heterodoxi, cum ſupponunt nihil debere credi, niſi quod eſt in Sacra Pagina, & addunt conſecrationis verba intelligenda metaphoricè. Errant inquam omninò, quia illa debere aut non debere ſic intelligi, non eſt in Divina ſcriptura: ergo recurrendum eſt ad authoritatem ſupremi Tribunalis, quod doceat, an illa hiſtoricè, an verò metaphoricè debeant intelligi.*

NEgat hanc ultimam conſequentiā Hæreticus, & ad Spiritum privatum recurrit: & dupliciter errat. Primò, quia non poteſt ſolvere hunc ſillogiſmum, *Nihil credendum aut tenendum, quod in ſacra ſcriptura non ſit; At privatum ſingulorum ſpiritum eſſe controverſiarum Iudicem non eſt in ſacra ſcriptura: Hoc ergo non eſt credendum nec tenendum.* Secundò, quia paradoxus & ridiculus eſt, cum ſublimiū myſteriorum intelligentiam uniusanûs dictamini & cenſuræ ſubjicit. *Confirmatur.* Veritas ſemper eadem eſt; & Spiritus ſanctus, cum ſit Prima Veritas, contradicere ſibi non poteſt. At Spiritus Privatus ſibi quotidie contradicit: Non eſt ergo Spiritus Sanctus. Probatur minor primò; quia non dabuntur duo Heretici, qui eodem modo Fidei myſteria intelligant. Secundò, quia non aſſignabitur

Sæpe eſt anilis.

Sæpe ſibi contrarius.

bitur unus, qui totâ vitâ eodem modo crediderit. Zvvinglius, quæ hoc anno ſcripſit, altero refutavit: Lutherus eadē aſſeruit & negavit: Confeſſio Auguſtana pluries mutata fuit: Angli, Scoti & alii multi, quæ heri ad fidem pertinebant, hodie eſſe impia & blaſphema proclamant. Ergo evidens eſt, ſummis obnoxium eſſe erroribus, hunc privatum ſpiritum, ac propterea eundem nō eſſe ſpiritum ſanctum: Ergò evidens eſt Chriſtianos, ut Catholici ſint, debere ad ſpiritum Catholicum & communē recurrere; & veram Scripturæ Interpretationem haberi debere ab Eccleſia. Confirmant hæc omnia ſacræ Literæ, 2. Pet. 2. 15. *Hæc primum intelligentes, quod omnis Prophetiæ Scripturâ propriâ* (privâtâ) *interpretatione non fit*. 2. Corinth. 12. 19. *Nunquid omnes interpretabuntur*. Omnes Paule, ſi ſtemus Luthero & Calvino; at ſi ſtemus doctrinæ tuæ, non omnes. Et tandem Ezech. 13. 3. multò clariùs. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritum ſuum*, hoc eſt *privatum*. Quem igitur ſequi debuiſſent? Catholicum & univerſalem. Hæc ita clara & certa ſunt, ut Lutherus diverſis in locis Miniſtrorum & Prædicantium ſuorum Spiritum privatum irrideat: & meritò: nam & ipſi eodem jure Spiritum privatum Lutheri. Sermonē de Hieruſalem ait, *ſuos Adminiſtros eſſe falſos fratres & tamen tam ſecurè prædicare, ac ſi Spiritum Sanctum penitùs devoraverint, & eorundem doctrinam ita eſſe perplexam & dubiam, ut quid credere, aut decredere debeant auditores ignorent*. Et Epiſt. ad Antuerp. quæ habetur tom. 2. Germ. Jenenſ. fol. 101. *Tot ſunt*, inquit, *inter nos Religiones, quot Homines* [Nota id bene] Nec anitiorum (hoc nomine ſuos Prædicantes honorat.) *quiſquam eſt tam hebes & vecors qui inſomnia proprij Capitis & propriam opinionem pro inſtinctu Spiritus ſancti & ſeipſum Prophetā haberi nolit*.

Patet igitur hunc privatum Spiritum tam eſſe ridiculum & improbabilem, ut ſeriò defendi non credam; illo enim admiſſo erit Regula Fidei privata & præventa voluntas. Nam vel omnis & quæcunque Anus nulla adhibitâ diligentiâ intelligit aſſequiturq; verum Sacræ Paginæ ſenſum; vel requiritur aliqua diligentia. Si nulla debeat diſpoſitio præmitti, duo ſequuntur; alterum, omnem Vetulam eſſe Theologā & ſublimia intelligere; cùm tamen conſtet experientiâ, eaſdem ſæpè eſſe ſtupidiſſimas, & ignorantiſſimas; alterum, omnes Vetulas eundem textum, eodē intellecturas modo, quod iterum eſt contra experiētiam. Si requiritur aliqua diſpoſitio, rogo, unde ſcias illā debere præmitti? unde ſcias, illâ poſitâ mentem divinitùs illuminandam? Nam vel hoc ipſum ſcis à Sacrâ Paginâ vel aliunde. Si aliunde, humanitus ſcis, falli potes. Si à Sacrâ Paginâ unde ſcis in primo actu te adhibuiſſe debitam diſpoſitionem. Ergo ibitur in infinitum vel in arenâ debebitis ædificare. Sic diſcurro. [Pone illuminari à Spiritu Sancto omnem & ſolum hominem, qui orat ſicut oportet. Pone Dorotheæ ſumpto jentaculo Spiritum privatum dictare, illuminari hominem cœlitùs, qui poſt jentaculum ſenſum Sacræ Scripturæ examinarit. An ideò eſſe ſecura poterit, & Fidei Myſteria interpretari? Nullo modo. Quid ſi illa ſic diſcurrat: *Qui poſt jentaculum legit, intelligit: ego poſt jentaculum lego: ergo intelligo*? Quid ſi maiorem dicat verā, quod ſibi in mentem venerit poſt jentaculum? Implicabitur circulo evidentiſſimo, & dum petit principium, delirabit; Ergo de aliis mediis pariformiter philoſophabor. Et quia exemplis juvor, hoc propono. Maior, celeber Prædicans aſſerit. *Opera ad ſalutem requiri*; & hoc dictante eius Spiritu & Margaretha eius ancilla, ſecuta ſuum

CLIV. *Privatus Bibliſtarū Spiritus non ſolum eſt falſus ſed & ridiculus.*

Hæretici ſemper petunt principium, & circulo vitioſo laborant.

Digitized by Google

ta ſuum Spiritum reponit, *Non requiri.* Et inquiro, an in utroque loquatur Spiritus Sanctus? Nam ſi in utroque ſibi Spiritus Sanctus contradicit. Si in altero; in utro obſecro. Uter igitur alteri conſentire debebit, ancillæ herus, an contrà? Stabis fortaſſis pro ancillâ. Cur ergo in Margaretha Deus loquitur, in Maiore non loquitur? Uterque oravit inquies: at ſola Margaretha, ut oportuit. Sed unde ſcis quamcumque anum, ſi oret ſicut oportet, infallibiliter illuminandam tantâ luce, ut cuiuſcunque textus veram intelligentiam aſſequatur? & ut hoc ſcias, unde tu, unde illa ſcit ſe oraviſſe, ut oportet: & herum non oraviſſe ut oportet? Res eſt evidens; in qua eſſe debes, aut formaliter Hæreticus, aut mente captus; qui enim cœcus non ſit, tranſglutire non poterit has nugas, quæ *ſpiritus privatus* vocantur.]

Egimus de authoritate ſpeculativâ, & Definitivâ, quâ ſuam Chriſtus condecoravit Eccleſiam: oportet paucula de practica & Imperativa ſubſcribere, ut videatur non totam Eccleſiæ Majeſtatem in mera ſpeculatione conſiſtere, ſed & conceſſam eidem eſſe practicam ſolvendi & ligandi poteſtatem. Utraque authoritas & facultas expreſſis Sacræ Scripturæ teſtimoniis dilucidari poterit, & præcipuè ſponſi affectibus, qui leguntur in Canticis. Unum concionatorio ſtylo expono. Favet, inquam Sponſus Sponſæ linguâ & animo, aitque. *Oculi tui Columbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet.* Quod ſic intelligo. [Pulchra es Sponſa mea, oculis diviniſſimis condecoraris, columbinis, benignis, ſinceris, perſpicacibus. Lynx es, qui remotíſſima me revelante intelligis, Aquila es, quæ ſublimiſſima penetras alis ingenii, quod in obſequium veritatis revelatæ captivas. Et hæc dixero de ſpeculativa ſpecie tuâ & pulchritudine tuâ, præſcindens ab illâ, quæ intrinſecus latet; nimirùm à practicâ & Imperativâ. Hac fruens intende proſperè procede & regna: tibi n. ſpeciali privilegio concedo, ut quidquid ligaveris in terris, ſit in Cœlo ligatũ, & quidquid ſolveris in terris, ſit etiã ſolutum in cœlis.] ſic inquam Sponſi vocem & ſententiã intelligo, & me benè eandem intelligere & interpretari demonſtrat.

Cant. 1. d. *cant. 4. a.*

DECIMA RATIO.

CLVI. De obſervatione Sabbathi & inſtitutione Diei Dominici.

IN Sacra Pagina Sabbathi obſervatio præcipitur, & rigore tam gravi, ut Deo judice ultima ſententia plexus fuerit, qui ligna colligebat Sabbatho. At hodiè nulli Sabbathum Chriſtiani obſervant, omnes enim Dominicum diem celebramus, omnes inquam quoniam Lutherani, Calviniſtæ, & cæteri noſtræ ætatis Hæretici operantur publicè Sabbatho, & die Dominico à ſervilibus miniſteriis abſtinentes, Divinis officiis interſunt. Igitur vel totus Orbis Chriſtianus peccat, impœnitensq; in voluntate ſcelerata ſordeſcit; aut licitè juſſit non obſervari Sabbathum, & loco illius diem ſubrogari Dominicum. Ergo eſt in Eccleſia authoritas tollendi antiqua, & imponendi nova feſta. Ergo eſt authoritas Imperativa & præceptiva. Ergo ſicut illi in feſtorum deſignatione obedimus, in cæteris præceptis debemus.

Digitized by Google

CLVII. *Sabbathi ſolennitas fuit inſtituta à Deo.*

UT hanc ipſam rationem benè intelligas, paucula volo teſtimonia citare. Exod 31.c. *Videte ut Sabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & vos, in generationibus veſtris: ut ſciatis, quia ego Dominus, qui ſanctifico vos. Cuſtodite Sabbathũ meum, ſanctum eſt enim vobis: qui polluerit illud morte morietur. Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui. Sex diebus facietis opus, in die ſeptimo Sabbathũ eſt, requies Sancta Domino, omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. Cuſtodiant filij Iſraël Sabbathum, & celebrent illud in generationibus ſuis. Pactum eſt ſempiternum inter me & filios Iſraël, ſignumq; perpetuum; ſex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & in ſeptimo ab opere ceſſavit.* Cui teſtimonio alia potes ſubſcribere, quæ habentur Gen.c.2. Exod.20.8. num.28.11. Hierem.17.21.&c. Hæc lego; hæc relego; & video ſeveriſſimè legem hanc ferri: Et ſi tantum inſiſtatur literæ, illa verba, *In generationibus ſuis* &c. *Pactum ſempiternum. Signum perpetuum* &c. innuere legem fore perpetuam ſempiternamq; & in quâ diſpenſari non poſſit. At hodie, nec à Romanis, nec à Lutheranis, nec à Calvinianis, nec ab aliis Sabbathum obſervatur; & hæc cultus omiſſio non eſt peccaminoſa: ergo jam non obligat illa divina lex. Sed unde habet, quod nullum Chriſtianum obſtringat? Inde omninò: quod Deus juſſerit feſta obſervari; at feſta determinari ab Eccleſia voluerit, quæ ob rationes graviſſimas abrogato Sabbatho, Dominicum & alios dies Faſtos ſubſtituit. Videant igitur hîc, quid velint Lutherani aut etiam Calviniani reponere. Nam obſervantia Sabbathi obligat. Si primum [quod tametſi traditione Apoſtolicâ coli diem Dominicum fateatur, tenet Urſinus in doctrina Chriſt. pag. 775. 777. Petrus Martyr in c.16. Corinth.1. & loc. comm. Angl. Zanchius de Sacr. Script. pag. 123. 124. juxta editionem anni 1543. Thomas Bellus in Surveij pag.17.] omnes nos, omnes ipſi delinquimus, & cùm errorẽ noſtrum defendimus, Catholicâ, hoc eſt univerſali iniquitate & pertinacia laboramus: ſi ſecundum [quod mordicus defendunt Whitgiftus in ſua Defenſ. pag.89. Fulceus cõtr. Rhe. Teſt. fol.463. Cartwightus apud citatum Whitgiftum pag 89. Willetus in ſynopſi p.431. Bullingerus in Decad. Angl. pag.140. & quæ maioris eſt authoritatis, nam è multis Prædicantibus coaleſcit Genevenſis Eccleſia in prop. & princip. pag.80.] ergo datur in Eccleſia practica & Imperativa poteſtas, quâ Deus, quæ olim immediatè diſpoſuit, hodie eadem dirigit per ſuos Vicarios.

Et tamen hodie non obſervatur: imo nec debet; ſed cur?

CONFIRMATIO.

CLVIII. *De diſcretione ciborum.*

PRæcipitur in Sacra Pagina ciborum aliqualis diſcretio: quæ tamen hodie non obſervatur, ergo aut dicturi ſunt Heterodoxi ſe quotidiè, aut ferè legem hanc Divinam violare, aut dari etiamnum in Eccleſia poteſtatem & authoritatem, diſpenſandi in omni præcepto Apoſtolico. Si diſpenſandi etiam ferendi Apoſtolicas leges: ideò enim diſpenſare hodie poteſt & ſolet ſummus Pontifex, quia eandem hodie habet poteſtatem & authoritatem quam olim habuit S. Petrus, cuius eſt in Apoſtolica dignitate ſucceſſor.

Eiuſdem eſt legem abrogare, cuius eſt cõſtituere.

Et

x. ET ut Confirmatio hæc melius intelligatur, Apoſtolicam Hiſtoriam produco. Actor. cap. 15. d. *Notum eſt à ſæculo Domino opus ſuum, propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum; ſed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum & fornicatione & ſuffocatis & ſanguine.* Et mox ponitur, Apoſtolorũ, Seniorum & Catholicorum cæterorum epiſtola, cuius tenor fuit talis. *His, qui ſunt Anthiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ, fratribus ex gentibus ſalutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex vobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas veſtras, quibus non mandavimus; placuit nobis collectis in unum* (vide quantæ ſit authoritatis & poteſtatis Eccleſia in unum collecta) *eligere Viros & mittere ad vos, cum Chariſſimis noſtris Barnabâ & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Miſimus ergo Iudam & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem. Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum & ſanguine & ſuffocato & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos benè agetis. Valete.* Hîc vos moror. Præceptum eſt, & latum à Spiritu, ab Apoſtolis, à Senioribus, à tota Primitivâ Eccleſiâ [*Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis*] & præceptum obligatorium [non dicunt *conſulere*, ſed *imponere*] & de rebus omninò neceſſariis [*hæc neceſſaria*] ergo interdictus eſt eſus Carnium ſuffocatarum & ſanguinis. Sed quis hodie apud nos hanc legem divinam obſervat? Nullus omninò; nec tamen ſingulorum omiſſio arguitur temeritatis. Quia hodie non obligat hæc lex. Sed cur hodie non obligat? Quia eadem authoritas, quæ olim fuit in Eccleſia, perennat etiam nunc: & ſicut tunc viſum fuit Spiritui Sancto & Eccleſiæ ſanguinem & ſuffocata interdicere, mutatis temporibus & circumſtantiis viſum fuit demum eidem Spiritui Sancto & eidem Eccleſiæ in priore præcepto diſpenſare, novumq; addere etiam circa ciborum diſcretionem, vi cuius obligamur hodie determinatis diebus abſtinere à Carnibus & determinatis jejunare.

Nota hanc loquendi formulā.

Nota vocē illam: Neceſſaria.

Sanguis & Caro ſuffocata interdicitur.

Et tamen hodie licitè comeditur utrumq;.

CLX. *Virtus in medio.*

Extrema omnia ſunt periculo obnoxia; & ut vidimus, univerſales Hæreticorum poſitiones multo errore laborant. Duæ ſunt, quæ indigebant examine. I. *Omnia quæ ſunt in ſacrâ Paginâ, fieri non debent:* II. *Quæ non ſunt in Sacra Pagina, fieri nõ debent.* Priorem eſſe falſam jã vidimus, [multa enim in Sacrâ Paginâ ſunt Eccleſiæ præcepta, in quibus hodie poteſt & ſolet Pontifex diſpenſare: ut in obſervatione Sabbathi, & abſtinentiâ à Sanguine & ſuffocatis probatum eſt.] & ex negatione prioris ſequitur poſterioris negatio. Conſideretur

VNDECIMA RATIO.

CLXI. *De Præceptorũ Eccleſiaſtica commutatione.*

ALiqua ſunt in Sacrâ Paginâ quæ tametſi olim fuerint præcepta, hodie non obligant, propter commutationem & diſpenſationem Eccleſiæ. Ergo in multis eidem à Deo commiſſa eſt authoritas diſpenſandi & commutandi. Atqui eius poſitâ commutatione id debet fieri, quod loco rei præceptæ ſubrogatur,

tur, quod tamen non eſt in Sacra Pagina. Aliquid ergo debet fieri, quod non eſt in Sacra Pagina. Hanc conſequentiam ultimam demonſtrat obſervantia diei Dominici, quæ recepta eſt à toto orbe Chriſtiano, nec tamen eſt in Sacra An debeāt Infantes baptizari. *Pagina. Hanc eandem conſequentiam Eccleſiæ traditiones perſuadent, nam hodie Evangelici & Reformati (ſic dici volunt) Infantes ſuos baptizant, cum tamen demonſtrare non poſſint in toto novo Teſtamento vel unum infantem baptizatum.*

CLXII. PORRO in veteri teſtamento multæ erant leges non ſcriptæ, quæ per traditionem conſervabantur, & rigoroſè obſervabantur. [Legi poterunt, Deut. 32. Eccleſ. 8. &c.] ad novum venio; & Debēt admitti Traditiones. non omnia fuiſſe ſcripta demonſtro. Joannes cap. 20. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* & cap. ultimo. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Et in Epiſt. 2. cap. 5. *Plura habens ſcribere, nolui per chartam & atramentum; ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Et Paulus 2. ad Theſſ. 2. *Fratres; ſtate, & tenete Traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.*

Lutherus. Quod ſi hodie aliqui Lutherani Traditiones rejiciant, non ſolùm ipſi à Sacrâ Scripturâ, ſed etiam à Luthero recedunt; ipſe enim Epiſt. ad Albertum Brandenburgicum Pruſſiæ Ducem [quę habetur Tom. 2. Germ. Witt. fol. 243. b.] ſic ait. Quanti debeat fieri unanimis Eccleſiæ conſenſus. *Teſtimonium totius Eccleſiæ Sanctæ, tametſi nihil aliud haberemus ſolum nobis ſufficere deberet ad rejiciendos Fanaticos Spiritus: nam periculoſum & horrendum eſt, quidquid audire vel credere contra Vnanimem teſtificationem & doctrinam totius Sanctæ Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ inde ab initio per annos mille-quingentos unanimiter ſervavit. Qui enim de eo dubitat, quod ab initio ſcienter creditum eſt, idem facit, ac ſi Eccleſiam Catholicam non crederet; damnatq; ipſam S. Eccleſiam Chriſtianam, tanquam hæreticam; imò & ipſum Chriſtum & Apoſtolos, & Prophetas, qui Articulum Fidei noſtræ*; Credo Sanctam Eccleſiam Chriſtianam [Catholicam *dicere debebat*] *condiderunt.* Hæc ſunt vera; & hac ſubſiſtente doctrinâ corruit tota doctrina Lutherana.

Luthero addo Calvinum, ut videatur veritatis potentia; quæ tanta, ut ſe inſinuet in linguas & calamos, etiam illorum, qui ſinceritatem deteſtantur. CLXIII. Sic inquit ille contrà Pighium. Calvinus. *Non difficulter contra me & Pighium in hac contentione de Traditionibus convenire poſſet. Si modo Eccleſiæ Traditionem ex certo & perpetuo conſenſu Sanctorum & Orthodoxorum demonſtraret. Deinde, ſi iis ipſis ſimpliciter & candidè uteretur ad veram & germanam Eccleſiæ doctrinam comprobandam; non ad pingendas horum temporum impias doctrinas abuteretur. Nunc ſi ex privato paucorum ſenſu communem conſenſum Eccleſiæ facere velit Pighius, eumque ex Apoſtolorum Traditione natum eſſe aſſerat, non recipiam.* Traditio eſt duplex, Catholica & particularis. Omnia ſunt vera; quæ ſi ſemel admittas, eſſe Calviniſta, non poſſis; omnia enim Religionis Reformatæ Dogmata evertuntur radicitus, ſi Catholicus communiſque Eccleſiæ conſenſus admittatur. Conſultò *communem* & *Catholicum* dixi, conſentio enim Calvino, qui privatæ & paucorum hominum Traditioni decredit; quæ enim dicuntur Apoſtolicæ, totius

tius

Digitized by Google

tius Eccleſiæ ſunt, & olim in Diverſis Conciliis, & jam demùm in Tridentino à tota Eccleſia examinatæ. Hinc iterum reditur ad primum, & ipſæmet Traditiones fundantur Eccleſiæ authoritate. Sit igitur.

DVODECIMA RATIO.

Antur in Orbe Chriſtiano Traditiones innumeræ : ergo vel omnes rejiciendæ, vel omnes admittendæ, vel partim admittendæ & partim rejiciendæ ſunt. Qui omnes velit admittere, multas admittet dubias incertasque, non enim omnes Apoſtolicæ ſunt, nam & plurimæ ſunt privatæ & provinciales. Qui omnes velit rejicere, debebit ſacram etiam ſcripturam rejicere, hæc enim Traditiones admittit & commendat. Mediâ igitur viâ eſt incedendum: dicendumq; nec debere omnes indiſcriminatim rejici, nec omnes admitti : ſed ſuſcipi debere Catholicas & Apoſtolicas, non politicas, provinciales, privatas. Sed, bone Deus; quis mihi has & illas diſtinguet? Sacra Pagina? Sic habet Auguſtana Confeſſio: at non ſemper id poterit : ſæpe enim Sacræ Scripturæ ſenſus à pura traditione dependet. Recurrendum igitur eſt ad Infallibilitatem Eccleſiæ, quâ ſublatâ totus Chriſtianiſmus aufertur. CLXIV. *De Authoritate & diſcretione traditionum.*

UT hanc rationem benè intelligas, audi Anabaptiſtam, Lutheranum, Calvinianumque de Sacramento Baptiſmi diſputantes. Probat ille non eſſe baptizandos Infantes, quia excluduntur à Chriſto Domino dicente, *qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Nam ſi prius debet quis credere, quàm baptizetur, infantes baptizari non poſſunt, cum enim illi rationis uſu careant, non poſſunt Chriſto Domino credere. Ait ſecundus debere infantes baptizari; quia ut docet Lutherus tom. 5. Witt. Lat. in 1. ad Corinth. *apud Chriſtianos hæc conſideratio fortiſſima eſt : cum enim Eccleſia Chriſtiana baptizet* (parvulos & adultos) *certum ſequi articulum de Baptiſmo verum eſſe; fieri enim non poteſt, tot eximios Chriſtianos ſtultos & amentes fuiſſe.* Et ne traditio in textum Divinum impingat, addit infantes, quo baptizantur tempore divinitùs illuminari & actu credere; Verbum enim Dei & Traditionem neſcit aliter Martinus Lutherus componere quàm ad Paradoxa recurrendo. Docet ultimus infantes baptizandos eſſe & hoc ex Traditione; additque teſtimonia, quæ fidem ante baptiſmi ſuſceptionem requirunt, debere intelligi de baptiſmo adultorum. Et quid faciemus nos, cùm omnia momenta controverſiæ percipimus? Stando enim nudæ Literæ non videretur Anabaptiſtæ Aſſertio probabilitate carere: imò etiam videretur Traditio ipſa Scripturæ contraria : & nihilominus certum eſt (quod & Lutherani & etiam Calviniani fatentur) infantes baptizari debere : ergo aliunde hæc certitudo exorta eſt, quàm à Sacrâ Scripturâ; aliunde quàm à Traditione. Sed unde obſecro? Non à Sacrâ Scripturâ; quæ ſtando literæ dupliciter exponi poteſt: *baptizantur Fidei actum eliciant?*

Non

Non à Traditione; ut ſic; dubitare enim poſſet aliquis, an eſſet Catholica & Apoſtolica hæc Traditio? nam, ut oſtendimus, privata & particularis quæcumque fallax eſt. Ergo dicendum eſt hanc veritatem, *Infantes baptizandi ſunt*, haberi à Traditione, non quacumque, ſed Apoſtolicâ & Catholicâ: & hanc Veritatem, *Traditio quæ jubet Infantes baptizari, eſt Catholica & Apoſtolica*, non aliunde haberi, quàm à definitivâ Eccleſiæ Romanæ ſententiâ.

CONCLVSIO.

Synopſis omniū controverſiarum illuſtratur.

STat igitur Eccleſiam in Concilio generali congregatam [ut à Conciliorum Provincialium, & ſummi Pontificis, cum non loquitur ex Cathedra, authoritate praſcindamus] frui infallibili aſſiſtentia Spiritus Sancti, & labi in errorem non poſſe. Ergo dicendum eſt in omni controverſia, quæ concernat Canonem, aut expoſitionem Sacræ Paginæ Eccleſiam eſſe humillimè audiendam: & qui eam non audierit, debere haberi ut Ethnicum & Publicanum. Cum igitur errare non poſſit [quod demonſtratum eſt.] & Articulos, quos credimus Romani definierit, & oppoſitos ſub anathemate damnaverit [quod certiſſimum eſt] manet jam demonſtratum omnes noſtræ Religionis Articulos eſſe veros omnesq; contradictorios eſſe falſos. CLXVI.

CLXVII. SIc ſentio; & oro Deum ut vitam illam meam, quam toties pro hac Veritate expoſui, permittat aliquando ponere; & quam ſemper mente, linguâ, & calamo ſum veneratus Infallibilitatem Eccleſiæ, poſſim vel ſemel toto effuſo ſanguine teſtificari. Scripſi Demonſtrationem hanc anno M DC VI. Franckenthaliæ ut juvarem meos ſubditos Lue Calvinianâ infectos; & quia Domino cooperante, & has periodos confirmante non pauci oculos aperuêre, eaſdem recognovi anno M. DC. IL. & ad maiorem Dei gloriam & inſtructionem eorum, qui à Ductoribus ſuis ſeducuntur, legi deſidero; ſunt enim me Judice ſingula argumenta tam clara, ut evidenter videam, nihil probabile reponi poſſe.

****

FUNDAMENTUM IV.

De ſummi Pontificis Veracitate.

Pontifex aliquando loquitur ut Doctor ſupremus & aliquādo ut homo privatus.

POntifex, cum loquitur ex cathedra (hoc eſt, ut caput Eccleſiæ & toti Eccleſiæ) errare non poteſt: cum loquitur ut homo privatus, tametſi errare poſſit ſoleatq;, eius ſententiæ ſunt authoritatis eximiæ, quamdiu eſſe falſas non monſtratur. CLXVIII.

Prior

PRior huius fundamentalis propoſitionis pars coincidit cum antecedente: quæcumque enim à Pontifice ex cathedra ſunt definita, credendaq; toti orbi Chriſtiano propoſita, dicuntur definita ab Eccleſiâ.

Sed quid eſt loqui pontificem ex cathedrâ? an idem, quod loqui in generali ſynodo? an-ne extra generale Concilium habet definiendi articulos fidei poteſtatem? Negabant Lovanij nonnulli, qui cenſebantur docti, ut meliore colore reijcerent Urbani VIII. Bullam, quæ doctrinam Cornelij Ianſenij condemnabat. Conſului Salmanticenſes meos, & recepi ſingularum poſitionum cenſuras; ſed quia, quæ in Ianſenio carpuntur, multæ ſunt, nec omnes huc ſpectantes, ponam unam, quæ poterit noſtro intento prodeſſe.

Quæſtio erat, *An ſummus Pontifex extra concilium ſit magiſter eccleſiæ? An poſſit condemnare aliquam propoſitionem, vel aliam ut fidei dogma tradere?* Quam Salmanticenſes ſic reſolvunt.

Dico tam conſtans eſſe inter Catholicos hæc omnia poſſe Pontificem Romanum extra concilium; eumque eccleſiæ univerſalem Doctorem & magiſtrum eccleſiæ eſſe, ut certa fide id tenendum dicat Suarez *de Fide diſp.5.sect.8.num.*4. Idque communis Fidelium Doctorum conſenſus probat, dum ea omnia, quæ à Pontificibus extra Concilium, Eccleſiæ credenda proponuntur, certâ Fide credenda Fidelibus proponant & prædicent.

F. Alphonſus Perez.

Subſcripſit Salmanticæ in S. Bernardi collegio, die 20. Maij anno 1642.

F. Angelus Maurique.

Et eodem loco die menſe & anno.

F. Petrus Oviedo.

Et in Veræ-Crucis collegio, ordinis Beatæ virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, civitatis Salmanticenſis die 21. Maij, anni 1642.

F. Petrus Merino.

Et in eodem collegio Veræ-Crucis poſtridie.

F. Gaſpar de los Reyes.

Et in Salmanticenſi conventu Sancti Auguſtini die 22. ejuſdem menſis ſubſcripſerunt

Fr. Ioannes de Aguilar.
Fr. Gaſpar de Oviedo.

Et in eâdem univerſitate, in conventu Sanctiſſimæ Trinitatis die 24. Maij, eodem anno

Fr. Antonius de Ledeſma.
Fr. Ioſephus Romanus.

Et ibidem in Collegio Societatis Ieſu, die 26. eiuſdem menſis eandem reſolutionem ſuâ ſubſcriptione firmârunt

Ildefonſus del Cavo.
Martinus de Eſparza.

Et & ex Doctoribus ſæcularibus conſultus fuit, ſubſcripſitque etiam Salmanticæ, die 18. menſis Iunij eodem anno 1642.

Magiſter Don Ioann. Ioaniz de Echalaz.

Cùm igitur Salmanticenſis univerſitas eximia ſit, & in eâ ſummi duodecim iſti Doctores & Theologi, qui nomina ſua ſubſcripſerunt, quorum plerique mihi ſunt bene noti, & inter ſummates militantis eccleſiæ numerandi; cumque rationes, quas formare pro hac veritate ſoleo, non videam efficaciter ſolvi, Suarez & illis conſentio, & ſi quid in meis unquam operibus Sanctiſſimo Domino noſtro delere, aut

bitur unus, qui totâ vitâ eodem modo crediderit. Zvvinglius, quæ hoc anno ſcripſit, altero refutavit: Lutherus eadē aſſeruit & negavit: Confeſſio Auguſtana pluries mutata fuit: Angli, Scoti & alii multi, quæ heri ad fidem pertinebant, hodie eſſe impia & blaſphema proclamant. Ergo evidens eſt, ſummis obnoxium eſſe erroribus, hunc privatum ſpiritum, ac propterea eundem nō eſſe ſpiritum ſanctum: Ergò evidens eſt Chriſtianos, ut Catholici ſint, debere ad ſpiritum Catholicum & communē recurrere; & veram Scripturæ Interpretationem haberi debere ab Eccleſia. Confirmant hæc omnia ſacræ Literæ, 2. Pet. 2. 15. *Hæc primum intelligentes, quod omnis Prophetiæ Scripturâ propriâ* (privatâ) *interpretatione non fit.* 2. Corinth. 12. 19. *Nunquid omnes interpretabuntur.* Omnes Paule, ſi ſtemus Luthero & Calvino; at ſi ſtemus doctrinæ tuæ, non omnes. Et tandem Ezech. 13. 3. multò clariùs. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritum ſuum*, hoc eſt *privatum*. Quem igitur ſequi debuiſſent? Catholicum & univerſalem. Hæc ita clara & certa ſunt, ut Lutherus diverſis in locis Miniſtrorum & Prædicantium ſuorum Spiritum privatum irrideat: & meritò: nam & ipſi eodem jure Spiritum privatum Lutheri. Sermonē de Hieruſalem ait, *ſuos Adminiſtros eſſe falſos fratres & tamen tam ſecurè prædicare, ac ſi Spiritum Sanctum penitùs devoraverint, & eorundem doctrinam ita eſſe perplexam & dubiam, ut quid credere, aut decredere debeant auditores ignorent.* Et Epiſt. ad Antuerp. quæ habetur tom. 2. Germ. Jenenſ. fol. 101. *Tot ſunt*, inquit, *inter nos Religiones, quot Homines* [Nota id bene] Nec anitiorum (hoc nomine ſuos Prædicantes honorat.) *quiſquam eſt tam hebes & vecors qui inſomnia proprij Capitis & propriam opinionem pro inſtinctu Spiritus ſancti & ſeipſum Prophetā haberi nolit.*

Patet igitur hunc privatum Spiritum tam eſſe ridiculum & improbabilem, ut ſeriò defendi non credam; illo enim admiſſo erit Regula Fidei privata & præventa voluntas. Nam vel omnis & quæcunque Anus nulla adhibitâ diligentiâ intelligit aſſequiturq; verum Sacræ Paginæ ſenſum; vel requiritur aliqua diligentia. Si nulla debeat diſpoſitio præmitti, duo ſequentur; alterum, omnem Vetulam eſſe Theologā & ſublimia intelligere; cùm tamen conſtet experientiâ, eaſdem ſæpè eſſe ſtupidiſſimas, & ignorantiſſimas; alterum, omnes Vetulas eundem textum, eodē intellecturas modo, quod iterum eſt contra experiētiam. Si requiritur aliqua diſpoſitio, rogo, unde ſcias illā debere præmitti? unde ſcias, illâ poſitâ mentem divinitùs illuminandam? Nam vel hoc ipſum ſcis à Sacrâ Paginâ vel aliunde. Si aliunde, humanitus ſcis, falli potes. Si à Sacrâ Paginâ unde ſcis in primo actu te adhibuiſſe debitam diſpoſitionem. Ergo ibitur in infinitum vel in arenâ debebitis ædificare. Sic diſcurro. [Pone illuminari à Spiritu Sancto omnem & ſolum hominem, qui orat ſicut oportet. Pone Dorotheæ ſumpto jentaculo Spiritum privatum dictare, illuminari hominem cœlitùs, qui poſt jentaculum ſenſum Sacræ Scripturæ examinarit. An ideò eſſe ſecura poterit, & Fidei Myſteria interpretari? Nullo modo. Quid ſi illa ſic diſcurrat: *Qui poſt jentaculum legit, intelligit: ego poſt jentaculum lego: ergo intelligo*? Quid ſi maiorem dicat verā, quod ſibi in mentem venerit poſt jentaculum? Implicabitur circulo evidentiſſimo, & dum petit principium, delirabit; Ergo de aliis mediis pariformiter philoſophabor. Et quia exemplis juvor, hoc propono. Maior, celeber Prædicans aſſerit. *Opera ad ſalutem requiri*; & hoc dictante eius Spiritu & Margaretha eius ancilla, ſecuta ſuum

CLIV. *Privatus Bibliſtarū Spiritus non ſolum eſt falſus ſed & ridiculus.*

Hæretici ſemper petunt principium, & circulo vitioſo laborant.

Digitized by Google

ta ſuum Spiritum reponit, *Non requiri.* Et inquiro, an in utroque loquatur Spiritus Sanctus? Nam ſi in utroque ſibi Spiritus Sanctus contradicit. Si in altero; in utro obſecro. Uter igitur alteri conſentire debebit, ancillæ herus, an contrà? Stabis fortaſſis pro ancillâ. Cur ergo in Margaretha Deus loquitur, in Maiore non loquitur? Uterque oravit inquies: at ſola Margaretha, ut oportuit. Sed unde ſcis quamcumque anum, ſi oret ſicut oportet, infallibiliter illuminandam tantâ luce, ut cuiuſcunque textus veram intelligentiam aſſequatur? & ut hoc ſcias, unde tu, unde illa ſcit ſe oraviſſe, ut oportet: & herum non oraviſſe ut oportet? Res eſt evidens; in qua eſſe debes, aut formaliter Hæreticus, aut mente captus; qui enim cœcus non ſit, tranſglutire non poterit has nugas, quæ *ſpiritus privatus* vocantur.]

De Authoritate practica & Legislativa.

CLV. Egimus de authoritate ſpeculativâ, & Definitivâ, quâ ſuam Chriſtus condecoravit Eccleſiam: oportet paucula de practica & Imperativa ſubſcribere, ut videatur non totam Eccleſiæ Majeſtatem in mera ſpeculatione conſiſtere, ſed & conceſſam eidem eſſe practicam ſolvendi & ligandi poteſtatem. Utraque authoritas & facultas expreſſis Sacræ Scripturæ teſtimoniis dilucidari poterit, & præcipuè ſponſi affectibus, qui leguntur in Canticis. Unum concionatorio ſtylo expono. Favet, inquam Sponſus Sponſæ linguâ & animo, aitque. *Oculi tui Columbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet.* Quod ſic intelligo. [Pulchra es Sponſa mea, oculis diviniſſimis condecoraris, columbinis, benignis, ſinceris, perſpicacibus. Lynx es, qui remotiſſima me revelante intelligis, Aquila es, quæ ſublimiſſima penetras alis ingenii, quod in obſequium veritatis revelatæ captivas. Et hæc dixero de ſpeculativa ſpecie tuâ & pulchritudine tuâ, præſcindens ab illâ, quæ intrinſecus latet; nimirùm à practicâ & Imperativâ. Hac fruens intende proſperè procede & regna: tibi n. ſpeciali privilegio concedo, ut quidquid ligaveris in terris, ſit in Cœlo ligatũ, & quidquid ſolveris in terris, ſit etiã ſolutum in cœlis.] ſic inquam Sponſi vocem & ſententiã intelligo, & me benè eandem intelligere & interpretari demonſtrat.

Cant. 1. d.
cant. 4. a.

DECIMA RATIO.

CLVI.

De obſervatione Sabbathi & inſtitutione Diei Dominici.

IN Sacra Pagina Sabbathi obſervatio præcipitur, & rigore tam gravi, ut Deo judice ultima ſententia plexus fuerit, qui ligna colligebat Sabbatho. At hodiè nulli Sabbathum Chriſtiani obſervant, omnes enim Dominicum diem celebramus, omnes inquam quoniam Lutherani, Calviniſtæ, & cæteri noſtræ ætatis Hæretici operantur publicè Sabbatho, & die Dominico à ſervilibus miniſteriis abſtinentes, Divinis officiis interſunt. Igitur vel totus Orbis Chriſtianus peccat, impœnitensq; in voluntate ſcelerata ſordeſcit; aut licitè juſſit non obſervari Sabbathum, & loco illius diem ſubrogari Dominicum. Ergo eſt in Eccleſia authoritas tollendi antiqua, & imponendi nova feſta. Ergo eſt authoritas Imperativa & præceptiva. Ergo ſicut illi in feſtorum deſignatione obedimus, in cæteris præceptis debemus.

Digitized by Google

CLVII. *Sabbathi ſolennitas fuit inſtituta à Deo.*

UT hanc ipſam rationem benè intelligas, paucula volo teſtimonia citare. Exod 31.c. *Videte ut Sabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & vos, in generationibus veſtris: ut ſciatis, quia ego Dominus, qui ſanctifico vos. Cuſtodite Sabbathũ meum, ſanctum eſt enim vobis: qui polluerit illud morte morietur. Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui. Sex diebus facietis opus, in die ſeptimo Sabbathũ eſt, requies Sancta Domino; omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. Cuſtodiant filij Iſraël Sabbathum, & celebrent illud in generationibus ſuis. Pactum eſt ſempiternum inter me & filios Iſraël, ſignumq; perpetuum; ſex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & in ſeptimo ab opere ceſſavit.* Cui teſtimonio alia potes ſubſcribere, quæ habentur Gen.c.2. Exod.20.8. num.28.11. Hierem.17.21.&c. Hæc lego; hæc relego; & video ſeveriſſimè legem hanc ferri: Et ſi tantum inſiſtatur literæ, illa verba, *In generationibus ſuis* &c. *Pactum ſempiternum. Signum perpetuum* &c. innuere legem fore perpetuam ſempiternamq; & in quâ diſpenſari non poſſit. At hodie, nec à Romanis, nec à Lutheranis, nec à Calvinianis, nec ab aliis Sabbathum obſervatur; & hæc cultus omiſſio non eſt peccaminoſa: ergo jam non obligat illa divina lex. Sed unde habet, quod nullum Chriſtianum obſtringat? Inde omninò: quod Deus juſſerit feſta obſervari; at feſta determinari ab Eccleſia voluerit, quæ ob rationes graviſſimas abrogato Sabbatho, Dominicum & alios dies Faſtos ſubſtituit. Videant igitur hîc, quid velint Lutherani aut etiam Calviniani reponere. Nam obſervantia Sabbathi obligat. Si primum [quod tametſi traditione Apoſtolicâ coli diem Dominicum fateatur, tenet Urſinus in doctrina Chriſt. pag. 775-777. Petrus Martyr in c.16. Corinth.1. & loc. comm. Angl. Zanchius de Sacr. Script. pag. 123. 124. juxta editionem anni 1543. Thomas Bellus in Surveij pag.17.] omnes nos, omnes ipſi delinquimus, & cùm errorẽ noſtrum defendimus; Catholicâ, hoc eſt univerſali iniquitate & pertinacia laboramus: ſi ſecundum [quod mordicus defendunt Whitgiftus in ſua Defenſ. pag.89. Fulcus cõtr. Rhe. Teſt. fol.463. Cartwightus apud citatum Whitgiftum pag 89. Willetus in ſynopſi p. 431. Bullingerus in Decad. Angl. pag.140. & quæ maioris eſt authoritatis, nam è multis Prædicantibus coaleſcit Genevenſis Eccleſia in prop. & princip. pag.80.] ergo datur in Eccleſia practica & Imperativa poteſtas, quâ Deus, quæ olim immediatè diſpoſuit, hodie eadem dirigit per ſuos Vicarios.

Et tamen hodie non obſervatur: imo nec debet; ſed cur?

CONFIRMATIO.

CLVIII. *De diſcretione ciborum.*

PRæcipitur in Sacra Pagina ciborum aliqualis diſcretio: quæ tamen hodie non obſervatur, ergo aut dicturi ſunt Heterodoxi ſe quotidiè, aut ferè legem hanc Divinam violare, aut dari etiamnum in Eccleſia poteſtatem & authoritatem, diſpenſandi in omni præcepto Apoſtolico. Si diſpenſandi etiam ferendi Apoſtolicas leges: ideò enim diſpenſare hodie poteſt & ſolet ſummus Pontifex, quia eandem hodie habet poteſtatem & authoritatem quam olim habuit S. Petrus, cuius eſt in Apoſtolica dignitate ſucceſſor.

Eiuſdem eſt legem abrogare, cuius eſt cõſtituere.

Et

ET ut Confirmatio hæc melius intelligitur, Apoſtolicam Hiſtoriam produco. Actor. cap. 15. d. *Notum eſt à ſæculo Domino opus ſuum, propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum; ſed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum & fornicatione & ſuffocatis & ſanguine.* Et mox ponitur, Apoſtolorũ, Seniorum & Catholicorum cæterorum, epiſtola, cuius tenor fuit talis. *His, qui ſunt Anthiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ, fratribus ex gentibus ſalutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex vobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas veſtras, quibus non mandavimus; placuit nobis collectis in unum* (vide quantæ ſit authoritatis & poteſtatis Eccleſia in unum collecta) *eligere Viros & mittere ad vos, cum Chariſſimis noſtris Barnabâ & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Miſimus ergo Iudam & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem. Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum & ſanguine & ſuffocato & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos benè agetis. Valete.* Hîc vos moror. Præceptum eſt, & latum à Spiritu, ab Apoſtolis, à Senioribus, à tota Primitivâ Eccleſiâ [*Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis*] & præceptum obligatorium [non dicunt *conſulere*, ſed *imponere*] & de rebus omninò neceſſariis [*hæc neceſſaria*] ergo interdictus eſt eſus Carnium ſuffocatarum & ſanguinis. Sed quis hodie apud nos hanc legem divinam obſervat? Nullus omninò; nec tamen ſingulorum omiſſio arguitur temeritatis. Quia hodie non obligat hæc lex. Sed cur hodie non obligat? Quia eadem authoritas, quæ olim fuit in Eccleſia, perennat etiam nunc: & ſicut tunc viſum fuit Spiritui Sancto & Eccleſiæ ſanguinem & ſuffocata interdicere, mutatis temporibus & circumſtantiis viſum fuit demum eidem Spiritui Sancto & eidem Eccleſiæ in priore præcepto diſpenſare, novumq; addere etiam circa ciborum diſcretionem, vi cuius obligamur hodie determinatis diebus abſtinere à Carnibus & determinatis jejunare.

[…]ta hanc […]uendi […]mulã. […]ta vocẽ […]m: Neceſſaria. […]nguis & […]aro ſuffocata interdicitur.

Et tamen hodie licitè comeditur utrumq́;.

CLX. *Virtus in medio.*

Extrema omnia ſunt periculo obnoxia; & ut vidimus, univerſales Hæreticorum poſitiones multo errore laborant. Duæ ſunt, quæ indigebant examine. I. *Omnia quæ ſunt in ſacrâ Paginâ, fieri non debent:* II. *Quæ non ſunt in Sacra Pagina, fieri nõ debent.* Priorem eſſe falſam jã vidimus, [multa enim in Sacrâ Paginâ ſunt Eccleſiæ præcepta, in quibus hodie poteſt & ſolet Pontifex diſpenſare: ut in obſervatione Sabbathi, & abſtinentiâ à Sanguine & ſuffocatis probatum eſt.] & ex negatione prioris ſequitur poſterioris negatio. Conſideretur

VNDECIMA RATIO.

CLXI. *De Præceptorũ Eccleſiaſtica commutatione.*

A*Liqua ſunt in Sacrâ Paginâ quæ tametſi olim fuerint præcepta, hodie non obligant, propter commutationem & diſpenſationem Eccleſiæ. Ergo in multis eidem à Deo commiſſa eſt authoritas diſpenſandi & commutandi. Atqui eius poſitâ commutatione id debet fieri, quod loco rei præceptæ ſubrogatur,*

tur, quod tamen non eſt in Sacra Pagina. Aliquid ergo debet fieri, quod non eſt in Sacra Pagina. Hanc conſequentiam ultimam demonſtrat obſervantia diei Dominici, quæ recepta eſt à toto orbe Chriſtiano, nec tamen eſt in Sacra Pagina. Hanc eandem conſequentiam Eccleſiæ traditiones perſuadent, nam hodie Evangelici & Reformati (ſic dici volunt) Infantes ſuos baptizant, cum tamen demonſtrare non poſſint in toto novo Teſtamento vel unum infantem baptizatum.

An debeat Infantes baptizari.

CLXII.

PORRO in veteri teſtamento multæ erant leges non ſcriptæ, quæ per traditionem conſervabantur, & rigoroſè obſervabantur. [Legi poterunt, Deut. 32. Eccleſ. 8. &c.] ad novum venio; & non omnia fuiſſe ſcripta demonſtro. Joannes cap. 20. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* & cap. ultimo. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Et in Epiſt. 2. cap. 5. *Plura habens ſcribere, nolui per chartam & atramentum; ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Et Paulus 2. ad Theſſ. 2. *Fratres; ſtate, & tenete Traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.*

Debet admitti Traditiones.

Quod ſi hodie aliqui Lutherani Traditiones rejiciant, non ſolùm ipſi à Sacrâ Scripturâ, ſed etiam à Luthero recedunt; ipſe enim Epiſt. ad Albertum Brandenburgicum Pruſſiæ Ducem [quę habetur Tom. 2. Germ. Witt. fol. 243. b.] ſic ait. *Teſtimonium totius Eccleſiæ Sanctæ, tametſi nihil aliud haberemus ſolum nobis ſufficere deberet ad rejiciendos Fanaticos Spiritus: nam periculoſum & horrendum eſt, quidquid audire vel credere contra Vnanimem teſtificationem & doctrinam totius Sanctæ Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ inde ab initio per annos mille-quingentos unanimiter ſervavit. Qui enim de eo dubitat, quod ab initio ſcienter creditum eſt, idem facit, ac ſi Eccleſiam Catholicam non crederet; damnatq; ipſam S. Eccleſiam Chriſtianam, tanquam hæreticam; imò & ipſum Chriſtum & Apoſtolos, & Prophetas, qui Articulum Fidei noſtræ*; Credo Sanctam Eccleſiam Chriſtianam [Catholicam *dicere debebat*] *condiderunt.* Hæc ſunt vera; & hac ſubſiſtente doctrinâ corruit tota doctrina Lutherana.

Lutherus.

Quanti debeat fieri unanimis Eccleſiæ conſenſus.

CLXIII.

Luthero addo Calvinum, ut videatur veritatis potentia; quæ tanta, ut ſe inſinuet in linguas & calamos, etiam illorum, qui ſinceritatem deteſtantur. Sic inquit ille contrà Pighium. *Non difficulter contra me & Pighium in hac contentione de Traditionibus convenire poſſet. Si modo Eccleſia Traditionem ex certo & perpetuo conſenſu Sanctorum & Orthodoxorum demonſtraret. Deinde, ſi iis ipſis ſimpliciter & candidè uteretur ad veram & germanam Eccleſiæ doctrinam comprobandam; non ad pingendas horum temporum impias doctrinas abuteretur. Nunc ſi ex privato paucorum ſenſu communem conſenſum Eccleſiæ facere velit Pighius, eumque ex Apoſtolorum Traditione natum eſſe aſſerat, non recipiam.* Omnia ſunt vera; quæ ſi ſemel admittas, eſſe Calviniſta, non poſſis; omnia enim Religionis Reformatæ Dogmata evertuntur radicitus, ſi Catholicus communiſque Eccleſiæ conſenſus admittatur. Conſultò *communem* & *Catholicum* dixi, conſentio enim Calvino, qui privatæ & paucorum hominum Traditioni decredit; quæ enim dicuntur Apoſtolicæ, to-

Calvinus.

Traditio eſt duplex, Catholica & particularis.

tius

Digitized by Google

tius Eccleſiæ ſunt, & olim in Diverſis Conciliis, & jam demùm in Tridentino à tota Eccleſia examinatæ. Hinc iterum reditur ad primum, & ipſæmet Traditiones fundantur Eccleſiæ authoritate. Sit igitur.

DVODECIMA RATIO.

Dantur in Orbe Christiano Traditiones innumeræ: ergo vel omnes rejiciendæ, vel omnes admittendæ, vel partim admittendæ & partim rejiciendæ ſunt. Qui omnes velit admittere, multas admittet dubias incertasque, non enim omnes Apoſtolicæ ſunt, nam & plurimæ ſunt privatæ & provinciales. Qui omnes velit rejicere, debebit ſacram etiam ſcripturam rejicere, hæc enim Traditiones admittit & commendat. Mediâ igitur viâ eſt incedendum: dicendumq; nec debere omnes indiſcriminatim rejici, nec omnes admitti: ſed ſuſcipi debere Catholicas & Apoſtolicas, non politicas, provinciales, privatas. Sed, bone Deus; quis mihi has & illas diſtinguet? Sacra Pagina? Sic habet Auguſtana Confeſſio: at non ſemper id poterit: ſæpe enim Sacræ Scripturæ ſenſus à pura traditione dependet. Recurrendum igitur eſt ad Infallibilitatem Eccleſiæ, quâ ſublatâ totus Chriſtianiſmus aufertur. CLXIV.

De Authoritate & diſcretione traditionum.

An ſacra ſcriptura Traditionum ſit judex?

CLXV. Ut hanc rationem benè intelligas, audi Anabaptiſtam, Lutheranum, Calvinianumque de Sacramento Baptiſmi diſputantes. Probat ille non eſſe baptizandos Infantes, quia excluduntur à Chriſto Domino dicente, *qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Nam ſi prius debet quis credere, quàm baptizetur, infantes baptizari non poſſunt, cum enim illi rationis uſu careant, non poſſunt Chriſto Domino credere. Ait ſecundus debere infantes baptizari; quia ut docet Lutherus tom. 5. Witt. Lat. in 1. ad Corinth. *apud Chriſtianos hæc conſideratio fortiſſima eſt: cum enim Eccleſia Chriſtiana baptizet* (parvulos & adultos) *certum ſequi articulum de Baptiſmo verum eſſe; fieri enim non poteſt, tot eximios Chriſtianos ſtultos & amentes fuiſſe.* Et ne traditio in textum Divinum impingat, addit infantes, quo baptizantur tempore divinitùs illuminari & actu credere; Verbum enim Dei & Traditionem neſcit aliter Martinus Lutherus componere quàm ad Paradoxa recurrendo. Docet ultimus infantes baptizandos eſſe & hoc ex Traditione; additque teſtimonia, quæ fidem ante baptiſmi ſuſceptionem requirunt, debere intelligi de baptiſmo adultorum. Et quid faciemus nos, cùm omnia momenta controverſiæ percipimus? Stando enim nudæ Literæ non videretur Anabaptiſtæ Aſſertio probabilitate carere: imò etiam videretur Traditio ipſa Scripturæ contraria: & nihilominus certum eſt (quod & Lutherani & etiam Calviniani fatentur) infantes baptizari debere: ergo aliunde hæc certitudo exorta eſt, quàm à Sacrâ Scripturâ; aliunde quàm à Traditione. Sed unde obſecro? Non à Sacrâ Scripturâ; quæ ſtando literæ dupliciter exponi poteſt:

Anne baptiſmum fides debeat neceſſariò præcedere?

Quanta efficacia ſit hæc conſequentia Eccleſia facit ergo poteſt?

An infantes cum baptizantur Fidei actum eliciant?

Non

Non à Traditione; ut ſic; dubitare enim poſſet aliquis, an eſſet Catholica & Apoſtolica hæc Traditio? nam, ut oſtendimus, privata & particularis quæcumque fallax eſt. Ergo dicendum eſt hanc veritatem, *Infantes baptizandi ſunt*, haberi à Traditione, non quacumque, ſed Apoſtolicâ & Catholicâ: & hanc Veritatem, *Traditio quæ jubet Infantes baptizari, eſt Catholica & Apoſtolica*, non aliunde haberi, quàm à definitivâ Eccleſiæ Romanæ ſententiâ.

CONCLVSIO.

Synopſis omniũ controverſiarum illuſtratur.

CLXVI. *STat igitur Eccleſiam in Concilio generali congregatam [ut à Conciliorum Provincialium, & ſummi Pontificis, cum non loquitur ex Cathedra, authoritate præſcindamus] frui infallibili aſſiſtentia Spiritus Sancti, & labi in errorem non poſſe. Ergo dicendum eſt in omni controverſia, quæ concernat Canonem, aut expoſitionem Sacræ Paginæ Eccleſiam eſſe humillimè audiendam: & qui eam non audierit, debere haberi ut Ethnicum & Publicanum. Cum igitur errare non poſſit [quod demonſtratum eſt.] & Articulos, quos credimus Romani definierit, & oppoſitos ſub anathemate damnaverit [quod certiſſimum eſt] manet jam demonſtratum omnes noſtræ Religionis Articulos eſſe veros omneſq; contradictorios eſſe falſos.*

CLXVII. SIc ſentio; & oro Deum ut vitam illam meam, quam toties pro hac Veritate expoſui, permittat aliquando ponere; & quam ſemper mente, linguâ, & calamo ſum veneratus Infallibilitatem Eccleſiæ, poſſim vel ſemel toto effuſo ſanguine teſtificari. Scripſi Demonſtrationem hanc anno M DC VI. Franckenthaliæ ut juvarem meos ſubditos Lue Calvinianâ infectos; & quia Domino cooperante, & has periodos confirmante non pauci oculos aperuêre, eaſdem recognovi anno M. DC. IL. & ad maiorem Dei gloriam & inſtructionem eorum, qui à Ductoribus ſuis ſeducuntur, legi deſidero; ſunt enim me Judice ſingula argumenta tam clara, ut evidenter videam, nihil probabile reponi poſſe.

FUNDAMENTUM IV.

De ſummi Pontificis Veracitate.

Pontifex aliquando loquitur ut Doctor ſupremus & aliquãdo ut homo privatus.

CLXVIII. POntifex, cum loquitur ex cathedra (hoc eſt, ut caput Eccleſiæ & toti Eccleſiæ) errare non poteſt: cum loquitur ut homo privatus, tametſi errare poſſit ſoleatq;, eius ſententiæ ſunt authoritatis eximiæ, quamdiu eſſe falſas non monſtratur.

Prior

CLXIX. PRior huius fundamentalis propoſitionis pars coincidit cum antecedente: quæcumque enim à Pontifice ex cathedra ſunt definita, credendaq; toti orbi Chriſtiano propoſita, dicuntur definita ab Eccleſiâ.

Quid ſit loqui ut Pōtificem? Sed quid eſt loqui pontificem ex cathedrâ? an idem, quod loqui in generali ſynodo? an-ne extra generale Concilium habet definiendi articulos fidei poteſtatem? Negabant Lovanij nonnulli, qui cenſebantur docti, ut meliore colore reijcerent Urbani VIII. Bullam, quæ doctrinam Cornelij Ianſenij condemnabat. Conſului Salmanticenſes meos, & recepi ſingularum poſitionum cenſuras; ſed quia, quæ in Ianſenio carpuntur, multæ ſunt, nec omnes huc ſpectantes, ponam unam, quæ poterit noſtro intento prodeſſe.

CLXX. Quæſtio erat, *An ſummus Pontifex extra concilium ſit magiſter eccleſiæ? An poſſit condemnare aliquam propoſitionem, vel aliam ut fidei dogma tradere?* Quam Salmanticenſes ſic reſolvunt.

anti- im o circa i Pō- ve- tem illi- m.

Dico tam conſtans eſſe inter Catholicos hæc omnia poſſe Pontificem Romanum extra concilium; eumque eccleſiæ univerſalem Doctorem & magiſtrum eccleſiæ eſſe, ut certa fide id tenendum dicat Suarez *de Fide diſp.5. ſect. 8. num.4.* Idque communis Fidelium Doctorum conſenſus probat, dum ea omnia, quæ à Pontificibus extra Concilium, Eccleſiæ credenda proponuntur, certâ Fide credenda Fidelibus proponant & prædicent.

F. Alphonſus Perez.

Subſcripſit Salmanticæ in S. Bernardi collegio, die 20. Maij anno 1642.

F. Angelus Maurique.

Et eodem loco die menſe & anno.

F. Petrus Oviedo.

Et in Veræ-Crucis collegio, ordinis Beatæ virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, civitatis Salmanticenſis die 21. Maij, anni 1642.

F. Petrus Merino.

Et in eodem collegio Veræ-Crucis poſtridie.

F. Gaſpar de los Reyes.

Et in Salmanticenſi conventu Sancti Auguſtini die 22. ejuſdem menſis ſubſcripſerunt

Fr. Ioannes de Aguilar.
Fr. Gaſpar de Oviedo.

Et in eâdem univerſitate, in conventu Sanctiſſimæ Trinitatis die 24. Maij, eodem anno

Fr. Antonius de Ledeſma.
Fr. Ioſephus Romanus.

Et ibidem in Collegio Societatis Ieſu, die 26. eiuſdem menſis eandem reſolutionem ſuâ ſubſcriptione firmârunt

Ildefonſus del Cavo.
Martinus de Eſparza.

Et & ex Doctoribus ſæcularibus conſultus fuit, ſubſcripſitque etiam Salmanticæ, die 18. menſis Iunij eodem anno 1642.

Magiſter Don Ioann. Ioaniz de Echalaz.

Cùm igitur Salmanticenſis univerſitas eximia ſit, & in eâ ſummi duodecim iſti Doctores & Theologi, qui nomina ſua ſubſcripſerunt, quorum pleríque mihi ſunt bene noti, & inter ſummates militantis eccleſiæ numerandi; cumque rationes, quas formare pro hac veritate ſoleo, non videam efficaciter ſolvi, Suarez & illis conſentio, & ſi quid in meis unquam operibus Sanctiſſimo Domino noſtro delere, aut

immutare viſum, me hac manu deleturum & immutaturum religioſè & ſincerè polliceor : & meum nomen ſubſcribo. Pragæ in Cæſareo montisſerrati Monaſterio pridie ſolennitatem paſchatis Anno 1650.

Caramuel.

****

FVNDAMENTVM V.

De Rotâ, & Congregatione Cardinalium.

CLXXI. *Cardinalium Reſolutiones habent vim probabilioris opinionis.*

EMinentiſſimorum Dominorum S. Rom. Eccleſiæ Cardinalium & Rotæ Romanę Deciſiones, etiam quando nihil præcipiunt, maximæ authoritatis ſunt, nec temerè reiici poſſunt. Nolumus eas cum articulis Fidei Orthodoxæ componere; nolumus infra privatas authorum opiniones deprimere; & ideò conſiderando Eminentiſſimos Dominos eſſe quidem doctiſſimos & pientiſſimos, homines tamen, reſolvimus authoritatem illorum eſſe maximam; humanam tamen: unde illis non adulabimur aut detrahemus, ſi dixerimus, ſpeculativas eorumdem opiniones eſſe probabiliores contrariis.

CLXXII. SÆpe contra aliquas Authorum opiniones, Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Deciſiones objicimus, & quia varij ſunt hominum Genij, ſæpe illas admitti, & ſæpe non admitti videmus. Hanc ob cauſam decrevi interrogare, Quantam illæ vim habeant?

Hanc controverſiam tractat Diana *part.1.tract.10.reſol.29.* & Auſonius Noctinot *in Diana Summâ verb. Cardinalis. num.*23 ubi varias opiniones adducit.

I.

Peto igitur, An Cardinalium declaratio ſit Definitio infallibilis, ita ut errori non ſit obnoxia? Si talis dicatur, deſidero videre rationem certam & evidentem quâ id probetur, cùm contra militet ratio & authoritas; ratio, quia emanarunt multæ declarationes contrariæ, cùm tamen verum vero cõtrariari non poſſit: authoritas, quia circa Eminentiſſimorum Dominorũ authoritatem Theologi nobiliſſimi variant. Ergo dicendum eſt Cardinalium Declarationes habere vim opinionis probabilis, aut ut plurimum probabilioris, ait enim Petrus de Ledeſma in ſumm. tom.1. cap.13. diff. 7. *Las Declaraciones de los Sennores Cardinales no hazen derecho como es coſa cierta y aueriguada* (vide quanta ille animi ſecuritate ſuam opinionem proponat) *tan ſolamen te tienen fuerca en el caſo particular, que les preguntan, y es augmento* (fortè *argumento*) *grande en favor de aquella ſententia, que parace que aprueban.* Conſonant Ioann. Valerus; Poncius de Matrim. Zipeus, Serrarius, Bonacina, Vegha, Villalobos, Portel &c. quos citat & ſequitur Diana, qui ait, *Cenſeo cum ſupradictis Do-*

Digitized by Google

Eorumdem Cardinalium Declarationes non habent vim Legis.

ctoribus Declarationes Cardinalium maximi quidem ponderis eſſe, & ab his nullâ ratione recedendum ſine firmiſſimo fundamento: attamen vim legis non habere exiſtimo, neque ſtandum illis neceſſariò.

Et quidem multa ſunt, quæ non intelligo in Dianæ & aliorum authorum libris, ſi quæ dicunt Authores citati & Diana cum ipſis ſunt vera: & hanc ob rem ut meliùs inſtruar, Dubia ſubſequentia propono.

II.

CLXXIII. *An terra moveatur, vel quieſcat?*

Olim fuit probabilis illa Aſtronomorum opinio, quæ terram movet, aut tantùm diurno motu, quod placuit Origano; aut etiam diurno & annuo, quod placuit Ariſtarcho olim, & ante annos paucos Copernico, & hodie ferè omnibus Hæreticis, qui tribunal Cardinalium non curant. Hæc opinio damnata eſt hodie à Cardinalibus, & inquiro, An ideò ſit improbabilis reddita? An qui putaret ſe habere firmiſſima momenta pro Copernico, poſſet illam in foro exteriore defendere? An in interno aut privato ſaltem? An qui illam pertinaciter tueri vellet accuſandus eſſet de inobedientiâ tantùm, an etiam de improbabilitate? An hodie hæc ipſa inhibitio ablata aut moderata ſit, nam ante annos pauculos, prodiit SYSTEMA COSMICUM authore Galilæo Galilæi Lynceo: in quo Sol in centro mundi quieſcere aſſeritur, & tamen impreſſum eſt ſuperiorum permiſſu, & præ ſe fert licentias A. Epiſcopi Bellicartenſis vices gerentis, Fr. Nicolai S. Palatij Apoſtolici Magiſtri, Petri Nicolini Vic. generalis Florentiæ, F. Clemẽtis Ægidij, Inquiſitoris gener. Florentiæ, Nicolai dell' Altella &c. An-ne omnes iſtæ Facultates confictæ? & ſi verè conceſſæ, Quid ille liber habet quod Copernicani non habeant?

An opinio, quæ terrã moveri vult, hodie defendi poſſit?

III.

CLXXIV.

Ut rem fatear, in hac materiâ Hæretici contra Eminentiſſimos dominos Cardinales inſaniunt, Aſtronomi Catholici ægrè tacent, & omnium aut ferè vox eſt. *Si contrarium de fide non eſt, hoc verum eſt*: & ſemper conqueruntur, rem purè Aſtronomicam à nõ Aſtronomis (non enim Cardinaliũ Theologi profitentur hanc artem) in iudicium vocatam. Habeo inter alios amicos, quẽdam virum doctiſſimum ipſumque S. Theologiæ Doctorem, qui ut ait, minori difficultate aſſentitur Sacramento Euchariſtiæ, quàm ſolis motui; & tamẽ aut tacet, aut terram moveri aſſerit, ne difficultates patiatur. Recepi ab alio, & doctiſſimo, multas epiſtolas de hac materiâ, & uberioris doctrinæ gratia ex unâ lineas ſubſequentes excerpo.

Communis eaque conditionata Aſtronomorum Catholicorum Reſolutio.

CLXXV. *Litera cuiuſdam Duaceni Doctoris, Viri doctiſſimi & digniſſimi.*

Mirificas ago gratias, quod dignata ſit eximere aliquot ſcrupulos qui occurrerunt in lectione libelli ſui de perpendiculorum inconſtantiâ. Deerat ſanè hoc ad inſtructionem rudiorum, inter quos ego ſum qui non ambio nomen Aſtronomi, benè Aſtrophili. Addideram aliquid de motu terræ diurno non quod velim refragari Declarationibus & Statutis Eminentiſſim. Cardinalium, à quibus Copernicanis olim & etiam nuper os oppeſſulatum eſt: ſed quia notavi in decreto Aloyſij Carafei typis edito anno 1633. contra Galilæũ Galilæi duas ſententias coniunctim ꝓhiberi his verbis. [*Illam Galilæi ſententiam nempe ſolem eſſe centrum nec moveri motu locali declaraverat (Cardinalium congregatio) abſurdũ & falſum in philoſophiâ & formaliter hæreticum, cùm ſit expreſſe cõtra ſcripturam ſacram: aliamque aſſertionẽ ejus videlicet, Terram mundi centrũ non eſſe, nec ſtare immobilẽ, ſed moveri motu locali & diurno cenſuerat pariter abſurdum & fal-*

Legantur attentè iſta verba.

Digitized by Google

& falſum in Philoſophiâ, In Theologiâ verò ad minimum in fide erroneum &c. Origanus autem neque unum docet neque alterum. VERUM eſt, quòd in hac materiâ linguam comprimo, ut par eſt; nihilominus conatus ſũ ab aliquot annis ſolvere argumenta Ioannis Bapt. Morini, & aliorum, qui motum terræ impugnant, & oſtendere, quòd argumenta eorum non convincant, idque in publico conſeſſu Quæſtionum quodlibeticarum; quod etiam fecerunt poſtmodum Patres Societatis in Theſibus impreſſis, & diceret quis Terram dici *ſtabilem* in ſcriptura eo modo, quo Boetius Severinus *lib. 1. de conſ. Philoſ.* Firmamentum vocat *orbem ſtabilem,* quia etiamſi moveatur, & mutet locum ſecundum partes, non tamen ſecundum totum in ſententia Origani. Addidi & Longomontani, quia ipſemet *in Aſtronomiâ Danica lib. 1. cap. 1.* dicit: *Terram autem ſuper centro in medio moveri, & diurnam revolutionem ab occaſu in ortum perficere magno compendio naturā, nos cum D. Origano & aliis huius ſæculi præſtantibus viris aſſerimus.* Sed abrumpo ne importunius obſtrepem veſtris doctiſſimis auribus aliunde occupatis &c.

Cenſet nõ interdici à Cardinalibus ſententiam Davidis Origani: at liber expurgatorius S. Inquiſitionis Hiſpanicæ expreſſè delet hanc Davidis ſententiam. An hodie defendi illa poſſit; & quo ſenſu?

IV.

CLXXVI. Ego quidem non tanti facio terræ motum, imò nec totam terram, ut propter illam, velim non dicam Dei aut Eccleſiæ, ſed ne unius quidem boni amici indignationem incurrere; adeoq; proteſtor in hoc rerum genere hanc me habiturum opinionem, quam iuſſerit Eccleſia Romana: cùm autem ſtãdo rationi neutra opinio videatur impoſſibilis (quis enim Copernicanus ita inſanire vellet, ut diceret non poſſe Deum condere mundum qualem eſſe conditum DD. Cardinales affirmant?) cùm utraque ſuas difficultates patiatur (quis enim toleret immenſam illam abyſſum, quam inter fixas & Sphæram Saturni debent ponere, qui tellurem pervertunt?) neſcio enim, an ſtando puræ rationi magis diſſonent omnia, quæ tenentur concedere Tychonici (nam de Ptolemaico Syſtemate iam eſt actum) quàm hæc unica abyſſus, quam non poteſt negare Copernicus? volo tamen doceri, & horum dubiorum habere ſolutionem.

Stãdo nudæ rationi utraque ſententia eſt probabilis.

Intolerabilis eſt Copernicana à Fixis ad Saturnum diſtantia.

Iam eſt antiquata doctrina Ptolemai.

Quæro primò, An DD. Cardinalium inhibitis adhuc perſtet; an verò ſit ſublata aut mitigata?

Quæro ſecundò. Si non mitigata nec ſublata dicatur, quomodo Romæ & Florentiæ Syſtema Coſmicum Galilæi fuit approbatum, benignis cenſuris honoratũ, & typis vulgari permiſſum?

Quæro tertiò, An Cenſorum Romanorum pace poſſit admitti hæc Propoſitio, *Nulla datur ratio ſpeculativa aut practica, hoc eſt, nullum argumentum inſenſibile aut ſenſibile, Terræ quietem evincens: Sacræ Scripturæ teſtimonia, quæ contra Ariſtarchum citantur, potuerunt probabiliter ſolvi antè Dominorum Cardinalium Decretum, iam non poſſunt: poſita enim verâ Sacræ Scripturæ intelligentiâ nulli probabilitati datur locus.*

Sed fortè diſplicebit nonnullis hæc Poſitio, quia cõcedit Cardinalibus auctoritatẽ faciendi ſententiã improbabilem.

Quæro quartò, An ab Eminentiſſimis Dominis non ſolùm damnetur in Galilæo Ariſtarchi doctrina, ſed etiam Davidis Origani? nam & hanc Hiſpanica inquiſitio condemnat.

V.

Ulteriùs pergo, ſtet vel moveatur Olympus, & ſic diſcurro. [Olim erant probabiles iſtæ opiniones. *I. Epiſcopi vigore Tridentini Concilij poſſunt reducere miſſas in fundatione poſitas. II. Quæ poſt illud relictæ, poſſunt ad numerum minorem redigi. III. Generales Ordinum poſſunt miſſas ad pauciores ex cauſâ competente reducere. IV. Quando ſti-* CLXXVII.

Relicto motu Terræ, tranſitur ad alias materias. Septem opinionum

Digitized by Google

iiſ- ce- io- iſura. *do ſtiſpendium Miſſa eſt ab Epiſcopo taxatū, ſi petens ſibi celebrari miſſam non dat ſtipendium integrum, poteſt Sacerdos ab uno vel à diverſis tot parva ſtipendia accipere, quot iuſta eleemoſyna aquivaleant. V. Sacerdos pauper poteſt pro unâ miſſâ tot accipere ſtipendia, quot ad diurnam eius ſuſtentationem ſufficiant. VI. Die feſto accipi poteſt duplum ſtipendium pro miſſâ. VII. Poteſt miſſa celebrari pro primo daturo ſtipendium &c.* Damnnantur ab Eminentiſſimis Dominis teſte Dianâ *part. 2. tract. 14. reſol.* 1.2.6 7.8.9.15. quales igitur erunt modò? improbabiles, an tantummodò minùs probabiles? Si improbabiles; cur? an ob nudam reprobationem, an ob demonſtrationem, quam hodiè habemus, cuius Veteres non habuerunt notitiam?

VI.

CLXXVIII. Si ſententiæ declaratæ & electæ à Cardinalibus ſint probabiliores, rejectæ & damnatæ minùs probabiles, ſi dicamus neminem poſſe ſequi opinionem minùs probabilem; fortè ſententia damnata à Cardinalibus teneri non poterit. Quid autem dicendum eſt ſtando illi ſententiæ, quæ hodie eſt omnium, nimirùm, poſſe hominem tutâ conſcientiâ ſequi opinionem minus probabilem?

An poſſimus ſequi opinionem minus probabilem?

VII.

CLXXIX. *Diana videtur ſibi contradicere.* Produco Dianam qui *part. 2. tract. 13. reſol. 1.* tenet cum communi ſententiâ eſſe licitū relictâ opinione probabiliore & magis tutâ, ſequi minus probabilem & minus tutam. & *part. 1. tractat. 10. reſol. 29.* Declarationes Cardinalium non habere vim legis, nec illis neceſſariò ſtandum: & tamen *part. 2. tract. 14. reſol. 1.* ait, *ſtante dictâ declaratione Illuſtriſſimorum Cardinalium modò non eſſe amplectendam opinionem Henriquez & Mirandæ.* & reſol. 8. *Affirmativam ſententiam probabilem putavit Ioann. de la Cruz, Ledesma, Molfeſius; & abſolutè illam docent & ſuſtinent Sotus, Canus, Baja, Dom. Montagnolus, Angelus, Rodrigues, Fernandes, qui citat Honcalam, Tabienam, & Petrum de Aragon; & noviſſimè Didacus Nugnus, & ante illum Orellana, &c. Sed hac opinio modò corruit: nam Sacra congregatio in decretis: &c.* Sed cur corruit, Si Diana teſte tantùm eſt probabilior opinio, quam elegerunt Cardinales? Produco etiam Auſonium Noctinot, digniſſimum & doctiſſimum Virum, in Dianæ ſummâ dicentem lectori benevolo *Pleriſque incommodum erat eamdem quaſtionem pluries repeti; quod tamen authori neceſſarium fuerat, ut ſi qua opinio in priori parte excuſſa, oppugnata fuiſſet, in poſteriore confirmaret: aliquas novis augeret inventis. in aliis iudicium priùs ſuſpenſum determinaret: in aliis demum modificaret, vel ſupervenientibus Sacra Congregationis Oraculis revocaret. Commune eſt omnibus harum doctrinarum ſcriptoribus ſuas lucubrationes non ſimul & eodem tempore in lucem edentibus, non ſolum ob eam, qua à veritatis Interpretibus manant indies Reſponſa, quibus cervicem flectere neceſſe eſt; ſed ob temporum etiam aliorumve accidentium viciſſitudinem noſtrique flexibilitatem ingenij, qua nos pro diverſo temporum ſtatu rapiunt in diverſa.* Cui ego. Si Dominorum Cardinalium Reſponſis cervicem flectere neceſſe eſt, dabitur ratio quæ hâc ipſam neceſſitatem evidenter evincat (nam nec probabilitas, nec etiam probabilioritas ullam poteſt inducere neceſſitatem) ergo illam dignabitur ille ſubminiſtrare.

Item Auſonius Noctinot.

An Cardinalium Deciſionibus ſtare debeamus neceſſariò?

VIII.

CLXXX. *An informationibus, qua coram Emi-* Doceri volo, An non poſſit aliquādo cōtingere, ut propoſitio facta Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus ſit fallax? hoc eſt, An non aliquando ignorantiâ, aliquando malitia ſeducti pro-

Digitized by Google

nentiſſimis DD. leguntur, error ſubeſſe poſſit?

ponentes poſſint & ſoleant, rem aliter proponere, quam in ſe ſit? & ſi id contingere poſſit & ſoleat, an non ſervatâ omni reverentiâ privatus Theologus, ſi propoſitionem factam eminentiſſimis dominis fuiſſe erroneam reperiat, poſſit dicere, illos quidem iuxta caſum propoſitum doctiſſimè & ſolidiſſimè reſpondiſſe, & nihilominùs eorundem Deciſionem admittendam non eſſe, quia fuerunt male inſtructi, & ut vulgò loquimur, malè informati? Puto in hoc genere neminem conceſſurum Cardinalibus eſſe, quod Pontifici Summo negamus; oratus enim à Tranſalpinis Bullas expedit conditionatas, videlicet, *ſi preces veritate ſubſiſtant*; unde, ſi contingat eaſdem veritate deſtitui, non ideò dicendus eſt erraſſe Summus Pontifex, ſed Bullam eſſe invalidam, & ſupplicantem condemnandum. Ergo ſimiliter, ſi propoſitio facta Cardinalibus *veritate ſubſiſtat*, tunc eorumdem Deciſio vim habebit, qualem illi concedere ſolent Theologi; cæterùm, ſi propoſitio fuerit mendax, non illi dicendi erraviſſe, ſed Deciſionem eſſe invalidam, & proponentem condemnandum.

CLXXXI. *Quid dicẽdum ſit de errore ab intrinſeco?*

Ex hoc dubio oritur aliud, An ſicut in Eminẽtiſſimorum Dominorum tribunali ab extrinſeco caſus proponi male ſolẽt, an etiam ab intrinſeco poſſint? puta, ſi quod Deus avertat, contingat aſſumi indoctos viros, aut etiam aliàs doctos decidere quæſtiones aliarũ facultatum, in quâ viderentur indocti? quæſtio enim ſubtilis Philoſophica, nõ ſolùm non poteſt ab homine ignorante decidi, ſed neque à docto in aliâ ſcientiâ, puta à Pictore, Architecto, Sartore, vel Sutore: quia ut olim bene inclamavit Apelles, *Sutor non ultra crepidã*; habeat enim ſuos terminos ſingulæ Facultates, & dum *Navita de ventis, de bubus narrat arator, enumerat miles vulnera, Paſtor oves.* Igitur ſi contingeret (ſit caſus poſſibilis aut impoſſibilis) Cardinales Theologos aut Canoniſtas reſolvere aliquam quæſtionem alicuius Facultatis Mechanicæ, quam illos ignorare cenſeres, an-ne in eodem caſu (interrogo) tenereris eorumdem reſolutioni ſtare; & contra dictamen proprium, quod à te demonſtrativis, aut probabiliſſimis ſaltem rationibus ſuaderi exiſtimas, deberes captivare intellectum, & ut Auſonius Noctinotius loquitur, cervicem flectere? Nihil obijcio: habemus enim hodie in Cardinalium Conſiſtorio præter Lugonem alios Viros doctiſſimos, qui non ſolùm ſunt in dignitate ſed in omni ſcientiarũ genere eminentiſſimi, ſed nec fuerunt, nec erunt omnia tẽpora noſtro æqualia; doctrina generalis exigitur, quæ ſi ſervire modò nequeat, fortè olim ſit ſervitura.

IX.

Condemnãrine probabilis poſſit opinio? CLXXXII.

Vides multorum Authorũ opiniones ab Inquiſitionis Tribunali, vides à Congregatione Cardinalium, vides à Rotâ expungi, & ut vulgus loquitur, condemnari; & inquiris, An detur in Mundo viſibili authoritas condemnandi opiniones probabiles?

Aperuerunt nobis oculos Patres Carmelitani diſcalceati in Hiſpaniâ, qui ante annos viginti ordinis Prophetici mirabilem Hiſtoriam evulgarunt, quæ varias ſubijt Theologorum Cenſuras. Traductus ab ignorantibus fuit liber, & in Summo Inquiſitionis Tribunali accuſatus. Ut priorem tueantur, edunt alterum Patres doctiſſimum & eruditiſſimum, quem olim libentiſſime Legi, ex quo nunc potiſſimas Poſitiones aſſumo.

Prima

CLXXXIII. ...ſt e ...los, ...id ...vere ...icos. ...ipa- ...crit ...ulpâ ...ptâ?

Prima ſit. *Alterius Tribunalis eſt dare Eccleſiæ Articulos fidei, & definire quænam Propoſitiones ſint Hæreticæ, & alterius eſt Hæreticas (ſeu perſonas, ſeu propoſitiones) comburere.* Quod dilucido & probo. Quæritur hodie, an Regina angelorum caruerit peccato originali? Hæc controverſia videtur non fuiſſe tacta à Patribus: ante quingentos annos multi videntur tenuiſſe opinionem ſeveram: hodie cuius ſint Doctores neſcimus, nam ſi qui contrariam tenent, præcipiuntur aut tacere, aut loqui nobiſcum, qui piam defendimus. Quod notatum volo contra Pozam, qui frequentiſſimè aſſerit illam, quæ pia vocatur, eſſe hoc ævo omnium Catholicorum opinionem: nam Ego quam opinionem habeam ſcio, quam habeas neſcio, nec ex verbis eam colligere poſſum, nam ſi fortè ſeveram teneas, nec licitè, nec impunè illam prodes; & ſi prudens ſis, males in materiâ probabili (damnare enim hæreſeos piam ſententiam, delirare eſt) te accommodare ſuperiorum dictaminî, quam coram Deo in conſcientiâ, corã Mundo in honore & commoditate pati iacturas aut cenſuras. Deſideramus hãc controverſiam ſemel ab Eccleſiâ decidi. & dicimus, à nulla univerſitate, à nullo Tribunali Inquiſitionis, à nullo Cardinalium Conſiſtorio decidi infallibiliter poſſe, ita ut tranſeat in articulum Fidei, & ſint qui diſſentiant Hæretici. Cæterùm, quos Eccleſia Hæreticos dixerit, ſeu articulos ſeu homines, poterit Inquiſitio ultimâ ſententiâ condemnare.

...odie ...utra ...io ſit ...ius?

Ex hac doctrinâ ſolidiſſimè inferebant Patres Carmelitani, non ſpectare ad dominos Inquiſitores dare articulos Fidei, ſed juxta datos ab Eccleſiâ Romanâ iudicare: cùm igitur in toto illo libro nihil eſſet quod in articulos Fidei impingeret, non eſſe cur illum Tribunal condemnaret, niſi innocentem vellet; quod de ſanctiſſimo illo conceſſu præſumendum non eſt.

Secunda. *Cenſores, quibus uſum fuerat Tribunal, fuiſſe puros Theologos, parvæ aut nullius eruditionis, & qui non poterant de Hiſtoriâ iudicare.* Et ut rem ego fatear, in illo Sancto Tribunali cognoſco nonnullos Cenſores doctiſſimos, cognoſco & indoctiſſimos, & video humana omnia in mundo tractari humanitùs, & multa non poſſe aliter fieri, nam ſupremi Inquiſitionis Principes debent credere Miniſtris ſuis, qui homines ſunt & poſſunt & ſolent errare. Cæterùm hominem purum Theologũ omnia poſſe, crediturus non ſum. Habent cancellos ſuos Facultates, & qui in Philoſophiâ excellit, ſolet eſſe rudis in Iure; & qui inter Medicos eminet, ſolet eſſe incapax, ut Theologica tractet: nec mirum ſi Hiſtorica aut Politica neſciat, qui ſolũ Theologica tractat. Hanc ego veritatem experimento didici anno M.DC.XLVII. & M.DC.IL. & ſæpe alibi. Nã cùm anno 1647. tractaretur ſeriò de univerſali pace, quàm multa à Politicis contra veram Theologiam audivi! & quàm multa à Theologis contra veram Politicam! & quàm pauca quæ Politicam Chriſtianam ſaperent! edidi de hac Materiâ ſpecialem Tractatum (qui tamen impugnatoribus non caruit, nã dum omnia Eccleſiaſtici, omnia ſæculares deſiderant, reprobant veritatem, virtutemque, quæ medium tenet). & ideo non eſt cur plura addamus. Demus aliud exemplum: Anno 1619. Viẽnenſis Univerſitas ad maiorem Divæ honorem ſententiam piam iuramento firmavit: quà Theologa unanimi ſingulorum conſenſu: quà Iuridica, non ſine difficultate, ſuperabili tamen: ſed quantis turbinibus quà Medica!

CLXXXIV. *An purus Theologus habere in Inquiſitione poſſit Qualificatoris officium?*

Ponitur exemplum in conſultatione de S. R. Imperij Pace.

Additur ſecundũ exemplũ; & exponitur, cur Viennẽſes Medici ſub initiũ noluerint iuramentũ

Conce-

piū emittere in cōtroverſiâ Conceptionis immaculatæ?

Convenerunt me aliqui, conveni aliquos, & dicere volebam, quæ eſſet remora, quæ illos detineret fluctuantes. Dabo multorum exceptiones, quarum vi ſe excuſabant. DICEBANT PRIMÒ, *Iuramentum illud, non peti, ſed extorqueri à Cæſare; nec liberè procedere univerſitatem.* SECVNDÒ, *Cæſarem non procedere liberè, ſed ab alijs induci.* TERTIÒ, *hunc ſtrepitū totum in odium D. Thomæ, & Patrum Dominicanorum excitari.* QVARTÒ, *univerſitatem non eſſe doctiorem Eccleſiâ, nec debere definire quod nondum Eccleſia fuit auſa.* QVINTÒ, *ſe non poſſe iurare Virginem cōceptam fuiſſe ſine culpâ; eſt enim res ignota & incerta, & talia nequeunt iuramento firmari.* SEXTÒ, *Eos omnes, qui eiuſmodi iuramentum emittunt, ſe exponere periculo, ut craſtinâ die declarentur Hæretici & periuri, ſi Eccleſia definiat pro Dominicanis.* Hæc illi; qui tardè ſedati & inſtructi, non ſine magno Magnifici D. Ioannis Guilielmi Managettæ, etiam Doctoris & Profeſſoris Medici, ſed qui non eſt purus Medicus, ſed in omniſcientia verſatiſſimus, ſequuti Theologos, tandem aliquando ſententiam benignam & piā iuramento firmarunt. Conſtat igitur errare frequēter ſutorem, ſi ultra crepidam iudicet; Medicum, ſi ultra morbos & pharmaca.

D. Managetta, iterum, iterumque Rector Viennenſis Univerſitatis laudatur.

Non ergo immeritò conquerebantur Patres Carmelitani, ſi Hiſtorica ab ipſis ſcripta volumina examinanda & cenſuranda, puris & ineruditis Theologis committebantur.

X.

CLXXXV. RECenſui aliena: propria enarro. Prodiit meus Commentarius in Regulam D. Benedicti, & quidam pius, indoctus tamē Abbas, ut Syntheſes legit, excanduit, & illas improbabiles eſſe verbo & calamo fuit proteſtatus. Moneor à D. Franciſco Pannemā, & illi reſcripſi litteras, quas quia argumento propoſito utiles iudico, placet dare. Sic illi.

Litteræ Authoris de Opinionum probabilitate.

INter multos Diſcipulos, quorum olim mihi formatio & promotio hodie magnis curis ſtat, pauci reſpondēt debito, ſed te inter paucos video ingratitudinis notam diligēter effugere, & cùm poſſis magiſtrum apud me, non velle niſi Diſcipulum agere. Sed & hoc ipſum laudo; oportet enim colere, per quos profecimus, & Ego in hac materia amicorū ſententiâ nimius ſum: multum enim illis defero, à quibus habeo, quòd nihil eis deferre poſſim.

Multum deferre debemus præceptoribus.

Titio viro apud Benedictinos Gallos authoritatis eminentis, ita diſplicuiſſe iſtas Syntheſes, tametſi viginti aut plures Magni ſubſcripſerint, ut in illas ſævierit, cenſuram crudelem evulgando, non miror. Semper enim ignorantia eſt imprudens & audax. Noctua etiā non infimæ magnitudinis inter aves, conqueſta olim in volucrum comitiis fuit, quod ſol eſſet nimis caliginoſus, nec tamen ego ſolem evulgaſſe pro lucis theſauris apologiam, ſed irriſiſſe cœcutientis calumniam, communi omniū ſuffragio & applauſu contentum: Sol, mi Franciſce, eſt veritas; nec minùs clarus ille, quod in eum blaſphemias noctua evomat; nec minùs certa iſta, quod in ipſam ignorantia præſumat. Hæc cū omni moderatione ſint dicta, ſed quoniam veritati & eximiis hominibus pro ea ſtantibus quibus hæ ſtupidæ inſidiæ parantur, eſt favendum: res eſt urbanè, fortiter tamen urgenda. Sic diſcurro.

Noctua Sol eſt obſcurus: & veritas indocta eſt mēdax.

Veritas Sol.

Has omnes & ſingulas Syntheſes p̄babiles eſſe dixi, & dico; negat ille: improbabiles laxas, pernitioſas ſcandaloſas (cur non etiam Hæreticas?) affirmat. Furit, an decet? ſævit, an cenſet. Ipſe loquitur, & in hoc ne à pſitaco differt. CLXXXVI.

Quanta ſit noſtrarum Syntheſiū probabilitas?

ſert. at ego Soles Reipublicæ Literariæ propugno, & meum aſſumptum ſic demonſtro. *Quacunq; opinio habet viginti authores pro ſe, eſt opinio probabilis? Nulla eſt in his Syntheſibus quæ plures non habeat; Ergo nulla quæ vere probabilis non ſit.* Quid tuus ad iſtum ſyllogiſmum Titius? ſi neget formam oſtendet ſe ignorare Dialecticam. Si maiorem, ſe moralē Theologiam, ne quidem à longè ſalutaſſe; ad probabilitatem enim non iam viginti, ſed etiam multò pauciores in omnium opinione ſufficiunt. Si minorem, ſe nō ſcire legere, ibi enim proſtant ſubſcriptiones ſuperſtitum Virorum, Quibus maiores hodie in orbe Chriſtiano non dabit. Ergo quidquid ad illum ſyllogiſmum dicat, erit Noctua ſolem incuſans, quod audiat Lucidus, cùm tenebroſus ſit. Sed hæc de illo ſufficiant, cuius nomini parcere volui, tametſi non pepercit meo, quia demonſtrationes dedignantur, cum ſtupidâ ignorantiâ confligere. Nos igitur quia nolumus ita loqui, & non poſſimus apud doctos vocari non ignorantes, Theſes illas relegimus, & de illis iſtas etiam ſubijcimus.

XXXVII. *[Au]thoris de [h]is Syn[th]eſibus [c]enſura.*

Prima. *Quicumq; opinionem quā ſpecialiter conſulti, viginti Illuſtriores illuſtriorum univerſitatum Theologi probabilem iudicāt, ijs non obſtantibus improbabilem dicit, oſtendit ſe quid probabilitas ſit ignorare.* Patet, quia nemo doctus eſt, quin neget opinionem octo aut decem authorum debere vocari probabilem.

LXXXVIII Secunda. *Repugnat opinionem probabilem in materia, quæ de neceſſitate medij ad ſalutem æternam non eſt* (quidquid neceſſitate medij ſit, illam n. huiuſmodi Theſes non tangunt) *eſſe periculoſam, temerariam, audacem, malè ſonantem, aut aures pias offendentem.* Conſtat ex probabilitatis definitione; ſanè probabilis opinio periculoſa non eſt, nulli n. ſe exponit periculo, qui ſe non exponit periculo peccandi; & eum qui minùs probabili ſententiæ ſubſcribit non peccare probabilior ſententia (adeoq; communis) affirmat. Nec eſt temeraria; nā motivis gravibus ſubſiſtit, quibuscum temeritas componi non poteſt. Si non ſit temeraria, nec erit audax; quoniam coincidere videntur audacia & temeritas, aut ſaltem ſeparari non poſſe. Cū igitur probabilis ſententia bona ſit, nec pernicioſa nec ſcandaloſa ipſa eſt. Laxa dici non debet, ſed benigna. Et per cōſequens male ſonare nequit; nec pias aures offendere, quod ſi aliquas offendat, non ſunt piæ. COROLLARIVM: *Repugnat aliquem eſſe vel mediocriter doctum, & tamen cum probabilitate has crudeliſſimas notas componere.*

Quid ſit opinio periculoſa? [Nulli ſe exponit peccandi periculo, qui ſequitur opinionem etiam minùs probabilem.] Quid temeraria? Quid audax? Quid laxa? Quid male ſonans?

CLXXXIX. Tertia. *Nulla ex prædictis Syntheſibus, aliter poteſt ſua probabilitate privari, quàm ſi contradictoria tranſeat in articulū fidei.* Patet; quia opinio probabilis eſt quæ à magnis & multis defenditur, & tamen humanitùs non poterit fieri, ꝙ illi Doctores, qui ſubſcribunt multi aut magni non ſint. Vel finge quemcumq; caſum poſſibilem, Præter definitionem Eccleſiæ. Congregentur univerſi Europæi docti, indocti, magni, parvi; non tamen poterunt facere aut verè definire, viginti non eſſe viginti, aut viros eximios, & ſummarum Academiarum lumina non eſſe magnos.

Quando & quomodo opinio probabilis in improbabilē tranſire poſſit? Totius Mūdi Reſolutio quid poſſit?

Videas igitur, quam ſtupidè Titius, contra tot Academiarum Illuſtriſſimarum ſoles, fuerit auſus, & Invidiæ ignoranti condoleas, impoſterumque Syntheſes illas tanquam ſecuriſſimam baſin tuarum omnium Reſolutionum ſtatue, & diligenter perge, &c.

XI.

CXC. Quidam Epiſc. opus in Belgio interdixit Antonini Dianæ Reſolutiones, juſſitque ut nemo venderet, emeret, legeret aut haberet: & Bibliopolæ ſoliciti

An interdici poſſint Dianæ opera?

citi interrogabant, *poſſetne liber ille interdici?*

Reſpondi illis, & reſponſionem meã in Baſi Theologiæ Regularis edidi. Nõ habeo penes me librum illum, & ideò ſententiam reponam, ſi non verba.

Aliud eſt interdicere librum, & aliud eiuſdẽ doctrinam condemnare.

Inter interdicere libros & illos condemnare diſtinguo; libri n. ſunt merces, ſunt nocivi, ſunt mali. Interdicuntur libri optimi ut merces, ut noſtris Typographis, Bibliopolis conſulatur. Cum Plantino, ut imprimat Eccleſiaſticos libros conceditur, interdicuntur omnes apud quemcunque alium impreſſi, non quia mali, ſed quia impreſſi cum iniuriâ Plantini, cuius indemnitati & utilitati publico privilegio conſulitur. Interdicuntur etiam libri optimi, vt nocivi, quando experientiâ conſtat eſſe aliquos, qui eis abutuntur. Sic videmus Biblia ſacra interdici, nec permitti in aliquâ linguâ vulgari; nam docet experientia fæminas & ignorantes quosvis homines arreptâ occaſione ex male intellectis periodis ſolere contra Deum & Fidem delirare: nec aliâ poſſe viâ Fidei conſervari unitatem, quàm ſi eiuſmodi Libri à manibus imperitorũ arceantur. Ridebat hanc totam doctrinam in Belgio quæpiam Princeps & dicebat non niſi tyrannicè fæminas arceri à Divina ſcriptura; quæ eſt bona, & interdicitur ac ſi eſſet mala. Erat in loco puellus, Principis filius; & Titius, qui ſic illam diſcurrentem audivit, evaginat pugionem, & puello tradit. Occlamat illa, & Titius pugionem in manibus puelli tutatur. Cur deberet iſte Angelus, ait, ſpoliari pugione, pulchro, lævi, mundo, acuto, & omnibus nominibus bono? an non quia uti non ſcit, & abuti illo poterit; & eo abutendo ſe ferire aut occidere? Ita eſt Princeps excellentiſſima: Sacræ Literæ Eccleſiæ Romanæ ſunt arma, fortia, potentia, & efficacia; quibus ſi malè utatur aliquis, ſibi mortem conſciſcet; non ergo concedendæ perſonis quæ abuſuræ credãtur. Interdicuntur etiam Libri, quia mali & nocivi per ſe: & hic ultimi ſolent & debent condemnari.

Libri optimi ſolent & debent aliquando interdici.

Solent ignorantes ſanctiſſimis libris abuti.

cxcI. *Solent libri interdici ut merces.*

Porrò ſi Dianæ Libros Epiſcopus ille interdixit ut merces, viderint Conſules & Reipublicæ Patres, ad quem pertineat interdicere merces, nam in Belgio (de hoc enim agebatur) mercium interdictio aut admiſſio, ad Regem, & non ad Epiſcopos pertinet: ſi eoſdem interdixit ut nocivos per accidens, nullam iniuriam Dianæ intulit, & ſuo fuit uſus iure: nemo enim in ſua domo tenetur tolerare Librum, etiam bonũ, qui ſuis ſit pernicioſus per accidens. Quod ſi illos condemnavit, hîc iam haberent docti aliquid, quod patienter tolerare non poſſent, non enim damnari poſſunt libri qui à doctis leguntur, approbantur, laudantur.

Item ut nocivi per accidens.

Sed ut dãnentur debent malã continere doctrinam.

XII.

cxcII. *Non eſt ignominioſum Authori, ſi eius opera interdicantur: eſt, ſi damnentur.*

Hinc eſt decipi vulgus cùm audit aliquem librum interdici, vix eſt enim Politicus hodiè, qui non ſe exponat huic periculo. Politicam Hiſpanorum reprobant Galli, Gallorum Hiſpani; ſæcularium Eccleſiaſtici, & Eccleſiaſticorum ſæculares. Michael Rabardeus viſus fuit Romæ nimium augere authoritatem ſæcularem, nimium deprimere Eccleſiaſticam, & ideò ſtatim interdictꝰ. Et Antoninus Diana, qui omnia Eccleſiaſticis concedit, omnibus ſæcularibus, Hiſpanis, Germanis, Gallis, Belgis, &c. & ita Venetis, ut vix illũ voluerint tolerare: tandem admiſerint, graviſſimâ & acerrimâ cenſurâ præfixâ, ne putet Lector per conceſſionem imprimendi illius operis, in eo contenta aut pro veris admitti, aut ad praxin approbari, ſed tantummodò rationibus impreſſorum ſeu mercaturæ conſultum

Michaelis Rabardei Politica Romæ, Dianæ Politica Venetijs,

tum

Digitized by Google

tum. Author ille Romanus, qui Reges in temporalibus ſubeſſe Pontifici ſcripſit anno 1626. aſſerente Gramondo, à Sorbonâ, à clero Gallicano, à Sæculari ſtatu; imò licet Ieſuita à Ieſuitis in Galliâ habitantibus reprobatus eſt, & iuſſus comburi à publico Iuſtitiæ Miniſtro, & tamen idem liber etiam hodiè Romæ commendatur: Concludendum eſt ergo in materiâ Politicâ, tot eſſe ſententias, quot Rerum-publ. Capita; nec damnandum P. Cotonem, qui adhæſit communi Gallorum ſententiæ, & rogatus, *Quid ſi eſſetis Romæ?* Reſpondit, *Mutaretur cum aura animus, ſentiremus ut Romæ.* Vide Gramond. ad anno 1626. pag. 654. Ergo in materiâ Politicâ hæc poterit poni ſcriptoribus Regula: videlicet, *Modò nec in Fidem, nec in Catholicam totoq; Orbe receptam morum doctrinã, impingat in Materiâ Politicâ, quidquid exteri Eccleſiaſtici aut ſeculares ſentiant dicantve, unuſquiſque tenetur defendere Iura ſua Patriæ.* Hanc Regulam hoc exemplo dilucido. Anno 1635. eramus in navi Antuerpienſi Reverendiſſimus D. Opovius Ducisſylvius Epiſcopus, multi nobiles, & inter ipſos Comes quidã ex Galliâ profugus, qui multa ſupra fidem, fortè & ſupra veritatem, ſe egiſſe pro Catholico Rege gloriabatur. Habebat penes ſe decẽ mille florenos, quos in præmium à Rege ſuſceperat: & hoc animatus favore, maiora adhuc pollicebatur. Cùm peroraviſſet omnia Gallus, exceptus fuit à fideliſſimo Epiſcopo (fideliſſimo inquam; quia ſæpe expoſuerat vitam ſuam propter Regẽ Catholicum, & ſemel apud Hollandos captus & condemnatus laqueo, liberatus fuerat non ſine ſuſpicione miraculi:) hoc reſponſo, *Quam omnia iſta eſſent glorioſa, ſi facta non eſſent à Gallo!* Erubuit Comes, riſimus omnes: quicumque enim Gallus favet aut ſervit Regi Hiſpano contra ſuam Patriam eſt infamis. & Ego ſicut de gladio, ſic etiam de Calamo philoſophor. Multa pro meis principibus ſcripſi; & illa omnia ut Hiſpanus, qui eſſem infamis meâ opinione, ſi calamum moverem contra Patriã. Iam nulla ampliùs in hac intricatâ materiâ me ſcripturum decrevi, quia ſicut non omnes militare tenentur, ſic nec omnes ſcribere; præcipuè ſi dentur rationes politicæ, quæ tollant calamum: nam experientiâ didici aliquas opiniones meas diſplicuiſſe Romanis & Hiſpanis; Illis quod putent me augere authoritatem Regiam plus quàm debeã; iſtis, quod putent me eâdem infra verum deprimere, debuiſſeque ſcripſiſſe generoſiùs & altiùs.

Aliorum Pariſijs condemnatur.

An ſentiẽdum cum multis?

Vnuſquiſq; tenetur ſtare à Patriâ.

Gallus trãsfuga ab Epiſcopo Sylva Ducis ridetur.

Author à Politicis ſe ſubtrahit.

Eius doctrina aquè Romanis diſplicet ac Hiſpanis.

FUNDAMENTUM VI.

De definitionibus Academiarum.

UNiverſitas per modum Corporis congregata, ſi ſit ex claris, quamdiu maneat ſub obedientiâ Summi Pontificis, nil omninò reſolvet, quod non ſit probabile. Patet. Quia Poſitio, aliàs improba-

CXCIII. *Reſolutiones unius Vniver...*

probabilis, modò ab unâ Univerſitate admittatur & defendatur, redditur hoc ipſo probabilis.

tatis ſunt probabiles? An cuiuscunque & quæcumq;?

Quantæ authoritatis ſint Theſes, quæ in aliqua Univerſitate propugnatæ?

An-ne Theſibus tanta debebitur authoritas, quanta Theologici Senatus Conſultis? Puto Theſibus, quæ ſine obloquutione in aliqua illuſtri Academia propugnantur, magnam reverentiam deberi; minorem tamen, quam Univerſitatis-Conſultis: ſi in aliqua Univerſitate moris ſit Theſes defendendas recognoſci & approbari à tota Facultate Theologica, tunc Theſes ſingulæ erunt ſingula Univerſitatis-Conſulta, & hoc ipſo valdè probabiles.

CXCIV. *Communitas diſtinguitur à ſingulis particularibus.*

CONſiderandá ſunt verba ſingula. Ago de univerſitate per modũ corporis congregatâ, ut illam à ſingulis Doctoribus diſtinguam, de quibus infra. Ago de clara & nota; ſunt enim hodie multæ in Europâ ignobiles, quæ vix nomine cognitæ; ad quas confugiunt imperiti; ut qui inter doctos locum habere non potuerunt, ſaltem ibi præcellant, ubi nulli ſunt docti. Ago de Catholicâ: nam quæcumque ſchiſmatica aut hæretica fide caret: quæ enim non credit quæ debet, & cui debet, indigna eſt cui Chriſtiani credamus. Me igitur Iudice Deciſio unius Univerſitatis tanti eſt ponderis, ut repuguet unam & eamdem Poſitionem ab una claſſicâ Univerſitate approbari, & tamen improbabilem eſſe.

Non omnes hodie Univerſitates ſunt claræ. Imò nec Catholicæ. Una Univerſitas ſufficit ad faciendam opinionem probabilẽ.

CXCV. *Quantæ ſint authoritatis Cõcluſiones, quæ in aliqua clara Univerſitate impreſſæ & propugnatæ.*

THESIBUS minorem authoritatem concedimus, quàm Theologici Senatus Conſultis, maiori enim examine Conſulta, minori Theſes evulgantur. Solent hæ à nullo recognoſci; ſolent à ſolo præſide; ſolent à Decano: varij ſunt Academiarum mores, at Viennæ Theſes à totâ Facultate approbantur. Rem ediſſero. Anno 1649. Menſe Auguſto pro ſupremâ Theologiæ Laureâ conſequendâ R. P. Guilielmus Glöcker, Sacri ordinis Ciſtertienſis in Campo-liliorum ſupprior, Præſide R. P. Georgio Turkovich Societatis Ieſu Doctore Theologo, & Profeſſore ordinario, inter alias hanc Theſin diſcutiendam propoſuit, nimirùm, *Non improbabile videtur poſſe moribundum ſenſibus deſtitutum ſub conditione abſolvi, qui neque confeſſionem petijt, neq; ullum pœnitentiæ ſignum dedit, modo Catholicè & piè vixerit.* Sic etiam Ego ſentio, & ut magis eluceret huius Propoſitionis probabilitas, iuſſus argumentari, ſic aio.

An moribundus, qui nullum ſignum dedit, poſſit abſolvi?

[Lego in titulo. *Theſes ex univerſa Theologia, quas authoritate & conſenſu Reverendiſſimorum, admodum Reverendorum, Magnificorum, Nobilium, & Clariſſimorum Virorum, Spectabilis Domini Decani, cæterorumq; Dominorum Doctorum Inclytæ Facultatis Theologicæ in antiquiſſimâ & celeberrimâ Univerſitate Viennenſi, pro ſupremâ Theologiæ Laureâ conſequendâ publicè diſcutiendas proponit R. P. Guilielmus Glöcker:* &c. & quia omnibus eiuſmodi præfigitur titulus, inquiro, an hæc periodus ſit veritate vacua formula, an has Theſes ſingulatim legerit & approbaverit Facultas Theologica?] Reſponderunt Doctores unanimi voce [Quod ſic] Tunc Ego [Fruſtra igitur intendam probare Theſin hanc, quam mihi impugnandam aſſumo, ab extrinſeco non eſſe probabilem; ſufficit enim ab hac celeberrimâ Univerſitate approbari, ut ſecuriſſimè poſſit teneri. Intendam igitur illam à ratione impugnare, exa-

Poſitiones quæ Viennæ defenduntur, à totâ Facultate approbantur.

Ergo ab extrinſeco ſingulæ ſunt probabiles.

minare-

Digitized by Google

minareque, an ratione efficaci fundetur,&c.] Hæc ſint breviter dicta, ut ſciant omnes, quantæ authoritatis ſint Theſes Viennenſis Vniverſitatis: ut & ſciant, qui in aliis Univerſitatibus habitant, habitâ proportione diſcurrere.

FVNDAMENTVM VII.

De authoritate Doctorum & doctorum.

SÆpe unius viri, in nulla Univerſitate promoti opinio multorum Doctorũ placitis anteponenda eſt: non enim ſemper & ubique eadem eſt Doctorum, quæ doctorum. An ne contemni Laurea debet: aut aliquis Theologus aut Iuriſperitus (ut nihil de Medicis dicã) propter Lauream? Errat, qui univerſaliter negat aut aſſerit; eſt enim res plena periculo, in qua ſit non à Definitione, ſed à Diviſione exordiendum: Hanc ob rem priùs quàm Doctores à Doctoribus diſtinguam, nil definio. Pronuncio igitur Lauream, aut etiam Licentiam ad ipſam, imò etiam Lauri Baccas, quibus in celeberrimis Academiis Literæ coronantur, fore maximi habendas; & per conſequens illos, qui eiuſmodi honoribus condecorati. Addo adquiſitos in ignobilibus Univerſitatibus honores, eſſe indicia ignorantiæ, & contra promotorum authoritatem militare, quoniam Bonifacii VIII. Regulis ſalutarib. moniti & Canonica inſtitutione formati. *In ambiguis incertiſque, iuxta ea, quæ plerumque accidunt, philoſophamur.* Cùm igitur vix, aut ne vix quidem alij ad ignobiles Univerſitates confugiant, quam qui propriæ imperitiæ conſcii, in nobilibus adſpirare non audent, manet hanc eſſe probabiliſſimam (ne dicam moraliter certam) conſequutionem, *Eſt in tenui & ignobili Schola promotus, ergo pecunia doctrinæ defectum compenſavit.* Unde non male à multis dicitur, in eius modi Univerſitatibus vænalia eſſe certiſſimæ inſufficientiæ teſtimonia, & pecunia numerata concedi, ut qui privatim decipiebant publicè apud ſe ſuperbeſcere, & apud cæteros cognoſci, & publicè contemni poſſint.

CXCVI. *An omnes Doctores ſint docti?*

An, quando, & quibus Academici tituli ſint dedecori?

Regula Iuris VIII.

HÆc omnia Ego, quia inter Doctores doctoſque ſummam differentiam reperio. Sententiam meam expreſſi ſine argumentorum apparatu, at quia contra inſurgis, audiendus & iuvandus es.

Obiectio pro honore pauperum Vniverſitatum.

Lauream, ubicumque & qualitercumque habitam magni debere fieri, vel inde probas; quod omnes Academiæ quotquot hodiè in toto orbe Chriſtiano, ſint approbatæ ab Eccleſiâ; à Republicâ, dotatæ à Regibus, Principibuſque; & calumnia videtur, Eccleſiam arguere de malitiâ aut errore, & Principes de prodigalitate. Ergo quæcumque Univerſitas, etiam tenuis & decrepita, magni eſt facienda, nec poteſt ſine iniuriâ contemni. Semel honore pauperum Univerſitatum propugnato, earumdem Doctores defenduntur. Doctus enim ideò Diſcretus.

Doctus diſcretus.

(Hiſp. *Diſcreto*) vocatur, quòd ab indoctis diſcretus ſit; & qui Doctor, ab indiſcretis (hoc eſt, indoctis) eſt publico teſtimonio diſcretus, & ideò anteponendus cuicumque alij, quem ego & tu privatâ authoritate, doctrinæ gloriâ decoremus. Porrò hæc ratio potentiſſima eſſet, ſi ſoli promoverentur docti ad Lauream: At ſunt hodie in Europâ Academiæ nonnullæ, quæ quoſcunque obvios promovent, ut vel ſic frequententur; quas omnes delere expediret, ne mundus falſo doctrinæ nomine deciperetur. Video in adagium tranſiviſſe, *Maneat eius argentum apud nos, aſinuſque Laureatus revertatur ad patriam*, & quia id ipſum ſæpè, nomini Doctoris diffido. An diſtinguam Univerſitatem ab Univerſitate? Non ſcio. Etiam in nobiliſſimis nonnunquam à me monſtra & prodigia viſa. Vidi in una ex primis, quas cognoſcit Europa, Viros academicos opprimi ſæculari proterviâ: &, quia Deus dat nivem ſicut lanam & nebulas ſicut cineres ſpargit, eoſdem unius religioſi potentiâ (erat enim generoſus & nobiliſſimos cognatos habens) eripi, defendi, ſalvari. Et quid ulterius? hunc eumdem Religioſum Laureâ condecorari, tametſi Syntaxin neſciret. & cur? Quia Univerſitas ingrata ſuo ſalvatori eſſe noluit, nec aliud grandius potuit, quàm eumdem ad Doctoratum promovere. Sed hoc ipſum non omninò condemno, fuit enim illâ rerum tempeſtate iſte Monachus optimè de Univerſitate meritus, & debuit à defensâ honorari: at alios etiã vidi nullis omninò meritis fuiſſe promotos. Scio celeberrimam Univerſitatem, quæ inter doctiſſimos viros duos Theologiæ tolerat Licentiatos, qui non audierunt Philoſophiam, & tamen vocantur profeſſores, & conſuluntur ſæpè, & caſus graves intrepidè dextrorſum ſiniſtrorum reſolvunt. Sed iſti pauci ſunt, nec qui poſſint Regulam generalem inducere, & hanc ob rem putarem *Doctores Salmanticenſes, Complutenſes, Sorbonicos, Lovanienſes, Duacenſes, Colonienſes, Ingolſtadienſes, Moguntinos, Herbipolenſes, Viennẽſes, Pragenſes poſſe addere probabilitatem.* Fortè dantur in Mundo aliæ etiam Academiæ hic nominatis ſuppares, non enim meliores eſſe admittam, illas non vidi, & ideò non enumero: eas enumeret ille qui ſciat. Taceo igitur, qui quæro fundamenta certa, nec patiar certis incerta permiſceri.

Academiæ notiores & nobiliores.

***

FVN-

FVNDAMENTVM VIII.

De Iuniorum, etiamnum viuentium, opinionibus.

Vtri digniores fide; iunioreſ-ne, an veteres? vivi-ne, an mortui? libri-ne, an conſultationes ſpeciales?

IN materia morum maioris faciendæ ſunt Iuniorum opiniones, quàm veterum: maioris omninò Reſponſiones, quas dant Theologi Conſcientiæ-conſulti, quàm quæ in libris ponuntur: maioris viventium Hominum Conſultationes, quàm defunctorum. cxcvii.

cxcviii. INgenia Veterum gigantæa fuiſſe, pygmea Iuniorum, ſibi ipſis invidi propugnant Recentiores nonnulli, exiſtimantes hoc Minerval venerabili vetuſtati deberi. Scripſi olim contrà Epiſtolam, inſcripſi Cæſari, & præfixi *ſublimium ingeniorum Cruci*, q̃ iterũ iterumque Lovanij edidi. Voluntilli Naturã, rerum Matrem, eſſe ſimilem Fabro-ferrario Suevo, qui dicitur quotidiano labore & exercitio Artem ſuam oblivioni mandaſſe.

Faber Suevus.

Natura agens eſt Deus.

Effectricem Naturam Ego non aliam cognoſco, quàm Deum, ſibi ſimilem ſemper, æquè ſapientem, æquè potentem, æquè bonum: qui dicendus diſtribuiſſe per ætates ingenia, & ſingulis dediſſe ſæculis tot & tantos Doctores, ut non ſit cur alterum condoleat aut invideat alteri.

Diſtribuit providè Viros doctos per ſæcula.

Sic me expedio ab hac difficultate, & licèt Iunioribus Veteres præponi non patior, quãdiu Veteribus Iuniores non præpono, audior patienter aut libenter, etiam ab illis, qui opinione contrariâ præoccupati.

Rationes, quæ iuniores eſſe ingenioſiores veteribus perſuadẽt.

At duo occurrunt, propter quæ ſtare à Iunioribus poſſem. Videntur Corpus & animus conflictu perpetuo diſſentire, quod probant naturalia & moralia; & tunc animum fortiorem & liberiorem reddi, cùm corpus maceratur & debilitatur. Cùm igitur non poſſimus negare Veteres maiores mole, & viribus robuſtiores fuiſſe, [reperimus enim & colimus hodie eximia Sanctorum multorum cadavera, habemus in theſauris haſtas, enſes, & alia Principũ antiquorum arma, quæ nobis eſſent impedimenta] dicturi ſumus neceſſariò Iuniores ſubtilioribus ingenijs præditos, & Socratibus, Platonibus, Ariſtotelibus fuiſſe acutiores & oculatiores Thomas, Scotos, Molinas, Suarios, Vaſquios.

Veterum corpora noſtris maiora fuiſſe.

Cur & non iſtis viventes aliquos anteponere poſſet ſinceritas, niſi obligaretur reverentiâ & cautelâ, ne dicatur excellentiſſimorum hominum invidere cineribus, & ſolis coætaneis adulari. Semel conceſſo fuiſſe Veteres noſtri ſæculi hominibus æquales aut maiores ingenio, non ideò ſequitur fuiſſe æquales aut maiores doctrinâ; facile n. eſt inventis addere, & ipſi perfregerunt glaciem, & ſummo labore paulatim ſcientias promoverunt: at nos hodie viris magnis ſuccedimus, ſumuſque conceptuum ſelectiſſimorũ hæredes, & dum omnes legimus & audimus, etſi eſſemus ingenio ſuppares, doctiores dici deberemus.

Iuniorum multò maior doctrina.

Hæc ſatis in materiâ tam certâ: lege

citatam

citatam à me Epiſtolam, videbisq; quāta hodiè doctiſſima hæc ætas poſſideat, quibus antiqua caruit. Progrediamur ulterius, & examinemus etiam cætera. Aſſerui, *Maioris eſſe habenda privata Theologorum Conſilia, quam Concluſiones, quæ in libris eorundem impreſſæ*. Et conſto Reſolutioni meæ; oculatiùs enim & liberiùs Theologi privatim ſcribunt quam publicè. Sanè oculatiùs; quia cū libros edunt, rerum multitudine & mole obruti, non ita penſiculare poſſunt ſingula, ut lectores vellemus. At quando de una aut alterâ Propoſitione conſuluntur, incōvenientia ceſſant; nec poſſunt dici inadvertenter reſpondiſſe, qui tātâ advertentiâ rogantur. Sanè liberiùs, quia multi hodie docti aliter conſulūt, & aliter omninò ſcribunt; imò aliter ſcribunt privatim, aliter publicè: & ut ſic debeant, coguntur lectorum ignorantiâ & invidiâ. Qui privatim reſpondet, ſcit cui, & ſe accommodat capacitati conſulentis; at qui publicè ſcribit, tenetur doctos & indoctos timere. Legitur à multis, qui rem intelligere nequeunt; & à multis, qui nolunt; & inter malitiam & ignorantiam Cenſorum fluctuans, interdum alteram vel utramque tenetur incurrere. Sunt mihi communicata Patris Franciſci Suarij, nunquam ſatis laudati conſilia, quæ libris impreſſis non cohærent. Habeo inter alios amicos Patrē N. Theologiæ Doctorem ac Profeſſorem, qui apud me vires ingenij ſui ſubtiliùs & liberiùs effundens, ſe ſupra vulgus Academicū ſapere oſtendit, nec tamen præter vulgatas & receptiſſimas ſententias quidpiam docet, & ait, *Non ſibi tanti eſſe quatuor aut quinque ſubtilium ingeniorum applauſum, ut propterea velit ſe exponere millenorum indoctorum cenſuræ*.

Maioris facienda ſunt Reſolutiones manuſcripta unius Doctoris; quàm eiuſdem Concluſiones in Libris edita.

etc. Porrò liberiùs reſpondent Doctores cōſulti privatim: liberiùs peregrini & abſentes: liberiùs in libris loquuntur defuncti; quàm vivi, maximè ſi cogantur adeſſe & loqui publicè. At viventium præſentiumque ſecuriùs & certiùs ſenſum inveſtigamus. Hinc ego ſæpe malim opiniones firmare viventium Theologorum cenſurâ, quàm mortuorum. Rationem dedi in Prologo Syntheſibus Moralibus præfixo, ubi ſic aio [Cùm magnos viros, aut abſentes, aut mortuos Iunior aliquis ſcriptor allegat, non ſtatim teneris adquieſcere, præcipuè, ſi præventus: poſſes enim credere aut ſuſpicari à te illos eſſe, & contra te ingenioſâ eloquutione retorqueri. Inter Catholicos & Hæreticos, & inter diverſas horum Claſſes & ſectas continua irretiuntur diſſidia de mente Auguſtini innuenda. Ne verbum quidem unum ſine Auguſtino loqui, Martinus gloriatur Lutherus, cū tamen ne unam quidem Auguſtini periodum bene explicet. Omnia ſenſa novæ Hæreſeos à ſe cuſæ Calvinus Auguſtini teſtimoniis onerat, non enim ſubſtruit aut roborat: qui tamen non ſolum opponitur nobis, ſed & Luthero. Igitur Auguſtini authoritas nulla; ſi malè citati aut expoſiti: Ergo nulla etiam aliorum Authorum, quorum ſuffragiis Iuniorum ſententiæ roborari dicuntur & videntur, ſi vel ſine veracitate citentur, vel ſine veritate exponantur. Sed quid remedij habere poterimus in re incertâ & ambiguâ? Dabo, ſi à mortuis Auguſtinus reſurgeret, & ſcriptis diverſorum recognitis, ſe à tali bene alligari & benè exponi declararet; & à tali non item; ille unicus, quem approbaret Auguſtinus, triumpharet proculdubio univerſos alios Expoſitores. Igitur & noſtri Scriptores Authorum aliorum mentes adſequuti

An ſemper bene allegentur Authores? Vnde conſtare poterit, quod bene vel male allegētur?

ſequuti

ſequuti dicendi eſſent, ſi illi, quorum mentem exponunt, ad mortales reverſi declararent ſe bene citari & exponi. Sed quia hoc ſtando communi rerum ordini impoſſibile eſt, volui citare, adlegare, & explicare viventium Theologorum ſententias, ut & ipſimet ſe in meis libris legentes viderent, an in meas torquerentur inviti, an verò in illas ipſi voluntarij & ſpontanei conſpirarent. Ipſis ſunt noſtræ Theſes ſingulatim propoſitæ; ſingulæ ab ipſis lectæ; ſingulæ examinatæ: ipſi noſtris Aſſertis ſeſe conſentire teſtantur: nomina ſua ſubſcribunt; voluntque coram Deo & hominibus de earumdem probabilitate reſpondere. Ergò præter eximios & Illuſtres Theologos, quos proprijs locis cito, & me intelligere voluiſſe ſcio, potuiſſe puto, habes hic ſapientiſſimorum ſuffragia harum Syntheſium probabilitatem propugnantium, &c.] Hæc ibi dixi: quæ videntur ſufficere, ne plura aliunde congeramus.

***

FVNDAMENTVM IX.

De Dæmonis authoritate.

SI conſtaret Diabolum ſemper mentiri, nullum ille deciperet; at ideò ſemper ſua comit ille multis veris teſtimoniis mendacia, ut homines decipere poſſit. Eius igitur teſtimonium, cum gravi veracitate careat, ne quidem debet recipi, ut minùs probabile. cc.

An Dæmon ſemper mentiatur?

Quid ſi ſēper mentiretur?

cci. HAnc fundamentalem Poſitionem adiungo propter diſcipulos Martini Lutheri, qui ex uno admittunt capite totam Euchariſtiæ doctrinam, quam ille contra Eccleſiæ Articulos & Fidem Orthodoxam mentitur, fuiſſe traditam ab ipſo Diabolo: & tamen ex alio, veram eſſe delirant: recurrentes frigidiſſimè & ineptiſſimè ad Poëtam dicentem, *Fas ſit ab hoſte doceri.* Qui miſerorum hominum error me impræſentiarum moraretur, ſi non eſſet à me alibi uberius impugnatus. Legi poterit *Dæmonis Logica*, quam in Curſu meo Philoſophico edo, in quâ oſtendo omnia quę Diaboli nomine dialecticatur Lutherus eſſe talia, quæ Dæmone videantur indigna, quia ut minimū hoc deberet cōcedere Lutherus vel ſtupidiſſimo Dæmoni, ut ſciret exactè Dialecticam; nam in prima Principia Artis, quicumque illa ratiocinia compoſuit, evidenter impingit. De Magiſterio Dæmonis egi etiam alibi; ideò non ſum multa ſcripturus: ſed ſolùm illam probaturus Propoſitionem, *Si conſtaret Diabolum ſemper mentiri, nullum ille deciperet*: quam aſſumpſi.

A Diabolo Martinus Lutherus doctrinam euchariſticā didicit.

Diaboli infallibilitas & veracitas, quanta?

Qualis eiuſdem Logica?

ccii. Dico igitur me, ab eo qui ſemper men-

mentiretur, adhuc decipi poſſe. *Primò*, ſi mihi eum ſemper mentiri non conſtaret: illo enim audito hærerem incertus & anceps, & poſſem in errorem induci. *Secundò*, quia aliud eſt falli, & aliud mentiri; & qui falli poteſt, poteſt mentiendo verum verum dicere. Rem exemplis dilucido. Cæſar eſt Francofurti: & Antonius putans eum eſſe Viennæ, dicit Petro, *Cæſar eſt Francofurti*; Paulo verò, *Cæſar non eſt Francofurti*. & pronuncio Antonium dicendo veritatem mentiri: & eſſe dicendo falſitatem veracem. Propoſitio dicta Petro vera eſt, & tamen mendax eſt; & dicta Paulo falſa eſt, & tamen verax eſt: & ratio eſt clariſſima & notiſſima, nam mendacium non opponitur veritati, ſed veracitati; & illa propoſitio dicitur vera, quæ enuntiat rem prout ipſa res eſt; & illa verax, quæ animi reſpondet ſententiæ, & rem enunciat ſecundum proferentis dictamen. His poſitis diſcurro ſic. Si ſemper mentiretur Diabolus, & tamen falli poſſet, ſcirem ego omnes ab eo prolatas Propoſitiones mendaces eſſe, hoc eſt, dictamini proferentis oppoſitas, at neſcirem, vtrum eſſent veræ vel falſæ. Cæterùm, qui ſcio Diabolum non errare apprehenſione, (habet enim rerum intuitivam notitiam, & cognoſcit res ut ſunt in ſe) ſi ſcirem Diabolum ſemper mentiri, ſemper illi decrederem, contradictorias Poſitiones aſſumerem, & hoc modo non poſſem in errorem prolabi.

Aliud errare; aliud mentiri eſt.

Mendacium quid? an veritati, an potius Veracitati oppoſitum? Quæ ſit propoſitio vera? quæ verax?

***

FVNDAMENTVM X.

De ſenſibilium experimentorum certitudine.

ccIII. IN rebus, quæ ab experientia pendent, fruſtra conſulantur Doctores; & ſi ipſi fortaſſis conſulti definiant aliter quam experientia manifeſta confirmat, credendum eſt oculis & experientiæ, non Doctoribus.

Plus deferendum eſt propriæ experientiæ quàm humano aliorum teſtimonio.

HÆc nimis certa ſunt, & tamen cognoſco Homines eruditos, qui nō audebunt dicere ſolem eſſe lucidum,

ccIv. nivem albam, picem nigram, ignem calidum, niſi alicuius veteris Philoſophi teſtimonio iuventur. Tranſierunt iſti errores ad mores, & rerum practicarum certitudo, quæ poſſet debéretque ab experimentis dſumi, magnâ veritatis iacturâ à libris & à placitis Authorum ſuppetitur. Audio & lego frequenter ſuperſtitioſam multorum diſſidentiam, & audire videor Phyllida, comœdam Hiſpanam ab experientiâ ad rationes & verba provocantem, & Andreſiridi marito ſuo eodem obloquentem idiomate, quo nobis Recentiores nonnulli. Dabo eiuſdem hiſtoriam, ſeria enim & gravia nonnūquam Hiſtoriæ floridâ levitate iuvantur.

Mira Iuniorum in veritatis affirmatione diffidentia.

Digitized by Google

Phyllis Madritenſis Comœda. tur. [Madriti igitur Phyllis, pulchra, eloquens, cum plauſu agebat Regias perſonas in theatro, & domi laudabatur, inviſebatur, amabatur. Erat quidem vænalis anima; imò & vænale corpus, & nulli minus uxor quàm conjugi. Zelo æſtuat iſte; ſcelus objicit, & negat illa. Se audiviſſe addit; & adhuc Phyllis negat. Loquitur ille clariùs & vehementiùs. Objicit rotundè, ſe vidiſſe. Quid hic Phyllis? Hæreret alia, ſed ipſa ſibi præſens ſic inquit;

Nunquam crede tuis oculis, ne fortè ſuberres:
Sed verbis potiùs crede marite meis.]

& ut video Lectores hodie velimus nolimus, eſſe debemus Andreſirides. Videmus interdum vera propriis oculis, & nihilominùs, quia libuit ſcriptoribus contrariũ dicere, decredere debemus noſtris ſenſibus, ut verbis alienis credamus. In nos igitur tyrannidem exercent Doctores, ſi ſciunt quod poſtulãt; *Scholaſtica noſtræ ætatis tyrannis.* tyrannidem etiam, ſi neſciunt: eſt enim arrogantia tyrannica velle nos tanto niſu illud ipſum dedocere, quod ſcimus; illud ipſum edocere, quod neſciunt. Quod legerunt; exſcribunt; quod audiverunt, repetunt; vellent loqui cœcis, ut potiùs aſſeclas quàm contradictores haberent. At aperîmus oculos, & quia benigna eſt Veritas & ingenio non prævento adluceſcit, illam intuiti impatienter clamamus, *Opiniones nonnullas, tametſi dicantur communes, certiſſimos errores eſſe.* Se reponunt Authores, & dicunt.

Sic libuit ſentire. Stetit pro mente voluntas;
Munus erit veſtrum dogmata noſtra ſequi.
Nulla fides veſtrũ oculis eſt debita: plena
Verbis ſed noſtris eſt adhibenda fides.

Adquieſcunt huic præcepto, plurimi, quibus condoleo; rapiuntur à torrente veterum, & torrente ipſi ſuo iuniores rapiunt: at Ego cauti Marpeſiæ ſimilis ſto, nec me abripi aut amoveri à viſâ veritate permitto. Inundat torrẽs, & dum illi me advocant, ne reus dicar, & advocato indigeam, ſic inquam.

Vos fuerint alij raptos torrente ſequuti;
Dicant, quæ conſtet dicta fuiſſe priùs.
Veſtra ſuis oculis præponant verba periti;
Singula Scriptores quæ nova, falſa putent.
Iam non ſum ſapiens. Oculatis auribus utor;
Nec Mihi priſca placent, nec nova: vera ſequor.
Quilibet inſipiens proprio ſi themate gaudet,
Hoc mihi thema placet; hoc mihi thema licet:
Nimirùm. proprijs oculis qui credit, ab ullo
Damnare erroris Iudice iure nequit.

QVÆSTIO.
De Horologiis.

An illis neceſſariò ſtandum? An ex hypotheſi quòd bene fluant, præcepta Eccleſiæ intelligi debeant de momento ad momentum?

ACturo de opinionibus communibus, quæ vulgò iudicantur probabiles, quæ tamen merâ indoctorum ignorantiâ ſubſiſtunt, primò ſuccurrit illa, quæ Horologia tuetur, quâ nulla falſior eſt & indignior. CCV. *Multa cõmunes opiniones evidenter ſunt falſæ.*

PRIMA SENTENTIA.

An primo horologio credendũ? INcipiam ab illâ ſententiâ (ſi hoc nomine honoranda eſt aſſertio, quæ eſt clarus & manifeſtus error) Ab illâ inquam, quæ docet, primo horologio neceſſariò eſſe ſtandum. Illam habuit Emanuel Rodrigues *in novâ editione ſuæ Summæ tom.1.c.105.n.6.* ubi ait. [el que oyendo la media noche eſtá comiendo y bebiendo, no puede comulgar & dia ſiguiẽte, pues el precepto de no comulgar aviendo comido, obliga aunq; eſte en duda ſi es med a noche, porq; otros reloxes ſonaron deſpues. eſta Concluſion es contra Thomas Sanchez, &c.] *Oporteret, ut omnia Hiſpana teſtimonia quæ Diana allegat, curaret binis linguis poni, ut etiã Germani illa intelligant.* ægrè ferunt Lectores peregrini, cũ vident citari Hiſpanos & Italos, quos nõ intelligunt; & ideò in eorũ gratiam Emanuelii iubebo, ut hanc eãdẽ periodum latinè repetat: inquiet n. [Qui audiens horam 12. mediâ nocte, adhuc edit aut bibit, non poteſt communicare die ſequenti; quia præceptum non cõmunicandi poſt cibum ſumptum obligat, etiam cũ quis dubitat, utrùm ſit media nox, ſumpta dubitandi occaſione ex eo, quod alia horologia poſt cibi ſumptionem ſonuerunt. Hæc concluſio eſt contra Thomam Sanchez, &c.] ſubſcripſit Emanuel Rodrigues Ioanni Salas *in S.2. tr.8. diſp.unicâ ſect.25.n.264.* at ego contra Rodriguez & Salas.

CCVI. Dico primò, *Nullum rotarũ horologiũ eſt infallibile, hoc eſt, mathematica temporis momenta diſtinguens; adeoq; nulli neceſſariò eſt ſtandum.* Id demonſtrat ipſamet experientia; eſt enim ita difficile horã exactè adſequi, præcipuè noctu, ut Tycho Braheus, Coriphæus Aſtronomiæ, ceſſerit fatis antequam modum inveniret, quo horas nocturnas metiretur exactè. Nec rotis, nec chalybi, nec tritæ arenæ, nec calcinato plumbo, nec mercurio extillato pepercit, & interim intentum non obtinuit. Lege Progymnaſmatum lib.1.cap.2.§. *Quem & ego.* pag.149. & miraberis ſummam diſcernendi nocturni temporis difficultatẽ. *Quàm ſit difficile horam noctu cognoſcere?*

Dico ſecundò. *Horologia, quæ negligẽter diriguntur, aut imperfecta ſunt, non habent vim opinionis probabilis.* Patet, non enim fide digni ſunt teſtes, quos ſæpius mentiri videmus. *Ita Villalobos ſumm. tom.1.tr.1.diff.21. n 27.*

Dico tertiò, *Horologia bona, quæ diligenter diriguntur, habent vim opinionis probabilis.* Hinc patet neminem ſequi debere unum potiùs, quàm aliud; quoniam in merè probabilibus eſt licita alterutra pars. Subſcribo Dianæ *part.3. tract.4. reſol.36.* & *part.4. tract.3. reſol.* 19. Sanchez *de matrim.tom.1. cap.105. n.* 6. Fagundez *de præceptis Eccl. præc.4. libr.* 1. *cap.10.num.3.* Sancio *in ſelectis diſp.42. num.* 18. Villalobos *in ſumma tom.1. tract.1. diff.21. num.7.* Pharaonio *tract. de Sacram. pænit. in append. ſeſſ.3. cap.14.* Vegæ *in ſummâ tom.1. cap.14. caſ.12.* *Ab horologys non poſſumus haurire notitiã ſecuriorem probabili.*

Dianæ verba ſunt hæc. [Dico quod ſi diverſa ſunt Horologia, & aliquorum ſonnerit hora duodecima, & aliquorũ non ſonuerit, poteſt qui tunc ſoluit ieiunium naturale, communicare die ſequenti; & ſive illa dies, ſive ſequens ſola ſit iejunij, poterit dubitans cænare & edere carnes, perinde ac ſi eſſent duæ opiniones probabiles, quarum utramque licet ſequi & amplecti. CCVII.

Villalobos ſic inquit [Si ay diverſos reloxes, ſe a de juzgar como ſi ubieſe dos opiniones probables, que puede elegir la que quiſiere, ſalvo ſi uno de ellos fueſſe tal que de ordinario no anduvieſe bien concertado.] hoc eſt, [ſi ſint horologia diverſa, procedendum eſt ac ſi eſſet duæ opiniones probabiles; poteſt enim homo eligere quam velit: quæ doctrina claudicat caſu; quo aliquod ex eis communiter male dirigatur, CCVIII.

tur,

Digitized by Google

tur.] Conſonat Ioannes Sancius *in ſelectis diſp.* 53. *num.* 3. ubi ait. [Si horologia diverſa ſint, ad pulſationem primi poterit refectio fieri; ſicut enim in odioſis ad ultimum poteſt appellari, ita poſſunt comedentes poſt horam duodecimam noctis ab uno horologio deſignatam craſtino Euchariſtiam ſumere, ſi aliud horologium ſonuiſſe conſtet eſu expleto.] Ita ille ſubſcribens Thomæ Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 41. *n.* 40.

ccix.

Qualis ſit Emanuelis Rodriguez Dialectica?

Argumenta Emanuelis Rodriguez non urgent, nam in ipſis aſſumitur, quod quæritur, aut circulus manifeſtus committitur, aut in prima Moralis Philoſophiæ fundamenta peccatur. Singula diſcutiamus. Erat

Primum. Si Audito primo horologio comedas bibas-ve, etſi poſteà ſonent alia horologia, non poteris communicare die ſequenti. Sed cur? quia præceptum non communicandi poſt cibum ſumptum obligat, etiam quando quis dubitat, utrum comederit poſt mediam noctem.

In dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione. Dies hodierna eſt prius in poſſeſſione, quam craſtina.

Nego, nego. Quia in dubio ſtandũ eſt pro poſſeſſione quæ præceſſit; ergo in dubio an ſit dies craſtina, ſtandum eſt pro hodiernâ, quæ præcedit: & in dubio, an ſit violatum naturale ieiunium, ſtandum eſt pro ieiunio certo quod dubiam violationem præcedit. At neſcio cur ad dubia nos trahat Rodriguez, non enim de dubio, ſed de probabilitate diſputamus.

Hic Author dubium cũ probabilitate confundit. Sunt tamẽ res toto cœlo diverſæ.

Secundum Ut præcepti rigorem urgeat inquit, [Reſpondo, que en eſte precepto de celebrar en ayunas, no nos avemos de atar à probabilidades. *hoc eſt.* Reſpondeo, quod in hoc præcepto, quo indicitur ut celebremus ieiuni, nõ debemus probabilitatibus alligari.] Ergo.

An in præceptis habeat locum probabilitas? An poſſit aliquis ſe probabilitati alligare?

Sed peto. Quid eſt probabilitatibus alligari? Qui probabiliter Philoſophatur, neutri parti ſe alligat, neutri ſe obligat, ſed manet liber ad utramque paratus. Eſt igitur implicatio in adiecto vinculum componere cum probabilitate. Quod ſi hac phraſi voluerit dicere, hoc præceptum tanto fore rigore obſervandum; ut non debeamus probabilibus ſententijs aſſentiri: rogabo unde ſciat hinc excludendam fore omnem opinionem probabilem: Ego enim, hanc propoſitionem, *In hoc præcepto non habent locum opiniones probabiles,* non iam probabiliter falſam, ſed erroneam & abſurdam pronuncio: quidquid enim de hoc præcepto probabiliter dicitur, prudenter dicitur, & poteſt ad praxin reduci.

ccx.

Argumenta Merollæ.

Opinionem Emanuelis Rodriguez amplexus eſt noviſſime Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 3. *coroll.* 11. *num.* 139. ubi ſic ait [Falſum eſt quod ſubdunt aliqui (id eſt Sanchez & alij) quod ſcilicet, ſi diverſa ſint Horologia, & unum ſonuerit horam mediæ noctis, aliud verò nõ, poteſt qui tunc ſolvit ieiunium naturale, communicare ſequenti die, quia eſt veluti ſi eſſent duæ rationes, vel opiniones probabiles; liceret enim alterutram illarum amplecti. Hoc enim falsũ eſt, quia in pari causâ melior eſt conditio præcepti poſſidentis: & opiniones probabiles ſunt tantùm ſpeculativæ, & ideo homo tunc debet ſe gerere, ac quando factum eſt dubium.] Subſcribit Merollæ Salas 1.2. *tom.* 2. *tract.* 8. *diſp. unicâ ſect.* 25 *num.* 264. Et Diana *part.* 4. *tract.* 3 *de conſcientiâ dubiâ Reſol.* 19. poſtquam citaverat Merollam & Salas ſubiungit: [unde utraque opinio eſt probabilis.] Nota illud *unde,* non vult Diana hanc Merollæ & Salas opinionem eſſe probabilem ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco propter Authores, qui eam defendunt. Et Ego, quia neminem cõtemne-

Mirabilis argumentatio.

Digitized by Google

Quàm ſit certa & ſecura noſtra opinio? An oppoſita, ſaltem ab extrinſeco ſit probabilis?

temnere volo, tametſi videantur Rodriquez, Merolla, & Salas non adſequi difficultatem, an eorumdem opinio ab extrinſeco probabilis ſit? non urgebo; ſed tamen confidenter pronunciabo eamdem ab intrinſeco eſſe omnino improbabilem, & rationes à Merollâ adductas, aut nihil aut contrarium probare.

Poſſeſſio non eſt pro præcepto: ſed pro die priore.

Prima erat. In pari cauſâ melior eſt conditio præcepti præcedentis.] Sed cuius præcepti poſſidentis? non datur præceptum ante 12. & ratio quæ probet nondum eſſe duodecimam, eadē probabit nondum eſſe præceptum.

CCXI. *Opiniones de ieiunio ſunt practicæ.*

Secunda. Opiniones probabiles ſunt tantùm ſpeculativæ.] Sed quid hoc? Agitne de omnibus, an de illis tantùm, quæ ieiunium naturale concernunt? Si de illis, ſi de illis, errat: nam omnia quæ de ieiunio dicuntur, poſſunt actu accidere prout dicuntur: ergo iſtæ opiniones ſunt practicæ: illæ enim ſunt ſpeculativæ, quæ proponunt caſus, qui nō

An omnia, quæ ſunt ſpeculativè probabilia, ſint etiam practicè.

poſſunt accidere. Accedit quod multi doceant omnes opiniones probabiles ſpeculativè, eſſe probabiles practicè, quorum ſententia, ſi bene intelligatur, vera eſt. Vide Dianam *part. 2. tract.* 13. *reſol.* 12.

Male dubium cum probabilitate confunditur.

Tertia. Homo tunc debet ſe ita gerere, ac quando eſt dubiū.] Sed hoc nec verum, nec pro Rodrigueſij & Merollæ ſententiâ. Non verum; quia in tali caſu non debet ſe homo gerere ut dubitans; Sed ut habens opinionem probabilem: nec bene argumentatur Merolla ſupponēs, quod deberet probare. Ut condonemus in tali caſu dubium eſſe &

In dubio ſtandum pro poſſeſſione diei antecedentis.

non opinionem probabilem; quid inde pro Merollæ ſententiâ? Nihil: nihil. In dubio ſtandū eſt pro poſſeſſione. Sed quis eſt in poſſeſſione? præceptū? Minimè, quia illud afficit craſtinum diem. nec incipit antequā dies incipiat. Anne dies craſtinus? Minimè. Sed dies hodiernus. Ergo qui dubitat, an dies Iovis effluxerit, & inceperit dies Veneris, debebit ſic diſcurrere. [Dies Iovis die Veneris prior eſt: ergo eſt in poſſeſſione dies Iovis, nec tenebor credere eſſe diem Veneris, quouſq; detur ratio tam clara, quæ diei Iovis poſſeſſionem elidat. At rationes dubiæ nō poſſunt poſſeſſionem elidere. Ergo.] Hæc nimis clara ſunt, nec tot verbis digna, niſi velimus totam Theologiam arietare & invertere.

Sententia eminentiſſimi D. Cardinalis de Lugo.

Est ſummæ eruditionis Vir, & dignus, qui libenter audiatur. Ex eo unam aut alteram lineam exſcripſit Diana part. 6. tract. 6. reſol. 34. Et ego quia illum ſuſpicio, volo eiuſdem ſententiam uberiùs proponere & examinare: libro enim de Sacram. Euchariſtiæ *diſp.* 15. *ſect.* 2. *n.* 27. ſic inquit. CCXII. *Lugo laudatur.*

[Addit Thomas Sanchez *li.* 2. *de Matrimonio diſput.* 41. *num.* 40. non poſſe communicare eum, qui quando cœpit ſonare, quæ eſt extra Italiam ſignum mediæ noctis aliquid bibit, licèt quādo ſonat ultimus pulſus horæ duodecimæ, deſiiſſet iam bibere, quia cùm incipit ſonare primus pulſus horæ, iam eſt hora completa, & incipit tempus horæ ſequentis; eſt autem per accidens, quod plures pulſus audiantur, eo quod non poſſit unico pulſu hora duodecima indicari, quod quidem in rigore verum exiſtimo, non ſolùm de pulſu quo horæ deſignantur, ſed etiam de illo, quo priùs deſignantur quadrātes horæ; ſolent enim, antequam detur ſignum horarum, ſonare pulſus minores pro quadrantibus; ita ut ante ſex, vel duodecim pulſus, pro horis ſonent quatuor, pulſus leviores ad deſignandum, iam eſſe finitos quatuor horæ qua-

An horas diſtinguat primus ictus?

Digitized by Google

ræ quadrantes, & poſteà maiori ſono deſignantur duodecim horæ. Conſequenter ergo fatendum eſt, horam eſſe finitam, & mediam noctis deſignari, ubi primum cœpit ſonare primus pulſus pro quatuor quadrantibus, quia ex illo puncto incipit tempus horæ ſequẽtis. Quod facilè conſtabit conſideranti motum rotæ illius, quæ in horologio continuè movetur, & quæ diviſa eſt ad modũ crucis in quatuor partes æquales ſecundum ſpatia quatuor quadrantium, cùm enim quatuor illa ſpatia ſint omninò æqualia, fatendum eſt, quod ubi primum pertranſitur illud quartum ſpatium rotæ finitus eſt ultimus quadrans horæ; illud autem ſpatium finitur, quando ſonat primus pulſus pro quatuor quadrantibus ante pulſum horarum, ergo tunc eſt finita tota hora, nam tempus ſequens, quo ſonant tres alij pulſus pro quadrantibus & duodecim pro horis, pertinet iam ad primum quadrantem horæ ſequentis; rota enim non quieſcit, ſed eodem modo movetur, ita ut dum ſonant alij pulſus, pertranſeatur aliquod ſpatium ſequentis quadrantis; ut ad oculum conſtat. Adverte tamen aliud eſſe, quando non eſt dubium negativum, ſed poſitivum, eo quod ſunt rationes pro utraq; parte; quia unum horologium v. g. dederat ſignum medio noctis & alterum nondum dederat. In quo caſu Emanuel Rodriguez *in novâ editione ſummæ to.* 1. *cap.* 105. *n.* 6. & Salas 1. *tom. in* 1. 2. *tract.* 8. *diſp. unica. ſect.* 25. *num.* 264. negant poſſe nos computare tempus iuxta ultimum horologium, ab eoq; puncto ſervare ieiunium ad communicandum. Sed nullam afferunt rationem ſuæ ſententiæ: quare non videtur negandum poſſe fieri, dum non conſtat de errore in ultimo horologio; ut fatetur Thomas Sanchez *loco citato*, Fagundez *præcepto quarto: lib.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Ioannes Sancius *in ſelectis diſp.* 42. *num.* 18. Villalobos *in Summâ tom.* 1 *tract. difficult.* 21. *nu.* 7. Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *reſol.* 36. & alij. Singula enim horologia, quamdiu de errore non conſtat, faciunt probabilem opinionem, quam vnuſquiſque poteſt licitè ſequi in ſuis operationibus.] Hæc Eminentiſſimus Lugo, quæ partim coincidunt cum præcedentibus; & ubi noſtræ doctrinæ conſonant, iam ſunt ſuperius confirmata; & ubi diſſonãt, examinata & impugnata.

Quàm omnia hæc aliena ab artis terminis, & ſcripta manu, quæ calamos verſare doctiſſimè ſolita, non limas!

Male hic dubium poſitivum confundit cum probabilitate Vir magnus

Horologia diſtinguũt horas probabiliter tantùm.

Et hoc non ſolùm ſpeculativè, ſed etiam practicè.

SENTENTIA ALIA.

CCXIII. Volunt aliqui ſtare primo horologio, aut etiam unico, non tamen ita rigidè, vt primi ictus ſed potiùs ultimi habeatur ratio. Curioſè in hac controverſia diſcurrit P. Martinus Breſſerus S. I. *de conſcient. libr.* 4. *cap.* 11. *nu.* 107. ubi ait [Probabile videtur horã duodecimã durare moraliter uſq; ad ultimum ſonum: adeoq; interim bibentẽ & comedentem non violare ieiunium, vel naturale vel eccleſiaſticum ſequentis diei.] Conſonat Trullench *in Decl. tom.* 1. *lib.* 3. *cap* 2. *dub.* 4. *num.* 8. & Utriſq; Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 34. Si illius ſunt illa verba: [Ideo aliquis in tali caſu poſſet dicere non eſſe à communione abſtinendum:] quibus clauditur illa Reſolutio. Stando igitur huic opinioni dicendum eſſet *Primò*, dari horas morales & mathematicas: has diſtingui momento indiviſibili, illas morali. *Secundò*, A primo ictu ad ultimum eſſe copulam duarum horarum, & ad utramq; pertinere, ad priorem ut momentum morale terminativum, ad poſteriorem ut initiativum *Tertiò*, In Belgio ubi homines minùs feſtini & cholerici ſunt quàm in Hiſpaniâ, præludium quod ante ſonum horæ præcinitur, & ictus qui audiuntur in priore campanâ, uſque ad ultimum ictum

An ſtandũ ſit ultimo ictui? An tempus, quod à primo ad ultimum fluit, ſit commune moraliter?

Horarum Moralium & Mathematicarũ diſtinctio.

Inſtans morale, terminativum, & initiativũ.

Digitized by Google

ctum ſecundæ, ad momentum morale copulativum pertinere, & eſſe tempus phyſicè, at moraliter inſtans, quod priorem claudat, & horam poſteriorem aperiat.

CCXIV. At his Authoribus multo eſt ſcrupuloſior Ioannes Præpoſitus *in* 1. 2. *D. Thomæ quæſt.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *num.* 8. ubi ſic ait. [Si eſſet unum horologium, & ubi cœpit ſonare duodecimam, aliquis biberet, licèt quando foret ultimus pulſus deſiſteret bibere, non poſſet die ſequenti communicare: quia cùm primus pulſus horæ ſonat, iam hora eſt expleta, & horologium tantùm eſt teſtis id indicans; etſi diverſi pulſus ſint, id evenit, quia nequit uno pulſu duodecima indicari, ſicut indicatur prima hora uno pulſu; quod omninò videtur verum, & videtur intelligi reſpectu locorum, in quibus non eſt uſus præludiorum in horologijs. Verùm ubi eſt talis uſus, dubium eſſe poteſt, quando ſit ſignum elapſæ horæ, an initio præludij, an poſtquam incepit primus pulſus horæ. Ad quod videtur dicendum: quod per ſe loquendo hora ſit expleta, quando inchoatur præludiũ. Ita mihi retulerunt varij horologiorum directores à me ſuper hac re conſulti. Ex quo ſequitur, quod per ſe loquendo ſi quis in talibus locis biberet in initio præludij horæ duodecimæ, ſequenti die non poſſet communicare: quia ab initio præludij incipit ſequens dies, & per conſequens eo die non eſſet ieiunus ieiunio naturali.] Hæc omnia ille, cui vel ex parte videtur conſentire Sanchez *lib.* 2. *de Matrimon. diſp.* 41. *num.* 40. apud Dianam *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 34. & Lugonem *de Sacram. Euchariſt. diſp.* 15. *ſect.* 2. *nu.* 37.

An primus ictus diſtinguat horas?

An illas diſtinguat primus ictus præludij?

CCXV. *Nota hoc bene.* Antequam Præpoſito velim reſpondere, recognoſco illa verba, *Ita mihi retulerunt varij horologiorum directores à me ſuper hac re conſulti.* & quia mihi ſummopere placent, Magnifico meo Domino & amico Ioanni Marco ſubtiliſſimo Matheſeos cultori communico, & reſpondet. [Se omninò demirari Præpoſitum alias magnum Theologum in re horariâ & horologiariâ fuiſſe tam rudẽ] Ita mihi acutiſſimus Ioannes Marcus, ita alij Mathematici ſuper conſultatione Patris Præpoſiti facta horologiorum directoribus (hoc eſt, ſacriſtis & turrium Cuſtodibus, hominibus ineptiſſimis & ignorantiſſimis) à me cõſulti. Stat igitur horologia, quæ benè gubernata dicuntur, habere vim probabilium opinionum, ut poſſis unum ſequi vel alterum. Hinc conſtat neminẽ debere ſequi hoc potiùs, quã aliud. Ex hac reſolutione ſequitur poſſe carnes comedi die Iovis uſque ad noctis duodecimam, ſequendo tardius horologium: poſſe comedi à media nocte, quę Sabbatho & dominicæ intereſt, ſequẽdo velocius: Interſtitium temporis, quod ab horologio primo ad ultimum interijcitur, commune eſſe; quia probabiliter ad antecedentem, & æquè ꝓbabiliter ſequentem diem reduci poteſt. Nec Recentiores ſunt primi qui horologia Philoſophorum probabilibus ſentẽtijs adſcribãt. Lego in Claudij Cæſaris Apocolocyntoſi, quæ nomine L. Annæi Senecæ circumfertur. (n. 31.) *Horam non poſſum tibi certam dicere, facilius inter Philoſophos, quàm inter horologia conveniet:* unde non poſſum ſine admiratione Legere Iuniorum aliquot Reſolutiones, qui Horologiis fidẽ neceſſariò adhibendam ſupponunt. Nec urget Rhenanus in commentario huius libelli; qui ut exaggeraret Philoſophorũ diſcordiam, quaſi argumentum ſumeret ab impoſſibili, ne diceret,

Horologiorum directores, qui, & quales?

Automata recipi debent tanquam opiniones probabiles.

Quod etiã Ethnici ſenſerunt, & dixerunt.

Nam

Digitized by Google

Nam priùs incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.

Hoc enim videretur poëticum & alienum à Critici ſeveritate, enumeratis variis, iiſque repugnantibus Philoſophorum opinionibus; ſubjunxit; *Proinde neutiquam abſurdum erit ſi locum Senecæ vertimus, ut dicamus, Faciliùs inter horologia convenire, quàm inter Philoſophos.* ſupponebat igitur Rhenanus eſſe humanitùs impoſſibile ad uniformem concordiam horologia reducere.

CCXVI. *Horologia diſtinguunt horas moraliter. ſed quid eſt illas diſtinguere moraliter?*

Porrò, *Horologia accurata hora quadrante à veritate ſæpius deviant.* Hanc Theſin in Commentario meo poſui *num.* 1218. & dum actualiter illam ſcripſeram in Dunenſi Monaſterio, ſito intra mœnia Civitatis Brugenſis, expertus fui tribus quadrantibus aliquot horologia, quæ bene regulata dicũtur, ab aliis diſſidere: Ergo temerarius non erit, qui cenſuerit urbis Horologia, quæ à ſtolidis ſæpius diriguntur, integro quadrante exorbitare. Ideò quadrante horæ antequàm ſonet duodecima, incipit dies ſequens probabiliter, & æquè probabiliter antecedens dies finitur quadrante poſtquam ſonuerit hora. *Qui in pago aut in eremo fuerit, ubi ſolum eſt unum horologium bene regulatũ, probabiliter poteſt credere illud plus quàm hora quadrante à veritae exorbitare.*

Quid dici debeat, ubi unicum horologium ſit?

CCXVII. Hæc dixi tunc de horâ phyſicâ prout communiter cognoſci poteſt; cujus exactus computus vix viro in aſtronomiâ doctiſſimo ſolet contingere. Quid, ſi Petrus haberet horologium exquiſitiſſimum mediæ noctis tempus præcisè indicens? Reſpondeo, adhuc in tali caſu tempus non debere mathematicè & metaphyſicè, ſed civiliter & moraliter accipi.

Hac ultima concluſio, quæ nunc diligentiſſimo & eruditiſſimo Dianæ part. 7. tract. 11: Reſol. 15. *etiam olim meo Bantio, tametſi magno amico diſplicuit; cauſam Horologiorum animoſiùs ſuſcepit; ſed & feruorem ipſius ego ſequentibus litteris remiſi.*

CCXVIII. *Ingenium oſtentandi modus.*

Moris eſt apud Juriſperitos, ut ſi ingenium doctrinamque velint oſtendere, cauſæ periclitanti, & tantùm non injuſtæ faveant; aurâ enim ſecundâ & ſedato oceano vel imperitus nauta pinum dirigit, ſed qui confligentibus vẽtis, & procelloſis fluctibus tumultuantibus poteſt, non niſi expertiſſimus eſt; adeòque iuſtam cauſam & notam defendere ille poteſt, qui Juſtiniani volumina viderit, licèt non aperuerit, at ignotam & injuſtæ ſimillimam, deducere, explanare, probare, & tandem reddere victricem nullus, niſi doctiſſimus. Dolenti capiti opem remediumque feret quælibet anus; at Laboranti ardore ſanguinis & febri pertinaci, ille ſolus qui altè calleat regulas & fundamenta Medicinæ. Ergo & Tu, mi Leander, ab ingenio laudaberis, quod cauſæ Horologiorum deſperatæ, imò perditæ, volueris tanto conatu & niſu opitulari, & jam jam mandandam oblivioni defendere. Bene gubernata horologia dixi horæ quadrante exorbitare, & captioſus in verbis, ingenioſus in circulis, me obſides, te torques, me exerces. *Si bene gubernata, inquis, qui exorbitant? & ſi exorbitant, qui bene gubernata dicuntur?* Et Reſpondeo, me bene gubernari illa dicere, quæ minùs malè: quod ſi omnia male gubernari aſſeras, conſentiam illicò, & ceſſabit diſſenſionis occaſio. At ut video, plus campanis in clauſtro, quàm in univerſitate defertur. Verùm illis quid debes? An illarum ideò patronum agis, quod ſub mediam noctem

Quæ ſint illa horologia, quæ bene gubernata vocantur.

Digitized by Google

ſomnum tuum frangant, lecto amoveant, & choro ſiſtant? an quod totâ die tua interrumpant ſtudia, & à litteris abſtrahant? ſanè tibi illæ doctrinam invident, nec dignæ, quæ tuâ doctrinâ protegantur. Sed non acquieſcis; detraxi illis honorem, & ut reſtituam cogis. O diligens Horologiorum advocate! timeo, ne honoris illa prætenſa reſtitutio, futura ſit majoris confuſionis occaſio. Campanas igitur, jam clientes tuas, conſoleris, ne ægrè ferant argui de quadrantis horæ exorbitantiâ ſuadeas; ne in causâ ſit ipſa vexatio, ut ille quadrans creſcat, & mediam horam pertingat aut excedat. Sed video; actor es nimis pertinax, & reſpondere omninò debeo, & meæ ſententiæ rationes & momenta producere. Suppono igitur primò, Horologia Tychonica fuiſſe optima, quæ habuere potuerunt. Vir fuit mechanicæ Aſtronomiæ deditiſſimus, qui nullis unquam peperit expenſis, ut inſtrumenta perfectiſſima haberet; & quidem automata conſeri debere inter Inſtrumenta præcipua, manifeſtum eſt. Suppono ſecundò, Joannem Kepplerum, Trium Cæſarum mathematicum, & Tychonis pro tempore alumnum & amicum, in horarum doctrinâ doctiorem univerſis illis Eccleſiarum cuſtodibus, qui in turribus habitant, & civica horologia regunt.

Horologia Tychonica.

Joannes Kepplerus.

CCXIX.

Demonſtratio à fortiore.

Has duas ego poſitiones aut negari aut in dubium verti non patiar; ſunt enim nimis claræ & conſpicuæ. Sed arguam ſic. [Tychonica horologia fuerant præſtantiora omnibus civicis; Joannes Kepplerus omnibus ſacriſtis & Cuſtodibus doctior & diligentior: atqui horologia Tychonica recta à Joanne Kepplero, civica ab eo correcta, plus quàm horæ quadrante ſæpè, imò & aliquando tribus aut circiter exorbitant. Ergo ſine campanarum injuriâ dici poteſt, Horologia, quæ bene gubernata dicuntur, intra quadrantis horæ terminos excedendo deficiendo Luxari.] Probaturus minorem aliquas ejuſdem I. Keppleri obſervationes producam, in quibus ipſe horologia cum Cœlis, Campanas cum ſtellis comparavit.

CCXX. *Obſervationes. Prima.*

Anno 1598. die 21. Februarii Stylo novo, mane contigit Ecclipſis lunæ, quam obſervavit Kepplerus Gratii, & deſcribit his verbis (opticæ pag. 368.) Quo tempore tintinabulum urbis ſonabat horam tertiam, diſtabat ſpica à vertice grad. 56. 40. quadrante ligneo ſpithamali. Hæc ſpicæ altitudo adderet horæ urbis minuta 24. (attende bene. Horæ quadrans 15. minutis conficitur, & hic horologium propter inſtantem ecclipſin, ut ſolet, accuratiùs directum, 24. minut. hoc eſt quaſi media hora exorbitat.) Hora ergo urbis 4. 30. (hoc eſt Cœleſti 4. 54.) nondum internoſcere potui defectum: ſed potuit fieri propter nubes, ut tunc inceperit. Nam minùs duobus quadrantibus poſt, Luna nondum ex dimidio obſcurata, planè erecta ſtetit. Paulò poſt quintam (urbicam, hoc eſt cœleſtem 5. 24.) dimidia diametrus defecit, Lunâ jam inclinatâ. Paulò ante ſextam (urbicam, hoc eſt revera cœleſt. 6. 20.). tenuiſſimo cum lumine ſe poſt nubes ſubduxit, adeò ut vide-

videretur adhuc decreſcere & lumen omne perditura. Caderet ergo initium paulò ante quintam; ultima phaſis circiter 20. minutis poſt ſextam. Et fuit id circa medium. Nam VVandesburgi (ubi tum agebat Tycho) obſervata eſt non penitus deficere. Referunt autem Tychonici medium hujus Eclipſeos (Principis obſervatione adjuvante calculos: nam finis ſub tertia fuit) ad horam 6. 5 Huennæ.

Horologium ergo fluebat tardiùs min. 24.

Obſervatio ſecunda.

Anno 1601. die 9. Decembris vespere obſervavit I. Kepplerus aliam Lunæ Ecclipſin, & utebamur (inquit) horologio Tychonico. Initium curſûs fortuitum erat. adhibuimus & quadrantes magnos, notan lis appulſibus ſiderum in meridiem: Locus ſolis fuit in 17. 48. Sagittarii. Ergo cùm horologium illud induceret horam 5. 51. erant in meridiano Marchab & Sceath Pegaſi; unde hora eruitur 538. diſcrimine ab Automate quaſi minutorum 13. Rurſum cum idem horologium indicaret horam 8. 51. erat in meridiano lucida Arietis, quæ horam veram dedit 8. 38. rurſum ecce minutis 13. diſcrepantibus: ita Automati momenta componit cum Cœlo. [Annon horæ quadrante hîc à Cœlo Tychonicum Horologium deviat? ſanè ſi 13. minut. à 15. minut. diſtinguas nimis exactus es; & illud nimis omninò exorbitans, etſi Tychonicum & à doctiſſimo Aſtronomo directum] Igitur hora Automatis 5. 35. hoc eſt Cœleſti 5. 22. notatur merum initium. Automate 6.56. hoc eſt reverà, 6. 43. circulus per centra vergebat in cornu Tauri & Capellam. Aberat ergo adhuc à Medio quaſi minutis 10. horariis. (Iterum Cœli & Horologii eſt 13. minut. diſcrimen.) Automate 7.7. hoc eſt, hora 6. 53. ut ipſemet Kepplerus exprimit (ecce jam 14. minut. differentiam; an multum jam diſtat à quadrante ſive minutis. 15.?) Incedebat circulus hic medio loco inter humeros Erichthonii verſus polarem. Ergo medium circiter. Rectè: jam enim medium, vel peragebatur, vel certè peractum erat.

Sed quomodo hic appulſus obſervatur quadrantibus magnis?

Errat horologium min. 13.

Iterum min. 13.

Iterum min. 13.

Iam errat min. 14.

Obſervatio tertia.

Pragæ idem Joannes Kepplerus anno 1602. die 4. Junii veſpere obſervavit finem Ecclipſeos in hunc modum. [Horologium (inquit) Tychonicum ad manus erat, minuta & ſecunda indicans. (*Fruſtra quidem ſecunda ſuperſtitioſè quæruntur, quando in primis error tam notabilis patet.*) Illud utcunque initio rurſus capto, accomodatam ad ſolis occidentis altitudinem gradum 4. 40. Erat ergo vera hora 7. 24.] Horam 7. 58. reponit Gotefridus wendelinus ex calculo. Ubi videris in hora etiam ſolari non convenire Aſtronomos eſſeque inter Kepplerum VVendelinumque, viros doctiſſimos differentiam minut. 34. quæ videtur intolerabilis omninò ſed addit: Luna orta eſt in craſſis nubibus. Hora 8. 43. primo viſum luminis lunæ veſtigium, Hora 8. 54. de rotundâ circumferentiâ Lunæ ſextans aberat hora 9.0. Nondum omnis deſierat. Hora 9. 2. viſa circumferentia, ſed pallida, Deſierat ſanè uno mi-

In hora ex ſolis altitudine ſumpta differentia min. 34.

Digitized by Google

minuto poſt, Horâ ſcil. 9.3. calculus Tychonicus exhibuit finem hora 9. 19. idque per horarium, Æquationem temporis, ſemidiametros lunæ, & umbræ differentiam meridianorum Pragæ & Huennæ à Tychone conſtitutum: quæ mutari poſſunt, ſalva Hypotheſi, ipſos articulos oppoſitionum repræſentante.] Hæc ille, oratione, ut apparet, deſperationis pleniſſimâ: quod hiatu tam immani, videat diſcrepare Tychonis calculum à Cœlo.

Obſervatio quarta. Pragæ Kepplerus Horologio Tychonico rurſus eſt uſus anno 1603. die 24. Maij. veſp. quod cùm indicaret horam 9. 12.30. Arcturus erat in meridiano: unde vera hora colligitur 9.54. ferè: ita Tychonicis momentis additi identidem minuta 42. (*hoc eſt quaſi tres horæ quadrantes (Audis bene? tres quadrantes non niſi* 45. *min. complectuntur*) Sic enim & automate 10. 42. ex culminatione capitis ſerpentis horam aſſignat 11.24. iterum differentia min. 24.) & quoniam ſtellæ iſtæ ſatis altæ attolluntur in verticem: audeo illis fidere. Igitur automate 10.10. hoc eſt hora 10. 52. (*addit iterum* 42. *min.*) vibratio lunæ (inquit ipſe Kepplerus) in meis oculis, perſpicillis remotis frangebatur. Si Ergo tunc frangebatur Luna profectò id fuit initiũ: Confirmaturq; ex eo, quod automate 10. 42. culminante capite ſerpentis, hoc eſt hora cœleſti 11.24. jam deerant quinque digiti. (*Ecce iterum examinata & reperta eadem* 42. *min. differentia:*) cœperat ergo deliquium ſaltem ante min. 30. ut minimum: omninò ex horâ 10. 54. Rurſum automate 10.51. h.e. (*addendo illa* 42.) hora 11. 33. deficiebat dimidium circumferentiæ: digiti nempè, ſupra 7.15. de abfuturis totis octo: [Nam & pag. 217. opticorum paralipomenon clarè affirmat viſam marginem partis obſcuratæ, quamvis plus tertiâ parte reſtaret, id eſt plus quam digiti 4. adhuc lucerent. Dixerunt ergo ſpectatores obſcuræ partis circulum anguſtiorem:] plane ſit relatum in horam 10. 52. vel 54. & medium ad horam 12. 17. vel. 18. pertineat: ſic docentibus calculis, ſic dictantibus circa id momentum Phaſibus.

Errat Horologium Tychonicum ferè tribus quadrantibus nam min. 42.

Poſteà min. 24.

Poſtea min. 42.

Et iterum min 42.

Obſervatio quinta. Sed & anno 1603. die 18. Novembris veſp. Joan. Kepplerus ſcribit cœpiſſe eclipſin Pragæ 10. min. poſtquam culminaſſet dexter humerus Aquarij: cùm jam ante mediam horam lumen palleſcens, in illâ parte notaretur; cumque ſol fuerit in gr. 25. 55. Scorpij, hora arguitur 6. 21. Recognovit hanc ipſam Keppleri obſervationem Wendelinus, & ait, Revera fuit 6.30. ſi Dinienſis obſervatio mea fuit legitima: eſt Kepplero ſolemne anticipare initia; aut certe in ſtellâ peccatum eſt, quæ alia fuerit (ergo Kepplerus Wendelinusque in hora, quam ab ipſomet hauſerunt cœlo; differunt 9. min. hoc horæ medio quadrante.)

Differentia min. 9. etiam in hora ipſa cœleſti.

Obſervatio ſexta. Anno etiam 1617. die Auguſti 16. ſub veſperum Lincij Joan. Kepplerus invenit plus dodrante in umbrâ, cùm jam per urbẽ ſonuiſſet ſeptima, hoc eſt (correcto horologio per Azimutum & altitudinem Lunæ) eſſet horæ cœleſtis 7.14. (ubi noto illud *jam ſonuiſſet.* Ergo jam ante. da vel unum minutum ſi plura non velis, & à 14. auffer & habebis 13. ſed illud jam apud wendelinum tria minuta complectitur. ait enim.) Quoniam ergo jam modico ante ſonuerat ſeptima, fuerit ſanè momentum urbicum. 7. 3. ita horiſonio addenda fuerint minuta 11. vel (prout ipſemet Kepplerus concipit) 10. circiter ut proin dodrans ipſiſſimus defecerit hora

Error min. 13.

Error minutorum 11.

râ urbicâ 9.0 cùm recepiſſet quadrantem Lucis, hoc eſt hora cœleſti 9.10. medium ergo fuit hora urbica 8,6. quæ fuit cœleſtis 8.10. ad ſummum. Jam verò horiſonio 9.15. (id eſt. 9.25.) lucebat dimidiũ circuli, minus dimidio diametri. Horiſonio 9.30.) (hoc eſt horâ cœleſti 9.40.) lucebat dodrãs. denique autẽ horiſonio. 9.45. (hoc eſt 9.55.) erat adhuc quadrãs digiti in umbrâ: ac paulò pòſt viſa eſt integra horâ cœleſti 9.56 Apparet hinc Herciũ inter & Linciũ media eſſe minuta horaria 39. ad ſummũ: quod planè cum ſuperiori obſervatione congruit; quæ Leodium Lincio dedit occidentalius minutis 37. Eſt enim Hercium occidentalius Leodio minutis 2.15. ſatis accurate definitis (*Ecce perpetua eſt 10. min. differentia inter horologium & Cœlum.*)

Error minut. 10.

Hercii & Lincii diſtantia. Leodii & Lincii.

Colligamus igitur temporum exorbitantias, Eruditiſſime Leander, & videamus bonâ fide, quanto labore & curâ I. Kepplerus errores oſtenderit Horologiorum: Igitur digneris attendere: An. 1598. exorbitantia Horologij urbici 24. minutorum fuit; Anno 1601. Horologij Tychonici error minutorum 13. imo etiam 14: Anno 1602. differentia temporis inter Kepplerum, wendelinumque ad 34. min. excurrit: & anno 1603. ad 9. Anno 1603. inter Horologium Tychonicum & cœlum erat diſcrimen. 42. minutorum & tandem Anno 1617. civitatis horologia 11. min. defecerunt. Minimus error 9. minutorum fuit, maximus 41. differentia 33 ejus dimidium 16.30. quæ ſi addis minori extremo habebis 25. Igitur ex hac obſervationum diſcutione colligitur Horologia præſtantiſſima, ſi à viris mathematicis regantur, ſolere exorbitare per 25. minuta, vel plura. Ergo civicis horologiis, quæ decrepita, aëri & cœli inclementiis expoſita, & à ſtupidis recta, nemo erit injurius, ſi majores exorbitantias tribuat. An jam illis errorem Luxationemque 30. minutorum adfingeres? Sic puto; Sed nec deſidero, vel extorqueo: maneant 15. ſaltem, & vera mea illa concluſio, quam voluiſti impugnare, ſupponaturque Civitatum publica Horologia, tametſi accurata & bene gubernata credantur, luxari hinc inde horæ quadrante: nec ſolere horas diſtinguere perfectiùs. Maneas etiam & Tu; ut tuis doctiſſimis ſcrupulis occaſionem præbeas veritatem altiùs examinandi, & tuo angelico ingenio Ordinem & Patriam illuſtres; & valetudine fortiore quàm nunc, fruaris, quod opto, multis annis. Lovanii 3. Non. Januarii 1643.

Errores extremi.

Error medius min. 25.

Maneant igitur min. 15.

CCXXI. *Hæc ego ſub illud tempus meo Leandro, quæ debebũt ſufficere, ſi à doctis accuratè legantur: attamen tanta eſt unius præjudicii potentia, ut nec ſic quieſcant aliqui puri Theologi, qui neſcire volunt, quanta ſit automatum incertitudo. Hanc ego ob cauſam ut meam opinionem firmarem, doctos conſului, ſi fortè illis crederent, qui ſuis propriis oculis & auribus ſemper decredunt: Et quia in re Mathematica, ſicut in aliis etiam omnibus, Magnificus & Clariſſimus Dominus Doctor Ioannes Marcus Praga excellit, illum conſului; & majoris eruditionis gratia utramque epiſtolam ſupponam, ut ſincerus & ingenioſus Lector videat, quid illi propoſuerim, & quid ipſe reſponderit. Mea ad ipſum Epiſtola fuit hæc.*

Quid Viri in arte doctiſentiant de Horologiorum certitudine?

CCXXII. Magnifice & Clariſſime domine. *Navita de ventis, de bubus narrat Arator; Enumerat Miles vulnera, Paſtor oves:* & per conſequens, temporum momenta ſupputat, non Theologus, non Canoniſta, non Medicus, ſed Mathematicus. Non debet audere extra crepidam ſutor,

Mirabiliter exorbitant qui rudes ignotas facultates examinãt

ttor, nec de crepida Pictor diſputare. Purus Grammaticus Eraſmus fuit; & cùm Theologica ſcripſit, deliravit: & legimus nonnullos Theologos tam lepida de numeris, lineis, & proportionibus interſerentes, ut cum evolvimus eorumdem libros; non deſideramus Æſopos, Terentios, aut Plautos. Sunt, qui ob defectū notitię, horologiis rotariis, qui in turribus, ſummam adhibeant fidem, nec eosdem argui de mendacio patiantur; te advoco, ut invaſa defendatur veracitas, quæ ſemper exulat ab automatibus. Rem aſtronomicam exactè intelligis, temporis metiendi difficultatem non ignoras; eorum qui inhabitant & cuſtodiunt turres, inſcitiam & negligentiam vides, quo communiter modo campanę Cœlo correſpondeant experiris, & ut dicas, quid certitudinis ab ejusmodi horologiis poſſimus prudenter ſperare, advocaris; & cum rem tractem Aſtronomicè, ſic eam propono. Lego in Munnoſio, *Anno* 1567. *die nona Aprilis incepit ſolare deliquium cùm undecima in turre civitatis inſonuit:* & inquiro, ſtando huic ſoli teſtimonio, quantum errare poſſimus in determinatione temporis hujus eclipſis? ſententiam tuam paucis cōplectere, & ut facilius poſſis, aliorum opiniones produco. Sit

Eraſmus Grammaticus.

CCXXIII. *An horologia luxētur hinc inde integra hora? An media? An quadrante? An min. 4.*

Prima: *Cùm auditur undecima, nec eſt minus quàm decima, nec plus quàm duodecima.*

Secunda: *Cum auditur undecima, nec eſt minus quàm medium undecimæ, nec plus quàm medium duodecimæ.*

Tertia. *Cùm auditur undecima, nec eſt minus quam* 10. *hor.* 45. *nec plus quàm* 11. *hor.* 15.

Quarta. *Cùm auditur undecima, eſt hora undecima quatuor minutis tantummodo plus minus.*

Quinta, *cùm auditur undecima, eſt undecima hora præcisè.*

An nulla ſit luxatio temporis?

Et interrogo, in quanto certitudinis gradu ſingulas has Poſitiones collocare poſſimus? hoc eſt, quænam ex illis ſit certa moraliter? quænam probabilis? quænam dubia? & tandem, quænam ſit falſa? Reſponde breviter, Doctiſſime & Clariſſime Vir, & ne aliorum opinionem ignores, quid judicent alii præſcribo.

Amas P. Moretum, quem etiam ego colo; & omnes bonarum literarum cultores venerantur. Eundem heſternâ die Reverendiſſimus Abbas Eufferthallenſis & Ego viſitavimus, oſtenditque nobis Horologium quadratum, vix pede longum, ſolo Indice ſed Horarum, Minutorum & etiam Secundorum præditum, non Campana; ſi inventionem & delineationem conſideres, ingenioſiſſimi P. Kircheri opus; ſi climationem, abſolutiſſimam magni artificis curam, cui data ab Archiduce Carolo; piæ memoriæ octingenta ducata; opus inquam, quod haberi debeat inter automata loco miraculi; & nihilominùs tota ejusdem laus in hoc ſita, quod dimidiâ horâ à cœlo deviet ſpatio totius diei, hoc eſt, viginti quatuor horarum. Si ſic peccat hoc artis excellentis prodigium, quid ab Horologiis turrium, rudi limâ ab ignorante fabro ferrario factis, & à ſacriſtâ ſtupido aut ebrioſo directis ſperare poſſimus, Tu conſidera.

P. Moretus.

Archiducis Caroli Horologium.

Propoſui eidem P. Moreto Poſitiones has quinque. Primam admiſit tanquam certam moraliter. In ſecundâ hæſit voluitque horologia cognoſcere, nam noluit eſſe fidei prodigus,

P. Moreti, de prioribus ſententiis judicium.

Digitized by Google

gus, nec conſideret, ſi neſciret, cui Quartam valde veroſimilem cenſuit:& ut minimum quadrantis horarii luxationem admitti poſſe judicavit, concludens Horologia eſſe horarum indices, non quidem mathematicos, ſed morales. Quintam riſu excepit, & me in meâ ipſe opinione magno ſuffragio confirmavit.

Tuam ſententiã expecto, & oro ut ſinceritate illâ, quam profiteris, digneris mihi reſpondere; & præbere occaſionem, in quâ poſſim ſervire. Vale. Pragæ: ex Muſeo noſtro, die 28. Martii. 1650.

Reſpondit doctiſſimus Vir; & quia è re erit ejuſdem literas conſiderare: illas adjungo.

CCXXIV. Reverendiſſime Domine. Cùm propriis oculis videas, & propriis etiam auribus audias Horologiorum quotidianos errores, ſcire omninò debebis quid certitudinis ab ejuſmodi rotariis Inſtrumentis prudenter ſperare poſſimus. Me conſulis, & cur hoc ipſum facias, non percipio. Pone me pro Horologiis ſtare; an-ne majorem meis verbis fidem præbebis, quàm tuis oculis? Non credo. Cæterùm, quia ſic jubes, illas quinque propoſitiones recognoſco, & affirmo PRIMAM admitti poſſe, non quidem ut moraliter certam, ſed ut probabiliorem, & ſi velis, probabiliſſimam. Illam non eſſe moraliter certam dico, Propoſitiones enim moraliter certæ dicuntur, quæ ſtando hominum moribus & communi rerum curſui eſſe falſæ non poſſunt humanitùs; quales ſunt iſtæ, *America eſt regio ultra-marina, Mediterraneum in oceanum exonerat.* Quarum neutra mihi à ſenſu aut ratione probatur, & tamen ſine formidine erroris admittitur. Et tamen illa prima, quam cenſurari vis, his duabus minorem certitudinem habet: nec omnem excludit formidinem: poteſt enim & ſolet eſſe falſa, tametſi raró. DE SECUNDA inciperem omninò dubitare; nam hic Pragæ Horologia inter ſe mediâ horâ frequentiſſimè differunt, & tribus quadrantibus interdum. QUINTAM puto eſſe falſam certò moraliter! neſcimus enim vel ſemel primum campanæ ictum cœleſti temporis momento reſpondiſſe. QUARTAM dicam valde eſſe falſæ ſimilem, non tamen evidenter falſam. QUARTAM-que debere ut probabilem admitti: & vix poſſe certitudinis terminos ſtrictius contrahi. Hæc de Horologiorum certitudine & incertitudine dico. Reſpondeo, ut Mathematicus, non ut Theologus: quæ hinc in Politicis aut Eccleſiaſticis ſequantur Corollaria, tu videris; puto enim omnia debere admitti, quæ ex doctrinâ certâ evidenter ſequantur. Sic ſentio; & hæc juſſus ſcripſi, ut tuo imperio obedirem; fortè ridebunt alii, ſi me videant de re manifeſtâ judicare; Sed ipſis reſpondebo meum eſſe tibi in claris & obſcuris ſervire. Vale. Scripſi in Muſæo noſtro; & ſubſcripſi Anno M. DC. L. die 25. Aprilis quadrante horæ poſt vigeſimam primam ſecundum præcurrentia Horologia, & ſecundum tardiora horâ vigeſimâ ſecundâ.

An major alienis verbis, & minor propriis oculis adhibenda ſit fides?

Poſitio moraliter certa, quæ ſit?

Reſolvitur pro quarta ſententia.

Ecce hîc tribus horæ quadrantibus differunt automata.

CCXXV. *Hæc Clariſſimus & Magnificus Dominus de turrium Horologiis, quæ communiter antiqua & exeſa, & à ſtupidis hominibus recta. Sed quid de domeſticis, quæ Viri*

Qualia ſint horologia turrium.

Ma-

Digitized by Google

Mathematici apparant, & dirigunt? In libello de longitudine ſeu differentia inter duos Meridianos, una cum motu vero Lunæ inveniendo ad tempus datæ obſervationis, Propoſitione XII. Problem. VII. ſic inquit: [Cùm ad exactam hujus notitiam, non ſolùm hora, quâ obſervatio facta, ſed etiam minuta conſtare debeant: fruſtra in hunc uſum (NB.) Horologia mechanica adhibentur, quæ non ſolum pluribus minutis ſed etiam quandoque tota ſemiſſe aberrant: Verum idem motus Cœli, qui omnes reliquos metitur, hoc temporis momentum nobis definiet: motus inquam ſtellarum, quatenus per hunc ab horizonte certo abſunt intervallo.] Subjicit obſervationem Eclipſeos Lunaris à ſe habitam, Pragæ die 14. Aprilis, Anno 1642. & poſt pauculas paginas ſic ait: [Dubitabis, cùm per verum locum ſolis definiamus illud momentum; hic vero in ſingulas horas mutetur, undenam Locus verus ſolis conſtabit? Reſpondeo ad hoc ſufficere horologium aliquod Mechanicum, aut ſciothericum Lunare; in quibus difficile non eſt errorem unius horæ, aut etiam dimidiæ præcavere.] *Vide quantum fidendum ſit doctiſſimi Viri ſententia Horologiis etiam domeſticis, & diligentia majori gubernatis.*

Fere horologia Civica de errore min. 30. appellat.

Fere nec ſibi nec aliis majorem ſecuritatem pollicetur quàm mediæ horæ plus minus.

Nec multum abeſt à Magnifico Doctore Joanne Marco Marci P. Antonius Rheita, qui etiam novam reperit rationem dubitandi, dignam quæ legatur attentè; ejusdem litteras quà noſtra referunt, in gratiam Lectorum ſubſcribo.

CCXXVI. Reverendiſſime &c. Præſul ac Domine. Quod me tuis gratiſſimis literis, tuiſque doctiſſimis quæſtionibus ac objectionibus meum ingeniolum exercere, ſive potius erudire volueris, Vir Doctiſſime, & Colendiſſime, & tuæ humanitati gratias debeo, & mihimet congratulor, quod me adhuc inter eos recenſeri à te videam, quos non tam tuus calamus honorat, quàm tua rara doctrina decorat.

Multas quidem mihi moves quæſtiones, ſive potiùs difficultates, circa ea, quæ olim à me Excellentiſſimi Domini Marchionis de Neucaſtell Angli, Epiſtolę Ænigmaticę, per tranſſennam ſolùm (cùm jam dictum Epiſtolium, vix quatriduo antequam imprimeretur, & libro meo insereretur, mihi contemplari licuerit, & Tu modò, poſt integrum luſtrum contemplationis, velut Atlas quæſtionibus nodisque ſuis gravatus, ſive innodatus, contra me prodis, an ut meam ignorantiam prodas, an ut Mundo veritatem pandas, ignoro) reſponſa ſunt: & licet modò tempus prolixius reſpondendi non ſuppetat, Dicam tamen quid ſentiam de Caſu illo mihi à te propoſito.

Videtur Marchio de Neucaſtell amare Philoſophiam localem: dubia aliqua propoſuit meo Rhaitæ: hic reſpondit doctiſſimè: at quia nihil ille repoſuit, & reliqua adhuc videbantur ſecunda reſponſione indigere, ideò ſcripſi, quæ Marchio poſſet vel deberet.

Alta hieme, inquis, noctu audivimus horologium unicum, & numeravimus horam undecimam, eramus ſimul 5. amici. Primus dixit, erit modò hora 10. vel 12. ſiquidem horologium undecimam ſonuit, Secundus, erit medium undecimæ, vel medium duodecimæ. Tertius, erit 10. hora 45. vel 11. hora 15. Quartus ajebat, erit modò undecima hora 4. plus minùs. Quintus erit modò undecima præciſè. Interrogas, ſiquidem hi omnes quinque nō habuerint alia fundamenta indicandi præter horologium oppidi, quod audierant, mediocris perfectionis, quis horum quinque loquutus fuerit certum, quis probabile, quis evidenter verum; quis evidenter falſum. Nam conſideratâ imperfectione & luxatione horologiorum, hæc propoſitio *Modò*

CCXXVII *Quæſtio proponitur*

dò ſonuit undecimam, ergo eſt præcisè undecima, alicui videretur falſiſſima. Ad hæc ut reſpondeam, dico, duo eſſe quàm maximè præmittenda & conſideranda, *primum* eſt, An tempore illo hyemali, quo horam undecimam pariter illi quinque audierunt, aër inter audientes & campanam ſonantem, fuerit nebuloſus, an purus, ſerenus, defœcatus, & vaporibus intermediis purgatus? *Secundum*, An audientes illi quinque omnes fuerint pariter & præcisè ſub linea meridiana campanæ? an potiùs, quidam uno aut altero pede ſaltem fuerint magis orientales, quidam verò magis occidentales reſpectu campanæ ſonantis horam undecimam. Si enim ſonus horologij præcisè convenit cum curſu ſolari, id eſt, ſi tempore tintinii campanæ, eo inſtanti quo malleus primum ictum & ſonum edidit, ſol præcisè à meridiano campanæ hæmiſpherii inferioris 15. gradibus elongatus fuit, & dicto inſtanti etiã quintus in ordine, horam undecimam pronunciavit, ſub campanæ meridiano exiſtens, ajo hunc quintum non evidenter verum, ſed veriſimiliter & proximè verum pronunciaſſe, reliquos verò omnes extra meridianum campanæ ſuppoſitos, aperte falſum. Dixi quintum non evidenter, ſed veriſimiliter & proximè tantum verum dixiſſe, tum quia antequam ſonus ad ejus aures delatus eſſet, neceſſariò aliqua temporis mora, puto aliquod minutum vel plura intercedere, & intereà ſol tot minutis meridiano, & duodecimæ magis appropinquare debuit, tum quia aëris intermedii impuritas & denſitas ſonum campanæ ubique nonnihil remoratæ ſunt (ſed quid, obſecro, accidiſſet, ſi ſpatium illud intermedium, campanam inter & audientes interjectum omnino vacuum fuiſſet?) quò minus eo inſtanti ad aures audientis delatus fuerit: Nullus igitur mathematicè evidenter verum dixit, ſuppoſitis diverſis meridianis, velociſſimo ſolis aut telluris motu, nec non aëris intermedii impuritate & craſſitie; nam ſi primus fuit uno pede, vel paſſu, magis orientalis vel occidentalis ſecundo, ſecundus tertio & quarto, quartus quinto, quintus primo 2. 3. 4. evidenter omnes quatuor falſum pronunciarunt: & ſi quintus maximè à meridiano campanæ, & plus quam alii quatuor remotus ſonum audivit, & horologium una hora ultro citrove à vero motu ſolis aberravit, & ipſe evidenter falſum dixit. Et ita conſequenter ſuppoſitis ſupponendis, de aliis judicato. Dicere volo, *forſan rariſſimè à terricolis, verum & præciſum tempus poſſe determinari*, cùm motus ſit in continuo fluxu, & nemo dicere poſſit: hoc inſtanti ſol tenet, v. g. præcisè meridianum Pragenſem, aut talem gradum aut minutum Eclipticæ, quia dum dicit, & loquitur, interim ſol ultra lapſus, judicium loquentis inſigniſſimè fallit. Reliqua tibi inde eruenda, & concludenda relinquo.

Præmittuntur aliqua præcognoſcenda.

Hoc ipſum eſt, quod quærimus.

Nota hic aliam cauſam erroris, quam nondum tetigi; & eſt conſideratione digna.

Proponitur ſecunda & curioſa adhuc quæſtio.

Rhaita Concluſio mea Conſultationi reſpondens.

Dianæ ſententia.

CCXXVIII

Diana Caramuelis ſententiam proponit, et impugnat.

Dixerat Caramuel *in Regul. D. Benedicti num.* 1328. [Qui in pago aut eremo fuerit, ubi ſolum eſt unum horologium bene regulatum, probabiliter poteſt credere illud plùs quàm horæ quadrante à veritate deviare] & Diana *part. 7 tract. 11. reſol. 15.* Hæc opinio, ait, videtur communiter reprobata à Doctoribus, dum loquuntur de præcepto Horarum Canonicarum, de præcepto Jejunii, Feſtorum obſervatione, & ſimilibus; ex illâ enim ſequeretur, quod

Concedo conſequentiam: quid inde?

quis ſtatim poſt horam duodecimam noctis poſſet completorium dicere, & ſatisfacere præcepto Horarum Canonicarum; vel poſſet comedere carnes, & obſervare jejunium; imò mane communionem ſumere & ſatisfacere præcepto jejunii naturalis pro ſumptione Euchariſtiæ: & tamen Doctores controvertunt, ut alibi viſum eſt, ſi etiam dato primo pulſu (*ictu*) horæ duodecimæ, media nox dicenda ſit elapſa, ita ut præcepta præteriti diei vel futuri dicantur elapſa, vel incepta: & omnes concordant, quod finito ultimo pulſu (*ictu*) horæ duodecimæ conſpirent & incipiant præcepta adfixa diebus.] Ita: ille. Et *part. 3. tract. 4. reſol.* 36. dixerat. [Si tantum ſit unum horologium ubi cœpit ſonare duodecima, aliquis biberet, licet quando ſonaret ultimus pulſus deſiiſſet bibere, nõ poterit die ſequenti communicare. &c. ex quibus infert Sancius *in ſelectis diſp. 42. num.* 20. quod qui buccellam habet maſticans, & audit primum pulſum horæ duodecimæ noctis, tenetur in continenti de ore eiicere buccellam, ſi die ſequenti Sacramentum Euchariſtiæ velit ſumere vel miſſam celebrare. Poſtquam verò buccellam ejecerit, non tenebitur eſſe nimis anxius ad abluendum os. Si tamen maſticat buccellam de materia carnis, & dies ſequẽs ſit jejunii, non tenetur illã eiicere, etiã ſub veniali; non enim cũ tanto rigore illud præceptum poſitiuum obligat ſemoto contemptu.] Ecce quàm ſevere authores de horologiis loquuntur!

CCXXIX. Sed quid hic Caramuel dicet facietvè univerſis oppoſitus? An recantabit palinodiam, ne unus opponi univerſis dicatur? An ſe tuebitur nomine Paſquiligi, Viri doctiſſimi, qui *deciſ. 338. num. 4. & ſeqq.* ſuam ſententiam propugnat? Minimè; Sed ſuam dicet tam certam, tam claram, & tam demonſtratam, ut nec Paſquiligi nec alterius authoritate indigeat, ſi ſinceritas adſit. Sed ſingularis eſt Caramuelis ſententia ais; ſiquidem teſte Dianâ univerſis oppoſita. Sed quid inde; non dicit Caramuel eam non eſſe ſingularem, ſed eſſe evidenter veram, & futuram communem & unicam in ſcholis, ſi ejus fundamenta legantur. Sic diſcurrit.

Caramuel non indiget Paſquiligo, habet enim pro ſe experimentum clarum & oculare.

CCXXX. Sonat horologium urbis duodecimam, & dicit Petrus, *Nunc in hoc inſtanti A eſt duodecima. Hoc inſtans A eſt finis præcedentis diei, & ſequentis initium.* Et peto à Dianâ, utrùm hæc Propoſitio ſit per ſe nota? Utrùm ſit demonſtrabilis? Utrùm ſit probabiliter vera? Utrùm ſit falſa? vel tandem in quo ipſa gradu certitudinis aut incertitudinis ponenda ſit? Et quia meus doctiſſimus Diana multum diſtat, expectaturus quid illi reſpondere placeat, meam mentem expendo & reſpondeo.

CCXXXI. Dico primò. Hæc Poſitio *Nunc eſt hora duodecima*, quæ cenſuræ ſubiicitur, non eſt per ſe nota, vel ut alii loquuntur veritatis æternæ, non enim eſt neceſſaria, ſed cõtingens, quę poteſt aliter ſe habere ac forſitã aliter ſe habet. Sed neq; eſt demonſtrabilis, nec demõſtranda; qui enim Dialecticus ſyllogiſmũ formaverit in formã legitimã, qui ex per ſe notis inferat iſtã poſitionẽ, erit mihi magnꝰ Apollo. Ergo vel erit falſa, vel ſolùm probabiliter vera. Sanè certò falſa non eſt: ergo merè probabilis, ſi illud *nunc* ſumatur pro inſtanti aliquo morali & laxo, (puta pro integro primo minuto) quia ſi ſumatur pro inſtanti mathematico (imò ſi ſumatur pro-

Digitized by Google

Quæ ſit Propoſitio falſa certò moraliter?

pro ſecundo temporis) erit falſa certò moraliter: quod ſic oſtendo. [Illa eſt propoſitio certò moraliter falſa, quæ vix ſemel ſpacio centum annorum fuit vera, ſed vix ſemel contigit centum annorum ſpacio, quod horologium urbis, cum duodecimam ſonuit, intra ſcrupulum ſecundum correſponderit cœlo: Ergo hæc poſitio de quâ agimus, eſt certò moraliter falſa.] Si quis dubitet, det obſecro diem demonſtrationemque, quâ probet horologium aliquod cœlo horâ duodecimâ intra ſcrupulum ſecundum reſpondiſſe: & dignetur legere Epiſtolam inſcriptam Bantio, quam in ſecunda Commentarii editione num. 1328. pag. 318. a. exhibui: & hic iterum dedi.

CCXXXII

Ageometræ à Platonis Schola exeſſe juſſi.

Dicebat audituris ſe Plato, *Nemo huc ingrediatur ignarus Geometriæ*; & hæc ego lecturis, *Nemo de horologiis judicet, quin obſervarit ſydera, & ſciat quanto labore & erroris periculo horæ nocturnæ inveſtigantur.* Legat Tychonem aliosque; & ſi ille tametſi in arte ſuâ excellentiſſimus, raró à ſyderibus, nunquam ab horologio ſecunda obtinere potuit, quis in mundo erit tam ſtupidus, qui id poſtulet ab horologio turris? *Peccat illud primò*, antiquitate; quia pleraque ſunt exeſa & corroſa, & pulveribus plena; ſi purgentur feſtinant, & ſemper fluxu & velocitate deformi. Auræ viciſſitudines ſentiunt; nam in æſtate currunt, in hyeme reptant: & cum rigidius cœlum eſt, ſi non hærent, vix moveri dignantur. *Peccat ſecundò*, directione: quoniam à negligentibus, & ab ignorantibus ſemper omnia reguntur: qui enim aliquid ſcit non ſolet horologio ſervire. Etiam cùm diriguntur ab Aſtronomis, ſunt machinæ ingratæ Magiſtro; ſæpè enim quò major diligentia adhibetur, magis exorbitant & à vero declinant. Hæc ſunt certa: & ſi aliquis in mundo ſit, qui habeat horologium exactum, quod intra ſecundum cœlo & veritati reſpondeat, dignetur illud mihi communicare: quia tametſi non ſum Tycho, qui in organis ejuſmodi vel in centum aureorum millia impendere, ſaltem plurimos libentiſſimè dabo, ut mea poſſim faciliùs Aſtronomica ſtudia promovere.

Horologiorum peccata. Primum.

Secundum.

Nullum datur Horologium in Mundo, quod intra ſecundum horæ cœleſti correſpondeat.

Dediſcant igitur præſcriptum ſuum errorem Theologi, & in Aſtronomicâ materiâ, quam non examinarunt, Aſtronomorum oculis & demonſtrationibus tandem aliquando ſubſcribant: & quando ſonat noctu duodecima, dicant nobiſcum, *Nunc eſt media nox aliquibus minutis plus minus.* CCXXXIII.

Quanta ſit luxatio & incertitudo horologiorum?

Sed quot minutis claudi hæc ipſa incertitudo debet? Si horologia ſint mala & negligenter recta, multis: paucioribus ſi bona, & à doctis diligenter directa. Optima erant horologia Tychonica, optimus Aſtronomus Keplerus, qui ea regebat: ſumma fuit adhibita diligentia ut benè regerentur cùm Eclipſes fuerunt obſervandæ; & tamen ut conſtat ex locis, quæ in Epiſtola ad Bandtium allego, ſæpè ipſa ultra mediam horam deviarunt. Ponamus igitur unum horæ quadrantem hinc & inde pro luxationis terminis, non quod diſtantiores limites non poſſimus, ſed quod nolimus, & tantâ ſimus varietate contenti.

Aſſignatur probabiliter quadrans.

Poſſe majorem diſtantiam interponi, demonſtro clarè. Audio horam duodecimam, & inquiro à Diana, quæ ſit hora? Duodecimam eſſe reſpondet. Et peto iterum CCXXXIV.

Probabilitas noſtra doctrinæ demonſtratur.

ab illo unde id ſciat? An audebit id quod dicit, juramento firmare. Et ſiquidem id non audebit, certum eſt, ſuam reſponſionem eſſe incertam, certò enim vera firmari juramento poſſunt. Eodem inſtanti ego dico, *eſt duodecima quindecim minutis plus minus, hoc eſt, nec temporius eſt hora 11.45. nec tardius 12. 15.* Quid mihi ipſe? Me errare. Et audebitne jurare me decipi? Non puto. Ergo omnia ſunt incerta, debentque aut ad dubium aut ad probabilitatem reduci. Non ad dubium, quia horologium bene gubernatum gravis authoritatis eſt, tametſi non ſit infallibilis: ergo manere debemus in notitiâ probabili: dicendumque oppoſitam opinationem fulciri experientiæ defectu.

ccxxxv. *Remedium unicum ad pertinaces recurandos.*

Volebam hic calamum ponere, ſed quia dantur ingenia mirabilia, quæ neque ſuis neque alienis oculis credere volunt, ſed malunt errores antiquos tueri, quàm notam fateri veritatem, non gravabor hiſtoriolam ſubjungere, quâ mathematicus rigor levetur. Dum puellus Philoſophiæ ſtuderem Compluti eramus in Collegio nonnulli, qui ſupra cæteros haberi volebamus, & de quacumq; re ageretur, altercatione plurimâ eramus Prorectori moleſti. Cautus ſenex multa remedia adhibuit, ſed fruſtra, ſemper enim voluntates diſſymbolæ impediebant opinionum concordiam. Tandem recuravit nos omnes ſtatuendo, ut qui eandem rem tertiò diceret, cenſeretur concertare de pretio, deberetque aut rem convincere, aut aureum ſolvere. O quàm citò recurarentur omnes, qui contra ſom[illegible]nt, ſi lege ſimili conſtringerentur! vel, ſi ad hæc non adquieſcas, concertationem inſtitue: nam erunt [illegible] Mathematici, qui audebunt contrà. Honeſtus Ludus eſt, qui inveniendæ veritati inſtitutus, & ordinatur ad reſtituendum animum, qui continuo Labore eſt attritus. Omnis concertatio ludus eſt; & quia ludus ſi nihil periculo exponitur eſt melancholicus, aliquid exponamus. Sunto leges. *Elige Civitatis campanam, quam volueris; & horologium ſolare quod volueris (poſſumne liberaliùs procedere?) & quoties campana umbræ reſpondeat centum ſcuta dabo, & quoties non reſpondeat da decem.* O quàm citò me ditares, ſi hac lege decertare velles. Sed quia divitias parvi pendo, ſufficiat hæc pauca notaſſe; ex quibus deducam certiſſimam hanc concluſionem, *ſemper eſſe præcisè horam, quæ auditur, certò & evidenter falſum eſt.*

Rarò aut nunquam Campanæ, ſcioterico-rum umbris correſpondent, ſed & nota etiam hoc. Umbræ ipſæ ſciaterico-rum rarò aut nunquam exactè correſpondent cælo.

Poſitiones Mechanicæ de horologiorum varietate & falſitate.

OStendi non eſſe horologiis fidendum, ſed quia Theologia multum eſt à Matheſi ſejuncta, & magni hodie Theologi nec Geometriam, nec Aſtronomiam didicerunt, volo aliqua ſubjungere, non ut Matheſeos imperiti illa examinent, ſed ut credant. Et quia Sole hodie gubernantur automata, à Sole incipio. ccxxxvi.

Notantur aliqua, ſcitu digna, circa horologiorum ſolarium certitudinem.

THEOREMA I. *Horologia Solaria ferè omnia concepta ſunt in originali peccato. II. Quæ in peccato concepta, actualia neceſſariò committunt. III. Faciliùs antiquum deleas, & novum delineas, quàm corrigas.* Demonſtro omnia. *Primò* quia multi murarii & architecti ſcientiam delineandi horologia arrogant, & tamen artis fundamenta non ſciunt. *Secundò,* quia ipſi Aſtronomi debitam diligentiam non

non adhibent in re tantillâ, ſæpè declinationem muri, inclinationemque, imò & altitudinem Poli malunt ſupponere, quàm examinare. *Tertiò* quia parallaxeon & refractionum in ſciatericis nunquam habetur ratio; ut haboretur utraque eſt valde incerta, & hucusque non cognita. *Quartò* quia totum corpus ſolare eſt luminoſum & umbræ neceſſariò abbreviantur. *Quintò* quia longiores ſtyli inflecti ventis ſolent, & ipſimet muri aliquandò inclinari. *Sextò* quia hæc ſolaria horologia, ſi horizontalia ſunt, à meridianæ lineæ cognitione dependent, quæ difficulter invenitur. *Et Septimò*, quia eadem, ſi portatilia ſunt, magneticâ vi diriguntur, quæ nondum eſt bene explorata, & ſingulis diebus in lapide & in acu remittitur. E quibus capitibus reſultat, ut non male Infanteſius in ſuâ Aſtronomiâ mechanicâ hanc ſtatuerit legem, *In muro, ex quo aliud horologium ſolare aſpici poſſit, novum ne delineato.* Sed cur? Ne errores tabulæ, & artificis inſcitiam (aut ſaltem ignaviam) prodat & publicet umbræ varietas. Cui obviam cautiores eunt, formando ſtylum craſſum, lineas craſſas, ita ut multorum ſecundorum aut etiam minutorum error abſorbeatur. Si dicas de uno murali ſciaterico digito non diſputari; dices quod omnes vulgò dicunt; & inferam in eisdem non de momento ad momentum, ſed intra unum alterum minutum plerumque horam veram repreſentari.

In illo libro, quem ſolis & artis adulteria inſcribo, parallaxes & refractiones caveo.

Imò Alexander Calignonus volebat Meridianas lineas, & Poli altitudines mutari. Vide meum libellum de perpendiculorum inconſtantia.

Ad ſciaterica delineanda prima Regula.

Eorumdem ſecuritas quanta?

CCXXXVII. Omitto alias ſubtilitates, quas non poſſit intelligere Ageometra: nolo enim ingredi quæſtionem, quæ interrogat, An terra ſit motui rapto concentrica? an tempus verum differat ab apparenti? nolo ſimiles alias, in quibus multa dici poſſent, quæ fidem Sciatericis univerſis adimerent: remitto tamen omnes viros curioſos ad D. Joannem Hevelium Dantiſcanum, qui excellentiſſimus eſt Aſtronomus, in Mathematicis accuratiſſimus, & utitur ſciaterico tanto, quod ſecunda minuta repreſentat, & nihilominùs, motum raptum Primi-Mobilis non eſſe uniformem obſervat, ſed jam velociùs, tardiùs jam, ſolare corpus promoveri. Legatur Epiſtola inſcripta D. Laurentio Eichſtadio, in quâ eclipſin Solis, quæ contigit anno 1649. die 4. Novembr, deſcribit, confertque oſcillationes penduli cum Primo-Mobili, ſeu umbrâ ſciaterici.

An terra occupet centrum præciſe? an tempus verum & apparens coincidant?

An cœli motus ſit æqualis?

THEOREMA IV. *Horologia Lunaria majoribus erroribus obnoxia ſunt.* Et oſtenditur: quia in iis habent locum, quæ contra ſolaria ſunt dicta, quæ omnia ignotiſſimo Lunæ motu intricantur: & incertiſſimis parallaxibus & refractionibus obſcuriora redduntur.

De Horologio Lunari.

THEOREMA. V. *Septentrionale illud horologium, quo noctu horas metimur, Vrſæ minoris Sydera conſiderando, fallax eſt.* Supponit enim primò locum ſolis, ſecundò ſyderis aſcenſionem rectam; cùm tamen in utroque authores differant, & veritas nondum inventa ſit.

De polari.

Hæc de Cœlo. Hæc de horologio illo quod Deus condidit: quod tametſi perfectiſſimum ſit, tam male à nobis eſt cognitum, ut non poſſit pertingere præciſionem, quæ quæritur. SED DICES hos errores leves omninò eſſe: id non nego, ſi de horis diurnis agamus: at admiſſis erroribus, levibus puta unius aut alterius minuti, tollitur præciſio, quam Theologi, qui neſciunt Aſtronomiam protrudunt. At in horis nocturnis, errores iſti non ſunt leves, nam

Objectio.

Digitized by Google

wendelinum à Keplero 34. minutis differre vidimus: cum tamen uterque horam hauriat ex cœlo. Sed hæc maneant ſic; alibi uberius decutientur: Venio ad Automata.

An poſſibilia ſint duo Horologia ſimilia?

THEOREMA VI. *Nullus artifex fecit aut facere poteſt* (ago de impotentiâ morali; imo etiam, ſi bene intelligar, de phyſicâ) *duo Automata, quæ ita campanas regant, ut ictus ictui correſpondeat.* Ergo horologium exactum ab illis ſperari non poteſt, nam veritas eſt una, & exacta deberent ſaltem in primo ictu correſpondere.

Horæ mechanicæ inæquales.

THEOREMA VII. *Horæ Automatûm non ſunt æquales*, nam ſive pondere, ſive inflexo chalybe animentur, ſemper ſolet reperiri varietas; nam chorda & plumbum ponderoſiora ſunt plumbo ſolo, & violentia chalybis eſt fortior & major in initio; & cautelæ, quæ adhibentur, fallaces & incertæ ſunt. Addam aliquid quod mirabilius, me obſervaſſe intra eamdem horam inæquales quadrantes in horologiis turrium, quæ à perfectione & ſecuritate laudantur.

Etiam quadrantes ſingularum.

Hinc patet non eſſe bonam conſequentiam, *Heri horologium correctum fuit ad ſolem meridianum, hodie meridie ipſo horam* 11. *&* 40. *minut. repræſentat:* Ergo *cum horam duodecimam ſub mediam noctem ſonuit, erat cœlitùs hora* 11. *&* 50. *min.* Et oſtenditur. Quoniã ut bona eſſet, deberent horæ cœleſtes, quibus utimur, æquales eſſe, quod non dum ſcimus: Vt ut ſint, deberent Horologia dividere tempus in partes æquales, quod non faciunt. Et præcipuè ſi ponderibus careant; quæ enim promoventur ponderibus, minori errori obnoxia ſunt.

An Horæ cœleſtes æquales?

Horas primus ictus diſtinguit.

THEOREMA VIII *In horologiis ex intentione Artificis primus ictus campanæ horam præcedentem à ſequenti diſtinguit; ac cæteri adduntur, ut qui indicem reſpicere nequit, horam diſcat.* Hoc certum eſt, nec ab homine qui artem noverit revocatur in dubium. Non tamen gravabor exſcribere verba Dianæ, qui *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 56. ſic ait. [Notandum eſt verò hîc, quod quando primus horæ pulſus auditur, jam eſt hora expleta, & horologium eſt tantum teſtis id judicans. Et licet diverſi ſint pulſus, id evenit, quia nequit uno pulſu hora duodecima indicari, ſicut uno pulſu hora prima indicatur.]

Poſſet ultimus, ſi nova horologia elimarentur.

Addo me poſſe formare horologia in quibus ictus ultimus horas diſtinguat: ſed agebatur non de factilibus ſed de jam factis.

Hinc eſt, nos ſi haberemus aliquod bonum horologium (puta factum & directum ab Angelo) ſi & illud elimatum fuiſſet ad formatorum regulas, habituros fuiſſe rationem primi ictus. Sed quia tale habituri non ſumus, erit purè ſpeculativa hæc aſſertio.

Poſitiones Theologicæ de Horologiorum varietate & falſitate.

CCXXXVIII. *Horæ Eccleſiaſticæ.*

POſitâ præcedente doctrinâ, quam à puris Theologis credi volo, impugnari non patiar; iterum ad Theologica redeo, & has poſitiones ſubiicio.

PRIMA. *Poteſt Eccleſia præcipere ut horarum diſcretio, & mediæ noctis determinatio, quidquid cœlitùs fiat, humanitùs*

&

Digitized by Google

& Eccleſiaſticè ſit juxta primum horologium urbis. Oſtenditur, quia de facto diſtinguimus æquinoctia cœleſtia ab Eccleſiaſticis, item Novilunia & Plenilunia cœleſtia ab Eccleſiaſticis, cur non annos? cur non dies? cur non horas? Porrò æquinoctium Eccleſiaſticum dici vigeſimæ primæ Martii, ſic Gregorio XIII. jubente, eſt adfixum, tametſi in Cœlo aliter accidat: nam ſi ſequamur Tychonicos numeros, & ſumamus Francofurtum ad Viadrum (hic enim profitebatur Origanus) reperiemus vernum æquinoctium accidiſſe tempore nimirum apparenti:

Æquinoctia Eccleſiaſtica.

Ann.	*Martij die.*	*Hor.*		
1630.	20.	1.	5.	39.
1631.	20.	6.	54.	36.
1632.	19.	12.	43.	5.
1633.	19.	18.	31.	53.
1634.	20.	0.	20.	46.
1635.	20.	6.	9.	45.

Et tamen Eccleſiaſticè æquinoctium adfigitur diei XXI. Pro ordinum interſtitiis annos Eccleſiaſticos ſervamus, non civiles; & ſi à Paſchate numeremus ad paſcha, anni Eccleſiaſtici valdè ſunt inæquales, & multum à civilibus deviant. Novilunia aut etiam Plenilunia Eccleſiaſtica ſequuntur aureum numerum Epactamque, hoc eſt; cœlum plùs minùs; nam hoc Anno M DC L. ſic in Eccleſiâ, ſic in Cœlo ſolis & lunæ copulæ & oppoſitiones numerantur.

Anni Eccleſiaſtici.

Novilunia & Menſes Eccleſiaſt.

	In Cœlo.	In Eccleſia.
Novil.	2. Jan.	4. Jan.
Plenil.	17. Jan.	
Novil.	1. Febr.	3. Feb.
Plenil.	16. Febr.	
Novil.	2. Mart.	4. Mart.
Plenil.	18. Mart.	
Novil.	1. April.	3. April.
Plenil.	16. April.	
Novil.	30. April.	2. Maij.
Plenil.	15. Maij.	
Novil.	30. Maij.	1. Junij.
Plenil.	14. Junij.	
Novil.	28. Jun.	30. Junij.
Plenil.	13. Jul.	
Novil.	28. Jul.	30. Julij.
Plenil.	11. Aug.	
Novil.	27. Aug.	28. Aug.
Plenil.	10. Sept.	
Novil.	25. Sept.	27. Sept.
Plenil.	9. Oct.	
Novil.	25. Oct.	26. Oct.
Plenil.	8. Nov.	
Novil.	23. Nov.	25. Nov.
Plenil.	8. Dec.	
Novil.	23. Dec.	24. Dec.

Ecce Noviluniorum Cœleſtium & Eccleſiaſticorum diſcrimen. Illa dederunt Ephemerides, iſta Calendarium Breviarii; & tamen perpetuam differentiam reperio. Ad dies tranſeo. Nativitatis nocte Miſſam ante duodecimam audire ſolet pontifex, quod tametſi fieri poſſit diſpenſando, ut Eminentiſſimus Dominus Cardinalis, celebret non jejunus, multorum tamen opinione diem ſequentem creditur anticipare, ut non jam ab duodecimâ, ſed ab undecimâ vel aliâ noctis horâ dies Nativitatis Romę incipiat. Igitur ſi Pontifex Romanꝰ præciperet ut dies cra-

ccxxxix.

Dies Eccleſiaſtici.

Diei craſtinæ anticipatio Eccleſiaſtica.

Digitized by Google

craſtinus inciperet Eccleſiaſticè à primi urbis horologii pulſu, huic ſtandum eſſet diſpoſitioni Pontificiæ, & audito primo ictu horæ duodecimæ juxta Theor. VIII. nemo poſſet facere, quæ die ſequenti interdicantur.

CCXL. *Proponitur caſus curioſus. Conſultò nonnullas circumſtantias altero, ne perſonæ noſcantur.*

SED OCCVRRIT HIC CASVS. Cùm equis citis curreremus, ſub mediam noctem die ſabbathi venimus ad oppidum N. monuimus cuſtodem ut die alterâ ſub horam quartam aperiret Eccleſiam ut aliquis è nobis celebraret. Adfuit ſtatim, & rogatus, quota eſſet hora? reſpondit, *Non poterit eſſe duodecima quouſque Parochus legerit horas ſuas, tractavit enim hoſpites, & juſſit detineri horologium, quouſque abſolvat.* Riſimus tunc Ethicam Parochi, non enim hodie dierum diſcretio ab horologio male directo pendet. At in caſu, quem hæc prima Poſitio præbet, poſſet dubitare nonnullus, *An dies Eccleſiaſticus finiri poſſet ante auditam campanam, etſi induſtria horologii fluxus impediretur?* Eſſent, quæ adduci poſſent pro negligentiâ Parochi; ſed nihilominùs putarem in tali caſu poſtulare prudentiam, ut horologiis bene gubernatis ſubiiceremur; non verò caſu aut induſtriâ directorum exorbitantibus: aliàs enim tota Civitas ab unius cuſtodis negligentiâ aut etiam malitiâ dependeret. Sed & hoc ipſum non caret ſuis inconvenientibus; quis enim Petro viro horologiariæ rei imperito diceret, utrum hoc aut illud horologium diligenter regatur, an potiùs malitiâ directoris præcurrat?

Idem caſus attemperatur noſtræ hypotheſi. Solvitur.

CCXLI. *Eccleſia cælum reſpicit.*

SECVNDA. *Hodie, cùm Eccleſia diem à die diſtinguit, cælum reſpicit.* Sed quomodo? Dico meridiem eſſe cùm centrum ſolis meridianam lineam apud nos tenet; mediamque noctem, cùm eamdem lineam ſol apud antipodes. Sed quis cognoſcet mediam noctem exactè? Hodie nemo. Quoniam horologia claudicant, & ex ſyderibus quæ ſoli Aſtronomi cognoſcunt, nihil certi erui poteſt, quamdiu ſolis locus & ſyderum aſcenſio non cognoſcitur certiùs.

CCXLII. *An medium noctis poſſit exactè & præcisè obſervari?*

TERTIA. *Hodie, qui mediam noctem methaphyſicè obſervari juberet, impoſſibile obſervare juberet.* Patet; quia exacta illius cognitio limites humani ingenii excedit. Nam de illo puncto Theologi judicare non poſſunt; & vix Geometræ & Aſtronomi poſſunt. COROLLARIVM. *Ergo hodie præcipitur obſervari moraliter*, hoc eſt, quantum humanitùs conceſſum eſt. nimirùm tantâ præciſione, quanta ab Automatis turrium poſſit prudenter ſperari. *Ego illam ad unum horæ quadrantem reduxi;* illam nemo contrahat, niſi priùs integro velit menſe obſervare quantum ſingulis noctibus hora duodecima turris à cœlo diſtet; aut ſaltem credere quæ Keplerus & alii ſummâ diligentiâ obſervarunt: quoniam videre horologiorum communes & continuos errores, & nihilominùs velle illa à veracitate laudare, intolerabilis pertinacia eſt.

Medium noctis morale.

Contumacia juniorum.

Hodie dierum diſtinctio eſt moralis.

Diem priorem à ſequenti diſtingui moraliter, non methaphyſicè, non mathematicè, docuit Caramuel, docetque: & hoc tanto niſu defendit, ut cæcos aut præjudicio præoccupatos judicet, qui ſententiam contrariam, quæ falſa evidenter, defendunt. Singularitatis eum Diana incuſat, ejuſque opinionem aſſerit communiter reprobatam à Doctoribus; & quia Dianæ cenſuram magni facit Caramuel, hanc modò Poſitionem ſubſcribit. Igitur ſit Poſitio

CCXLIII. *Diana nodere*

QVARTA. *Caramuelis opinionem tenet Diana, tametſi contrariam ſe defendere*

Digitized by Google

bis tandem aliquando ſubſcribit. dere dicat, putetque. Et hoc clariſſimè ſuadere potero. Sunt Authores, qui primo ictu horæ duodecimæ dierum diſcretionem adfigant, ſunt qui ultimo. Ergo omnes Doctores in hoc convenire poſſunt, ut ante primum ictum non ſit dies craſtina, & poſt ultimum non ſit heſterna. Ergo ſtando huic doctrinæ dierum diviſio nec Metaphyſica, nec Mathematica, ſed ſolum-modò moralis eſt. Erit igitur tempus illud quod intereſt ambiguum, incertum, probabile, quod ad præcedentem, aut etiam ad conſequentem diem reduci poſſit. Sed quantum illud? Brugis ſcripſi illam diſp. 101. in quâ de Horologiis tractavi, & ideò nemini mirum erit, ſi etiam horologia Brugenſia recognoſcam. Quod in Civitatis turri eſt, præludium habet, & duas campanas maximas, quæ tardiſſimo malleo feriuntur. Ergo præludium tempore indiget ut ſuum verſum harmonicè expediat, & viginti quatuor ictus (duodecim in majori campanâ, duodecim in minori) tardiſſimo motu ſuccedentes aliquot temporis minuta requirunt; ſed quanto? Pone ſex, pone quatuor (non enim audivi in alio horologio ictus tardiores) pone plura, pauciora-ve, ſemper ſtabit momentum illud, quod ſenſibiliter diem à die dividit, non eſſe indiviſibile, ſed morale, ad quatuor vel ad ſex minuta extenſum.

Tempus ambiguum & probabile.

Horologium Brugenſe.

Objectio diſſoluta. Dices quatuor minutorum luxationem admitti poſſe, at minutorum 15. hinc, 15. inde, hoc eſt 30. minutorum non poſſe. Tibi ego. Te mihi jam in ſubſtantiâ ſubſcribere, & in quantitate differre. At quia Tu omni ratione & experientiâ carens, negas quia negaſti, ne errorem quem oculis claris percipis, retractare cogaris: Ego rationes demonſtratas & experientias quotidianas adduco: & aſſero, quod ex omnibus, quæ hucusque dicta, hæc debeat inferri.

Conclusio. *Cùm agitur de veracitate horologiorum, ſtandum experientia eſt. Si quis haberet horologium, quod quoties cum Cœlo collatum, exactè reſpondere deprehenderetur, eidem ſtare deberet, & dies diſtinguere non duodecimæ ultimo ſed primo ictu. Si verò haberet, quod intra horam cœlo correſponderet, eſſet temerarius, ſi illud exactè horas repreſentare crederet. Cùm igitur turrium horologia nec ſint tam exacta quàm primum, nec tam exorbitantia quàm ſecundum, merebuntur intermediam fidem, minorem primo, & majorem ſecundo. Sed quantam? Quantam experientia docuerit.* Hucusque hæc Poſitionum Concluſio procedit ſpeculativè & ſecurè; nec ab aliquo impugnari poterit. Sed progrederis, inquirisque, *Quantam experientia ipſa doceat?* Jam tranſimus ad quæſtionem de facto. Ex Kepleri optimi Mathematici Tychonicis Automatis utentis experientiâ, ad quadrantem hinc inde terminos Luxationis reduxi. Si verò habites Romæ, Matriti, Pariſiis &c. & Eccleſiarum apud te cuſtodes, qui horologia dirigunt, ſunt Keplero doctiores; & ipſe machinæ exactiores Tychonicis, contrahere hos terminos poteris (ſed nec illi ullibi ſunt doctiores & eruditiores Keplero; nec illæ nobiliores Tychonicis) non quantum Diana aut Theologi juſſerint, ſed quantum experientia docuerit.

CCXLIV. *Sumitur ab experientia reſolutio.*

Q *Iu-*

Iuniorum aliquorum ſententia, quæ res Eccleſiaſticas ad momenta reducunt.

CCVL. *Temporis ſecunda exactè non poſſunt numerari.*

EX diſcuſſis manifeſtè colligitur caruiſſe notitiâ Aſtronomiæ Theologos, qui Eccleſiaſtica præcepta ad momenta temporis reduxerunt; Ego enim poſt multos annos ſtudii & laboris Herculei vellem videre unicum momentum deſignandum, certò enim ſcio à cœlo illos aberraturos toto cœlo. Hinc eſt, quod multis caſibus aliter reſpondendum ſit, quàm exiſtimant puri Theologi. Propono aliquos.

CCXLVI. *An ſeptennium computetur de momento ad momentum?*

PRIMUS. *An parvulis ante expletum ſeptennium liceat miniſtrari carnes diebus jejunij?*

Contra Sylvium affirmativam ſententiam tenet Diana *part. 1. tract. 9. reſolut.* 42. & citat pro ſe Tannerum, Villalobos, Azorium, Gomez, Emanuelem Sâ, Sanchez, qui docent pueros ante ſeptimum annum non ligari legibus Eccleſiaſticis, tametſi doli capaces ſint. Sed quomodo debet determinari annus ſeptimus? anne computandus eſt de momento ad momentum? *Reſpondeo negativè.* Primò, quia ignoratur nativitatis momentum. Secundò, quia ſi illud Deus revelaret, adhuc ignoraretur ejusdem momenti revolutio: Ergo ſeptimus annus moraliter accipiendus eſt. ſed quanta luxatio eſſe debet, in iſto tempore morali? Conſtabit ex caſu ſequenti.

CCXLVII *De anno vigeſimo primo.*

SECUNDUS. *An pro obligatione jejunij vigeſimus-primus annus ſit computandus de momento ad momentum?*

Reſpondet affirmativè Sanchez & Portel; juxta quorum ſententiam, qui natus eſt in profeſto Sanctorum Petri & Pauli horâ decima min. 20. ſecund. 5. &c. ante meridiem, redeunte eadem die anno vigeſimo-primo poteſt jentaculum ſumere ante hoc momentum, at non ſequentibus. Et quidem, ſi hæc opinio admitteretur, poſſet ſubtiliùs adhuc quæri, An qui in ipſo temporis ſcrupulo illo quinto magnam panis partem trâsglutiret, violaret jejunium Eccleſiæ? & momenta hæc reducerentur ad inſtantia, & deberemus ſupra omnem Mathematicorum ſubtilitatem in moralibus controverſiis aſcendere.

Subrideo cùm ſimilia lego, exſcribo-ve; & quia tempus, quo obligat lex debet eſſe cognoſcibile, & momentum à pueris non eſt cognoſcibile; ideò concludo tempus hoc non debere numerari de momento ad momentum.

Poſito igitur quod tempus moraliter accipi debeat, inquiris: *Quando incipiet obligatio jejunandi?* Reſpondet Sancius *in ſelectis diſp.* 54. *num.* 4. die quâ complet quis annum Vigeſimum-primum non teneri jejunio: Ergo conſequenter dicere poſſet die, quo aliquis complet annum ſeptimum, non teneri præceptis Eccleſiæ. An diſtingueret inter præceptum jejunandi, & præceptum abſtinendi à carnibus? Tu conſidera. Et ſi diſtingueret, quâ puer horâ incipiet non poſſe comedere carnes, qui poterat ante ſeptimum ætatis annum? CCXLVIII *Quæſtio ſuccurrens* *Corollarium.* *Quæſtio altera.*

TERTIUS. *An, ut lex per non uſum careat authoritate, requiratur* CCIL. *De tempore ad præ-*

ſcriptionem requiſito.

tur certum tempus, præſcriptioque?

Azorius *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 4. *quæſt.* 4. & alii, decem annos debere tranſire putarunt. Et ſtatim interrogas, *An ſtando eorumdem opinioni hoc decennium debeat à momento ad momentum computari?* Reſpondeo negativè; quia annorum momenta ſubtiliora ſunt, quàm ut poſſint à plebe computari.

CCL. De legibus De obligationis tempore.

QUARTUS. *An Pontificiæ Leges non ſtatim poſt promulgationem, ſed elapſis duobus menſibus Chriſtianos obligent?*

Hoc ultimum probabile exiſtimat Diana *part.* 1. *tract.* 10. *reſol.* 9. qui citat Becanum, Sylveſtrum, Panormitanũ, Joannem Andream, Valentiam, Navarrum, Emanuelem Sà, Reginaldum, Tabienam, Azorium, &c. Et inquiris, *An iſti duo menſes debent de momento ad momentum computari?* Et Ego eodem modo, quo ſuperiùs, reſpondeo.

CCLI. De Beneficiariis.

QUINTUS. *An beneficiarius non recitans primis ſex menſibus teneatur ad aliquam reſtitutionem?* & ſi non teneatur, *An hi ſex menſes debeant de momento ad momentum computari?*

Reſpondeo ad primum, utrumque eſſe probabile, ut bene notat Diana *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 25. Et ad ſecundum ut ſupra, non agi de momentis in moralibus diſputationibus.

CCLII. De Profeſſione Monaſtica.

SEXTUS. *An anni ſedecim, qui requiruntur, ut profeſſio ſit valida, ſint à momento ad momentum numerandi?*

Aſſerit Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 57. qui citat Villalobos *in Summa tom.* 2. *tract.* 35. *diff.* 20. *num.* 4. aſſerentem Salmanticæ pronunciatum fuiſſe à viris doctis invalidam fuiſſe profeſſionem cujusdam, qui vota emiſerat ſex horis antequam legitimam ætatem compleret. At poſſet hæc profeſſio eſſe invalida, nec computari de momento ad momentum; quoniam poſſet quis dicere ſex horas eſſe tempus notabile.

CCLIII. De anno probationis.

SEPTIMUS. *An annus novitiatus, ut ſit integer, debeat de momento in momentum computari?*

Ad tollendos ſcrupulos in Congregatione SS. Victoris & Hydulphi annus & dies requiritur: in aliis jubetur. ut qui decimâ Januarii, verbi gratiâ, veſtitus eſt, non profiteatur anno ſequenti decimâ, ſed undecimâ aut deinceps. Alii volunt rem Mathematicè tractare, ac ſi momenta temporis ab Abbatibus & Monachis cognoſcerentur. Vide Commentarii mei in Regulam D. Benedicti *num.* 468. & Dianam *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 57.

CCLIV. De ætate requiſita ad ordines.

OCTAVUS. *Ad primam tonſuram & minores ordines requiruntur ſeptem anni completi: ad ſubdiaconatum viginti duo inchoati: ad Diaconatum viginti tres inchoati: ad Presbiteratum viginti quinque inchoati. Sed quo modo computandi ſunt? Anne de momento ad momentum?* Uno aut altero die ante tempus mathematicum poſſe licitè & validè aliquem ordinari probabile judicat Villalobos *in Summ. tom.* 1. *tract.* 11. *dub.* 11. *num.* 2. qui probabilius judicat eum, qui hodie veſpere complet ætatem, poſſe mane ordinari: quod etiam docuit Ledesma & alii, non ergo anni de momento ad momentum enumerantur.

Digitized by Google

Hoorlogia ſunt animalia artificialia: & hæc ſunt Horologia naturalia.

Ex automatis venio ad Automata. Quid enim aliud Horologia, quam quædam viventia artificialia? & Animantes ipſæ, quid ſunt aliud, quam quædam naturalia Automata? Demonſtraturus ſum etiam hic præſcripſiſſe opiniones antiquas, nec poſſe experimentis oppoſitis obliterari.

QUÆSTIO

De Brutis.

An Leo Gallum fugiat? An Elephas genu flectere poſſit? An Equæ concipiant ex aëre? An Chamalæontes edant, bibantue? An imbuere candidum colorem non poſſint?

CCLV. *De Gallo, & Leone.* GAllum ſub nobiliore natum ſydere veteres delirarunt; voluerúntque eundem Leonibus prædominari. Hinc fabula, quæ oratoribus & Poëtis multos conceptus efformandi appoſitam occaſionem dedit. Leonem dicunt voce Galli terreri, & fugere: Gallumque ingenitæ excellentiæ conſcium, conſtantem imperterritumque Leonem fugare; fugato occinere, & ſe vanè-glorioſè jactare. Hæc ſententia apud vulgus obtinuit, & in multis Philoſophorum libris reperta ab omnibus creditur & ſupponitur: etſi quotidiana experientia demonſtret evidenter contrarium. Leones vidi Madriti, Valliſoleti, Gandavi, Pragæ; Gallos dedi; nec ipſi diſtinguunt Gallinam ab anſere aut à Gallo. Eodem terrentur modo, ac ſi partem carnis vitulinæ viderent. Et interim noſtri Philoſophi, malunt credere veterum verbis, quam propriis oculis, nec unquam volunt errorem hunc communem dediſcere.

Crura Elephantis ſolida, carent articulis, ſi ſcriptoribus creditur; Si ſemel cadat, ſubrigere ſe ſolus non poteſt. Hinc lepidiſſima venandi has beſtias ratio inventa; nam cùm ipſi accumbant arboribus quietis aut ſomni gratiâ, (ſic dicunt) hæ arbores exciduntur, exſerrantur, aut ita implantantur ut oneri ſubcumbant, & corruant; & illis dejectis Beſtiæ etiam cadant: quæ cum ſemel lapſæ nequeant ſurgere, in prædam veniunt. At omnia hæc, quæ tanquam primò vera aſſeruntur, ſunt primò falſa. Vidi ſæpe Elephantes; & dum hæc ſcribo hîc Pragæ eſt unus, qui non ſolùm flectere genua poteſt, ſoletque; ſed plures etiam motus ad numeros & artem variare. An-ne etiam hîc debebimus non oculis, ſed libris credere? CCLVI. *De Elephante.*

De Camalæonte, quam multa & vana dicta, quæ omnia ſciunt eſſe falſa, qui has beſtiolas habent. Rarum eſt animalculum, & admiratione digniſſimum; at pleraque, quæ de illo dicuntur, ſunt falſa. Pater Athanaſius Kircher in arte Lucis & umbræ Camaleontem ob oculos ponit, qui etiamnum Romæ viſitur, & ejus hiſtoriæ, abactis Philoſophorum umbris, experientiæ certiſſimam lucem inducit. CCLVII. *De coloribus Camaleontis.*

Omitto Equas Hiſpanas, quæ concipiunt ab aëre; & alias multas nugas, quæ in Ariſtotele, Plinio & aliis lectæ, hodie aſſenſum extorquent; & hoc tantâ tyrannide, ut qui oculis credat, & Ariſtoteli decredat, audax & indoctus dicatur. *Quibus non obſtantibus Ego, nulli me homini aut antiquo aut juniori contra oculares experientias obloquenti, fore crediturum pronuncio.* Et cur crederem? CCLVIII. *De Equarum Hiſpanarum conceptu.*

rem? oculos mihi, ut videam, dedit Deus; ut credam, aures.

QUÆSTIO

De Honore.

An-ne dicendus ſit non perdere honorem, qui tantùm apud malos & improbos?

CCLX. *De duello.* UT titulum quæſtionis intelligas, caſum propono. Provocavit Antonius ad duellum Fridericum, virum nobilem & ſibi ſimilem; & quia iſte timoratæ conſcientiæ eſt, inquirit, An ne poſſit ſe Antonio ſiſtere; an potiùs debeat aut manere domi, aut Ire aliò? Putat Fridericus ſe in loco comparere debere, nam aliàs erit honoris prodigus, habebiturq; ignarus & infamis.

An acceptari poſſit? Porrò duellum acceptari non poſſe ob metum infamiæ negant omnes antiqui communiter. Ita Abulenſis, Salonius, Cajetanus, Armilla; quos ſequuntur Sotus, Azevedus, Navarra, Bannez, Valentia, Ledesma, Emanuel, Thomas Sanches, apud Carafam *de duello tract.4.Sect.6.Reſp.8. num.33.pag.* 353. & ſi petatur ratio omnes in hanc, quam adducit Sanchez *in Decalog.tom.1. lib.2.cap.39.num.9.* conſpirant. *Et cur non poſſit?* [Dicendum eſt, inquit, hanc non eſſe juſtam acceptandi duelli cauſam, ſed eſſe culpam mortalem acceptare. Ducor, quia etſi apud vulgares id ignominiæ tribuatur, tamen apud ſapientes & probos id honori adſcribetur, quando gratia divinæ legis ſervandæ duellum oblatum reſpuitur, quod falſę vulgi opinioni præponderat. Quare non eſt ſimile de fugâ, dum aliquis invadit: ea enim militiam profitenti reputatur ignominioſa, etiam apud probos & ſapientes.] Ita Sanchez, & ita plurimi ante illum & poſt illum. *De fuga.*

CCLXI. Nolo examinare, An egredi ad duellum liceat aut non liceat? fateor enim contrariam ſententiam, quam Carafa aliique probabilem judicant, etiam poſitis omnibus limitationibus quæ ſolent debentue eſſe periculoſæ, & nocivæ Reipublicæ, & præcipue apud Gallos, qui nimirum generoſi & ferventes ſe hoc ęvo provocant ex leviſſimis cauſis. *Duellum poſſe acceptari probabile eſt. Sed ex hac probabilitate multa mala ſequuntur.* Nolo examinare An circulus committatur apertè? nam qui non egreditur ad duellum, ne divinam legem violet, ſupponit hanc obligare in illo caſu; cùm potiùs id ipſum quæratur, quàm ponatur. *Circulus logicus.* Nolo etiam diſcutere, An qui provocatus duellum acceptare recuſat, perdat honorem apud probos? Nolo, An Sanchez ſororem ſuam in conjugem daturus eſſet illi, qui duellum noluit acceptare? hoc enim ipſum deberem prius videre, quam credere. Sed examinabo tantummodò, An nihil ſit perdere honorem apud vulgares & reprobos? hoc enim fere omnes ſupponunt, & evidenter falſum eſt. Sic diſcurro. *An qui duellum non acceptat honorem perdat apud improbos?*

Eſſe infamẽ apud vulgares & improbos, vel eſt aliquid Petro graviter malum, vel non. Si eſt malum graviter, corruit tota Sanchezii & aliorum omnium argumentatio, qui docent non eſſe curandam aut vitandam honoris jacturam, quando ille tantum *An ſit malum eſſe infamem apud improbos?*

tum apud vulgares & improbos homines perditur. Si non eſt malum graviter, non peccabit mortaliter Antonius [N. B.] ſi eundem Petrum innocentem traduxerit, & falſa teſtimonia imponendo apud vulgares & improbos infamem reddiderit, ſi apud Sapientes & doctos laudaverit. Et quidem hoc, ut puto, neceſſariò ſequitur ex Sanchezii doctrinâ, quod evidenter falſum eſt. Stat igitur gravem injuriam fieri Petro, cùm apud vulgares, etiam improbos, infamis redditur. Quod ſi aliquis ſit oculatior me, & voluerit conſequentiam negare, dignetur me docere obſecro, cur in priori caſu carere apud improbos honore, non ſit graviter malum, & in poſteriori graviter malum ſit.

An calumniæ & detractiones ſemper ſint peccata?

CCLII. *De furto.*

Porro iſtam conſequentiam, quam certiſſimam & clariſſimam judico, exemplo clariſſimo illuſtro. Pone aurum cuprumque diſtingui ſpecie, quod ſcholæ nos docent: Pone dari artem chymicam mutandi metallorum colores illæſâ ſpecie, quam pollicentur multi: Pone Petrum habere aureos mille: Pone Antonium hos eoſdem Petro inſcio aut invito transcoloraſſe, exhauſtoque antiquo pallore, rubedine cypriâ tinxiſſe. Quales erunt igitur illi nummi? vulgi opinione cuprei, at ſapientum, qui rem Chymicam norunt, & à conſtantiâ eſſentias metallorum diſtinguunt, erunt aurei. Et quid illis nummis Petrus habere poterit? nihil; nihil. Si panem velit emere, ſi vinum, ſi carnem, reiicietur, non enim Politici & Mercatores volunt nummos qui revera boni ſint, & adulterini vulgò habeantur. Sed nummos qui apud omnes (doctos, indoctos; Chymicos, Achymicos; nobiles, ignobiles; magnos, parvos) ſint boni. Peto An-ne in tali caſu Petrus nihil perdiderit? An-ne illi Antonius nullam prorſus injuriam intulerit? An-ne cogi poſſit aut debeat ad reſtitutionem? Cœcus ſim, ſi in re tam clarâ velim vel verbum addere. Ergo de honore eodem modo Philoſophabor.

Honor ille, qui apud vulgares perditur, & apud probos manet, eſt aureus; & tamen cupreus vulgò apparet; qui illum habeat, vulgò malè audiet, vulgò contemnetur, vulgò erit infamis; carebit dignitatibus & promotionibus, quæ pendeant activè vel paſſivè à vulgo: nam, ſi voces activæ à vulgaribus hominibus pendeant, omnes ei negabuntur; ſi ſit imperaturus vulgo, non admittetur; non enim viri honeſti volent gubernari ab infami. Ergo ſtat eſſe graviter malum carere honore apud vulgares. Ergo qui Petrum honore, quem apud vulgares habebat, ſpoliat, magnam injuriam illi facit: Ergo ſiquidem dicitur Petrus poſſe ſuum honorem defendere, hæc veritas, habebit locum, non ſolùm cum apud probos, ſed etiam quando aliàs ille apud vulgares perderetur.

***
*

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO

An qui tenetur in aliqua Eccleſia celebrare cum ſola præſentia, poſſit aliud ſtipendium pro illa Miſſa accipere, & alteri amico applicare?

CCLIII. UT dignè hanc quæſtionem dilucidem, incipiam utendo verbis Dianæ *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 5. quæ huic controverſiæ ſunt aptiſſima. *Angor*, inquam, *in rebus tam claris tempus terere*: mihi enim tam clara & evidens affirmativa ſententia videtur, ut negativa credatur evidenter falſa, & nullâ probabili ratione fulcita: quod ipſum, ut demonſtrare poſſim, alium ſimilem caſum produco.

Hæc quæſtio alia ſimili dilucidatur. Philippus prudens ingenioſiſſimus Hiſpaniæ Rex, delectabatur artefactis, & in Palatio ſuo excellentiſſimos Artifices magno ſtipendio toleravit, ut quando à negotiis publicis vacabat, erud tam recreationem haberet. Onus Artificibus impoſitum erat, ut tenerentur habitare in Palatio, non egredi Madrito ſine expreſſâ licentiâ, nullum aliud. Et Philippus III. non regni ſolius ſed virtutum Paternarum hæres conduxit Georgium Norimbergium amicum meum, cui dedit, *caſa de apoſento en Palacio, docientos ducadas de Solario, y ſus obras pagadas*, hoc eſt, *commodum locum in Aula, ducenta ducata pro ſalario, & ſoluit artefacta ſingula*. Et interrogo. Si dabatur Georgio ſtipendium, cur ſingula artefacta ſolvebantur? & ſi ſolvenda erant ſingula, quâ ille conſcientiâ poterat ſtipendium accipere?

CCLIV. Reſpondeo dari tria aut quatuor pretio æſtimabilia, quæ potuerunt à Georgio Philippo III. & ab aliis Philippo II. venundari. Erat enim ipſummet artefactum, quod ubicumque factum fuiſſet, vendi poſſet. Erat obligatio habitandi in Palatio, & laborandi quoquo tempore Rex intereſſe vellet, quæ gravis erat, & gratis non deberet admitti: quam ſequebatur vinculum, quo ille Madriti neceſſariò detineretur & hos compedes nemo teneretur admittere, niſi daretur nova utilitas.

Et novo etiam illuſtratur exemplo. Hinc patet quid debeat reſponderi alii caſui, quem propono. Fridericus, ut artem pictoriam addiſceret oravit Antuerpiæ Rubenium, ut adveniret domum ſuam & ibi aliquam tabulam pingeret, quam aliàs eſſet picturus domi. Interim Rubenius Chriſtum patientem, quem juſſu Gotiſchalmi inceperat, curat in Domum Friderici adſportari, & debitis horis ibi complevit opus, & à Gottiſchalmo tandem pro tabulâ quingentos aureos, & à Friderico quod ſe præſente in domo ejus illam pinxerit, ducentos florenos accepit. An-ne tuta conſcientia? Tutâ: non enim tene-

nebatur Rubenius ſubire novam illam incommoditatem ſine novo ſtipendio.

CCLV. *Venitur ad primam controverſiam.* Jam doctior venio ad templum, & pronuncio, aliud eſſe debere miſſam celebrare, aliud in tali templo, aliud in tali altari, & aliud tali horâ præcisè. Sunt incommoditates diverſæ, & vendi pretio poſſunt, aut commutari pro eleemoſynâ, ſicut ipſamet miſſæ lectio. Unde *liquet primò*, Antonium poſſe ſtipendium à Friderico accipere pro celebratione miſſæ, vi hujus generalis contractûs non obligari ad locum nec ad tempus, ſed poſſe ubi & quando voluerit celebrare. *Liquet ſecundò*, poſſe Parochum prudenter eidem Antonio dicere, [Debet V. R. aliàs cras pro Friderico celebrare, nimirum ubicumque voluerit; ergo dignetur in mei gratiam in noſtrâ Eccleſiâ celebrare, ut poſſim interim tale negotium expedire.] Poteſt Antonius adnuere Parocho: poteſt renuere, & gravamen quod non tenetur ſubire, poteſt gratis acceptare, vel pretio. *Liquet tertiò*, poſſe Franciſcum prudenter ſe inſinuare eidem Antonio, & dicere; [Cras debet V. R. celebrare miſſam pro Friderico, & in tali Eccleſiâ ad petitionem Parochi at quia quâcumque horâ poteſt, oro ut dignetur me expectare, ſum enim gravia expediturus, & ante decimam intereſſe non potero.] Et quidem non teneri Antonium obedire Franciſco ſupponens, poſſe hoc gravamen liberè acceptare, & aliquid etiam recipere eſt meridie ipſo clarius. Eodem modo de Altari, eodem de quocunque alio gravamine Philoſophandum eſt.

Semel bene perſpectâ veritate facile erit Authores diverſos conciliare. Meam ſententiam tenere debent omnes, qui volunt rem intelligere: aliquorum teſtimonia producam.

CCLVI. *Explicantur Authores.* Alphonſus de Leon *in tract. de Iubilæo part.* 3. *quæſt.* 20. *num.* 27. ſic inquit. [Quando datur ſtipendium, non pro applicatione ſacrificii, ſed pro cultu Eccleſiæ, vel commoditate: tunc poteſt ſacerdos alienam Eleemoſynam accipere pro applicatione Sacrificii, abſque peccato, & obligatione reſtitutionis. *Quid in dubio dicendum?* In dubio autem non præſumitur datum, vel relictum pro cultu Eccleſiæ, ſed pro applicatione Sacrificii, niſi aliud conſtet ex claris verbis teſtatoris. Unde cum fratres in Oratorio, ſeu eorum Eccleſia faciunt celebrare feſtis diebus, vel ob commoditatem ipſorum, ut Miſſam audiant, & ibi communicent, aut ob commoditatem gentis vicinæ abſque alia expreſſione: non intelliguntur Sacrificii applicationem velle, ut in praxi vidi multoties conſultum, & practicatum à viris timoratis & doctis.] Conſonat Alphonſus aliis multis, & inter eos Fraxinello *de obligatione Sacerd. Sect.* 4. *concil.* 4. §. 2. & in editione noviſſimâ *Sect.* 4. *concl.* 6. Hominibono de Bonis *de Exam. Eccl. part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13. *quæſt.* 121. & Turriano, qui tam mordicùs hanc ſententiam tuetur, ut *in ſelect. part.* 2. *diſp.* 31. *dub.* 16. contrariam im- *Quàm certa ſit noſtra ſententia?*

Digitized by Google

improbabilem dicat: qui me judice improbabiliter loqueretur, ſi illam non appellaret improbabilem.

CCLVII. At Gavantus *in comment. in Rubricas Miſſalis tom. 1. part. 3. tit. 12. num. 5.* ſic inquit. [Qui tenetur alicubi celebrare abſque applicatione ſacrificii ad divinum cultum tantùm; ita debet ibi celebrare, ut nullo modo accipiat ſtipendium ab alio, ut illi applicet Sacrificium ſibi liberum, quod expreſsè vetuit Sacra Concilii Tridentini Congregatio in Declarationibus Decreti de celebratione Miſſæ ſub Urbano VIII. emanati.] Ita Gavant. At quia non ſufficit dicere hoc interdictum ab Eminentiſſimis Dominis, verba citatæ Deciſionis videamus. Cardinales ſic inquiunt. [Ad quartum reſpondetur. Sacerdotes quibus diebus tenentur miſſas celebrare, ratione Beneficii, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarii: ſi eleemoſynas pro aliis, etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.] Quæ verba recognoſcis & relegis, & in ipſis, ut putas, Sacra Congregatio abſolutè & ſine ulla diſtinctione videtur prohibere Sacerdotibus, ne pro unâ miſsâ duplicatum ſtipendium accipiant. Ratio horum omnium eſſe poteſt, quia ſtipendium non datur pro Sacrificio ipſo, & fructu ſpirituali: nam hoc eſſet ſimonia: Sed exhibetur pro labore extrinſeco, qui eſt pretio æſtimabilis. Unde Epiſcopus, his omnibus conſideratis, ſtatuit quantitatem juſti ſtipendii. Ergo una Miſſa non meretur, niſi unicum ſtipendium juxta Epiſcopi taxationem, niſi occurrerent aliæ circumſtantiæ, quas ſupponis in caſu præſenti non accidere.

Sed cur?

Cardinalium Deciſio.

CCLVIII. At ego in Dominorum Cardinalium Reſolutione ne verbum quidem lego, quod poſſit favere Gavanto: ſed neque Bartholomæus à S. Fauſto aliquid pro Gavanto obſervavit, ſed non obſtantibus decretis VIII. à nobis ſtat, *& tractat. de Iubilæo libr. 1. quæſt. 8.* ait. [Quando Sacerdoti datur ſtipendium, non pro applicatione Sacrificii, ſed pro cultu Dei, vel commoditate populi, poteſt tutâ conſcientiâ aliud ſtipendium accipere pro applicatione Sacrificii. Hinc confratres qui faciunt in Oratorio celebrare diebus feſtivis, vel ob commoditatem ipſorum, ut miſſam audiant, aut ob commoditatem vicinæ gentis abſque aliâ expreſſione, non intelliguntur ſacrificii applicationem velle.] Ita Bartholomæus: cui conſonat Ludovicus à Cruce *in Expoſitione Bullæ Cruciatæ, diſput. 3. dub. 19. num. 21.* ubi ait. [Nec dictis obeſt declaratio ſacræ Congregationis ſub anno 1626. dum ait, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique oneri ſatisfacere. Reſpondetur enim id intelligi, dum Sacerdotes prædicti celebrare tenentur pro peculiari alicuius intentione.] Ecce quàm clarè & in propriis terminis impugnat ſententiam Gavanti. Et tandem hanc ſententiam non obſtante decreto Urbani VIII. noviſſimè docet etiam Homobonus de Bonis *in conſultat. caſ. conſcient. volum. 2. part. 5. reſponſ. 63.* His omnibus bene conſideratis, infert Diana corruere argumentum quod Gavantus pro ſua adducebat ſententia, nempè Cardinales Concilii ſic determinaſſe; nam eorum reſponſio non intelligitur in caſu

Reſpondetur.

R nostro,

noſtro, quando Sacerdos non habet obligationem peculiarem applicandi valorem pro alicuius intentione.

Objectio. AT DICES Gavantum immeritò hanc ſententiam docuiſſe, ſed nihilominùs eam eſſe veram, ſi non propter declarationem, quam adducit, ſed propter aliam, quæ prodiit 1. Septemb. 1629. quâ utitur Auguſtinus Barboſa, qui *in tract. de offic. Parrochi cap.* 11. *num.* 11. eidem opinioni ſubſcribit, quam etiam probabilem eſſe tenet Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 16. §. *verum his.* At Ego utramque Deciſionem eodem modo intelligi debere dico. HIS POSITIS totam Quæſtionem hanc ad has poſitiones reduco.

CCLIX. *Reſolutiones.* PRIMA. *Præſcindendo ab omni decreto Pontificio & Eminentiſſimorum Dominorum declaratione, ſententia affirmativa eſt evidenter vera: & negativa evidenter falſa.* Turriano & aliis quàm multis ſubſcribo.

SECUNDA. *Non poteſt Pontifex nec Cardinales declarare ſententiam affirmativam eſſe falſam.* Ratio eſt, quia non datur in mundo authoritas, ut nigra meritò dicantur alba.

TERTIA. *Poſſet Pontifex, ſi darentur rationes graves, interdicere, ut qui ob præſentiam ſtipendium recipit, aliud ob applicationem recipiat.* Eodem modo philoſophor de Cardinalibus, ſi Pontificis vices gerere in hoc caſu dicantur. At poſito tali præcepto, ſententia affirmativa non eſſet falſa, ſed eſſet interdicta, quod eſt toto cœlo diverſum: unde qui illa uteretur non eſſet fur, vel ſimoniacus, ſed inobediens: adeoque recipiendo tales pecunias peccaret quidem contra præceptum, ſed ad nullam teneretur reſtitutionem, iniret enim contractum validum, ſed illicitè. Confirmatur à ſimili, nam in multis oppidis ſunt merces interdictæ, quas qui vendit punitur, & tamen non tenetur emptori reſtituere pretium. *Si tamen Eccleſia contractum hunc non ſolùm interdiceret, ſed dirimeret, eſſet nullus; & qui vi illius aliquid acciperet, teneretur ad reſtitutionem.* Hoc non negabit, qui Eccleſiæ poteſtatem cognoſcat.

Aliud eſt ſententiã eſſe falſam: & aliud eſſe interdictã.

Nota hoc bene.

QVARTA. *Vſum opinionis affirmativa eſſe à Cardinalibus interdictum docuerunt Barboſa & Gavantus, ſed hoc ipſum probaviſſe deberent.*

CCLX. *Pretij & ſtipendij diſcrimen.* Nota hîc obiter, aliud eſſe poſſe Sacerdotem pro ſingulis circumſtantiis onerofis, (præſentiæ, loci, horæ, altaris) ſingula pretia recipere, aliud ſingula ſtipendia, nam nomine *ſtipendij* taxa Miſſæ intelligitur, & ſtipendiis multiplicatis Miſſa tot circumſtantiis onerata ad multos florenos aſcenderet. Puto quidem aliud poſſe recipi pro ſingulis gravaminibus, quæ ſunt extra lectionem Miſſæ, non tamen tantum quantum pro ſingulis Miſſis. Et ne nihil determinare dicar; eum, qui juxta mores Germaniæ pro lectione Miſſæ decem groſſos acciperet, & pro ſingulis acceſſoriis gravaminibus (puta, loci, horæ, altaris, &c.) binos, ſi non interſit violentia aut extorſio, aut etiam ſordida aliqua licitatio (nam & hæc caveri in ſtipendio Miſſæ debent, ne ſacra mercari dicamur) ſed ultrò à ſæcularibus dentur, exceſſiſſe limites prudentiæ non putabo.

Dux Bavariæ habet legem expreſſam, ut Sacerdoti, qui extra reſidentiæ locum celebrat præter taxam miſſæ detur tantũ vel tantũ pro itineris labore. &c.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO.

An pecunia præſens valeat plus quam futura?

CCLXI. VOlui hanc Quæſtionem præcedenti adjungere: Quoniam, aut neſcio Logicam, aut ſummam dictis dabunt lucem & perſpicuitatem dicenda.

Vtrumq; à multis iudicatur probabile.

Reſpondet Diana *part.1.tract.8.reſol.* 49. partem benignam & affirmativam ſibi videri probabilem; nam & probabilis etiam viſa eſt Azorio *part.3. libr.8. cap.10.quæſt.5.* Maldero *in 2.2. tract. 5. cap.2.dub.5.* & Philiarcho *de offic. Sacerd. part.2.libr.5.cap.13.* aſſerentibus Chirographa, Jura in res, & Actiones poſſe minoris emi, ſi detur numerata pecunia: *nam pecunia præſens magis æſtimatur, quam futura.* Et probatur; quia plus eſt habere jus in re, quam jus in rem. *l. minus. ff. de regul. Iuris.* & qui habet pecuniam præſentem habet Jus in re; & qui futuram, jus in rem. Hanc eamdem opinionem ſequuntur Cajetanus *verb. uſura.* ſub finem. Armilla *eod. verb. num.50.* Emanuel Sá *verb. Debitum. num.* 20. Navarrus *cap.17. num.331.* Faber *de reſtitut. in 4 ſentent. diſt 15. quæſt.2. diſput. 47. cap.4. num.113.* eamdem publicè docuit Lovanii Cardinalis Bellarminus, ut notat Leſſius *libr.2. cap.21. dub.8. numer.66.* [qui citat Panormitanum, & Innocentium *cap. In civitate de uſuris:*] eamdem habet Petrus de Ledeſma *in ſumm. tom.2. cap.33. tractat. 8. colum.2.* Vide Fernandez *in examine Theol. part.1. cap.15.§.1. num.10.* & Toletum *lib.5. cap. 31. num.4.*

An chirographa & debita emi minoris poſſint?

CCLXII. Hanc doctrinam nonnulli Authores deteſtantur, & tenent hac viâ aperiri latiſſimum oſtium uſuris, & ſtatuendam omninò eſſe opinionem contrariam; ac proptereà non poſſe chirographa ſeu debita immatura extinguí minori pecuniâ: ac per conſequens, qui debet ſolvere mille aureos poſt annum, non poſſe ſatisfacere ſi hodie ſolvat nongentos-quinquaginta. Ita Reginaldus *in praxi tom.2. libr.25. cap.18. numer.312.* Leſſius *libr.2. cap.21. dub.8. numer.71.* Turrianus *in 22. tom.2. diſp.57. dub.9. num.3.* Azorius *part.3. libr.8. cap. 10. quæſt.5.* Rebellius *libr.9. quæſt.13. p.2.* Valentia *tom.3. diſp.5. quæſt.20. punct.2.* Salas *tract. de Empt. dub.39.* & *tract. de uſur. dub.37.* Sotus *de Inſt. libr.6. quæſt.4. art.1.* D. Antoninus *part.2. tit.1. cap.8. §.3. & 4.* Angelus *verb. uſura. §.63.* Sylveſter *verb. uſura. 2. quæſt.14.* Gabriel *in 4. diſt.15. quæſt.11. dub.4.* quorum ſententiam probabiliorem putat Diana *part. 1. tract.8. reſol.49. §. At licet.*

Opinio ſevera.

CCLXIII. Multæ ſunt rationes quas congeſſerunt, ſed omnes uno notabili præjudicio fundatæ, inferunt enim loco abſurdi, quod contrariæ ſententiæ defenſores tanquam certum & indubitatum ſupponunt. Omnes illos Ego unicâ, eâque fortiſſimâ eneruo. Sic arguo [ſi tanti valet numerata pecunia, quàm numeranda, cùm hæc ſit veritas practica & ab experientia pendens, tantum emere in foro potero numeratâ pecuniâ, quantum numerandâ, At evidentiſſimum eſt, hoc eſſe falſum: Ergo evidentiſſimum numeratam pecuniam eſſe meliorem & maioris valoris.[Si adhuc negas, vis te & omnes eſſe cæcos, & erras defectu ſolius experientiæ. Vade obſecro ad nundinas cum tuâ pecuniâ futurâ, & videbis, An eodem pretio ſis habiturus ſingula, quo habent, qui præſentem exponunt?

Opinio benigna demonſtratur.

Si hæc doctrina ſit certa, O quantæ conſequentiæ inferuntur! & ſi falſa, O

Digitized by Google

quam cœci ſumus, qui tam clarè illam eſſe veram percipimus, ut audeamus illam juramento firmare! Certa eſt hæc doctrina;& qui dubites, vade prius ad nundinas, & experiaris quid habere poſſis pecuniâ præſenti, quid futurâ; & cum habeas experientiam reſponde.

CCLXIV. *De Mutuo.* Sed quid inde ſequetur? Multa ſubſequi dixi, unum dabo. Sic diſcurro. [Numerata pecunia plus valet numeranda poſt annum: quantum ergo? Centum aureos præſentes tanti valere, quanti centum quinque poſt annum numerandos ponamus. Ergo, ſi petis à Petro aureos mille, & tantundem te poſt annum ſoluturum promittas, dare debebis mille & quinquaginta: nam ſi ſolveres mille, recepiſſes plus, ſolveres minus.] Quid ad hoc tu? An præſcindendo ab omni gravamine pro mero mutuo poteſt aliquid ſupra ſortem recipi? Quid ſi diceret Petrus, ſe nihil ſupra ſortem recipere, quia 1000. aurei numerati æquipollent 1050. numerandis.

Præterea. Debet tibi Franciſcus mille aureos, numerandos anno ſequenti, & tu illos vendis Joanni numerata pecunia & recipis nongentos quinquaginta: ſi hic ſervatur æquitas & æqualitas: ſicut tu recipis à Joanne nunc 950. & aſſignas 1000. recipiendos à Franciſco poſt annum: cur non poteris recipere ab eodem Joanne eoſdem 950. & aſſignare 1000. recipiendos à te ipſo poſt annum. Et ſi in primo contractu Joannes uſurarius non fuit, nullo ipſe modo uſuram in ſecundo committet. *Conſideretur iſta ratio; nobis enim videtur demõſtrativa & evidens.*

Quid ad hæc tu? Paritatem admittere debebis omninò: & ſi hanc conſequentiam, aliqua in mutui materiâ dicere, quæ paucis placeant: quibus tamen illi pauci reſpondere debebunt, & bene fortaſſis non poterunt.

Lege hæc attentè. Et ſingula bene pondera; & ſi conveniamus in iſtis, graviores conſequentias expecta.

FUNDAMENTUM XI.

De Opinionum probabilitate.

CCLXV. Opinio cuius nec veritas nec falſitas demonſtratur, ſi ſit valde veræ-ſimilis, nominatur probabilis, & quidem probabilitas naſcitur ex gravi motivo, quo quis ad aſſentiendum inducitur. Et eſt duplex: Rationalis, authenticaque: illa conſiſtit in ratione, hæc in authorum numero. Sive dicatur altera propoſitio altera verior, ſive non; in probabilitate admittere gradus debemus, & aſſerere alias propoſitiones eſſe probabiliores, alias æquè probabiles, & alias minùs probabiles. Omnes opiniones probabiles ſecundum ſe ſunt æquè tutæ: benigniores, etiamſi minùs probabi- *Probabilis opinio; quæ? quid? quotuplex* *In probabilitate ſunt gradus.* *Tutior quæ?*

Digitized by Google

babiles, per accidens ſunt ſecuriores. Si probabilior ſententia eſt eligenda, ſufficit minus probabilis.

Probabilitas à ratione.

Sed quid requiritur, ut ſententia probabilis ſit à ratione? Vt non ſit evidenter falſa, & nihilominus ſit gravi fundamento ſuffulta, quam poſſit vir doctus defendere, cui oppoſitam idem poſſit acriter impugnare. Illam enim quam video non poſſe, ſine contradictione defendi, liberè vocabo improbabilem.

Probabilitas ab authoritate.

Videntur iſtæ conditionales contradictione laborare: & nihilominus omnes ſunt veræ.

Et quid, ut ſit probabilis ab authoritate? ut defendatur à probis doctisque, ſed à quot? ſi dicantur requiri ſedecim, hæc Poſitio, *ſedecim ad probabilitatem requiruntur*, non eſt probabilis. Si requirantur ſedecim, non requiruntur ſedecim, ſi ſufficiunt ſedecim, ſufficiunt quatuor. Si ſufficiunt ſedecim, ſufficit unus. [Cæterum tametſi hæc in rigore ſubſiſtant, ſtando communi Doctorum ſententiæ ad probabilitatem authenticam ſufficiunt quatuor.]

Licet ſequi opinionem minus probabilem.

Ut una opinio ſit probabilis, alterutra probabilitas ſufficit: neutram habere debet, quæ improbabilis. Probabilitas etiam minor, excuſat coram Deo. Si in materia probabili aliquis voto aut juramento ſe obligarit ad ſanctiorem Probabilitatis partem, tenebitur ſtare promiſſis: at non tenebitur moraliter, ſi obligatio non ex juramento aut voto, ſed ex propoſito mero naſcatur.

Probabile periculum non eſt proximũ & formale. Non eſt peccatum ſe exponere probabili periculo peccandi mortaliter. Exponere ſe periculo probabili eundi ad infernum non eſt novũ peccatum.

CCLXVI.

EGi de probabilitate ſæpius, & eiuſdem naturam & ingenium expoſui: nunc dictorum & illatorum Principia & fundamenta recognoſco, & quæ in contextu hoc fundamentali dicta, eadem nunc confirmo.

I.

An una veritas ſit maior alterâ?

Utrùm una propoſitio ſit aliâ verior, aliâ falſior quærunt Philoſophi, cũ Ariſtotelis libros de Anima illuſtrant; nec conveniunt. Volunt aliqui veritatem in indiviſibili conſiſtere, & propoſitionẽ omnem, quę illud nõ tangit, falſam eſſe, veram quæ tangit: unde in veritate nullam admittunt latitudinem, quia punctũ indiviſibile illâ caret. de falſitate pariformiter philoſophantur: quia ſi falſitas ſit idem illud indiviſibile non tangere, omnes propoſitiones falſæ univocè & æqualiter in iſta negatione convenient, nec dari Propoſitio poterit falſior alterâ. Sunt etiã qui aliter philoſophentur dicantq; hanc propoſitionem, *Deus eſt*, veriorem iſtâ, *Mundus eſt*: & hanc, *Petrus eſt lapis* falſiorem iſtâ, *Petrus eſt elephas*. Sed ipſi neceſſitatẽ propoſitionis, cum ratione formali veritatis, & rationem formalẽ falſitatis cum materiâ falſitatis confundunt; & niſi aliter ſuã ſtabiliant ſententiã, pingui minervâ & calamo philoſophãtur. Hanc ego controverſiam non tango; conſiſtat in indiviſibili intrinſeca veritas aut non: detur in hoc genere una propoſitio verior alterâ, aut ſi mavis, non detur, hinc ad veritatem extrinſecam non poteſt argumẽ-

Digitized by Google

tum deduci, dari enim maiorē & minorem veritatem extrinſecā manifeſtū eſt.

CCLXVII. *Veritas duplex eſt: intrinſeca & extrinſeca.*

Ut rem melius intelligas expono terminos. *Veritas intrinſeca* propoſitionis, quæ & dicitur *Veritas primaria*, eſt rei ipſius ſignificatæ & propoſitionis ſignificantis concordia; nam ſi Propoſitio ſignificet rem ut eſt in ſe, dicitur vera; ſi aliter, falſa: & hoc independenter, ab omni opinione & notitiâ: nam quando pronuncio hanc, *Turca ſedet* tametſi ego neſciam, an ſit vera vel falſa, ipſa habet ſuam primariam veritatem aut falſitatē, ſi mihi ignotam, notam Deo, & etiam fortè notam aliis. *Veritas ſecundaria* eſt apparens; & talem habere dicitur Propoſitio, quæ vera videtur, vera ſit aut nō ſit, & hæc veritas eſt denominatio, ſumpta à carentia fundamenti evidentis, & poſitione fundamenti fortis & gravis: ubi enim intrinſeca veritas evidenter, cognoſcitur, extrinſeca locum non habet. Hæc ſolet vocari *Probabilitas*, & hæc recipit magis & minus, idem enim eſt dicere, *ſententiam hanc eſſe veriorem, & illam minus veram* ac dicere, *ſententiam hanc eſſe probabiliorem & illam minus probabilē.*

Opinio verior, quæ?

II.

CCLXVIII. *An ſit una opinio tutior alterâ*

Solent aliqui angi ſcrupulis & ſuadere, ſolent etiam præcipere viam tutiorem, in materia probabili. At ipſi videbantur mihi non percallere probabilitatis eſſentiam, & ideo *in Commentario meo in Regulam Divi Benedicti. Diſp. 6. de Opinione probabili, num. 58. & 61.* duas Theſes poſui; Prima erat, *Omnes opiniones probabiles, ſunt per ſe æquè tutæ & ſecuræ.* Secunda, *Benigniores & ſi aliquando ſint minus probabiles, per accidens ſunt ſemper utiliores & ſecuriores.* Rationem dedi: & quia eſt ſolidiſſima, nec formā, nec materiam mutabo. *Primam ergo ſic probo.* Illa opinio eſt tuta & ſecura in conſcientia, quæ ſi juxta illam exactè opereris, te liberabit à mortali & veniali: at hoc æquè præſtabit quæcunq; probabilis opinio: Ergo quæcunq; eſt æquè tuta & ſecura. *Secundam ſic.* Inter duas opiniones, aliàs æquè tutas & ſecuras, ſi exactè opereris, illa tutior & ſecurior dicēda adhuc erit, juxta quā certius præſcire poteris te operaturū exactè: Atqui hoc habent ſententiæ benigniores, cognita n. humana fragilitas, nos in ſuſpicionē ac diffidentiā neſcio q̄ inducit, cùm proponuntur res arduę & difficiles, quę abeſt aut ceſſat cū pponuntur faciles. Rē exemplo dilucido. Debeo legere officiū Divinū, & q̄a duæ dantur opiniones probabiles; altera, quæ internam attentionem requirit, altera quæ nō requirit; tametſi ſit verior & certior hæc poſterior, ponamus uberioris doctrinæ gratiâ, internā attentionem probabiliùs requiri. Sed quā tunc opinionem habebo? Tutiorem ais. Adquieſco; at interrogo, utra ſit tutior? Porrò ſi exactè juxta ſeveriorem operaturus ſum, utraq; eſt æquè tuta: & ſi attentionem internam habuero, ſeu priorem, ſeu poſteriorem ſequar non peccabo. Sed quis me ſecurum & tutum reddet de attētione? quis ſpondebit mihi, me ſine diſtractione Horas Canonicas recitaturum? Ergo prævideo periculum, non ortum ab opinione ſeveriore, ſed à propria fragilitate; periculum tamen quod ſeveriorem opinionem comitatur, & adeſſe benigniori nō poteſt. Ergò benignior, etſi ſupponatur eſſe minùs probabilis, eſt ſecurior & tutior.

An requiratur attentio interna in lectione officij Divini

Rem eandem illuſtro aut exemplo altero, aut priori ulteriùs nonnihil promoto. Sic diſcurro Habes opinionem ſeverā. Benè eſt. Provolueris ad pedes meos, & ſtatim fateberis diſtractiones in oratione & Officio venialiter ut minimum peccaminoſas. Propones ſcrupulos, & te nō rarò relegiſſe aliquas horas dices, quia debitam attentionem habuiſſe nō putabas. Audio patienter ſingula, & interrogo; an vel unicā die legeris officiū

Cano-

Canonicũ ſine diſtractione veniali? aut certò aut probabiliùs negas, dicesque vix id eſſe poſſibile viro ingenioſo & multis negotiis implicato. Finẽ imponis confeſſioni, & abſolveris. Surgis, & oro, ut me Sacramentaliter audias. Adquieſcis, & meas ego culpas (heu nimis multas!) quâ poſſum contritione confiteor, & de Officio divino ne quidẽ verbum ago. Petis an nõ peccaverim in horarum lectione? & reſpondeo, Me totâ hebdomade, (toto mẽſe, toto añõ, &c.) legiſſe ſine culpâ veniali: & me non peccaviſſe venialiter, tã certò ſcire, ut poſſim juramento firmare. An non miraberis? an non piâ quâdam devotione invidebis? Omninò. Sed unde ego hanc immunitatem obtinui? Reſpondebo. Homo ſum temetipſo fragilior, prǫditus acri & igneo ingenio: uno momento cœlos verſo, altero ad ſubterranea tranſeo. Nulla in oratorio movetur muſca, quæ mihi nõ ſit impedimento. Attendere lectioni deſidero, & quã poſſum attendo, ſed diſtractiones non evito; involuntarias millies, interdum etiã voluntarias: & nihilominus nullo crucior ſcrupulo, nullo dubio angor, quia prudenter ſuppono, me ad actionem internam nõ teneri; eam habere bonum eſſe, & ea carere ne quidem eſſe levem culpam; me ad lectionem tantum, & attentionem externam obligari. Me legiſſe totum quod Rubricæ jubent, certò ſcio; ita certò ut poſſim jurare: ergo me ne venialiter quidem peccaviſſe in hac materiâ certò ſcio; & ita certo ut poſſim jurare. Habeo igitur immunitatẽ ſecuritatem & tranquillitatẽ, quibus cares, & quas habere poteris, cùm volueris: eſt n. tibi liberum deſerere opinionem probabilem quam habes, & cõtrariam opinionẽ amplecti.

Liberũ eſt cuicumq; mutare opinionem probabilẽ.

CCLXIX. Hæc certa ſunt, & valdè notanda pro Praxi, progrediamur ulteriùs hâc lege ſpiritualib. filiis relictâ: videlicet, *Actiones veſtras ad ſeveras, dictamen verò ad benignas ſententias elimate*: non enim video, cur non poſſim omnia illa facere, quæ opinio ſeverior præſcribit, & nihilominus tenere cum benignâ ſentẽtiâ me ad pauciora obligari. Hęc poſita ſit contra nõnullos Ordinis Benedictini Religioſos, qui ut primum audierunt hoc aut illud in Regulâ, ne quidẽ ſub veniali obligare, *Debere non fieri* intulerit, & obſervantiam peſſum ire putarunt. Porrò ſi nihil faciendũ in Mundo, niſi quod moraliter obligat, multarum etiã Religionum, Obſervantiæ ceſſabunt, contemnentur Patriarcharum multorũ Regulę & Conſtitutiones, quæ non obligãt ſub peccato. Imò cõtradictoria fient: nam ſi iſte ſyllogiſmus eſt bonus: *Quidquid ad peccatum non obligat, debet non fieri: Pſalmorum pœnitentialium, privata lectio non obligat ad peccatum: ergo debet omitti.* Etiã iſte erit bonus. *Quidquid ad peccatum non obligat, debet non fieri: at eorundem Pſalmorum privatæ lectionis omiſſio non obligat ad peccatum: debent igitur illi Pſalmi non omitti.* Unde naſcetur iſta communis conſequentia: *ergo debebunt omitti, & nõ omitti.* Sed cur hoc ſcribo? illi qui illud prius abſurdum tranſglutiunt, huius conſequentiæ impoſſibilitatem non percipient, nec percipere poterunt. Oremus Deum, ut libros noſtros docti legant: & ad ſubtiliora tranſeamus.

Teſtamentum Optimi Magiſtri Moralis.

Mirabilis aliquorũ illatio: Nõ teneor facere: Ergo teneor non facere

Authoris votum.

II.

CCLXX. A controverſia illa, quæ inquirit, An eligenda ſit probabilior ſententia? facili me expedio negotio: utor enim hoc cornuto dilemmate: cui nemo, quem audivi, ſati facere potuit. Sic diſcurro: [Aut ſufficit ſequi opinionẽ minùs probabilem, aut debemus neceſſariò ſequi probabiliorem: ſi primum, ſi ſecundum dicas, cogeris dicere, ſufficere ſequi minus probabilem. Ergo Minorẽ probo, aut potius evidenter demonſtro. Nam ſi

Dilemma evidens.

primum

Digitized by Google

primum dicas, habeo intentum; id enim quod intendo concedis. Si dicas ſecundum, ſic arguo. Sequi teneor probabiliorem opinionem: ergo ex duabus opinionibus, quarum altera docet, *ſufficere ſequi minus probabilem*, & altera *hoc nõ ſufficere ſed debere nos ſequi probabiliorem*; tenebor probabiliorem; at illa quę docet, *ſufficere ſequi minùs probabilem* (ſi non eſt moraliter evidens & certa, quod puto) eſt certior, probabilior, (& non ſolum cõmunior, ſed unica ab omnibus Theologis hodie recepta) Tenemur igitur illã ſequi; nec ſequi cõtrariã poterimus.

IV.

CCLXXI. Audivi olim Angelum Manrique ſic dicentem: *Ab annis triginta doceo, & habeo mei ingenij experientiam publico teſtimonio firmatam; & tamen hanc opinionem non intelligo* (erat illa, quæ docet Logicã, Phyſicam, & quamcunque aliam ſcientiam eſſe ſimplicem qualitatem) *ergo ſive ſit D. Thomæ, ſive alterius, mihi ab intrinſeco eſt improbabilis.* Eram juvenis & altè inhæſerunt hæc verba; & à magno Viro didici illâ die, quid eſſet interna probabilitas. Eius igitur veſtigiis inſiſtens

Quid ſit intrinſeca propoſitionum probabilitas.

Dico primò. *Viro indocto aut etiam non ſatis in aliquã facultate erudito, nulla illius facultatis opinio, eſt ab intrinſeco probabilis, aut improbabilis.* Et ratio eſt; quia, qui ingenio & doctrinâ caret, non eſt capax qui de probabilitatibus judicet; probabilitas enim eſt quidam apparens Propoſitionum color; & vir indoctus cæcus, qui de coloribus judicare non poteſt.

Objectio. Sed dices, Probabilitas, & Improbabilitas ſunt termini contrarii: ergo non poteſt utrque abeſſe ſimul; ergo qui non judicat unam propoſitionem probabilem, debet judicare improbabilem; & contrà.

Solvitur. Reſpondeo Veritatem & Falſitatem contradictoriè opponi; nec tamen ideò qui judicat unã propoſitionem eſſe veram, illam judicat falſam. nam hanc *Turca ſedet.* Nec judico veram nec judico falſam, quia neutrum ſcio, nec habeo fundamentum, unde judicem unum vel aliud. Sanè hæ propoſitiones, *Ego non judico hanc ſententiam probabilem, Ego non judicio hanc eamdem improbabilem*, nõ ſunt contradictoriæ, ſunt enim negativæ; & ubi non reperitur affirmatio & negatio eiuſdem de eodem, contradictio non poteſt inveniri: nam priori contradicit hæc, *ego judico hanc opinionem probabilem.* poſteriori autem hęc: *ego judico hanc eandem improbabilem.* Et ſicut aliud eſt, *Neſcire rem eſſe veram*, & aliud, *ſcire eſſe non veram*; ſic etiam aliud eſt *ſententiam non judicare probabilem*, & aliud, *Illam judicare non probabilem.*

CCLXXII. *Certitudo intrinſeca.* Dico ſecundò, *Ille qui ex duabus contradictoriys, alteram ſcit defendere, & alteram neſcit, ſi ſit vir bene doctus, poterit dicere, illam quam ſcit defendere ſibi eſſe moraliter certam, & illam quam neſcit defendere, improbabilem.* Patet omninò ex dictis.

Intrinſecã ſeu certitudinem, ſeu probabilitatem, pauci habent. Dico tertiò, *Ille judicat opinionem aliquam ab intrinſeco probabilem, qui putat ſe ita alterutram partem poſſe defendere, ut non demonſtretur contraria; ita impugnare alterutram ut non demonſtretur reſponſio.* Colligitur etiam ex dictis. Hinc infero, paucos eſſe qui habeant ſententias, quæ ab intrinſeco ſint probabiles aut improbabiles.

An eadem opinio ſit ſimul probabilis & improbabilis? Dico quartò. *Eadem opinio poteſt Petro eſſe probabilis, Ioanni improbabilis, & Friderico neutrum.* Quod ipſum clariſſimè oſtendo. Cæſarem Pragæ Joannes viderit; Petrus audiverit à fide dignis Pragæ non eſſe: & Fridericus nihil viderit, vel audiverit, nil ſciverit de hoc. His ſic ſuppoſitis propono hanc aſſertionem, *Cæſar non eſt Pragæ*, & reſpondebit ſtatim Petrus, Mihi eſt valdè probabilis,

audi-

audivi enim hoc à viris gravibus, qui mentiri non ſolent, à viris aulicis qui in re eiuſmodi falli non poſſunt. Et tamen Joannes dicet eadem aſſertio mihi eſt improbabilis, & evidenter falſa, quoniam propriis oculis vidi contrarium. Et Fridericus, Neutrum ſcio, neutrum audivi, neutrum vidi, careo omni judicandi motivo, ac ideò mihi videtur nec probabilis, nec improbabilis.

CCLXXIII. *Mutatur quotidie probabilitas propoſitionum. De Antipodibus.*

Dico quinto, *Propoſitio quæ hodie nec eſt probabilis, nec improbabilis, cras eſſe poterit probabilis, & perendie aut evidenter vera, aut evidenter falſa.* Pono exemplum; Hæc Propoſitio, *Dantur Antipodes*, Auguſtini & aliorum veterum Doctorum ævo non fuit poſitivè probabilis: non enim dabantur evidentes rationes, quæ illos eſſe, aut non eſſe probarent. Inceperunt Geometræ rem meditari, & cõgruentias nonnullas invenire (nõ enim rationes graves dixero, quæ ante Chriſtophorum Columbum datæ,) Terras aliquas ultramarinas eſſe, ab eo Columbus didicit, qui illuc procellâ abactus, eas luſtrârat; credidit probabiliter gravi teſtimonio fundatus. Venit ad Principes, venit ad Reges; & quia erant cõtrariâ præoccupati ignorantiâ, aut ſententiâ, fuit irriſus; tandem Iſabellæ Hiſpaniæ Reginę ſuam ſententiam perſuaſit: Ivit, vidit, rediit, novos homines, aves, & animantes attulit, & res negata ab omnibus tranſivit in certam, quæ hodie à nullo ignoratur.

De aliis ſententiis.

Similiter agitur in Theologia Morali, multæ ſunt hodie opiniones probabiles, quæ heri tales non viſæ; & multæ heri judicatæ probabiles, quæ re hodie melius examinatâ tranſiverunt in certas; videlicet aut certò falſas, aut certò veras.

VI.

CCLXXIV. *Quot Authores ad probabilitatem requirãtur? An unius Authoris opinio ſit probabilis.*

Communis Theologorum ſententia; poſtulat quatuor authores, in re quæ à multis tractata: in hoc enim ſaltem omnes conveniunt, quod Opinio quatuor Authorum ſit probabilis. Sed contra ego hanc rationẽ efformo, quæ ſolutione hucuſque caruit. [*Quidquid teſtantur quatuor authores eſt probabile: ſed ad probabilitatem non requiri quatuor authores, ſed unum omninò ſufficere, quatuor teſtantur authores (imò viginti, aut plures.)* Ergo opinio unius Authoris eſt probabilis.] Hâc ratione ſum uſus in Commentario in Regulam D. Benedicti *Diſp. 6. num. 53.* & in Pacis Prodromo *Certamine 1. nu. 26.*

VII.

CCLXXV. *Omnia probabilia ſunt licita.*

Quid eſt demonſtrare rem eſſe licitã? Reſpondeo *in Pacis libro Definitione XI. num. 1 pag. 3.* ubi ſic aio. [Demonſtrare rem eſſe licitam, eſt oſtendere illam eſſe ſaltem probabilem. Patet: quia omnia purè probabilia ſunt licita. Quod ſi aliquãdo in materiâ probabili detur obligatio certa, hæc non à probabilitate, ſed ab aliqua lege concomitante, quæ evidenter eſt certa, ſuboritur. Quamobrem definimus. *Omnem omninò actum humanum eſſe licitum, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter.*

CCLXXVI. *Poteſt ſe homo obligare ad alteram opinionẽ probabilem. De Conceptione immaculatâ.*

Porrò in materiâ probabili poſſe ſe hominẽ ad alteram cõtradictionis partem obligare, certum eſt: & tum liberã & voluntariâ novæ obligationis acceptatione, libertas cęlitus conceſſa limitabitur. Si de Immaculatâ B.V. conceptione agamus, utraque pars eſt probabilis; at hodie omnes præcepto, aliqui juramento obſtringimur, piam ſententiam defendere: Ergo acceptando legem, aut emittendo juramentum, nos ad alteram contradictionis partem determinavimus. Si detur in Republicâ

Digitized by Google

lex acceptata, vi cuius debeat Judex ſecundum probabiliorem ſententiam iudicare, jam ille uti ſuâ libertate non poterit, nec jus dicere juxta minus probabilem. Ut hanc doctrinam exemplo aliquo notiſſimo illuſtrem, pono omnia motiva, quæ ſuadebant pacem Germano-Gallicam debere fieri vel non fieri, manſiſſe intra terminos probabilitatis, & interrogo an poſſit contractus ille pacis iniri? & reſpondet prodromus, libri citati *numer.* 34. *pagin.* 14. ubi hæc leges. [Si libertas non ſit voluntariâ aliquâ obligatione obſtricta ſtabo libere pro libertate: quoniam ſi primæ Hypotheſeos omnia ad unum puncta, aut aliquod ſaltem ſecundæ non ſit certum ſed merè probabile, manebit politicos principes (Eccleſiaſticos & ſeculares) optioni locus, poteritque vel iniri vel non iniri pax. Princeps qui juraverit promiſeritvè ſe defenſurum Eccleſiam pro poſſe è duabus probabilibus ſententiis, quarum altera Eccleſiæ conſervandæ, eſſet utilis, nociva altera, priorem amplecti tenebitur juramenti vi, quoniam illam amplecti poteſt, & ponitur debere facere, pro defenſione Eccleſiæ, quidquid poſſit. Ergo ſi Eccleſiæ hoſtes aliquod Juramentum poſtulent, quod poſſit emitti probabiliter, nec aliter velint ab invaſione deſiſtere, Princeps idem ſi non poſſit vi illos retundere, ratione prioris Juramenti tenebitur emittere hoc ſecundum. Quia ratione prioris tenetur præſtare pro Eccleſia quod poteſt, & hoc poſterius Juramentum præſtare poteſt.] Cōſonat Definitio XIII. quæ ponitur *in libro Pacis num.* 1. *pag.*3.

De S. R. Imperij Pace.

VIII.

CCL-XXVII. Et quid eſt demonſtrare rem eſſe illicitam? Demonſtrare eandem non eſſe probabilem. Definitione XIV. libri Pacis *numero* 1 *pag.*4. Sic inquam: [Qui rem eſſe dicit illicitam, ad multa tenetur. Primò enim debet oſtendere rationes, quæ malitiam probant eſſe demonſtrativas; nempe tales, quibus dari probabilis reſponſio non poſſit. Secundò debet etiam oſtendere rationes, quæ bonitatem probant, nè quidem probabiles eſſe. Oſtendet, ſi omnibus ad unam dederit ſolutionem, quæ evidenter ſit vera. Tertiò etiam debebit evidenter oſtendere partem illam, quæ bonitatem adſtruit, non habere ſufficientes authores, ut dicatur probabilis. Hæc omnia tria ſimul oſtendere ille debet, caſurus cauſa etſi duo ex illis oſtendat, modo unum non oſtendat.]

Quænam res ſint illicitæ?

IX.

Diſtinguo Votum aut Juramentum à Propoſito; Voto aut Juramento tolli poſſe & ſolere libertatem probabilitatis dixi & ſuaſi; At puto me etſi propoſuerim ſequi unam ſententiam, poſſe liberè mutare dictamen & ſequi alteram. CCL-XXVIII.

Nemo propoſito poteſt obſtringi ad alteram probabilitatis partē juramento aut voto poteſt: fortè etiam aliquando præcepto.

His Principiis inſiſtens propoſui Caſum difficilem in Comm. in Regulam S. Benedicti. *Diſp.*117. *num.*1446. quem ex dictis poterit quicunque reſolvere. Ille erat. [Paulus ingreſſurus navim maioris cōmoditatis gratiâ conſulit ſecum Diurnale ſubſcribens Thomæ Sanchez *in Summ. Tom.*1. *lib.*1. *cap.*19. *nu.*8. affirmanti legentem ea, quæ continentur in Diurnali, Officio Divino ſatisfacere. Poſtquam autem ſolverunt è portu, mutavit dictamen, & ſecutus ſententiam Joannis Sancij, *in Selectis diſp.*15. *num.*2. aſſerentis in Diurnali non contineri integrum Officium Divinum, ac proinde carentem Breviario, licet Diurnale habeat, non teneri legere Officium Divinū; illud non legit.] Sed quomodo reſpondendū hanc difficultatē proponenti?

An officio divino ſatisfaciat, qui utitur Diurnali, & Breviario caret?

In lo-

Digitized by Google

CCLXXIX In loco citato hæc ſcripſi: [Ut exactè reſpondeam, opus eſt omnes circumſtantias expendere. Paulus *primò* Sanchezij ſententiam ſequebatur, & bene faciebat; quia eſt gravis author, ac probabilis eius ſententia. Ex vi huius dictaminis, potuit ſine culpæ gravis ſcrupulo relinquere Breviarium in terra, & ſolùm conferre Diurnale. *Secundò* aſſeritur Paulus mutaſſe dictamen, & hoc humanum eſt & rationale. Homo non eſt ſuarum opinionum Mancipium. Cùm probabile dictamen mutat, utitur ibi cœlitùs conceſſa libertate; & bene facit. Fidei orthodoxæ, Dogmatibus, Demonſtrationibus, ac Principiis per ſe notis, ſubeſt ingenium: probabilibus ſententiis ſupereſt; ideoque quàm liberè ſententiam Sanchezii approbarit, tam liberè potuit illam dimittere. Potuit igitur Paulus ſine conſcientiæ ſcrupulo mutare dictamen; & valedicens uni authori, ſequi alterius opinionem probabilem. *Tertiò* dicitur Paulus noluiſſe uti Diurnali, & defectu Breviarii multis diebus, quibus in navi fuit, horas non recitaſſe: nec tamen peccavit mortaliter; operabitur enim juxta conſcientiæ dictamen, quod erat probabile & prudens, ſubnixum Sancii authoritate.]

An poßit ſequi nunc alteram ſententiã probabilẽ: & cras mutare dictamen, & ſequi alteram.

Non peccat, qui ſequitur opinionem probabilẽ.

CCLXXX. Propono alterum caſum. [Petrus die Sabbathi, ſub mediam noctem, ut primum audivit duodecimam, comedit carnes, & poſtquam ſatur exceſſit è menſa, audivit aliud horologium ſignificans horam duodecimam. Die ſequenti communicare vult; & ſic diſcurrit. *Horologia habent opinionum probabilium virtutem. At ego comederam ante quàm tale horologium ſonuerit; Ergo probabile eſt quòd comedi ante duodecimam. Ergo probabile quod ſim jejunus; At opinioni probabili conformare conſcientiam poſſum. Ergo potero communicare.*] & volo ſcire cur communicare non poſſit; nam ſtando doctrinæ præcedenti poteſt: & ego in toto hoc Petri diſcurſu, quod poſſem aut negare aut reprehendere, nihil invenio.

An aliquis mutare dictamẽ poſſit circa horologiorum probabilitatẽ

Hunc caſum proponit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis de Lugo, *de Sacramento Euchariſtiæ diſputat.* 15. *ſection.* 2. *num.* 47. & hanc quæſtionem ſoluturus ſic inquit. [Si audito primo horologio, & poſt cœnam agnoſcatur error prioris horologii, credo quod poſſit abſque dubio ſequi ſecundum horologium, & obſervato jejunio celebrare, vel communicare die ſequenti: quia verè eſt jejunus, & carnium eſus per errorem fuit die præcedenti inculpabilis propter ignorantiam.] Nota bene obſecro hanc doctrinam; eſt enim veriſſima, & clavis totius difficultatis. Et attende; progreditur enim D. Cardinalis & ait: [Si verò non agnoſcatur error in primo horologio, ſed maneat unicuique ſua probabilitas, aliquis fortaſſe concedet ſequelam, dummodo non habuerit ab initio illum animum, poſteà verò audito ſecundo mutaverit mentem.] Hanc puto unicam & veram ſolutionem, contra quam nihil poterit dici, quod ſit fortè vel efficax. [Ego tamen, ait Lugo, non facilè concedam.] Sed cur? [Quia video, inquit, ſequi aliqua inconvenientia, quæ in praxi non videntur admittenda.

Reſolutio Cardinalis de Lugo.

Si cognoſcatur error.

Si ille non cognoſcatur.

Primò. Si aliquis audito primo horologio celebret, (eò quod habeat facultatem celebrandi poſt mediam noctem) & poſteà audiat ſecundum horologium, poterit adhærens poſteriori iterum celebrare; quia juxta hoc ſecundum non celebravit hâc die, ſed præcedenti.

Arguit à conſequẽtibus.

Poſſet quis celebrare duas miſſas:

Digitized by Google

[P]randere vis in quadrageſimâ.

Secundò, in Quadrageſimâ poſſet audito primo horologio poſt mediam noctem prandere pro ſequenti die, ſequens opinionem illam, quod anticipatio comeſtionis non ſit peccatum mortale: poſteà verò audito ſecundo horologio, poſſet ſe conformare cum illo, & ex tunc denuò computare diem jejunii, ut poſſet horâ ſolitâ iterum prandere, utpotè qui illo die nihil adhuc comediſſet.

nunquam legere Veſperas aut Completorium.

Tertiò, qui nondum dixit Completorium aut Veſperas hodiernas, prævidens parum abeſſe ut ſonet in hoc horologio, hora mediæ noctis, poſſet ſe conformare cum illo primo, atque ideo judicare ſe liberum ab onere recitandi, eò quod tranſacta jam eſſet dies præcedens, juxta probabilem opinionem iſtius primi horologii, quam mutato conſilio ſequi jam vellet.

Concluſio Cardinalis

Hæc, et alia his ſimilia oſtendunt, *non poſſe illum, qui ſemel accepit, unum horologium pro Regulâ diei Eccleſiaſtici, poſteà pro libito relinquere illud & accipere aliud, ſed ſæpè eſſe obligationem retinendi eandem Regulam, quam diu non apparet manifeſtus error in primo horologio.*] Sic Lugo.

CCLXXXI. *Impugnatur Cardinalis ſententia.*

Sed quid ſi omnia quæ inconvenientia ille vocat, concederem? Videtur mihi Lugonis argumentum eſſe ſimile huic. [Non facilè credam, torrem eſſe ignitum, & poſſe ligna ſuccendere. Quia tanta eſt negligentia famulorum, ut hinc aliqua inconvenientia ſequantur. Nam, ſi caderet Torris ſupra Tabulatum, conciperet iſtud ignem, & domus integræ comburerentur. Hoc eſt maximum inconveniens, &c.] Reſpondeo ad utrumque, illa inconvenientia eſſe gravia; neceſſariò ſequi; adeòque aut toleranda, aut ponendum remedium; non enim inconvenientia probant antecedens falſum, ſed impoſſibilia ſolummodò.

Quando argumentum ab inconvenienti ſit efficax.

Porrò omnes illos caſus, non obſtantibus inconvenientibus benignè admittit Lugo, ſi certò conſtet primum horologium exorbitaſſe, & ultimum cœlo correſpondiſſe: & ego ab ipſo deſidero patienter audiri, & audire huius inſtantiæ ſolutionem. Sic arguo: [Si appareat certus & manifeſtus error in primo horologio, erit certum & manifeſtum illos tres caſus benignè reſolvendos eſſe: Ergo ſi appareat probabilis error in primo horologio, erit probabile eoſdem tres caſus benignè reſolvendos eſſe. Patet; quia ſi eſt certò diſgregativum visûs, quod certò eſt album, erit probabiliter diſgregativum, quidquid ſit probabiliter album.] Ergo quidquid Lugo certò ex certa erroris cognitione deducit, id omne debebit deducere probabiliter ex eiuſdem erroris cognitione probabili. Rejicienda eſt igitur Lugonis ſententia: ſed quia illam vult à priori probare eundem attentè audiamus, & hanc prioriſticam probationem ſcrutemur. Sic inquit: [Ratio autem à priori & regula ſimul ad decernendum, quando non poſſimus facere eiuſmodi mutationem, hæc videtur eſſe poſſe; *Quia ſcilicet quamvis liberum ſit unicuique regulariter loquendo amplecti ex duabus ſententiis probabilibus, quam voluerit; eam tamen, quam amplectitur, debet retinere, quam diu de eius improbabilitate non conſtat, quoties libera facultas variandi ſententiam reſultat in præjudicium tertij, qui eo modo fraudaretur jure ſuo, quod jus habet, non probabile, ſed certum ad aliquid exigendum.*] *Ratio Cardinalis potiſſima.*

At ego Regulam audio, & regulæ rationem, nec à priori nec à poſteriori dari video. Sed quis obſecro hanc legem tulit, quã loco Regulæ Cardinalis proponit CCLXXXII.

ponit

ponit? Porrò me Judice hic principium petitur ab Eminentiſſimo. Quia ſi ipſe dicit, ideò me non poſſe mutare ſententiam, quia alter habet jus certum; dicam, ideo alterum non habere jus certum, quia ego habeo jus mutandi dictamen probabile. Et ſic corruit tota poſita Regula. Prætereà iterum contra hanc Regulam aſſumo illam rationem, quâ ſuperiùs ſum uſus. [Si evidenter cognoſcerem errorem prioris horologii, eſſet evidens me poſſe operari, etiam reclamante illo tertio: quod admittit iterum, & iterum Lugo: Ergo ſi probabiliter cognoſcam ejuſdem horologii errorem, erit probabile me poſſe operari etiam reclamante illo tertio.] At hoc erit in præjudicium ejus dices. Sed ego diſtinguam præjudicium à damno: nō enim ſunt præjudicia quæ juſtè fiunt, licet maximum inferant damnum.

Diſtinguitur præjudicium à damno.

CCLXXXIII. Sed Eminentiſſimus Dominus Regulam dilucidat & probat ſic. [Petro, ait, ex juſtitiâ ſingulis diebus debes nummum aureum, quod ſit pondus diei, ita ut ſi intrà diem non ſolvas, non debeas dare duplum die ſequenti: hoc ſuppoſito, imminente jam ſonitu mediæ noctis exigit Petrus ſuum jus; reſpondes, *Sequor illud alterum horologium, quod poſt mediam horā ſonabit*, & hoc prætextu differs ſolutionem: poſtquam verò primum horologium dat ſignū mediæ noctis, mutatâ ſententiâ, dicis, *Sequor magis hoc primum horologium, atque ideò tranſactâ jam omninò die præterità nihil debeo.* Hæc certè variatio licita non eſt; aliòquin abſque peccato poſſes toto anno nihil ſolvere Petro, mutatâ ſingulis diebus ſententiâ poſt ſonum primi horologii. Fatendum ergo eſt, ſicut Petrus habet jus nō probabile, ſed certum quotidie ad nummos illos habendos; ſic habere jus, ut non mutes ſucceſ-ſivè ſententiam probabilem in ejus præjudicium, ſed retineas eandem; nam ſi ad hoc non habet jus, neque habet jus ad nummos, quos abſque illo alio jure de facto obtinere non poteſt: jus ergo ad nummos obligat te ad retinendam eandem ſententiam, cujus variatio ſolutionem debiti certi, certiſſimè impediret. *Hinc jam ad alias materias extra juſtitiam eandem Regulam applicare poſſumus*, ait Lugo: ſit enim duplex ſententia probabilis; altera dicit hodie jejunandum eſſe, altera non eſſe jejunandum hodie ſed cras: ego hodie amplector ſecundam ſententiam & non jejuno, cras amplector primam, & dico, *Iam tranſiit dies quâ debebat jejunari; liber ſum à jejunio*, eâque viâ ſtante lege certâ, obligante ad jejunium, abſque peccato omitterem jejunium; quod eſt abſurdum, nam ſuperior obligans ad jejunium, reddit etiam illicitam mutationem illam ſententiæ, quæ omninò impedit legis obſervantiam. *Aliud ſimile exemplum eſſe poteſt, in præcepto audiendi ſacrum.* Si Verbi gratia die feſto meridie jam imminente, dicas *Amplector ſententiam dicentem poſſe fieri ſacrum paulò poſt meridiem*, deinde poſt meridiem mutatâ ſententiâ dicis, *Amplector contrariam ſententiam, quod non liceat facere ſacrum poſt meridiē, atque ideò liber ſum à faciendo ſacro.* Ecce præceptum erat certum, & debitum certum audiendi ſacrum; quare ſuperior obligans ad ſacrum, obligat ad ſententiam ſemel acceptam, ex cujus mutatione impeditur obſervatio certi præcepti. *Hoc ergo ipſum dicendum eſt*, quando probabilitas oritur ex diverſis horologiis, quodlibet poſſimus ſequi ad obſervanda præcepta, non poſſumus tamen variare, in præjudicium præcepti, quia ſicut præceptum obligat certò ad opus injunctum, ſic obligat ad non mutan-dam

An poſſit mutari dictamen in materia Iuſtitiæ?

An fortè in materia jejunij?

An etiam in auditione ſacri?

Digitized by Google

dam ſententiam, cuius mutandæ libera facultas impediret præcepti obſervantiam. Præceptum V.G. jejunii quadrageſimalis, obligat certò ad unicam cõmeſtionem ſingulis diebus, id eſt prohibet ſecundam, ideò conſequenter tollit facultatem variandi horologia pro libito, ex quorum variatione, eſſet in biduo triplex commeſtio, quia jam tunc non haberetur opus certò debitum, ſcilicet duplex ſola cõmeſtio in biduo. Eodem modo præceptum obligans ad recitandum officium ſingulis diebus, obligat conſequenter ad non varianda horologia pro libito, ex quâ variatione ſequatur omiſſio officii alicujus diei & ſic de aliis. Denique veniendo ad caſum objectionis, ex iiſdem principiis dicendum eſt, non poſſe ſacerdotem amplecti unũ horologium, ad ſolvendum jejuniũ præcedentis diei, & alterũ poſteà ad inchoandum jejunium naturale, quod requiritur ad celebrandum die ſequenti, ſed debere ſequi unum & idem horologiũ, pro utroq; præcepto. Nam licet præcepta ſint diverſa, & ſingulis præceptis ſeorſim videatur ſatisfieri (in quo videtur eſſe differẽtia aliqua ab exemplis adductis) non ſatis fit tamen toti legi, ſeu utriq; præcepto ſimul; unde videntur ſequi eadem inconvenientia. Nam ſtante illo duplici præcepto, ego debeo ex cõplexione utriusq; præcepti, abſtinentiã à cibo, poſt cõmeſtionem unicam diei præcedẽtis, ſeu poſt refectiunculã ſerotinam uſq; ad miſſam, vel cõmunionem diei ſequentis, & ſuperior habet jus ex vi utriusq; præcepti ad hoc totũ: ergo habet jus ad prohibẽdum variationem horologii, ex qua impediatur obſervantia, & redditio totius illius debiti, ad quod certum habebat jus: quod n. id debeatur unico vel duplici præcepto parũ refert. Pone n. te ex duplici titulo diverſo debere Petro de juſtitia, duo aliqua etiã diverſa, v.g. ex uno contractu, debes nõ auferre ab ipſo equum tuum, toto hoc anno; rurſus ex alio contractu, debes ei centum nummos, ſi anno ſequenti abſtuleris equũ, tunc ultimâ die anni poſt mediam noctem juxta unum horologiũ exigis ab illo equum ſciens te cõtrahere obligatione ſolvendi centum nummos, in conditione poſitos, auferens equum poſt mediam noctẽ intra annum ſequẽtem, accepto equo ſonat ſignum mediæ noctis in ſecundo horologio, tunc mutato cõſilio vis ſequi ſecundum hoc horologium & contendis te nihil debere, quia non abſtuliſti equum intra ſecundum, ſed intra primũ annum. Nemo dicet te liberum, & potuiſſe in præjudiciũ Petri mutare ſententiã; quia licet ex diverſis cõtractibus, verè tamen debebas Petro in conſcientia non auferre equũ, niſi ſolvendo centũ nummos, ergo Petrus habebat jus certum, ne auferretur ipſi equus, niſi cum obligatione ſolvendi ipſi centũ nummos, in quo tamen jure fraudatur per illam variationẽ & mutationem ſententiæ juxta diverſa horologia. Fatendum ergo eſt, licet liberũ ſit homini accipere pro regulâ quodlibet horologium, non tamen eſſe liberũ recedere ab illo in præjudiciũ creditoris; quia eò ipſo quòd unum horologiũ accipit, videtur renunciare omnibus aliis & ſic habere perinde, ac ſi nullum eſſet aliud, alioquin creditor habet jus permittendi quod utatur illo horologio, ne hoc modo perdat jus ſuum, quod habet certum ad totum illud complexum. Sic ergo ſuperior ex vi duplicis præcepti habet jus certum ut poſt cõmeſtionem hodiernam homo nihil comedat ante cõmunionem craſtinam; quo jure fraudatur, ſi homo juxta primum horologium, cœnet poſt mediam noctem, & juxta

Eadem exempla, iterum D. Cardinalis reſumit.

Proponitur alius ſimilis caſus.

Ex juſtitia ad obedientiam per rationis paritatem tranſitur.

xta ſecundum celebret cras, ſed dicendum quod eò ipſo quod vult homo accipere primum horologium pro Regula ad cœnandum, obligat, ſe implicitè ad ſuſtinendam illam Regulam, quādiu de eius errore non conſtat, ne ſuperior fraudetur jure ſuo, quod habebat ex complexione utriusq; præcepti, ut homo nihil comederet ante communionem craſtinam poſt prandium, vel refectiunculam hodiernam.

Hæc omnia argutè Lugo at ſemper chorda obludit eadem: inconvenientia multiplicat, quæ omnia concedimus, & tamen doctrinam Lugonis eſſe veram negamus.

CCLXXXIV. *Reſpondet obiectioni Lugo.* Si objecerimus contrà Dominum Eminentiſſimum jeiunium à quo aliquis loci mutatione poteſt & ſolet eximi, reſpondet. [Nec ſimile eſt in illo, qui mutando locum liberatur à jeiunio, ſi hodie ſit Romæ, ubi ſit vigilia S. Bartholomæi, & cras ſit in alio loco, ubi hodie facta fuit Vigilia; hoc inquam non eſt ſimile, quia ille mutatione loci fit liber à præcepto, quatenus nunquam fuit debitor, eò quod nec Romæ, nec extra invenerit præceptum; At verò in noſtro caſu, tu debes certum nummum Petro ſic non potes abſq; inobedientiâ nō ſolvere jeiunium, cum ſit certa lex jeiunii te obligans, licet non ſit certum tempus pro quo obligat.] *Hæc reſpōſio impugnatur.* Sed ego hâc obiectione non utor, & tamen dico à Lugone illam non ſolvi; quia non ſolùm Petrus Româ egredi poteſt antequam ſit jeiunii debitor; ſed etiam juxta probabilem ſententiā, poteſt quando eſt dies jeiunii Romæ, ſi aditurus eſt alium locum, ubi non obligat illud jeiunium, etiam ſumere jentaculum Romæ, & mane non ſervare jeiunium. Hoc docet probabiliter Diana *part. 1. tract. 9. Reſol.* 3. citans Leſſium, Sanchez, Portel, Naldum, Filliucium, Molfeſium, Sancium, &c.

CCLXXXV. *Vera quæſtionis diſſolutio.* Recognoſco ergo Regulam ab Eminentiſſimo Domino Lugone poſitam, & quia mihi non placet, has ego Theſes tanquam certas aſſumo.

Prima. Qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc ſequitur alteram, poteſt ſequenti momento licitè tenere alteram. Hanc judico luce meridianâ clariorem. Sed neque illam non admittit Lugo; ait enim *num.* 48: *Ego tamen non facilè id concedam:* & aliud eſt, me judice, unam propoſitionem non concedere, & aliud illam quidem concedere, ſed non facilè: quam differentiam altè intelliget, qui legere hiſtoriam ſequentem dignabitur.

[Vidi ſemel ingenioſum & doctum ſubditum neſcio quid à ſevero Abbate poſtulare. Negat ille: inſtat alter iterū, iterumque: & tunc Abbas, *Concedo Licentiam, quam poſtulat; ſciat tamen me illibenter hoc facere.* Et illi ſubditus: *Nunquā ego petij quod libenter hanc licentiam concederet, ſed quod concederet.* Ergo ſimiliter ad noſtrum caſum. Hanc Theſim concedit Lugo, ſed non facilè; & ego aio, modò illā concedat, me non curare, utrum illam concedat facilè, vel non facilè.

CCLXXXVI. *Damni & Præjudicij diſcrimen.* *Secunda. Ex hac libertate nullum præjudicium tertij ſequitur, at multa inconveniētia, & damna tertij conſequuntur.* Nullum ſequi præjudicium oſtendo, quoniā, qui ſuo utitur jure, etiam cum damno tertij, nemini præjudicat eſt enim præjudiciū non qualecunq; damnum, ſed illatū injuſtè. At omnia illa incōvenientia, quæ enumerat Lugo, ex hac doctrina ſequi certum eſt: juſtè tamen.

Tertia. Hæc eſt mala conſequentia, [ex hac doctrina magna inconvenientia ſequuntur: ergo non eſt probabilis.] *Vide inferius num.* Patet quia ex certiſſimis & evidentiſſimis propoſitionibus, magna damna aliquādo ſequuntur; & nihilominus ſunt veræ.

Quarta

Digitized by Google

Quarta, *Hæc Propoſitio* [*Eccleſia quæ Ieiunium, Officium divinũ, &c. præcepit, compræcipit ne quis mutet ſententiam probabilem, eo caſu, quo ex tali mutatione hæc præcepta poſſe nō obſervari ſequeretur*] *eſt falſa.* Cùm vidit Lugo ex natura rei manere libertatem mutandi opinionem probabilem, confugit ad ſuperioris præceptũ.

Actus merè interni legibus humanis non ſubſunt.

Sed hoc effugium nullum eſt. Quia habere hanc vel illam ſententiam, eſt actus merè internus, nec humanæ authoritati ſubditus. Et, ſi diceretur Eccleſiam de occultis judicare, fortè adderem Eccleſiam compræcepturam fuiſſe, ne quis caſu poſito opinionem mutaret, ſi hic caſus fuiſſet illi propoſitus; nam aliud eſt *Eccleſia præcepit*, & aliud, *Eccleſia præcepiſſet, ſi prævidiſſet hoc*: certum eſt n. præcepta hæc eſſe antiquiſſima, & has ſubtilitates ab annis pauciſſimis motas. Dico igitur veteres legiſlatores, hæc inconvenientia non prævidiſſe. Suſpicor eos, ſi illa prævidiſſent, laturos fuiſſe aliquam legem circa mutationem dictaminis probabilis; non quæ reſpiceret actum purè internum, ſed quæ opus externum: puta ſi Eccleſiaſticam diem juberent juxta primum horologium ſervari. Addo eiuſmodi legem nondum latam. Et ſubjicio motis novis dubiis, & novis cognitis inconvenientibus, expedire ut novâ lege Eccleſia veterem legem propugnaret.

Aliud præcepit, & aliud præcepiſſet eſt.

CCLXXXVIII. *De cōtractu merè probabili.*

Quinta. Qui inivit contractum merè probabilem ſi ſuo jure ceſſit, tenebitur ſtare contractui; aliàs non. At ſi mutet dictamen, inquies, procedet in præjudicium tertii. Nego præjudicium, & concedo liberè tertii vel jacturam, vel damnũ: quoniam ſi tertius hoc prævidit, & adhuc inivit contractũ, ſibi imputet, qui ſocium potuit ſtrictiùs obligare & omiſit: ſi non prævidit hoc damnum, enumeret inter infortunia quæ ignoranter frequentiſſimè incurrimus, & ſolam accuſet ignorantiam. Et hinc putet quod de Petro dicendum ſit, cui ſupponebat Lugo, ſingulis diebus debes dare ex juſtitia (ex contractu) nummum aureum.

Iura non dormientibus, ſed vigilantibus ſcripta ſunt.

X.

CCLXXXIX. *Proponitur cōtroverſia ſubtilior.*

Sed quid, ſi Paulus, cùm habuit primum dictamen, etiam habuit ſimul intentionem illud mutandi?

Negat hanc mutationē poſſe fieri Cardinalis de Lugo, *de Sacram. Euchar. diſp.* 15. *ſect.* 2. *num.* 47. ubi cum difficultate vult concedere mutandi dictamen libertatem, modò nō habuerit ab initio illum animum; nam ſi illum habuerit, exiſtimat eum non proceſſiſſe bonâ fide, atq; ideò mutare non poſſe dictamen.

CCXC. Ego autem uberiùs in Commentario in Regulam D. Benedicti, *diſp.* 117. *num.* 1447. hanc eandem cōtroverſiā decido. Ibi agens de eo, qui ingreſſus navim cũ Diurnali, habebat probabilem ſententiā docentē poſſe ſine mortali ex Diurnali Officium Canonicum legi; & ſimul intentionem mutandi hanc ſententiam cum primum ſolveret: Ibi, inquam, ſic aio: [Juxta probabilem ſententiam impoſſibile eſt habere intentionem mutādi dictamen, quia ipſum velle mutare, quodammodo mutare eſt: velle enim amare obiectũ, aut formaliter eſt amare obiectũ, aut ſaltem amare interpretativè: unde qui ſequi vult aliquam ſentētiam, aut formaliter, aut ſaltē interpretativè illi ſubſcribit. Propterea eum non crederem perſeverare in priori dictamine, qui decrevit habere oppoſitum: & probo; Idem eſt velle ſequi aliquam ſententiam, ac illi formaliter, aut interpretativè ſubſcribere; Atqui, ille qui interpretativè ſubſcribit illi ſententiæ, interpretativè & moraliter valedicit contrariæ: Ergo cum primum quis vult mutare ſententiam, moraliter loquendo jam mutat.

Digitized by Google

mutat. Ergo Paulus cũ omiſit Breviariũ & Diurnale nõ ſufficeret, itaq; operatus eſt contrà dictamen prudens in materia gravi, & peccavit mortaliter.

CCXCI. Hæc dicta ſunt in opinione admittentium, actus voluntatis virtuales, & interpretativos, quos permulti negant. Quod ſi partem probabiliorem ſequaris, & aſſeras non dari interpretativas volitiones ſine mutatione reali & phyſicâ, ſi iniquas omnes puras omiſſiones proſcribas, & affirmes phyſicè mutari voluntatem, quotieſcunque operatur liberè, ſuppoſitionem debebis admittere; & conſequenter aſſerere, omnia eſſe illicita. Quoniam potuit Paulus habere primum dictamen, quia hoc nullâ lege interdicitur.

An detur pura omiſſio?

CCXCII. Dices quando Paulus ingreſſus eſt navim, voluit mutare dictamen? Ergo voluit non legere. Patet, quia ex mutatione dictaminis inferebatur lectionis omiſſio. Ergo peccavit graviter; quia mortiferè peccat, qui vult non legere cum poteſt, & Paulus antequam è portu ſolveret, poterat conferre Breviarium & legere. *Multa hic confunduntur*, quæ expenderem, niſi timerem cenſeri nimis prolixus. Reſpondeo itaq; concedendo Paulum, cùm ingrederetur navim, voluiſſe mutare dictamen: & diſtinguo Conſequens. Voluit ergo non legere, hoc eſt omittere horarum lectionem, quam tunc judicaturus erat obligatoriam, nego: Illam quam tunc judicaturus erat non obligatoriam cõcedo. Ergo peccavit graviter nego ſubſumptam conſequentiam: ut enim actio non ſit peccaminoſa, correſpondere debet prudenti dictamini, non futuro aut præterito, ſed illi quod eſt præſens, quando illa fit; Omiſſio autem officii divini, licet eſſet contra dictamen prius, erat tamen ſecundum dictamen, quod habiturus erat Paulus, cum lectionem erat omiſſurus.

An ſemper ſit peccatũ nolle præcepto ſatisfacere.

Reſpondetur.

CCXCIII. At quia & poſſunt purè omiſſiones negari, (mihi nugæ ſunt) & tamen voluntas etiam interpretativa concedi, dicendum videtur, eum qui vult mutare dictamen nondum mutaſſe phyſicè, ſed virtualiter, moraliter, aut interpretativè, atque adhuc non poſſe cum tali intentione navim ingredi ſine breviario.

CCXCIV. *Dixi videtur eum, qui &c.* ſemper enim remanent dubia, quæ indigent ſolutione. Quid enim ſi dixero Paulum defactò cum ingreſſus fuiſſet navim habuiſſe intentionem utendi Diurnali, & opinionem quæ docet illud ſufficere, fuiſſe ſecutum, & interim habuiſſe etiam defactò intẽtionem mutandi opinionẽ, & ſequendi opinionem contrariã? Quid ſi hanc firmavero doctrinam, unâ Evangelicæ Hiſtoriæ periodo, quam cohærere prædictis fortè nullus adverterit? Narrat Evangelii ſui cap. XXIV. D. Lucas, quo Chriſtus modo Emauntinis apparuerit, & tandem fuerit agnitus in fractione panis. Adibant Emauntem, illi cogitabundi & triſtes, & Chriſtus ſub peregrini ſpecie ſe illis adiunxit, & cœpit cum illis de Paſſione, Reſurrectione, & mundi Redemptione diſſerere. Cœpit ſimul & audiri & amari. *Et* (ut verba formalia, quæ mea referunt, ponam) *appropinquaverunt Caſtello, quò ibant: & ipſe* (Chriſtus) *finxit ſe longiùs ire; Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiſcum quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies, & intravit cum illis, &c.* Recognoſcunt interpretes iſtam Periodum, & quia illud verbum *finxit*, non poteſt intelligi grammaticaliter, debere Theologicè dicunt. Sed quomodo?

Luc. 24.

An Chriſtus poſſit fingere?

CCVC. Putant aliqui hoc teſtimonio reſtrictiones mentales demonſtrari: at certum eſt illas nullo ſacræ ſcripturæ teſtimonio

An dentur reſtrictiones mentales?

Digitized by Google

monio probari poſſe: ſunt enim pernitioſæ, ac mendaces, & tollunt octavum Præceptum Decalogi; illis enim admiſſis vix videntur poſſe dari mendacia. Ubi notari volo eos, qui Reſtrictiones mentales, non ubique, ſed in aliquibus caſibus admittunt, easq; circumſtantiis conſignificantibus attemperant, bene ſentire, male loqui. Dico enim illos bene ſentire; carent enim mendacio, omnes illæ Propoſitiones, quæ excuſantur ab ipſis; at nō quia à conceptibus mentalibus reſtringuntur, ſed quia à circūſtantiis adjacentibus, & conſignificantibus. Rem Exemplo dilucido. Petrus occidit unum hominem, & pœnitentiā ſacramentalem ſubiit, & abſolutus fuit, & ſequenti anno provolutus ad pedes confeſſarii rogatur, an occiderit? & negativè reſpondet. Mentiturne? minimè. Sed eſt verum, quod occiderit, & tamen negat, quâ ergo viâ aliâ poterit quàm mentali reſtrictione excuſari? Imò hâc viâ non poteſt, & aliâ debet. Dico interrogationem & reſponſionem debere cohærere: & confeſſarii verba debere intelligi intra limites eius authoritatis, quæ ad cogendum ut peccata bene ſemel confeſſa, iterum Petrus confiteatur, non ſe extendit: Ergo illa verba cōfeſſarii; Videlicet, *Occidiſtíne aliquē?* præſcindendo ab omni reſtrictione Mentali, à circumſtantiis ipſis (hoc eſt à ſacramenti inſtitutione, Confeſſarii authoritate, & præſumpta voluntate) reſtringuntur, ut æquipolleant iſtis, *Habesne aliquod peccatum in genere homicidij, quod nondum ſis confeſſus*: cui interrogationi optimè & verè reſpondet Petrus, *Non.*

Nonnulli bene ſentiunt, & nihilominus male loquūtur.

CCXCVI. Puto tamen ego hinc primò perſuaderi poſſe dari duas voluntates contrarias ſimul ſaltem conditionatas, quod etiam quotidie experimur: nō enim video, cur non poſſit Franciſcus viſitare Joannē cum intentione manendi, ſi inſtantiſſimè oretur, & progrediendi ulteriùs, ſi non urgeatur? ſi talem Chriſto voluntatem conceſſeris, ſine mendacio aut reſtrictione mentali potuit dicere. *Volo progredi ulteriùs, nolo manere hic; habeo cur feſtinem & ulteriùs progrediar.* & poſteà oratus ob rogatus ceſſante videlicet causâ ob quam volebat progredi, potuit dicere, *Ergo ſiquidem ſic deſideratus, manebo.*

Acceſſi ad meum conceptum, at illum nondum expoſui; jam ingredior. Sic inquam. Ego fortè poſſum illas duas voluntates conditionatas habere, qui actiones alienas non præſcio: at Chriſtus bene ſciebat diſcipulos ſe urſuros eſſe: Ergo ſimul habebat voluntatē progrediendi ulteriùs & abſolutam voluntatē, priorem voluntatem mutandi. Eandem habebit Petrus cum Joannem viſitat, cum voluntate abſolutè non manendi apud ipſum niſi rogetur, ſcit tamē certò moraliter ſe eſſe rogandum. Igitur non videtur repugnare, quod aliquis defactò velit unam rem, & nihilominùs habeat concomitans propoſitum voluntatem mutandi. Igitur in hoc caſu erit verum dicere. *Petrus defactò adhæret huic ſententiæ probabili. Petrus defactò non adhæret oppoſitæ. Petrus habet propoſitum adhærendi poſt duo temporis minuta oppoſitæ. Petrus illi cui nunc non adhæret, poſt duo minuta adhærebit defactò.*

QUÆSTIO.

An ſit Peccatum mortale ſe exponere probabili peccandi periculo?

CCXCVIII. NEgativam partem ſecutus eſt Caramuel, *in Regulam D. Benedicti num.* 1058, ubi docet, quid ſit ſe exponere periculo

Digitized by Google

riculo moraliter certò, moraliter nulli, & moraliter probabili. Eius verba allegat Antoninus Diana *part. 7. tract.* 11. *reſ.* 29. quam claudit iſtis *Hæc omnia docet Caramuel; quæ ex eius mente dicta eſſe volo; ego enim affirmativæ ſententiæ adhæreo.* Recognovit hanc ipſam doctrinam Caramuel, illamq; tam certam & evidentem judicat, ut aſſerat Dianam non poſſe ſe ſubducere ab illa, ſi velit conſequentiam ſervare. Conſiderentur iſtæ Theſes:

Nemo tenetur ſententiam probabiliorem ſequi. *Prima. Qui dicunt debere hominem ſequi probabiliorem opinionem, conſequenter debebant dicere peccaturum, qui ſe exponat periculo probabiliori.* At hanc ſententiam eſſe evidenter falſam nos jam demonſtraſſe putamus. Vide Commentarium in Regulam D. Benedicti. *num.* 59. ubi concludo, improbabile eſſe peccare eum, qui ſequitur minùs probabilem.

Secunda. Qui tenent ſufficere ſequi minùs probabilem, me judice probabiliter impugnari non poterunt, & tamen conſequenter debebunt dicere, licere ſe exponere periculo etiam magis probabili.

CCIC. *Reſolutio communis.* *Tertia. Vtriq; debebunt dicere, licere ſe exponere periculo minus probabili.* Omnia demonſtro breviter.

Sit iturus Ambroſius ad Petronillæ domum, & cognoſcit probabilis peccati periculum; ergo in tali caſu poteſt & debet dicere, [*Iſta Propoſitio,* Peccabo, eſt *probabilis;* atqui poſſum ſequi quam volo in materia probabili: ergo potero ſtare huic ſententiæ, *Non peccabo.*] Porrò, ſi Ambroſius illi ſtet, non tollet probabile peccandi periculum, & tamen poterit ire ad domum periculoſam: ergo.

CCC. Hæc mihi videntur valdè certa, & ideò poſui in Syntheſibus, quæ in Commentario reperiuntur. Sub finem pag. Qqqq 2. juxta primã editionem, & pag. LIII. juxta ſecundam, has paucas lineas. *Periculum proximum dicitur eſſe, cùm quis imprudenter judicaret ſe in tali occaſione nõ peccaturum.* (& imprudenter judicabit, qui ratione probabili & gravi caruerit.) *Nemo poteſt ſe exponere proximo peccãdi periculo. Liberum homini cuicunq; eſt* (NB.) *tollere proximum omne periculum. Periculũ probabile, non eſt proximum.* Quibus ſubſcripſerunt Theologi, quos ſuo loco reperies: videlicet num.

At dices Caramuelem perperam periculi probabilitatem, ad numerum lapſuum reduxiſſe. Sed nego. In Suario *de Charitate diſp.* 9. *Sect.* 2. *num.* 8. legerat Caramuel, *Periculum eſſe in determinata materia, in quâ aliquis fragilem ſe expertus eſt.* CCCI. *Vnde cognoſcatur periculũ?*

Ergo judicium P. Suarius ab experiẽtia ſumpſit, & periculum docuit eſſe maius, quod maior experientia prædicit. & tunc ſolùm judicat eſſe periculum illud ſummum, quod alii *proximũ,* alii *formale* dicunt, quando Petrus ſe exponit circũſtantiis, quibus poſitis moraliter certũ & evidens ſit eum peccaturum: quando conſideratâ fragilitate ſuâ, cuius quantitatẽ longâ experientiâ cognoſcit, non ſine temeritate diceret, *Non peccabo.* *Quid ſit periculum proximum & formale.*

QVÆSTIO.

An ſit peccatum mortale ſe exponere probabili æternæ damnationis periculo?

SUmmâ inconſequentiâ Diana laborare videtur, cùm dicit *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 98. poſſe ſe exponere Hominem æternæ damnationi probabili: *& part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 29. negat poſſe ſe hominẽ exponere probabili peccandi periculo: Omnes enim rationes, quæ ſecundum impugnant, diruũt primum: & quæ primum ſtabiliunt firmant etiam ſecundum: quam ob rem oportet, vel utrumque concedere, vel utrumq; negare: & quia utrumq; negare non poſſumus, utrumq; debemus cõcedere. Ut rem melius CCCII.

lius intelligas, illam totam ad tres controverſias reducam. Quarum prima rogabit, *An confeſſio facta cum ſola attritione juſtificet?* Secundi, *An, qui cognoſcat ſe non habere contritionem ſed attritionem, poſſit ad pœnitentiæ ſacramentum accedere?* Et tertia, *An in articulo mortis etiam poſt confeſſionem factam ſi fortè cum attritione cognitâ, teneamur elicere actum contritionis omnium mortalium, quæ in vita cōmiſimus?*

CCCIII. Reſpondeo ad primam aſſertivè. Addo tamen hanc eamdem aſſertionem non excludere omnem formidinem; contraria enim ſententia ab aliquibus dicitur vera, ab aliis probabilis, aut ſeveriſſimè loquendo, tenuiter probabilis: at improbabilem eam eſſe, nemo demonſtraturus eſt.

Reſpondeo ad ſecundam extra articulum mortis poſſe hominem cum attritione cognitâ ad ſacramentum pœnitentiæ accedere: quia ſequendo dictamen probabile operatur prudenter, nec poteſt argui temeritatis.

Reſpondeo ad tertiam varias eſſe opiniones in re graviſſima, quæ poſtulant, ut certa ab incertis ſeparemus, & aliquas Concluſiones ponamus.

CCCIV. *Nota hoc bene.* Prima Concluſio. *Si vera contritio etiam cum ſacramento pœnitentiæ requiritur, qui cum attritione confitetur (ſeu putet ſe habere contritionem, ſeu non) non committit novum peccatum, ſed antiqua retinet.* Patet, primum, non enim peccat, qui ſequitur opinionem probabilem, & attritionem etiam cognitam ſufficere cum ſacramento, non jam probabilior, ſed ferè certa aſſerit & defendit opinio. Patet ſecundum, quia ſi contritio eſt de neceſſitate medii ad juſtificationē conſequendam, illam debebis ponere, aut juſtificationem non conſequi. Opinio enim rerum virtutes non immutat, nam ſi Petrus ſincerè putet ſtupam in flammis macerandam, & ſequutus dictamen ſuum ſincerum & prudens, eamdem in flammas jaciat, temerarius non poterit dici; attamen ſtupa in flammis non macerabitur, ſed comburetur. Et ut rem explicem intra terminos huius divini tribunalis, ſi ſæcularis aliquis veſte ſacerdotali indutus literis falſis licentiam audiendi confeſſiones obtineat, licitè ad illum accedes, ſi legitimum Confeſſarium eſſe exiſtimas; & tamen à peccatis tuis non abſolvêris; & ſi mortalia habeas, nec aliam confeſſionem feceris, nec contritionem habueris, in æternum peribis.

Rerum veritas ab opinione nō dependet.

CCCV. *Nota hoc bene.* Secunda Concluſio. *Moribundus, qui cognoſcit ſe cùm attritione abſolutionem à mortalibus recepiſſe, ſi conſcientiam examinet, debet ſic diſcurrere. [Probabilius eſt, quod ſum in gratia; at adhuc probabile eſt, quod ſum in ſtatu peccati mortalis: Ergo probabilius eſt, quod ſi moriar quin eliciam actum contritionis, ſalvabor: at nihilominùs adhuc probabile eſt, quòd ſi moriar ſine contritione, æternam damnationem incurram.]* Hæ duæ Concluſiones certæ ſunt.; & modò ingreditur illa dubitatio, An-ne moribundus ille, de quo agimus, poſſit licitè egredi ex hac vita in periculo æternæ damnationis probabili; an verò debeat non eſſe contentus ſpe gloriæ probabilis, ſed reddere ſuam ſalutem certam?

Quæſtio proponitur.

CCCVI. *Opinio Suarij.* Hoc ultimum dicendum eſſe ſentit Suarez 3. *part. tom.* 4. *diſput.* 15. *ſect.* 4. *num.* 17. Nugnus *in* 3. *part. tom.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 4. *dub.* 4. Zambranus *de caſib. occurr. temp. mort. cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 4. & alii: & probatur *primò*; Quia unuſquiſque tenetur ex charitate propriâ certam facere ſalutem ſuam omnibus mediis poſſibilibus: at in tali caſu dantur media poſſibilia (poteſt enim contritionem elicere) ergo tenetur. *Secundò*; Quia,

Probatio prima. *Secunda.*

Quia, cùm nec de fide ſit attritionem ſufficere cum ſacramento, nec hoc ipſum demonſtrari aut evidenter probari poſſit, ſemper manet æternæ damnationis periculum: ergo qui illud percipit, tenebitur illud vitare, & actum contritionis elicere.

Tertia. *Tertiò.* Quoniam tenetur confiteri, aut ſaltem conteri, qui habet peccatum mortale dubium, ne ſic ex hac vita diſcedat: At eadem ratio militat contra eum, qui habet abſolutionem incertam: Ergo. Probatur minor. Quia, qui habet peccatum dubium (idem dicam de peccato probabili) poteſt prudenter dicere. [Beatus qui poſſidet: ego ſum in innocentiæ poſſeſſione, à quâ excludi non debeo rationibus dubiis aut

Nota id bene. probabilibus, ſed certis tantum.] Interim, ſi eſt verum, quod peccavit, erit verum, quod eſt in ſtatu æternæ damnationis, & quòd æternùm eſt periturus, niſi debitam pœnitentiam agat. Hæc autem ipſa etiam ſunt vera poſito peccato mortali certo, & pœnitentiâ dubiâ vel probabili: Ergo tantam obligationem habet peccator in uno caſu quantam in alio. Habet ergo in utroque ponendi media, quibus reddatur certus, quantum humanitùs poſſit, ſuæ ſalutis.

CCCVII. *Opinio oppoſita.* His tamen non obedientibus contrariam ſententiam tuetur Fagundez *de præcept. 2. libr. 2. cap. 4. numer.* 13. Becanus *de ſacram. cap.* 35. *num.* 3. Layman *in Theolog. Moral. libr. 4. tract. 6. cap.* 2. *num.* 6. Coninch *de Sacram. diſput.* 3. *dub.* 1. *num.* 5 Faber *de pœn. in* 4. *ſentent. diſt.* 14. *quæſt.* 2. *diſp.* 18. *cap.* 3. *num.* 71. quos citat & ſequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 98. & alij. Eorundem rationes conſideremus.

An omnis nova opinio ſit falſa? *Prima.* Quia Suarius eſt primus Author opinionis contrariæ: Ergo illa non eſt vera. Patet. Incredibile eſt annis integris mille-ſexcentis rem tam neceſſariam ſi eſſet vera, fuiſſe in Eccleſiâ Romanâ ignoratam. Altiùs de Dei miſericordia eſt præſumendum, non enim admittendum eſt ab illo ita totam Eccleſiam deſeri, ut in re tanti momenti ſemper fuerit decepta. Hæc ratio tametſi moralis ſit, & non metaphyſica; fortis interim eſt, & ſufficiens, ut Suarii opinio rejiciatur.

CCCVIII. *Vbi reperiantur Charitatis præcepta.* *Secunda.* Nec in Scripturis, nec in Conciliis habetur tale præceptum Charitatis: ſed nos nova præcepta fingere non debemus: Ergo. Sed hæc ratio mihi non placet: quoniam Charitatis præcepta non debent ſingulariter poni, ſicut nec præcepta Juſtitiæ. Non legimus in Decalogo, *Non furaberis argentum*, non *aurum*, non *gazas*, non *cætera*: Sed quia legimus *Non furaberis*, alia omnia inferimus. Ergo ſi Charitatis præceptum generale eſt, obligabit, etſi non reperiatur hoc vel illud interdici ſpecialiter.

CCCIX. *Probatio.* *Tertia.* Neminem Charitas aut aliud præceptum obligat, ut plus faciat, quàm quod Eccleſia docet eſſe ad ſalutem neceſſarium. Sed Eccle-

Eccleſia eſt vera Magiſtra. ſia per Concilium Tridentinum docet ad gratiam impetrandam à Deo & ſalutem æternam conſequendam ſufficere attritionem cognitam cum Sacramento pœnitentiæ. Nemo igitur

Huius probationis cenſura. tenetur ad amplius. *Hac ratione* Diana utitur: hac etiam alii. Sed adverſarij illam dicent nullius eſſe roboris, aſſerentque minorem eſſe tantum probabilem, adeoque ſequi conſequentiam eſſe probabilem. Cùm ex vi huius rationis negari non poſſit eſſe probabile, quod homo ad contritionem teneatur, & ſi hanc non ha-

beat ſua antiqua peccata retenturum, & per conſequens in æternum periturum: Videretur vi huius rationis debere hominem ſub mortali elicere actum contritionis in articulo mortis, ne ſe exponat probabiliſſimo æternæ damnationis periculo. Sanè illam minorem eſſe purè probabilem dicent nonnulli, at alij ſeveriùs eſſe evidenter falſam, aſſerentes quidquid ſit de neceſſitate contritionis & ſufficientia attritionis, hanc ſufficere cum pœnitentiâ nuſquàm doceri à Tridentino, cuius verba ubicumque legantur, ita debent intelligi & interpretari, ut Capiti III. Seſſionis XIV. correſpondeant. Agit ſancta ſynodus ex profeſſo de partibus pœnitentiæ in hoc capite, & ait, *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus; nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio.* Ergo, ſi hæc ſunt verba Concilii, quâ ſinceritate poſſit ſubſumi minor illa non video.

Aliud eſt contritionem neceſſariam non eſſe, & aliud hoc ipſum doceri à Tridentino.

cccx. *Probatio.* *Quarta.* Quia ex hac opinione ſequeretur hanc propoſitionem, *Attritio cum Sacramento ſufficit ad juſtificationem*, incertam eſſe: Sed hoc dici non poteſt: Ergo fruſtra alia certitudo requiritur. *Et hac ratio* eſt mirabilis; objicit enim tanquam abſurdum, quod tanquam fundamentum adſumit contraria ſententia. Ideo enim illa contritionem requirit, quia exiſtimat certum non eſſe, quòd attritio ſufficiat. Videtur mihi hanc rationem eſſe ſimilem illi, quâ probarem contra Jeſuitas admittendas eſſe phyſicas prædeterminationes, quia alias concedi deberet in Deo ſcientia media; cùm ideò maximè illas negent Jeſuitæ, quia iſtam admittunt.

Petitur principiũ.

Quinta. Quia ex hac etiam ſententiâ ſequeretur, nunquam licere homini confiteri cum ſolâ attritione cognitâ: primò quia ſemper ſe exponeret periculo peccandi mortaliter: Secundò, quia ſemper ſe exponeret periculo non conficiendi ſacramentum, retinendi antiqua peccata, & non recipiendi gratiam ſacramentalem. *Sed hac ratio* non urget, negatur enim conſequentia; quoniam argui de mortali non poteſt, qui ſequitur opinionem probabilem. Hinc patet, quid ad primam probationem dicendum. Ad ſecundam fatebor eſſe probabile (tenuiter & leviter tamen) ſe exponere hominem illis periculis, quæ enumerantur. Sed quid inde? Eſt enim etiam probabile (imò ferè certum) nullum ſubeſſe periculum: & homo tutiſſimè ſequitur opinionem probabilem. Præterea ab articulo mortis ad vitam ſanam non bene deducitur conſequentia; multa enim ſano licent, quæ moribundo non licent. Ille enim differre multa poteſt, quæ iſte non poteſt, caret enim tempore in quod rem differat. cccxi. *Probatio.* *Cenſura.*

cccxii. *Probatio.* *Sexta.* Quia ex hac doctrina ſequeretur non omnes homines teneri elicere actum contritionis in articulo mortis, ſed doctos ſolùm, qui ſcirent non ſufficere attritionem etiam cum ſacramento. Unde tale præceptum eſſet tantùm doctis impoſitum, & non indoctis; & ideò eſſent in hoc peioris conditionis docti quàm indocti, Theologi quàm Medici & Juriſconſulti. Sed hoc minimè dicendum videtur: Ergo. *Sed cur minimè?* Annon etiam centena alia ſunt, quæ obſtringunt doctos, & non indoctos? Annon plura & cla-

Cenſura. *Ad plura tenentur docti, quã indocti.*

& clariùs tenetur credere Theologus, quàm ruſticus? An non multi hodie contractus licitè fiunt in pagis, qui in ſcholâ non poſſent? Multi quidem: & ruſticos invincibilis ignorantia in caſibus multis excuſat, in quibus Theologi non excuſantur.

CCCXIII. *Probatio.* *Septima.* Quia Suarezii ſententia, ut notat Fagundez, quem ſequitur & laudat Diana, laqueos injicit conſcientiis in re gravi: & in re neceſſaria ad ſalutem homines in dubium æternæ *Cenſura.* ſalutis inducit. *Sed me miſerum!* quos quæſo laqueos, quæ dubia inducit? Sanè hæc opinio docet eſſe fere probabile, hoc eſt, non eſſe omnino certum, eum qui cum attritione & ſacramento ex hac vita diſceſſerit, ſalutem ſempiternam conſequi: & hoc à nemine negari poterit. Non ergo ſcrupulos, dubia, & pericula imponit: ſed ſcrupulos, qui ſubſunt, incertitudinem quæ revera eſt in re ſummi momenti, & periculum, quod omninò non abeſt, veraciter & ſincerè notificat: & nemini eſt injuria, quamdiu veritatem docet. Subeſſe enim adhuc aliquod periculum, quod à ſolâ contritione tollatur, fere probabile eſt: & qui hoc neget, non vult rem intelligere. At hominem debere hoc qualeſquale periculum vitare ſub peccato mortali, nondum probatum à Suario eſt.

Ego quidem, ut quæſtionem reſolvam, jubeo relegi Concluſionem primam & ſecundam, quam ſuperiùs expoſui; quibus addi poterit

CCCXIV. *Reſolutio totius difficultatis.* Tertia Concluſio. *Infirmus in articulo mortis non tenetur in rigore & ex præcepto elicere actum contritionis; ſed ſufficit, ſi confiteatur etiam cum attritione cognitâ; licet melius faceret, ſi actum contritionis eliceret.* Ita Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 94. *§. Cæterar.* qui citat Laymannum & Fabrum. Et probatur, non rationibus poſitis, quas omnes eſſe debiles vidimus, ſed hac unicâ. Quia ſemper licet homini ſe- *Ratio vera.* qui opinionem probabilem, ubi non determinatur ad alteram probabilitatis partem voto, juramento, aut præcepto: at in noſtro caſu nec nos vovimus aut promiſimus Deo contritionem, nec illam Deus præcipit, eſt enim fere certum quod ſit attritione & confeſſione contentus; nec illam homo præcipere poteſt cum ſit actus merè internus: Ergo.

Sed hæc doctrina tibi non placet: *Corollarium primum.* quia inde ſequeretur *primò* poſſe licitè ex hac vita hominem diſcedere cum abſolutione probabili, puta ſi ab illo data fuiſſet, qui vel eſſet ſacerdos probabiliter; aut certò ſacerdos, ſed probabiliter tantum abſolvendi poteſtatem haberet. *Secun-* *Secundũ.* *dò*, etiam illum, qui probabiliter putaret ſe mortale peccatum commiſiſſe: nam iſte nec confiteri, nec conteri in articulo mortis teneretur. *Tertiò,* *Tertium.* nec illum, qui dubia peccata haberet; minor enim notitia eſt dubia, quàm probabilis; & ſi hæc non inducit obligationem confitendi aut conterendi, illa inducere ejuſmodi obligationem non poteſt. At ego tibi modò nîl omninò reſpondeo, expecto enim aliorum reſponſiones doctiſſimas; quibus ſum multò confidentius uſurus.

CCCXVI. *Objectio.* Addes. Præceptum contritionis per ſe & ex intrinſecâ ejus obligatione ſaltem in articulo mortis obſtringit, ut docent Authores communiter. Tunc igitur quilibet infirmus tenebitur elicere actum contritionis. Reſpon-

ſpondeo non dari præceptum de contritione reali, ſed de reali aut virtuali; ita ut alterutram habere ſufficiat. Eſt autem contritio realis, verus actus doloris orti ex amore Dei ſuper omnia: & contritio virtualis eſt attritionis actus elevatus à pœnitentiæ ſacramento. Ita Fagundez *de præcept. 2. libr. 2. cap. 6. num. 5.* Diana, & alii. Unde oritur lux Theologico Axiomati, *ſacramentalis Pœnitentia facit ex attrito contritum.* Quod ſi intelligas phyſicè, nihil impoſſibile intelliges; at incides in graviſſimas difficultates. Si autem illud intelligas virtualiter, facili negotio te expedies dicens, vi Pœnitentiæ tranſire attritum in contritum, quoniam coram oculis Domini attritio ſacramento coniuncta perfectæ contritioni æquipollet. Vide Joannem de la Cruz *in Director. part. 1. de Sacrament. Pœnit. quæſtion. 3. dubitat. 5. concl. 2.*

Attritio cum ſacramento eſt virtualis contritio.

An Pœnitentia reddat ex attrito contritum?

CCCXV.

QVÆSTIO.

Quid ſit periculum evidens? quid probabile? quid proximum, remotumque?

ANte unam vel alteram horam cum quopiam Viro docto & nobili de periculo evidentiâ & probabilitate diſſerui, & quia omnia volebat aliter intelligere quàm ego capio, eius verba ad hanc formam perſtringam. Sic aiebat.

Argumentum proponitur.

In materiâ venereâ, verbi gratia ſemper datur evidens peccati mortalis periculum: at quando tale & tantum periculum ſubeſt, nemo poteſt ſe fortunæ committere ſine mortali: Ergo. Conſequentia eſt legitima: minor ab omnibus admiſſa; maiorem probo. Quia conſiderata hominum fragilitate dari in ſenſationibus venereis conſentiendi periculum, certum eſt. Et æque certum hoc periculum certum & evidens eſſe de re graviſſima; quia eſt periculum conſentiendi in peccatum mortale. Sic ille propoſuit ſuam rationem.

At ego contrà ſic diſcurro. Pono ob oculos unum auxilium inefficax ad graviſſimum & neceſſariſſimum actum, & eodem modo diſcurram. Dicam illud eſſe auxilium evidens & certum & ad rem gravem: & inde inferam dari de facto meritum: cum tamen certum ſit non ſufficientia illud auxilia, ſeu efficacia ſola ſubſequi.

Auxiliorũ influxus.

Et ſi exemplum (quod debet arridere; ſicut enim datur contingentia & inclinatio in genere mali, quæ vocatur *periculum*; ita & datur in genere boni, & videtur carere nomine, & poſſet habere ſpeciale) non placeat, aliud dabo. Navis conſideratâ lignorum & funium fragilitate, aquæ inconſtantiâ, & ventorum vehementiâ, locus eſt certò & evidenter periculoſus. Et in hoc periculo non agitur de re parvi momenti, ſed de vitâ. Ergo in navi eſt certum & evidens mortis periculum. Ergo omnis homo, qui navim ingreditur, peccat mortaliter. Conſequentia eſt falſa, & tamen forma diſcurſus eadem.

Periculum eſt in genere mali: & illi aliquid debet correſpondere in genere boni.

Navigantium periculum exponitur.

Dico igitur dari motiva, quæ evidenter ſunt moventia & influentia in res graves; nec tamen ſemper movent graviter, ſed ſæpe leviter. Sanè in navi eſt rei certò gravis, periculum certum; ſed leve. Et cur leve? Quia è centum navibus, quæ noſtra maria ſulcant, duæ aut tres ad ſummum pereunt, ut experientia Hollandorũ mercatorũ nos docuit. Sunt n. in portubus homines, qui

An ſit leve

Et unde ſciatur eſſe leve?

Digitized by Google

Aſſecuratores qui? qui *Aſſecuratores* vocantur, qui erunt Maris & Æoli fideijuſſores; & ſi ſolvas è centum quinque, ſe obligabunt omnia ſolvere, ſi naufragio navim perire contingat. Ergo horum hominũ opinione ex his duabus propoſitionibus, *Hæc navis peribit, Hæc non peribit*, prima eſt probabilis ut quinque, (fortè ut duo, vel tria; nam & ipſi Aſſecuratores lucrantur & diteſcunt) & ſecunda probabilis ut centum eſt. Non ergo repugnat rei ſummæ eſſe certum & evidens periculum ut duo vel tria, ubi certa & evidens ſecuritas ut centum eſt.

Humana natura fragilitas. Hinc ad mores. Quis ita erit amens ut neget in lubricâ materiâ periculum? non in eâ ſolùm, ſed in omni illud datur; nam in omni materiâ gravi humana natura eſt certò & evidenter fragilis: at hoc ipſum evidens rei evidenter gravis periculum, non ſemper eſt proximum & moraliter efficax.

Modus cognoſcendi & examinandi periculum. Sed unde quis ſcire poterit, an periculum proximum ſit? Reſpondeo. Conſideratis omnibus circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum, conſulat experientiam & has duas Poſitiones diſcutiat, *Peccabo*, & *Non peccabo*. Si prima ſit moraliter certa, & ſupra omnem probabilioritatis aleam conſtituta, ſecunda erit falſa certò moraliter: & erit periculum proximum. Si contra prima ſit certò moraliter falſa, & ſecunda certò moraliter vera; ut ut ſit aliquod remotum periculum, nullum proximum erit. [Et hoc quidem judicium modò efformo circa has propoſitiones, *Ego me occidam*, *Ego me non occidam*; nam omnibus circumſtantiis conſideratis non habeo vel leve fundamentum, ut vel priorem veram ſuſpicer, vel poſteriorem falſam.] Quod ſi conſideratâ & examinatâ experientiâ, utraque contradictionis pars tibi ſit probabilis, ſicut poteris dicere, *Si manſero in hoc periculo, peccabo*, & tibi proſpiciens egredi: ſic etiam prudenter poteris dicere, *Etſi manſero, non peccabo*, & ſtante hoc prudente iudicio remanere: omne enim probabile iudicium prudens eſt: nec peccati, qui prudenter procedit, reus eſt. Sed de hoc paulò ante *num.* 298. *Semper eſt ad experientiam recurrendũ.*

Sed poſtulas, quid facturus ſit ille, qui experientiâ caret? Reſpondeo vix talem in mundo eſſe hominem. Ubi enim non ſuppetunt experientiæ propriæ, dantur alienæ; retineo enim in portu navim meam, non quod ſim naufragium expertus, ſed quod alienis fio iacturis cautus, & vidi ſubmergi cæteras, quæ præceſſerunt. Ergo eodem modo, qui caret experientiâ propriâ debet alienâ duci & regi, nam ſi cæteri fugiunt talem aut talem occaſionem, & ſe impares reſiſtentiæ fatentur, tu homo ſimilis illis temerè victoriam tibi pollicereris, ubi alij omnes aut fere victi ſunt. *An-ne ſemper ad propriam?*

CAPUT II.

PRACTICUM.

Generalia Fundamenta complectens.

CCCXVI. Antequàm ad Formam & Materiam Legum contemplandam ſubveniam, nonnulla generalia præmittam, quæ ſciri debere videntur. Plura poſ- *Generalis doctrina.*

ſem obijcere, plura proponere, de pluribus hæſitare, aut dubitare, ipſaque fundamenta pluribus firmare, & roborare; ſed quia brevitatem amo, ſtilo breviore omnia ſcribo. Sumam à Deo Principium, & poſt ipſum veniam ad Deos humanos, Summi Dei Vicarios, qui divinam poteſtatem participant: omnis enim authoritas iuriſdictio & poteſtas, in cælo & in terrâ, à Deo eſt. *Humani Dei.*

FVNDAMENTVM XII.

De authoritate & iuriſdictione Divinâ.

CCCXVII. *Dominium duplex: phyſicum & morale.* DEUS eſt Phyſicus rerum creatarum omnium Dominus; eſt & moralis. Illi obediendum. Omne peccatum inobedientia eſt. Si DEUS nihil præcepiſſet hominibus, nullum eſſet peccatum Theologicum. Aliqua interdicuntur in Decalogo quæ divinitus præcipi poſſent: quæ fortè fuerunt aliquando præcepta. *Peccatum quid?*

CCCXIX. *Deus rerũ dominus: nimirùm Phyſicus,* DEUM *eſſe verum realem & phyſicum omnium creatarum rerum Dominum, malunt ſupponere* Iuniores, quàm probare. Hæc veritas ſtat mihi longâ ſpeculatione, & eam clariſſimè demonſtro, ut puto, in Theologiæ moralis li. 1. diſp. 3. per totam à num. 105. ad num. 119.

& Moralis. *Deum eſſe moralem dominum, & habere imperandi ſupremam & abſolutam poteſtatem*, probo in Theologiæ Moralis toto libr. 2. & præcipuè cap. 3. diſp. 1. à num. 1004. & deinceps. *Hinc infertur Deo obediendum eſſe.*

An ante prohibitionem divinam Theologica malitia reperiatur? Eſt hodie celebris in Europa illa quæſtio quæ inquirit, *An actiones quæ malæ dicuntur, prohibeantur quia malæ, an potius ſint malæ quia prohibitæ?* Ante omnem humanam prohibitionem omnes illas quæ militant contra Decalogum, eſſe malas eſt certum. An & ipſæ malæ ſunt independenter ab omni lege Divinâ? Aſſerit D. Thomas, aſſerunt Patres Dominicani, & omnes qui Angelico Præceptori ſubſcribunt. Negat Doctor ſubtilis; negant cum illo PP. Franciſcani, & cum ipſis Scotiſtæ univerſi. Et ego, quia generoſiſſimè de meo Deo ſentio, Scotiſtis conſentio, & ante poſitivum Dei Præceptum nullum peccatum aut culpam mortalem vel venialem admitto. Vide meæ Theolog. Moralis num. 1019.

Si quæras, an Deus poſſit diſpenſare in Decalogo? & ſi poſſit, an non ſolum poſſit contradictoriè, ſed & contrariè? Remittam te ad eiuſdem Theologiæ Moral. libr. 2. cap. 3. diſp. 6. num. 1160. ubi à ratione rem expedio. Ad diſp. 7. num. 1196. & diſp. 8. num. 1216. ubi Scoti doctrinam Bernardi teſtimoniis confirmo: dicamque *Deum in omnibus diſpenſare contradictoriè poſſe & in aliquibus etiam contrariè.* Et quia hæc omnia fuſiſſimè in libro citato pertracto, non eſt cur moleſtus lectori ſim *An Deus poſſit diſpenſare in Decalogo?*

eadem

Digitized by Google

eadem reſcribendo. Subſcribo Scoto *in 3. diſt. 37. quæſt. 1. §. Hic dicitur. & ſeqq.* Okamo *in 2. quæſt. 19. ad 3. dubium.* Petro de Aliaco *in 1. diſt. 14.* Andreæ de Caſtro novo *in 1. diſt. 48. quæſt. 1. artic. 1.* Gerſoni *Alphab. 61. lit. E, & F,* Gabrieli *in 3. diſt. 37. quæſt. 1. art. 2.* Almaino *3. Moral. c. 15.*

CCCXX. Ut oſtendam hanc eſſe omnium Patrum Franciſcanorum opinionem *in Theol. Moralis libr. 2. cap. 3. diſput. 6. nu. 1187.* Sic aio. [In Comitiis Provincialibus Patrum Franciſcanorum, quibus Lovanij anno. 1643. præfuit, Reverendiſſimus D. Marchantius, Vir multis titulis illuſtris, non niſi pura doctrina Scoti defenſa die 13. Iulij. Præſide P. Simone Iordens, (tum Provinciale electo) erat theſis XX. *Naturalis (lex) non eſt ipſa Natura, ſed actus divinæ voluntatis, quo per impoſſibile ſublato nullum reſtat peccatum contra legem Naturæ. Aliqua (naturæ lex) complectitur materiam abſolutè neceſſariam, aut contrariam creaturæ rationali, alia non item, hæc à DEO ſolo, à nullo illa diſpenſabilis.*

Lex naturalis quid? Peccatum quid? Materia diſpenſabilis & indiſpenſabilis.

At ſequenti die Præſide Patre Antonio ab Oudenhouen fuit theſis. IV. *Ex præceptis Decalogi duo priora primæ tabulæ, ſi intelligantur eſſe tantùm negativa* (hoc eſt nullum actum præcipientia, ſed ſolum odium DEI blaſphemias & periuria vetantia) *ſunt legis naturalis ſtrictè. De tertio præcepto, videlicet ſanctificatione Sabbati, quatenus poſitivum DEI cultum præcipit, dubitat Scotus & nos cum illo. Cætera excepto illo, quod vetat mendacium, ſunt tantum legis naturalis largè, adeoque in rigore iuris poſitivi. In his DEUS diſpenſare poteſt; non verò in illis. In nullis Pontifex aut alius purus homo.*

An in mendacio poſſit Deus diſpēſare?

Et theſis VI. *Etſi verò implicet hominem cum uſu liberi arbitrij creari, quin etiam præfixam ſibi habeat legem Naturalem, ſi tamen per impoſſibile, DEUS non præcepiſſet ea quæ ſunt Legis naturalis, nullum committeretur peccatum in materia talis legis, licet* NB. *ſciret quis ſe agere contrà naturalem honeſtatem.*

An condi poſſit homo exlex?

Volui citare has Theſes, ut Lectores cognoſcant, quas ſententias Schola Louanienſis admittat, & tota ſubtilis profiteatur: non enim videtur credibile, in provincialibus tanti Ordinis Comitijs, Marchantio Viro doctiſſimo, & Scoticæ doctrinæ defenſore acerrimo Antiſtite, totius Belgij Patribus præſentibus, doctrinam contrà Scotum, ſub nomine Scoti, potuiſſe ſine contradictione defendi: nec videtur credibile hanc eandem doctrinam eſſe malam, & tamen Lovanij defenſam. Omnes fuimus, omnes Doctores invitati, omnes etiam Licentiati, Baccalaurei, &c. Adfuit Rector Magnificus, Vir Theologus & benè doctus; adfuimus multi Doctores; interfuit vulgus Academicum numeroſiſſimum: & in tanto hominum doctorum & non doctorum numero, nemo fuit qui contra poſitam Concluſionem obloqueretur vel muſſaret. Ego fui primus qui argumentari iuſſus; & quia ſub illud tempus mea Theologia Moralis imprimebatur, hāc eandem Theſim impugnavi. Reſponderunt doctiſſimè & ſolidiſſimè; diſceſſi doctior & in hâc Scoti opinione fundatior: quæ omnia fruſtra dici videbūtur Theologis, qui iſtarum Controverſiarum periti; at quia doctis indoctiſque debitor ſum, hæc volui uberiùs recenſere, ut omnes & ſinguli videant, quo iure

D. Antoninus Diana

hanc doctrinā condēnet *part. 9. tr. 8. Reſ.* CCCXXI.
59. Rogat an fornicatio ſit intrinſecè mala, vel tantùm mala quia prohibita? An illa ſi non eſſet prohibita à Deo, eſſet bona? Reſpondi *in Theolog. Moral.*

Digitized by Google

*lib.*3.*nu.*1600. non eſſe malam præſcindendo à Divino præcepto, & in hoc toti Scholæ Scotiſtarum receptiſſimæ & commendatiſſimæ conſonui. Addidi fornicationem eo caſu (poſſibili aut non poſſibili) quo non eſſet divinitùs interdicta, nempe quo non eſſet mala, ſi alias eſſet unicum medium neceſſarium ad vitam conſervandam fore bonam & obligatoriam ſub peccato mortali: eo nimirum modo, rigore & ſenſu, quo alia vitæ conſervandæ remedia, ſi quando dicuntur præcisè neceſſaria. Quod ipſum non tam probari quàm demonſtrari exiſtimo.

NB. [Quoniam quinti præcepti Decalogi virtute tenetur homo ponere media præcisè neceſſaria ad cõſervandam vitam, nempè media, quæ alias poni ſine peccato poſſent; at in tali caſu fornicatio eſſet medium præcisè neceſſarium ad ſalutem, & tamen poni ſine peccato poſſet: ergo & deberet.] Et eodem modo de pollutione; eodem de cæteris peccatis omnibus Philoſophor.

CCCXXII. *Mirabilis Dianæ cẽſura.*

Legit hanc receptiſſimam & cõmuniſſimam doctrinam Diana, & reſolutione citatâ *§. Sed hic* excandeſcit & ait; [Hic fuit error Martini de Magiſtris, contra quem inſurrexit tota Schola Theologorum, & ideò adverſus ſentẽtiam Caramuelis. Vide Wiguers, *de juſt. tract. de Temperantia, ca.*3.*dub.*6.*n.*33. Layman. *Libr.*3.*ſect.*4.*nu.* 28. Facundez, *in Decalog. tom.*2.*lib.* 6.*cap.*1.*num.*8. Dicaſtillum *de Iuſt. lib.*1.*diſp.* 3. *dub.* 16. *num.* 239. Azorium *tomo* 3.*lib.*3.*cap.*4.*quaſt.*1. Leſſium *lib.*4.*cap.*3.*dub.*7.*num.* 50. Sylvium *ubi infra* (*nempè in* 22. *D Thomæ quaſt.*154. *art.*2.) & alios communiter.] His ſic poſitis aſſi mat Diana quatuor. *Primò* enim dicit (nimirum contra Caramuelem) fornicationem eſſe intrinſecè malam, & ideò non ſolum prohibitam iure poſitivo, ac Divino, ſed etiam jure naturali. *Secundò*, notat etiam ex ſuperius dictis contra Caramuelem, fornicationem eſſe per ſe malam, neque ullo unquam caſu poſſe eſſe licitam; cùm careat convenienti modo, & ordine, quem natura, ad educationem & promotionem prolis inſtituit ac requirit; Quapropter etſi mors cuipiam intentaretur, niſi ad mulierem non ſuam accederet, non licere ei accedere; uti nec ſi accedendo poſſet, quantumcunque bonum procurare toti Patriæ, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. *Tertiò* addit idem quod dictum eſt de fornicatione, dicendum etiam eſſe de pollutione cõtra eundem Caramuelem, *loco citato nu.* 1603. aſſerentem, quod ſi Deus mollitiẽ non interdixiſſet, nunquam eſſet mala, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub peccato mortali. *Quartò*, ad fulmina & minas recurrit, & ait [*Hanc opinionem, quam priùs errorem Martini de Magiſtris dixerat, & contra quam totam Scholam inſurrexiſſe addiderat, reſpuendã eſſe ſicut de fornicatione dixerat: & ſe ſcire Viros doctos has opiniones Cenſurâ Theologicâ inurendas eſſe, exiſtimare.*] Sed quid Caramuel contrà? Elevabit ad Deum, & cœlum oculos, & inclamabit, *Tantane Animis Cæleſtibus ira?* Voletque examinari, *Quis, Quid,* & *Contra quem* pientiſſimus Diana obloquatur? Porrò loquitur Diana ille meus; Vir doctiſſimus & moderatiſſimus; qui à cenſurandis aliorum opinionibus abſtinet; qui tantùm cenſurâ digna inurere ſolet, immoderatas Iuniorum aliquorum Cenſuras. Et contra quem hæc omnia? Contra Caramuelem, Diſcipulum, Amicum, Defenſorem, à quo non ſemel fuit cõtra Cenſores ignorantes protectus, à quo fuit in Scholis excellẽtiſſimis prælectus, & dilucidatus, cui amicitiæ fœdere

Quàm omnia hæc lepida! ergo non vult Diana Caramuelem nec Scotiſtas intelligere.

Quod iterũ dicit Caramuel.

Diana qualis?

dere

dere fideliſſimè & arctiſſimè eſt iūctus, & ut in litteris ſuis loquitur, *uſq; ad effuſionem totius ſanguinis*: pro quo viciſſim vitam, ſi ſuccurrat occaſio, expendet libenter Caramuel. Sed dicet, *Amicus ille, ſed magis amica Veritas*. Quæ autem veritas? Hîc Vigilantiſſimus Vir, dormitat; oculatiſſimus, cæcutit; amiciſſimus, ſui ipſius obliviſcitur; & doctiſſimus, rē non vult capere: Quis enim negabit Viro tanto poſſe, ſi velit? At quis negabit amico tāto velle, ſi poſſit? quid ſcio. In Dianâ etiam nunc & in æternū meo, pietatem veneror, Ingenium veneror; & tamen me & totam Scoti Scholā mecum graviſſimè vulneratā ab eo video; & tamen ita illum amo, ut contra nil opponere poſſim: Patere igitur Eximie Dominæ Magiſter mi, ut qui nolo dicecere te ingenio aut voluntate deliquiſſe, dicam ſaltem te nimis feſtinum in illius Libri mei lectione properaſſe, & ideò me non benè audiviſſe, ſi enim audiviſſes exactè, tanto es ingenio & doctrinâ ſuffultus, ut etiā intelligeres benè. Patere igitur ut intactâ perſonâ tuâ (ſum enim verus amicus tuus; amo me Tibi; nec tanti mihi eſt perſona mea, ut eam velim defendere, cum damno Tuæ) verba Tua recognoſcam, dicamque aliqua referri ut mea, quæ mea ſunt; aliqua quæ fuſiſſimè impugno in Libro Morali quem citas, & totum non legiſſe videris.

CCCXXIII. Aſſerebas primò *fornicationem eſſe intrinſecè malam, hoc eſt præſcindendo ab omni prohibitione divinâ.* Hanc aſſertionem tuam eſſe contra meam doctrinam fateor; At illam tuam negat ſubtilis Doctor, negant Patres Frāciſcani univerſi, negant omnes etiam Scotiſtæ, qui nō ſunt Franciſcani, nego & ego. Quod ſi nomine *malitiæ intrinſecæ* intelligas illam quæ à violatione Decalogi, & nomine *malitiæ extrinſecæ*, quæ à violatione humanæ legis provenit, dicam Fornicationem, Mollitiem, Homicidium, Furtum, eſſe intrinſecè mala: hoc eſt, habere malitiam talem in qua Iura humana diſpenſare non poſſint.

An peccata ſint intrinſecè mala?

Addebas *fornicationem non ſolum prohibitam iure poſitivo ac divino, ſed etiam Iure naturali.* Concedo illam inhibitam Iure naturæ. Sed quid nomine *Naturæ* intelligas doceri volo. Anne Pater Eximie in Tuo Lexico Natura eſt aliquid diſtinctum à Deo, leges Deo imponēs, & homines vel Deo invito gubernans? Ride, ride. Scio oppoſitæ doctrinæ aſſeclas, hæc non admittere; at video inconſequentiā laborare, & ad tales anguſtias reduci, ut debeant ad nos venire, ne multas Chimæras concedānt. Natura à quā Ius naturale, nomen deſumit, Deus eſt; Natura naturās; Naturā eminens, à quâ pendent eſſentialiter omnes naturæ. ergo Ius naturale eſt ius Divinum poſitivum, quod ut diſtinguatur à ſacramentali, quod etiam Divinū & poſitivum eſt *Naturale* vocatur, quaſi *Nativitale*, ſumptâ Naturâ pro nativitate; hoc enim Ius natum fuit cum hominibus, & Legem Moyſeos, Evangeliū, & omnes leges poſitivas, quas tēporis ſucceſſu tulit Deus, anteceſſit. Hęc ego. At tu reponis contrà; Ius Naturale, nō eſſe Ius Divinum à Deo latum. Sed hoc Tibi negat Scotus, negant univerſi Scotiſtæ, quibus ego conſentio.

Quid ſit natura?

Deus eſt natura naturans.

Naturale quaſi nativitale.

Aſſerebas ſecundò, *Caramuelis ſentētiâ, ſi mors cuipiam intētaretur, niſi ad mulierem non ſuam accederet, licere ei accedere, ut vel ſic ſuæ ſaluti conſuleret. Item eiuſdem ſententiâ poſſe Virum ad non ſuam accedere ob bonum Patriæ procurandum.* Si hæc dicit, mirabiliter delirat Caramuel! Si hæc rationibus ſuadere conatur, ligari argumentator debet, rationes eius CCCXXIV.

ſolvi non debent. Quod ſi ne ſomniando quidem has hæreſes (ſunt n. non errores Theologici ſolùm, ſed hæreſes) approbârit Caramuel, Deus bone, quãta illi iniuria fit, & à quanto illa amico! Dicit & docet Caramuel ſtante hoc rerum ordine permanere Decalogum; & hoc ſtante, ut ſtat fornicationẽ eſſe malam, neq; ullo unq̃ caſu poſſe eſſe licitã, cùm careat convenienti modo & ordine; quẽ Natura (hæc eſt Deus; meo n. Deo nulla Natura dominetur) ad ꝓmotionem prolis inſtituit, & requirit; quâ propter etſi mors cuipiam intentaretur, niſi ad mulierẽ non ſuam accederet, mori omninò deberet, hominiq; contra Deũ præcipienti obedire non poſſet. Ita fecit Suſana, quæ cũ aut moritura eſſet, aut cognoſcenda à laſcivis Iudicibus; *Danielis c. 13.* ingemuiſſe legitur & dixiſſe: *Anguſtiæ ſunt mihi undique: ſi enim hoc egero, mors* (mortale peccatũ) *mihi eſt; ſi autem non egero non effugiã manus veſtras. Sed melius mihi eſt abſque opere* (ſcelerato videlicet) *incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini.*

Potiùs mori, quàm peccare.

[*Nota illud melius, pro Morali Dialecticâ.*]

Quid ſi totius Patriæ ſalus ab unicâ fornicatione penderet? Permitti deberet perire, & committi fornicatio nõ poſſet. Ecce Diana, Caramuel idem ſentit quod Tu, idem dicit quod Tu: hãc doctrinã putat eſſe de Fide; contrariũ ſentienti dicit anathema: & pro veritate q̃ à Fide didicit, ſanguinẽ vitamq; libertimè & conſtantiſſimè fundet, cũ ſuccurrat occaſio. Quo ergo Iure hos articulos Chriſtianæ Fidei congeris contra Caramuelem? Non id Caramuel, Eximie Domine, ꝙ ei adſcribis, ſed aliud toto cœlo diverſum. Tenet cũ Subtiliũ Schola Caram. ꝙ ſi Deus in Decalogo diſpenſaret, (ſit caſus poſſibilis aut impoſſibilis) quod in tali homo caſu non peccaret, occidendo, fornicando, furendo, mentiendo, ſcandalizando. Tenet, quod ſi firmato quinto cætera ſecundæ Tabulæ præcepta Deus abrogaret, peccaret homo tunc occidendo, nõ tamen luxuriando, rapiendo, decipiendo; &c. additq; in tali caſu habiturũ obligationem ponendi media, aliàs non peccaminoſa, quę eſſent præcisè neceſſaria ad conſervationẽ ſuæ vitæ; cumq; in tali in illo rerum ſtatu, fornicatio nõ eſſet peccaminoſa, ſi tamen juxta artis Medicæ regulas diceretur præcisè neceſſaria ad ſalutem; eſſet non ſolum licita, ſed & obligatoria, eo videlicet modo quo alia pharmaca vel medicinæ: ſæpe enim obligamur ponere remedia, quæ non ſunt peccaminoſa; ſi tamen dicuntur eſſe ad ſalutis conſervationem præcisè neceſſaria; nempe cũ talia dantur. [nam ut aliquid de re Medicâ dicam, à Chirurgis interdum media præcisè neceſſaria præſcribi exiſtimat Caramuel: dubitat tamen an inveniantur pharmaca quæ verè neceſſaria dicantur. Sed de hoc alibi.] Hæc Caramuel. Hæc eſſe certa dicunt cum Caramuel Scotiſtæ: hæc eſſe probabilia omnes Thomiſtæ, & omnes qui dant operam aliis ſcholis. Eſſe improbabilia & cenſurâ Theologicâ digna Diana unus, quem hallucinari potiùs credo, & aliquâ æquivocatione aut præjudicio laborare, quam velle Scholæ Scotiſtarum puriſſimæ, ſanctiſſimæ, doctiſſimę, iniuriam tam magnam inferre.

An Medicina præcisè neceſſaria ſit?

Nota. Tametſi dicta viderentur ſufficere, ut meus ſincerus Lector cognoſceret eſſe Scotiſtarum doctrinam communiſſimam, quam meus Diana condemnat, adhuc propriæ tenuitati diffidens Pragenſes Scotiſtas conſulo, & eorumdem Deciſionem ſubſcribo. CCCXXV.

Cenſura Theologorum Pragenſium.

Reverendiſſime & Eximie Domine Magiſter noſter. *Tres* ad nos Poſitiones

Digitized by Google

tiones videndas examinandas & cenſurandas mittis.

Malitia quid?

Prima eſt; *Probabilis eſt doctrina Scoti docentis, actiones, quæ ſunt peccaminoſa, eſſe malas peccaminoſè, quia prohibita divinitus ſunt; non tamen ideo fuiſſe divinitùs prohibitas, quia præſcindendo ab omni prohibitione Divinâ, vel ut alij loquuntur, ante omnem prohibitionem divinam, adhuc illa erant mala peccaminoſè.*

Sublatâ lege non manent peccata.

Secunda *Stando huic doctrinæ certum eſt ſi vel DEVS ſecundam Decalogi tabulam non tuliſſet, vel latam totam abrogaſſet, & eandem materiam aliâ lege non prohibuiſſet, homicidia, fornicationes, peccata contra naturam, furta, mendacia &c. non fore peccata.*

Tertia *Stando eidem doctrinæ certũ eſt, ſi DEVS tolleret ſextum præceptum Decalogi tantum (caſus ſit poßibilis aut impoßibilis) & relinqueret quintum: &c. Eum, qui laboraſſet abundantiâ ſeminis, ita ut vel deberet neceſſariò mori, vel illud decidere, teneri potiùs eligere deciſionem quamcunque, quàm mortem.*

Circa has propoſitiones duo inquiri poſſunt. alterum, *an ipſæ revera ſint Scoti & P. Franciſcanorum Scholæ,* & alterum, *an ſint probabiles?*

Reſolutio prima.

Nos igitur unanimi conſenſu reſpondemus ad primum: has tres propoſitiones eſſe Scoti; eſſe omnium melioris notæ Scotiſtarum, defendi in noſtris Scholis quotidie, eaſque nos hîc & ubique terrarum docere. Quamobrem hanc aſſertionem; Hæ tres propoſitiones, non ſunt Scholæ Scotiſtarum, eſſe improbabilem, & erroneam manifeſtè affirmamus.

Reſolutio ſecunda.

Dicimus ad ſecundum, nos nolle reſpondere; & orare V. Reverendiſ. & Eximiam Dominationem ne alios conſulat; inferret enim injuriam ſoli, qui rogaret, an luce careret? habet adagium, *Non eſt ſatis caſta, de quâ quæritur,* & inquirere, an opiniones noſtræ Scholæ ſint probabiles, eſſet reducere in dubium rem certam; & petere, an habeant Scholâ Scotiſtæ? nemo enim ita amens fuit, ut unius integræ Scholæ (puta Thomiſtæ, Scotiſtæ, &c.) ſententias improbabilitatis condẽnaret: in omnium enim opinione una Schola (imò multo minus) ſufficit ad faciendam opinionem probabilem. Sic ſentimus; Sic etiam ſentire V. Reverẽdiſſimam & Eximiam Dominationem credimus. Scoti enim nonnullas opiniones reijcit, at nullam unquam vocavit improbabilem: quin potiùs has ipſas, de quibus impræſentiarum agimus, ſemper vidimus à V. Reverendiſſima & Eximia Dominatione imo etiam ab omnibus, qui politiori doctrinæ dant operam, ut probabiliores defendi. Pragæ in noſtro Collegio 15. Iunij 1650.

Opinio unius Scholæ eſt probabilis.

Fr. Bernardinus Clanchus Guardianus & S. Theol. Lector.

Fr. Daniel Bruoder S. Theologiæ Lector.

Fr. Antonius Donnillus S. Theolog. Lector.

Ego idem ſentio, nec in prima poſitione, quæ eſt baſis aliarum aliquid cenſurâ dignum reperiet, qui attentè conſiderat actionem peccaminoſam ſeu peccatum aliud eſſe Philoſophicum ſeu lege Philoſophicâ, aliud Theologicum, ſeu lege Divinâ poſitivâ prohibitum, quæ ultima peccaminoſitas ſeu malitia relictis aliis à Scoto Theologo conſiderata eſt, nec

Peccatum duplex: Philoſophicum, Theologicumq;

Digitized by Google

Etiamſi Deus non eſſet darẽtur peccata politica.

eſt, nec tamen ideò negavit vel negare potuit, peccatum politicum quà tale, v.g. mendacium furtum vel homicidiũ eſſe politicâ prohibitione & punitione dignum, etiamſi Deus non eſſet, vel non eſſet vindex malorum.

Fr. Ludovicus Connaus
SS. Theologiæ Lector.

Sed cur tam multa in re tam clarâ? me coëgit Diana; qui has fortè ſubtilitates nimis feſtinus didicit iunior, & modo notâ inurit ſenior: ubi cenſurâ digna eſt ſola Dianæ cenſura. Tranſeo ad alia; nam ut plura dicam me cogit veracitas & ſinceritas, ne plura dicam amicitia amorque: ergo ut utriſque fiat ſatis, hæc paucula ſufficiat adnotaſſe.

****

FUNDAMENTUM XIII.

De authoritate & juriſdictione Humanâ.

CCCXXVI. *An obediendum ſit & quibus?*

OBediendum eſt Deo: Obediendum eſt Præpoſitis Eccleſiaſticis & ſæcularibus. Singuli enim tenentur obedire ſuis; nõ quidem abſolutè, ſed intra terminos eorum authoritatis, videlicet Pontifici, Cardinalibus, Epiſcopis &c. in Eccleſiaſticis: Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, &c. in Regularibus: Cæſari, Regibus, Principibus, Cõſulibus, &c. in ſecularibus. [in libertino hoc ſæculo, in quo plerique ſe non dici, volunt ſaltem independentes eſſe, prima Lex pronuncianda eſt, *Leges ſervantor:* quia ſi non ſervantur, ad quid conducere poterunt Leges?]

Prima Lex.

CCCXXVII. *Cur debeamus obedire Præpoſitis?*

STante hoc rerum ordine facillimè quis oſtendere poteſt, debere Filiũ Patri, Religioſum Prælato, Vaſallum Principi, Servum Domino, & Famulũ Hero ſervire: ſtat enim quartum Decalogi præceptum, quo nobis à Deo indicitur, ut ſuperioribus noſtris obediamus. Sed quid dicendum illi, qui Decalogi præcepta reijceret, & de Dei authoritate Legislativâ dubitaret? Quo deberet probari aut potiùs demõſtrari modo, Deum leges ferre, & hominibus præcepta imponere? Quid, ſi novi illi Hæretici, qui nati in Angliâ ante annos paucos, & *Independentes* dicuntur, ſicut hodie ab hominibus, cras velint à Deo non dependere? Quo illos ratiocinio compeſcerẽ, quo convincere & convertere poſſes? Reſpondeo hanc quæſtionem merè ſpeculativam, nec neceſſariam ita nobis, ut ex illâ Chriſtiani mores dirigere poſſimus: ſupponimus enim Deum habere ſupremam & abſolutam authoritatem in homines; nec enim Chriſtiani eſſe poſſemus iſtâ veritate negatâ. Et hanc ob rem non me morabitur hæc Cõtroverſia, quam fuſè tracto *in Theologia Moralis Lib. 1. per totum,* iuxta editionem Lovanienſem.

Independentes qui?

An obediendum ſit Deo, & cur?

An clauſis oculis ſtandum Decretis Pontificum?

Quantum differant

CUm objiciuntur contra veteres authorum Opiniones, Pontificum iunio-

Digitized by Google

Catholici Pontificum Summorũ Decretis?

iuniorum Decreta, adquieſcunt ſtatim Theologi; & malunt obedire, quàm cum ſuperioribus ſuis diſputare. At interrogo: An Decretis Summorum Põtificum neceſſariò ſit adquieſcendum?

CCCXXVIII. *Alia præcipiunt, alia regunt, alia conſulunt.*

Reſpondebis ex Dianâ *part.3.tract.2. reſol.4.* alia Decreta eſſe præceptiva, alia regulativa, & cõſultiva. Verba Dianæ ſunt hæc. *Nec obſtat huic ſententiæ Decretum Clementis VIII. quod affert Peregrinus pro ſuâ firmandâ opinione: nam reſpondeo cum Molſeſio & Alphonſo de Leone, & aliis, Decretum illud non eſſe latum à Pontifice per modum præcepti irritantis confeſſionem aliter factam, ſed per modum regulæ & conſilij.* An non, ſi ſic incipiamus exponere Decreta Pontificum, pauciſſima præcepta remanebunt? Et ſi hoc decretum ſic exponitur, cur non & poterunt eodem omninò modo Pontificũ univerſa Decreta? Anne dialecticaretur malè, qui diceret, ſtante hâc Dianæ doctrinâ ne unum quidem Pontificium Decretum fore præceptivum? Vellem videre diſparitatem, quam difficulter aſſignandam video.

Sed quis illa diſcernet?

An clauſis oculis obediendum ſit Cardinalium Præceptis?

CCCXXIX. *Cardinalium authoritas duplex.*

DUplex eſt in Eminentiſſimorum Dominorum Congregatione Poteſtas; Definitiva, & Præceptiva. Quãtæ ſint authoritatis eorum Deciſiones, iam vidimus Fundamento quinto. Quantæ ſint poteſtatis Leges & Præcepta, quæ ab eiſdem emanant, videamus.

Omnia, quæ de Cardinalium Legislativâ poteſtate diverſis in locis habet Diana, Auſonius Noctinot *in Summâ. verb. Cardinalis.* 23. ad compendium, & hæc verba reducit. [Declarationes Cardinalium ait, ſecundum Salaz *de legib. tract.*14. *diſp.*21. *ſect.*12. & alios, habẽt vim Legis, & faciunt probationem neceſſariam, ac ſi eſſent Pontificis reſpõnſa, quia Cardinales habent authoritatem à Papâ declarandi interpretandi & reſpondendi, ut habetur in Bullâ Sixti V. ſeptimâ in part. 2. Bullarij. Et ſuper dictas Declarationes Papa ſtatim dat Breve, & Auditor Cameræ monitoriũ in executionem ipſarum, eaſque Rota ſine ullâ controverſiâ recipit & amplectitur. Et tandem ita ipſa Sacra Congregatio declaravit cuidam Abbatiſſæ Meſſanenſi apud Garziam *de benef. tom.* 1. *in præf.* (Villalobos *tom.*1. *tract.* 2. *dub.* 7. *nu.*7. Layman *lib.*1. *tract.*4. *cap* 3. 7. *nu.* 28.) & alij id negant: Quia de ratione legis eſt, ut promulgetur, dictæ verò declarationes nunquam promulgatæ fuerunt de Mandato Pontificis. (Neq; dicas Declarationes non condere novum Ius, ſed antiquum declarare, ac proinde non egere promulgatione, nã in dubiis ſunt velut novæ leges) Ochagravia *de Sacrament. tract.* 2. *quæſt.*40. *n.* 12. Torreblanca *Practic. Iuris Eccleſ. lib.* 14. *cap.*3. *num.*19. aiunt habere vim legis, ſi habeat has conditiones. Prima ut pronuncietur conſulto Romano Pontifice. Secunda ut ſint ſolæ Declarationes & interpretationes; minimè autem diſpenſationes, reſtrictiones, &c. Tertia ut exhibeantur in formâ authenticâ ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti, ac Congregationis Secretarij. Diana *part.*5. *tract.*2. *reſol.*96. Quod ultimum requiritur ex declaratione ipſius Sacræ Congregationis, ut faciant fidem: Diana *part.*5. *tract.*1. *reſol.* 12. Sed *part.*1. *tract.*10. *reſol.*29. adhæſerat opinioni Villalobos. Ex his ait Merolla *tom* 2. *diſp.*4. *dub.*12. *n.* 175. quod ſi adſint duæ Declarationes contrariæ, de eodem articulo, ſi utraque facta eſt conſulto Papâ, ſtandum eſt ſecundæ; quia ſe habent ac ſi ab ipſo Papa emanaſſent, in quo caſu ſecunda abrogaret primam: ſi verò tantùm altera facta eſt

Eorum Deciſiones quantæ ſint certitudinis?

Legum natura.

Conditiones notandæ.

Quid requiratur, ut declarationes Cardinalium ſint authenticæ?

Quid faciendum cũ dantur Deciſiones cõtrariæ?

Digitized by Google

de conſenſu Pontificis, illi ſtandum eſt: ſi tandem in neutra, licitum erit cuicunque ſequi, quam maluerit ſicut ſi eſſent duæ opiniones probabiles. Diana *reſol. 96. citatâ in fin.*] Hæc ex Dianâ Auſonius. Lego & relego illa, & ſcrupulos meos & dubitationes ſubſcribo.

cccxxx. *Committitur clariſſimus circulus.* Lego primò illa verba, *Ita ipſa Sacra Congregatio declaravit cuidam Abbatiſſæ Meſſanenſi*, & inquiro, an bene probetur Cardinalium authoritas, reſolutione eorundem Cardinalium? Videtur enim probari idem per idem: cum quia Cardinales prætendunt, ſuas Declarationes habere vim Legis, cur non conſequenter id ipſum interrogati reſpondebunt? tùm quia contrarium ſentiẽtes, ſi aliis Declarationibus eorundem Cardinalium non deferant, nec deferent, Declarationi datæ Meſſanenſi Abbatiſſæ: ideo enim hæc ipſa infallibilis dicenda erit, quia omnes infallibiles ſunt: & ſi fallibiles aliquę ſunt, hęc ipſâ certitudine caret. Ergo committitur mirabilis circulus, cum Declarationum authoritas & poteſtas Declaratione eorundem Cardinalium probatur.

De Generali Concilio. Hinc occurrit aliud dubium in re maiori: Suppono Concilium Generale errare non poſſe, Provincialem Epiſcoporum Synodum poſſe. Vnde autem ſciet Petrus hanc Synodum determinatam eſſe generalem. Nam ſi ipſamet ſe eſſe generalem definiat, ſic poterit Petrus argumentari. [Non repugnat, quod Provincialis Synodus, definiat ſe eſſe Generalem; quia ſi repugnaret, maximè quia hæc definitio eſſet falſa; ſed hoc nõ urget, quia Provincialis Synodꝰ falſas definitiones edere poteſt.] Ergo datur aliquid ſupra, aut præter Concilia Generalia, quod poſſit definire utrum illa ſint aut non ſint Generalia. Quid ergo ad hanc inſtantiam Galli, quid Hiſpani, quid multæ aliæ Nationes reſpondebunt? *An Summus Pontifex ſit ſupra Concilium?* Vel ſi illud aliquid, (nẽpè Summum Pontificem) quod ratio velut digito demonſtrare videtur, non ſit ſupra Concilia Generalia, nec eorundem Iudex, iuvari à Gallis volo, & doceri, quo reſponderé poſſim modo Molinæo & alijs aſſerentibus, *Tridentinum non fuiſſe Conciliũ Generale*? *An Tridentinum fuerit Concilium Generale?* Hæc difficultas breviter à nobis propoſita, ſummi momenti eſt, & deſiderarem illam à Politicis controverſiis expungi (non enim Politicam Romanam, ſed Fidem Romanam concernit; quam amplectuntur univerſi Catholici, nempè etiam illi qui Politicas ſuis Nationibus proprias anteferunt Romanæ Politicæ) & ſine præiudiciis, à Romanis & Gallis pertractari.

Lego ſecundò opinionem Villalobos & Laymanis, & interrogo, quam cccxxxi. authoritatem habeant Cardinalium Declarationes, ſi horum Authorum opiniones ſequamur? Nam ſi non me decipit Logica, neſcio quid, ſtando iſti doctrinæ, poſſit in totâ Morali Theologiâ Declarationibus Cardinalium probari. *An Cardinaliũ Declarationibus aliquid probari poſſit.*

Lego tertiò Ochagraviæ & Torreblancæ limitationes, & ſic diſcurro. *Si prima limitatio* ſit vera, omnes ad unam Declarationes mihi homini Tranſalpino erunt dubiæ: quid enim ſcio, an pronunciatæ ſint aut non Pontifice Summo conſulto? Et cum generalis doctrina præcipiat, ut in dubiis ſtemus pro poſſeſſione, quæ præceſſerat; debebo dicere eaſdem Pontifice inconſulto prodiiſſe; nam ante conſultationem dubiam erat in poſſeſſione non-conſultatio certa. *Si ſecunda limitatio* admittatur, nulla erit Declaratio, quæ non poſſit diſpenſare aut reſtringere: ac propterea non habere vim legis. *Si tertia limitatio* ſubſiſtat, nullã habeo Declara-

Digitized by Google

clarationem, pro authentica; neſcio enim alias Cardinalium Declarationes, quàm quas in libris Authorum Recentiorum lego, quas tamen proprijs oculis video carere Congregationis Sygillo, & ſubſcriptione Decani & Secretarij.

CCCXXXII. *Cardinalium Declarationes ſunt probabiles.* Lego quartò in ſententia Merollæ, *Si adſint duæ Declarationes contrariæ de eodem articulo,* & infero non eſſe habendas, ut articulos fidei, inter quos nulli dantur contrarij, ſed ut reſponſa hominum doctiſſimorum, quæ probabiliſſimè pronunciant; quod poteſt aliter ſe habere, & forſitan aliter ſe habet. Subſlego illa verba, *Si neutra (puta emanaret à Papa) licitum erit cuique ſequi quam maluerit, ſicut ſi eſſet duæ opiniones probabiles.* Et infero. Ergo Cardinalium Declarationes nunquam plus habent, quàm eſſe probabiles. Patet: nam quādo dantur duæ, ſunt probabiles; At, quando datur una, non repugnat dari alteram datæ contrariam: ergo quando datur una, eſt tantùm probabilis. Propoſitio enim certa & demonſtrata (realiter aut moraliter) illa eſt, contra quam, nec dabitur, nec poterit dari alia, quæ ſit probabilis.

CCCXXXIII Ante annos pauculos Sueci totam Bavariam inundaverunt, & profanarunt: dubitatum, An altaria deberent de novo conſecrari? Et quanta eſſet turbatio in Germaniâ ſi admitteretur illorum reſolutio, qui aſſerenti opinioni ſubſcribunt! Erant anxij Epiſcopi, & nomine Illuſtriſſimi Principis Friſingenſis (aut etiam Auguſtani) conſulti Domini Cardinales; reſponderunt conſecranda eſſe denuò. At omnes docti in Bavaria judicantes rem eſſe impoſſibilem aut ſummè difficilem ab Eminentiſſimis præcipi, unanimi voce dicebant. *Quid curamus Cardinalium Declarationes, quando habemus pro nobis Opinionem probabilem.* Et de facto Theologorum ſententiam Eminentiſſimorum Declarationi præponentes, noluerunt Altaria iterum conſecrari. Narro hoc quod vidi proprijs oculis; ut intelligat Lector, quomodo philoſophentur Germani, quos ſi putet improbabiliter philoſophari, poterit iuvare aliquâ demonſtratione, quâ evincat Eminentiſſimorum Decreta, non tantum probabiliori doctrinæ inſiſtere, ſed certæ & quæ ſit ſupra omnem aleam probabilitatis. *An Cardinalium Declarationes opinionibus Doctorum probabilibus ſint poſtponendæ?*

An clauſis oculis obediendum ſit alijs Prælatis?

Circa authoritatem Epiſcoporum, & Regularium ſuperiorum, aut conveniunt Theologi, aut pauciores aut minùs diſtantes opiniones ſequuntur, quam circa authoritatem Cardinalium. Cæſaris, Regum & Principum authoritas expreſſa eſt legibus fundamentalibus Rerum publicarum, quæ etiam Superiores obſtringunt, & ſolēni juramento firmantur. Nemo hodie in Mundo poteſt omnia præcipere; nam nullius infinita eſt poteſtas, & ſinguli continere ſe debent intra terminos ſuæ authoritatis. Subditi etiam interdum tolerant aliqua Superiorum miracula, & permittunt in Principe, Potentiam abſolutam cohibere aliquando Ordinariam. At verò, quando Princeps abſolutâ utitur ordinariò, nec curat leges juramento firmatas, cœcus erit qui aſſerat homines in tali caſu liberos clauſis oculis obedire debere. CCCXXXIV. *Nullus homo omnia poteſt.* *Politica ſuperierum miracula.*

De Summi Pontificis, & aliorum omnium Epiſcoporum ordinariâ & privilegiatâ authoritate.

cccxxxv. TOt paucis diebus, quibus Moguntiæ fui, an. M. DC.XLIII. antequã aſſumerer in ſuffraganeum de Eminẽtiſſimi Principis authoritate dubia mota; toties ego de eiſdem controverſiis conſultus; ut debuerim quantum itineris permiſit incommoditas, ſtylum feſtinantem abripere, manuque volanti & feſtinâ timoratas amicorum conſcientias conſolari. Conſilia aliquot ſcripſi, quæ Spiræ in Libellum coiere paucis additis. Occurrebant quotidie intricata negotia, & ut illa faciliùs & tutius expediret Eminentiſſimus Princeps Elector Anſelmus Caſimirus impetravit Pontificium Diploma; de quo varia fuerunt virorum doctorum iudicia. Erant aliqui ſatis docti & prudentes qui illud attentè relegentes dicebãt primò ex vi illius Diplomatis nihil poſſe facere aut concedere Princeps ſine gravi & notabili causâ, adeoque nihil concedi quod Princeps non poſſet; unde conſequenter inferebant hanc Bullam non ſolùm non eſſe neceſſariã, ſed poſſe authoritati Ordinariæ Principis Moguntini nocere. Epiſcoporum namolim in primitivâ Eccleſiâ poteſtas multo major; decrevit temporis ſucceſſu, & olim ni manu teneatur, decreſcet. Ut eliciat actiones naturales, quæ nulli ſunt divinæ aut humanæ interdictioni obnoxiæ, nemo prudens facultatem implorat; adeoq; nec Eminentiſſimus S. Sedis Moguntinæ Archiepiſcopus, ſi ſuæ velit dignitati conſulere, poterit uti privilegio Apoſtolico, ut diſpenſationes illas concedat, quas propriâ authoritate poteſt. Bullam illam quam toties relegunt, diſpungunt & examinant, nõ eſſe omninò neceſſariam affirmant: & eandem ſi neceſſaria non ſit, fore nocivam neceſſariò; militabit enim contra ordinariam Principis poteſtatem, illâque ni magnam reperiat reſiſtentiam diminuet. *Quamobrem eorumdem primũ Conſilium, in huiuſmodi materiâ Pontificẽ Summum non conſulere, nullam deinceps Bullæ huius Confirmationem, aut continuationem procurare, nullum novum privilegiũ expetere.* Epiſcopi enim omnes, ſi cauſę dentur quæ non patiantur moram, nec publicari poſſint, ſine infamiâ aut ſcãdalo (has ipſas Bulla Urbani VIII. expreſſit) citra omnem Bullam & Diploma maiorem in amovendis impedimentis Matrimonialibus authoritatem habent, quam Eminentiſſimo Archiepiſcopo ſpeciali iſto Privilegio conceditur. Ego Autem quia teneo nullum eſſe ab Eccleſia privilegium cõceptum, quod non poſſit aut debeat ita exponi, ut aliquid probabiliter de novo concedat (debemus enim de viris magnis generosè ſentire, nec putare aut qui bullam implorat tam ſtupidum, ut ea poſtulet quæ citra Bullam poteſt, aut qui indulget, tàm avarum, ut nihil decernat concedere, cum ipſum privilegium concedit) conſequenter affirmo hoc ipſum Diploma fore utile vel neceſſarium, & aliquid concedere Principi Eminentiſſimo; Eumque vi huius Bullæ poſſe facere, quæ alias non poteſt. Sed quæ nunc ille? Poterat ſanè omnia quæ exprimuntur in Bullâ ex cauſa gravi, Ergo hoc Principi Privilegio conceditur, ut poſſit eadem etiam, ubi cauſa gravis non ſuppetit; modo adſit levis. Et hæc eſt, me Iudice, utilitas ex hac Bullâ probabiliter nata, quę in praxi poterit plurimas conſolari conſcientias. Textum Diplomatis conſideremus.

Authoritas Epiſcoporum indies decreſcit.

Omnia Privilegia aliquid videntur concedere.

VRBA-

VRBANVS VIII.

Venerabilis Frater Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Recognovi aliquas alias Bullas, quæ aliis diverſis annis emanarũt, & inter ipſas aliquã differentiã inveni; unde reor etiam illas, quæ aliis Epiſcopis conceduntur, non ſemper eaſdem eſſe: meum fuit communicatam ab Eminentiſſimo Principe Electore, illuſtrare: aliorum erit, circũſtantias, quæ in aliis additæ, enucleare & expendere.

CCCXXXVI. *CVm ſicut accepimus in tua civitate & Diæceſi Moguntina, multæ & diverſæ pauperes perſonæ matrimonia inter ſe per Verba de futuro non obſtante impedimento cognationis Spiritualis & compaternitatis cõtraxerint, & carnali copula conſummaverint, aut aliàs facta inter ſe promiſſione de matrimonio invicem contrahendo, ſeſe carnaliter cognoverint, quas ab invicem ſine ſcandalo ſeparare non poſſe dubitatur. Nos earum ſtatui & animarum ſaluti paternâ charitate conſulere volentes Fraternitati tuæ, ut ad triennium proximũ tantùm; omnes & ſingulos tuarum Civitatis & Diæceſis Moguntinæ, Maſculos & fœminas verè pauperes tantùm, qui quotidiano labore & induſtria victum ſibi parant, & dummodo Fidei Catholicæ Romanæ cultores exiſtant, ac gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habeant, qui impedimẽto propoſito non obſtante, matrimonia inter ſe ſcienter vel ignoranter contraxerint, & carnali copula conſummaverint, aut aliàs ſeſe carnaliter cognoverint, ad evitanda etiam Scandala, quæ ob vicinitatem hæreticorum contingere poſſent, impoſita illis propter præmiſſa aliqua publica vel alia pœnitentia ſalutari prout magis expedire iudicaveris & ab exceſſibus eiuſmodi, aliisque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis per eos propterea incurſis in utroq; foro authoritate Apoſtolica abſolvere, ac cùm eis reſpectivè, ut matrimonia inter ſe, de novo publicè ſervata forma Concilij Tridentini impedimento eiuſmodi non obſtante contrahere & in facie Eccleſiæ ſolemniſare, ac in eis poſtmodum remanere liberè & licitè valeant, dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint, nec non cum aliis etiã verè pauperibus tantùm quotidiano labore & induſtria victum ſibi parantibus Fidei Catholicæ Romanæ cultoribus, ac ſimiles gratiam & communionem haberi ſuper impedimento eiuſmodi, ita ut illo pariter non obſtante matrimonia inter ſe ſive ex eo quod mulieres dotem habeãt minus competentem, ſive ob locorum anguſtiam, ſive ad ſedandas inimicitias, aut ob alias rationabiles cauſas publicè ſervata forma Concilij Tridẽtini prædicti contrahere ac in facie Eccleſiæ ſolemniſare, ac in eis poſtmodũ remanere liberè & licitè valeant, dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint data authoritate diſpenſare ac proles etiam reſpectivè ſuſpectas & ſuſcipiendas exinde legitimas decernere, & nunciare, gratis tamen, & non alias liberè pariter & licitè valeas authoritate prædicta tenore præſentium facultatem concedimus & impartimur non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrariis quibuſcunq;. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 8. Maij, 1642. Pontificatus noſtri anno 19.* & erat ſubſcriptum *M. A. Maraldus.*

cccxxxvii. *Ponuntur illa omnia, quæ poſſunt in dubium reduci.*

MUlta occurrunt, quæ poſſent impræſentiarum prolixè examinari, ſed brevitatis cauſâ cõmunes controverſias omittam, illaſq; ventilabo ſpecialiter, quę iudicabuntur ſpeciales. Inquiram *Primò*, An hæc Bulla potuerit cõcedi? deinde an poſſit revocari? Poſteà an faveat Hæreticis, Iudæis, aut divitibus? hæc n. videntur & perſonã Põtificis, & literam Diplomatis cõcernere. Eminentiſſimiq; Principis Moguntini Authoritatẽ examinans, inquiram, An ipſe poſſit uti hoc privilegio ſine cauſâ? deinde, An datâ cauſâ rationabili poſſit non uti? An in conceſſione poſſit ipſe, aut ipſius miniſtri aliquas pecunias recipere? An non ſolũ in tertio & quarto, ſed & in alijs gradibus poſſit diſpenſare? Tandẽ an poſſit legitimare ex vi huius bullæ ad dignitates & ſucceſſiones ſeculares? Poſtremò claudã diſputationẽ curioſâ & omninò neceſſariâ controverſiâ, quæ authoritatẽ Epiſcoporũ ordinariam circa impedimenta Matrimonij radicitus examinabit. Omnia percurrã breviter, & rationib. clariſſ. ſingulas reſolutiones roborabo.

QVÆSTIO I.

An Pontifex potuerit concedere iſtam Bullã?

cccxxxviii. *Eccleſiaſtici & ſeculares in E[illegible] convenimus, at in Politicâ toto cœlo differimus.*

VIdeo extremas Theologorũ ſentẽtias circa Politicam Pontificis authoritatem; alij illam Liberrimam aſſerunt & honeſto nomine protrudunt, quæ verè, ſi non eſſet tyrannica, eſſet nimia: alij ita illã limitant, ut videatur non eſſe ſuprema. Sanè controverſia eſt difficilis & periculoſa; nemini n. licet ſuffurari à Regibus authoritatẽ, q̃ Pontifici affingat; nemini ſuffurari à Pontifice, q̃ prodigè concedat Principibus. Politica Romana & Germanica (ut Hiſpanica, Gallica, Belgica, &c. omittam) differunt toto cœlo: & ideò vix aut ne vix quidem calamis ideas mentis exprimere poterit, quin ſæcularibus aut Eccleſiaſticis ingratus: Quam ob rem dubia multa præteream, & tandem nervum difficultatis tangam.

DICO IGITVR PRIMÒ. *Non eſt liberũ Põtifici ſancire leges matrimoniales, aut alias quaſcunq; ſine rationabili cauſa.* Hæc veritas eſt manifeſtiſſima non n. ipſi conceſſa divinitus ſupra mancipia tyrãnis, ſed paterna ſupra filios authoritas, & D. Paulo aſſerente, ad ædificationem Chriſtianorum non ad deſtructionem, non ad perturbationem: unde, ſi, quod Deus avertat, accideret aliquẽ Pontificem privatæ ſuæ utilitati intentum Legem aliq̃ Matrimonialem ſancire, publico bono nocivã, ut hâc viâ nepotem aut amicũ privatum ditaret, eſſet lex illegitima & illâ non obſtante alter licitè & validè matrimoniũ contraheret. Cũ hanc poſitionẽ ſtatuunt, meminêre nõnulli URBANI V. Bernabonẽ Vicecomitem Mediolanenſem, & eius filios inhabiles ad matrimoniũ contrahendũ declarantis; ſed ſi rẽ bene examines, videtur Pontifex non tam privatã cauſam egiſſe, quã publicam; erant n. rebelles Eccleſiæ, aſſerentibus Alexandro de Nevo *c. tuas de Sponſa duorum*, Chalderino *ibid.* & Becano *de Sacramentis, c. 49. n. 6.* adeoq; bono expediebat publico, ne uxores ducerent, qui credebantur non niſi Romanæ hoſtes Eccleſiæ genituri. moris n. eſt in bene gubernatis Rebuspublicis ſterilitate condemnare homines poſteritate indignos. Lego in Bzovio; *Per id temporis in Scotia ultus eſt Deus cædẽ Adami Cathaneſij Epiſcopi, crudeliter interempti. Comes Cathaneſius innocentem occiderat, ad hunc modũ. Decimas more cõſueto fortè à popularibus exigebat Adamus, ac cũ non perſolverent diris ut mos eſt, exe crationibus, eos devoverat. Hi porrò Comite incentore, correptum domi ſuæ Epiſcopum, flagris prius fœdè caſum, in propria ipſius culina immaniter concremarunt. Quod flagi-*

cccxxxix. *Authoritas Summi Pontificis in ratione fundatur.*

Privatas & domeſticas commoditates non poteſt cum damno Eccleſiæ procurare.

Bernabo & eius filij matrimonio interdicti. Cur?

Item alij.

Adami Epiſcopi mors.

tium,

Digitized by Google

tium, ubi ad Alexandrum Regem perlatum eſt, (is tum Fedburgi erat) contractis quibuſdam paucis copiis, illuc extemplò ipſe proficiſcitur, at ſtatim comprehenſis ſceleris authoribus, qui ſupra quadringenti erant, omnes ſupremo affecit ſupplicio; filios vero impuberes eorum (nam puberes eundem cum parentibus exitum habuerunt) teſticulis privavit ut hominum ſceleratorum proles, ſucceſſione multiplicatâ, diu ſuperſtes eſſet. In cuius rei ſignum certiſſimum exſtat in hunc diem locus, ubi protecti teſtes erant, nomine rem ipſam referens; teſticulorum enim appellatus eſt collis. [Cuius hiſtoriam eò libenter recenſeo, quo maiori erga eundem obligatione reſtringor. Fuit enim noſtri Cænobij Melroſenſis Abbas uſque ad annum 1222. in quo martyrio coronatur, ut inter alios teſtantur Hector Boëtius Hiſtoriæ Scotiæ lib.13. *& Hiſtoria rerum Scoticarum lib.7.* Abraham Bzovius *in Annalibus Eccleſiaſticis anno* 1230. Arnoldus de Wion *lib. 2. libro vitæ cap.39.* Barnabas de Monte Albo *tom. 1. Chronicorum lib.2. cap.37.* Chryſoſtomus Henriquez *in Menologio 22. Iunij.* Conſultò dixi *noſtri Cœnobij Melroſenſis.* Nam IOANNES CARAMVELIVS anagrammaticè pronunciat, *MEL ROSA EI IVS à CVNA.* & idem Monaſterium cum authoritate Vicarij Generalis mihi ſub annũ MDCXXXIV. ab Ordine collatum eſt. Sed hæc privata ſunt, & Anagrammatica potiùs, quam Theologica: redeo ad publica.] Conſtat igitur ex iſtâ Hiſtoriâ, quam recenſui, ſolere perditiſſimos viros ſterilitate condemnari, ne illorum ſucceſſio aut memoria remaneat. Sed quia gladius Pontificalis à Regali diſtinguitur, quod Alexander Rex ferro præſtitit, hoc Urbanus V. interdicto. Privavit illos ſæcularis Monarcha phyſicis illis partibus, quibus ſublatis inducitur ſterilitas & impeditur generatio, iſtos Põtifex morali capacitate, quæ ad valorem Matrimonij requiritur, quâ ſublatâ, Vinculum impeditur, aut omninò dirimitur.

Homicidarum ſacrilegorum pœna.

Teſticulorũ collis.

Adamus iſte fuit Abbas Melroſenſis.

Anagramma.

Inquiris, An ſicut de Põtifice quoad totam Eccleſiam, ita etiam de Epiſcopo quoad ſuam philoſophandum ſit? Reſpondeo dando verba Becani *c.49. de Sacr. in ſpecie, quæſt.2. in fine:* ubi ſic ait: *Generatim loquendo quidquid poteſt Pontifex in totâ Eccleſiâ quoad externam Iuriſdictionem, poteſt Epiſcopus, in ſua diœceſi, niſi Pontifex ſibi reſervet. Nunc autem reſervavit ſibi hoc Pontifex in Matrimonio, ut plerique docent, tametſi nullo iure expreſſum ſit. Veriſimile eſt, Generali Eccleſiæ conſuetudine haberi hanc reſtrictionem.* Si ſolâ conſuetudine; ergo tota hæc quæſtio pendet ab Hiſtoriâ: & dubito *Primò.* An dari talem conſuetudinem ſit evidens. *Secundò,* An ſi dari ſit evidens, evidens ſit eſſe legitimam: hoc eſt, nec per errorem, nec per violentiam introductam? *Tertiò,* An ſi utrumque ſit evidens, evidens etiam ſit, quod hæ ipſæ evidentiæ poſſunt nobis ita proponi, ut eſſe evidentias percipiamus: an ſolùm credendum ſit dicenti dari has evidentias? Sanè ſi huiuſmodi evidentiæ non dentur, aut datæ gravem reſponſionem patiantur, ac propterea re ipſâ evidentiæ non ſint, tametſi evidentiæ vocentur, contrarium erit etiam probabile; quod altè perdendendum lectori curioſo relinquo. CCCXLI.

An Epiſcopi poſſint impedimenta Matrimonialia ponere?

Sæpe evidentiæ, quæ vocantur humanitus, non exedunt probabilitatem.

CCCXLII.

Dico Secundò. *Pontifex, cùm impedimenta matrimonij conſtituit, habuit rationabiles & ſufficientes cauſas.* His datis impedimenta huiuſmodi Eccleſiæ ponere potuiſſe apud omnes tam clarum, ut vix reperiatur Gentilis aut heterodoxa Reſpublica, quæ non tulerit leges circa impedimenta matrimonij.

Pontifex cauſas habuit.

Dico

Digitized by Google

De fine ceſſante in aliquo particulari.

Ceſſare ſolet duobus modis.

Dico tertiò. *Quando finis adæquatus legis ceſſat in particulari, ceſſat in particulari ipſa lex.* Dicitur finis in particulari ceſſare, aut contradictoriè, ſi in tali caſu non poſſit conſequi quod Lex intẽdit; contrariè ſi ex obſervãtia Legis ſequeretur aliquod inconveniens, quod cũ fine Legis componi non poſſit. Ita Rodriqu. *qq. Regul.* tom. 1. q. 11. artic. 1. & 2. Gambarupta *de Caſibus reſerv. c. 3. nu. 6.* Miranda *in Man. Pral. tom. 2. qu. 6. art. 11.* Homobonus *de exam. Eccl. p. 1. tr. 1. c. 6. q. 29.* Narbona *de appellat. à Vicar. ad Epiſc. n. 189.* Cochier *tract. de perm. benef. part. 2. c. 30.* Garſias *de benef. tom. 1 in præf.* Salas *de legib. tract. 14. diſp. 21. ſect. 12.* Zipæus *in anal. Iuris Ca. Epiſ. ad Lectorem.* Leon *tract. de Iubilæo part. 2. q. 5. n. 207.* Bellochius *de caſ. reſerv. p. q. 2. nu. 82.* Diana *part. 1. tract. 10. Reſolut. 28.* & Ego *in Com. in Reg. in Schol. in Philipp. & ſæpe alibi.*

Qualis ſit adæquatus finis.

Hinc infero eos qui dixerint totum finem Legis impedimẽta matrimonialia imponentis ceſſare quando contrahentes pauperes ſunt, dicturos ẽt Legẽ ipſam in eodem caſu ceſſaturam. Sed an totus & adæquatus finis ceſſare ob paupertatem dicendus ſit, viderint alij; ego n. cautus ſum omninò nolle nimis curioſè hæc examinare, ſcio enim dari ſæpe fines diverſos (nimirũ Legis, Legiſlatoris, ſubditi) ſed ſi Legis adæquatus finis ceſſaſſe diceretur, nec Legiſlatoris nec acceptatoris privatos fines, & ſpeciales utilitates, in reſolvendo, aut in operando reſpicerem.

CCCXLII. *Corollariũ ex doctrina præcedenti.*

Dico quartò. *Ubi huius legis impedimẽta imponentis, adæquatus finis ceſſet in particulari, probabile eſt poſſe Pontificem diſpẽſare, at probabilius non eſſe neceſſariam Pontificis diſpenſationẽ.* Prima pars oſtenditur. Quia probabile eſt Legem Pontificiam non ceſſare, tametſi finis adæquatus eſſet in particulari; quia licèt opinio ſit, nulla ſolida ratione ſuffulta, & ſupponat diſtinctionem de quâ citatus Diana inquit, *ut verũ fatear, ego nũquã potui intelligere hanc diſtinctionem,* q̃ nec ego, nec multi me doctiores capiunt; nihilominùs habet tot Patronos ꝓ ſe, ut non poſſit non vocari probabilis; eã n. apud citatum Dianã tuetur & Laymã, Vaſquez, Suarez, Salas, Molina, Reginaldus, Sanchez, Coninch, Becanus, Rebelius, Villalobos, Miranda, Sotus, Lorca, Aragonius, Medina, Anguianus, Salonius, Felicianus, Sarmiento, Covarubias, Malderus, Sayrus, Bonacinna, Naldus, Pontius, Pitigianꝰ, Portel, Moneta, Vegha, & alij. Vnde probabilitate huius opinionis ſuppoſitâ diſcurro ſic. Probabile eſt non ceſſare legẽ, cũ finis adæquatus ceſſat in particulari; ergo cũ ſanctio impedimẽta matrimonio apponens ſit lex; non ceſſabit etſi finis adæquatus ceſſet in particulari.

Secunda pars ẽt oſtenditur. Probabilius n. eſt legem in particulari ceſſare, ubi ceſſat finis adæquatus in particulari; ergo idem eſt omninò dicendum de præſenti lege. Atqui ubi ceſſat lex non eſt neceſſaria diſpenſatio: ergo.

CCCXLIII. Dico quintò, *quando finis legis impedimenta huiuſmodi imponentis non ceſſat, adæquatè in aliquo particulari, tunc neceſſaria eſt Pontificis diſpenſatio, quæ ex rationabili cauſa liberè, licitè, & validè concedi poterit.* Eſt citra controverſiam.

Dico ſextò, *authoritatem ſuã ne graventur Chriſtiani, ſi ad Romanam Curiã cogerentur recurrere, prudenter Pontifex delegat: adeoq; ex hypotheſi, quod Eminentiſſimus Sedis Moguntinæ Archiepiſcopus hanc aliunde poteſtatem non habeat, dicendus eſt Pontifex, prudenter conceſſiſſe hanc Bullam, & delegaſſe authoritatẽ diſpenſandi.* Patet; quia aliàs intolerabile eſſet iugũ Chriſti, ſi

ſti, ſi

Digitized by Google

ſti, ſi nulla diſpenſatio concederetur extra urbem, & tamen illud eſt teſte Chriſto ſuave & leve, & non intolerabile. Confirmat Reſolutionem communis Eccleſiæ praxis, quæ eſt legitima Pontificiæ poteſtatis interpres.

QVÆSTIO II.

An hac Bulla poſſit revocari?

CCCXLV. LIbenter hanc Quæſtionem examino, eſt enim ſimilis alteri gravi, quę nos, dum Salmanticæ ageremus, exercuit. Nã cum olim Urbanus noſter ab æmulis traduceretur, diceretúrq; hoſtibus Hiſpanæ Coronæ favere, contributiones illæ immenſæ, quas Romanis Hiſpania pendit, inceperunt paulatim diminui. Senſere ictum Curiales Pontificij, & ſe facturos ut ſua Sãctitas Bullam Cruciatæ revocaret minati, in cauſâ fuerunt, ut examinaretur, An illam revocare poſſet, ſi vellet? Sanè ex ſuppoſitione quod poſſet & faceret, leve vel nullum damnum pateretur Catholicus Hiſpaniæ Rex, nã ex Eleemoſynis, quas huius Bullæ intuitu elargitur ſubditorum pietas, non conficitur ſumma notabilis, tametſi contrarium noſtri viderint Parẽtes & Avi. Hiſpania n. laborat penuriâ hominum, ex quibus Iudæi & Heterodoxi, (ſatis multi ſunt, tametſi occulti) ob pertinaciam, pueri ob ętatis imbecillitatem, Religioſi ob participationis privilegium, mendici ꝑpter paupertatem, vix unquam illam recipiunt, vix unquam binos illos argenteos pendunt; unde ſupereſt ut pauciſſimi ſint, qui Bullâ utantur. Tãetſi Molinæus libr. de monarch. tempor. Summi Pontificis, cap. 26. n. 15. dicat. *Hiſpanos, Indos, & quotquot ferè ſubſunt Potentiſſimo Regi Hiſpaniæ cogi quotannis emi bullam remiſſionis peccatorum, &c.* Sed multa contra Orthodoxus Molinæus ignoranter & audacter obgannit. Sed

De Bulla cruciatæ, an revocari poſſit?

An multũ ex illâ colligatur? An ab omnibus recipiatur?

Molinæus exploſus.

quia ne leve quidem damnũ ſine cauſâ tolerandum à Republicâ eſt, ſeriò inquirebatur, An hæc Bulla revocari poſſit? at doctiores ſub illud tempus ſic.

Simplex Sacerdos, qui miſſam celebrat pro ſtipendio & ſui laboris precio, poteſt ſuam operam Petro addicere, liber enim & non mancipium eſt; at ex hypotheſi, quod ſtipendium receperit, ex iuſtitiâ tenetur celebrare, aliàs peccaturus mortaliter. Si ſtipendium reſtitueret ſacerdos, non tenetur Petrus recipere, ſed poſſet eum urgere ut ſtaret contractui, ni fortè gravis cauſa inopinata emergeret, tunc enim Petrus videtur debere precium reſtitutum recipere, ſacerdotemque à celebrandi obligatione liberare. CCCVL.

Sacerdos recepto ſtipendio pro miſſa, celebrare tenetur:

Pariformiter de Romano Pontifice diſcurrebamus. Liberum enim ipſi Bullam cruciatam concedere, aut nõ concedere omninò fuit. Cæterùm ex Hypotheſi, quod cum Regibus noſtris cõvenerit, & Principum Hiſpanorum obſequia præmio competenti donaverit (fortè & acceptaverit proprij laboris precium quod vociferabantur aliqui, nemo probabat) tranſivit conceſſio in contractum, qui reſcindi non poterit, ni obſequia recepta reſtituantur. Si reſtituantur iſta ex nullâ cauſâ, adhuc nõ tenebitur Hiſpaniæ Rex adquieſcere; ſecus, ſi detur urgens & gravis.

Ergo & Pontifex.

Hinc igitur ad noſtram Bullam deveniendo eius perennitatem ad dicta ſuperiùs elimabo. CCCXLVI.

DICAM PRIMÒ. *Vltra triennium non duraturam eſſe.* Conſtat ex illis verbis *ut ad triennium proximum tantùm, &c.*

DICAM SECUNDÒ. *Non concedit Eminentiſſimo Principi Electori in præmium, adeoq; ni aliunde obſit poſſe quotidie revocari.* Oſtenditur; quia tametſi præmia pertineant ad materiam iuſtitiæ, adeoq; revocari nõ poſſint, multa ſunt diploma-

Præmia ex iuſtitiâ debentur, revocari non poſſunt.

Digitized by Google

ta, quæ pertinent ad materiam gratiæ, & iſta poſſunt ex cauſâ, & ſine cauſâ revocari.

DICAM TERTIÒ. *Si propter hanc Bullam ſubſidium aliquod aut Eleemoſynam, aut quocunque nomine monetam indigitare volueris, recepiſſet Summus Pontifex, tranſiviſſet conceſſio in contractum, & revocari non poſſet, ni pretium illud & omnes expenſæ refunderentur.* Conſtat evidenter à pari. Nam, ut videmus, Sacerdos pauper citra Simoniæ invidiam de ſtipendio pro labore Miſſæ contrahit, nec poteſt non ſtare contractui, ni pecuniam receptam reſtituat.

DICAM QVARTÒ. *Si Pontifex argentũ, ſi quod recepiſſet pro ſuo labore, in concedendâ hâc Bullâ adhibito, vellet reſtituere, Non teneretur Eminentiſſimus Princeps illud recipere; ſed poſſet adhuc eâdẽ uti, & diſpenſationes concedere ut antea; & matrimonia ex tali diſpenſatione facta eſſent valida.* Patet quia ſicut in Phyſicis oculus non habet poteſtatem videndi, quod videri non poteſt, ſic nec Deus dedit Pontifici faciendi quod fieri non poteſt. Actus enim iuſtitiæ obligant univerſos Chriſtianos, nec Pontifici conceſſum à Deo eſt, ut contra iuſtitiam procedat.

NB. Sed hæ tres ultimæ Reſolutiones (tertia, quarta & quinta) fundantur in hypotheſi, quæ nõ ſubſiſtit in præſenti, quoniã pro expeditione huius Bullæ, ſicut aliarum etiam fortè aliquid Miniſtris, qui gratis non tenentur ſervire, at nihil Pontifici Summo fuit datum. Nimis generoſus eſt noſter Urbanus, nec qui vellet pecuniarum intuitu obſtringere ſuam libertatem. Ergo abſolutè dicendum eſt poſſe iſtam Bullam revocari.

QVÆSTIO III.

An hæc Bulla faveat Hæreticis & Iudæis?

MUlta hic occurrunt pulchra; ſed quia brevitati ſtudeo, nec ipſa omninò neceſſaria, nec neceſſariò omittenda. At verò, ut intento ſatisfaciam. CCCXLVII.

DICO PRIMÒ. *Si duo hæretici cũ impedimento velint contrahere, non poſſunt ab Eminentiſſimo Principe diſpenſationem ex vi Bullæ iſtius obtinere, tametſi pauperes ſint.* Patet, quia hic caſus Expreſsè excipitur illis verbis; *Dummodò fidei Catholicæ Romanæ cultores exiſtant, ac gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ habeant.* *De matrimonio Iudæorum & Hæreticorum.*

DICO SECUNDÒ. *Si hæreticus Catholicam, aut Catholicus hæreticam ducere voluerit, in impedimentis non poteſt Princeps virtute Bullæ diſpenſare.* Oſtenditur; nã ex Diplomatis literâ conſtat liquidò eſſe mentem Pontificis, quod in ſolis illis matrimonijs poſſit Princeps Elector diſpenſare, quæ à duobus Catholicis cõtracta: lego enim. *Cùm alijs etiam verè pauperibus tantùm quotidiano labore & induſtriâ victum ſibi parantibus, fidei Catholicæ Romanæ cultoribus, &c.* Sed quid, ſi *De matrimonio Catholici & Hæreticæ: aut contra.*

DICO TERTIÒ. *Inter Iudæos Moguntinos omnia Matrimonia, quæ non militant contra legem naturæ, ſunt valida.* Corollarium I. *Ergo & valida, quæ militant cõtra Ius Canonicum, Concilia Romanæ Eccleſiæ, & Decreta Pontificum.* Patet quia ipſi Chriſtianis legibus non ſubſunt, non enim baptizati ſunt. Corollarium II. *Ergo & valida quæ militant contra Legem Iudaicam.* Patet; quia lex illa vetus iam non obligat, Chriſti enim ſanguine deleta eſt. Nec error quo Homunciones iſti inficiuntur, in cauſâ, ut lex illa obligatoria dici poſſit; quia error non condit leges, ſed prudens Legiſlatoris voluntas. V.G. Si Pontifex diſpenſaret in quarto gradu cum omnibus fidelibus, etiã illi qui hanc diſpenſationẽ ignorarẽt, ſi in quarto gradu contraherẽt, validè contraherent: ergo ſimiliter de impedimẽtis legis veteris philoſophator. *Nota hoc bene.*

Dico

De Matrimonio Gentilium : & Iudæorum inter Fratres.

Dico Quartò. *Non poteſt Princeps Moguntinus permittere, ut ſolvantur inter Iudæos Matrimonia, quæ inter gentiles non poſſent.* Hoc, ut melius intelligas, pono caſum. Iacobus & Suſanna Iudæi & fratres contraxerunt matrimonium, & quia in lege veteri prohibetur, fuiſſe nullum Rabbini declararunt, ad Principem confugiunt & volunt manu teneri coniuges; Et dico illud matrimonium omninò fuiſſe validum, nec dari humanam potentiam, quæ invitis conjugibus ipſis ſolvat matrimonium ſemel validè initum. Addo debere illud à Principe defendi; poſſe tamen contra perſonas procedi, utpotè contra Gentilis, aut Iudaicæ Religionis hæreticas.

Sed quid, ſi per errorem cum impedimento contraxerint? Reſpondeo tūc deberi manuteneri, non tamen puniri niſi ignorantia nimis ſit craſſa. Sanè nō ſolùm apud Iudæos ſed & apud Catholicos matrimonia contracta cum impedimento putato, & non vero, ſi contrahentes intenderint quantum ex ſe eſt conſentire, ut in caſu ſupponitur, valida omnino ſunt. Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 33. *n.* 2. Gutierrez *de matrim. cap.* 47. *n.* 1. Baſilius Poncius *de matr. libr.* 4. *ca.* 23. *n.* 1. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 293.

An Princeps poſſit aut debeat legem Moſaicā confirmare?

Dico Quintò, *Prudenter procederet Princeps Moguntinus, ſi Diploma reſpectu Iudæorum ederet, quo impedimenta veteris legis, eo modo quo ipſi intelligunt, authoritate ſuâ firmaret.* Oſtenditur; quia hâc viâ obviaretur multis adulteriis, & illegitimis divortijs, quæ apud Iudæos accidere quotidie, certum eſt. At in tali caſu impedimenta illa Iudæorum matrimonia dirimerent, non quà poſita à Moyſe, cuius iam ceſſavit authoritas; ſed quà poſita ab Electore, non quà ſacerdote, non quà Epiſcopo, ſed quà Principe purè ſeculari. Fortè huiuſmodi Diploma implicitè conceſſum eſt, cum illi ſub protectionem publicâ authoritate admiſſi.

Dico Sextò. *Poſitâ lege Electorali impedimenta Veteris Teſtamenti reſpectu Iudæorum firmante, invalida erunt Iudæorum matrimonia, quibus lex vetus valorem negat. At ſi matrimonia inter Patrem Filiamque, Matrem Filiumque excipias, omnia reliqua erunt valida inter Iudæos ex diſpenſatione Eminentiſſimi Principis.* Patet, quia Achriſtianorum Princeps, quales Iudæi ſunt, poteſt leges ſancire circa impedimenta matrimonij, & eadem revocare, nec eſt cur non poſſit eadem de novo ponere, quæ olim Deus in teſtamento veteri poſuit. Sed hæc omnia poteſt, ut Princeps ſecularis independenter à Bullâ, quam impræſentiarùm exponimus. Hæc igitur pauca, quæ de Iudæis, curioſi examinent; ſunt enim nimis vera, & paucis Doctoribus nota.

QVÆSTIO IV.

An hæc Bulla faveat divitibus?

Divites ab hâc Bulla excipi ignorare non poterit, qui eam ſemel legerit; conceditur enim in gratiam pauperum: occurrerent tamen rationes quæ viderentur favorem ad divites etiam extendere. Sit CCCXLVIII

CONCLVSIO. *Non pōt Eminentiſſ. Princeps in impedimentis divitū diſpenſare.* Patet ex literâ, ibi n. legitur: *Maſculos & fœminas verè pauperes tantum, qui quotidiano labore & induſtriâ victum ſibi parant*, & inferiùs, *cùm aliis etiam verè pauperibus tātùm quotidiano labore & induſtriâ victum ſibi parantibus.*

De limitatione iniuſtè adhibitâ.

Dices. Limitationes iniuſtè poſitæ, favorem non minuunt; atqui hæc exceptio contrà divites iniuſtè ponitur: ergo ipſi verè non excipiuntur. Poteſt igitur Eminentiſſimus Princeps non ſolùm cum Pauperibus, ſed etiam cum divitibus diſpenſare.

Digitized by Google

De legato, ſi nubat. Probas maiorem. Quia Mariæ centum aureos ſi nubat, ſi fiat monialis nō, legante Ambroſio, V. G. illa habitura eſt legatum, etiāſi monialis aut cælebs ſit, eſt enim limitatio iniuſta. Sic etiam ſi Religioſo detur vas aureum ſub onere, quod nec in uſum n c proprietatem communitatis veniat, donatio erit valida, & cadet ſub dominium & proprietatem monaſterij, quia fit in odium voti paupertatis illa donationis limitatio. Ergo limitationis injuſtè poſitæ favorem non minuunt.

De circūſtantiâ, ne datum Religioſo, ad communitatem perveniat. Probas etiam minorem: quia cæteris paribus meliores ſunt divites pauperibus, nobiles ignobilibus, utiliores Reipubl. & Eccleſiæ, maiores contributiones pendunt, adeoq; digniores favore Pontificio: iniuſtè ergo Pontifex cùm indignioribus favet, digniores & meliùs de Eccleſiâ Catholicâ meritos excludit.

Confirmas, Nam hæc limitatio non reſpicit bonum Eccleſiæ publicum, ſed privatam utilitatem, & ſpeciale Curialium & Miniſtrorum lucrum: ergo eſt invalida.

CCCIL. *Quid ſit opinio probabilis.* *Ego tamen reſpondeo* me vidiſſe ſæpe cum plauſu in diverſis academiis multas opiniones defendi, quæ fundabantur debilioribus præmiſſis, q̃ adverſariorum ſententia. In gratiam Pontificis conſto meæ concluſioni; liberè an neceſſariò debuerim alij viderint, hoc n. decidere nec ꝓdeſt nec placet. Pręſtat n. objectioni cōtrariæ partis ſatisfacere.

Ad majorē dico eſſe omninò dubiū, an cōtractus infecti circumſtantiâ iniuſtâ ſint validi ut ſonant, an illa debeat ſupponi omiſſâ. Adeoq; dubium eſt an Maria, ſi monialis fiat, poſſit legatū adire, an Monaſteriū adquirere vas illud aureum, quod datur ſub onere ne cedat Monaſterio; quia cū unuſquiſq; ſit dominus ſuorum bonorum, poteſt legatis & donationibus leges præſcribere, ut docet Bart. *in leg. final. C. de pact. n.* 6 Sāchez *de matrimonio tom.* 1. *lib.* 1 *diſp.* 34. *n.* 11. & 17. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 207. *nu.* 13. vide Dianam *part.* 3. *tract.* 7. *reſ.* 57. Sed eſto maior vera; [bonorum n. privatorum poſſeſſio & diſtinctio ſubeſt iuriſdictioni publicæ, & poſſunt leges ferri, quæ ſtatuunt, quod ſtatutum adverſarij contendunt.] minor omninò eſt falſa. Ad probationem concedo divites eſſe meliores, utiliores, & meliùs de Eccleſiâ meritos quàm pauperes, adeoq; debere maioribus favoribus condecorari; nego tamen non potuiſſe nō excipi in hoc diplomate, poſſunt n. in alijs materijs majoribus experiri munificentiam & benignitatem Pontificis. Addo non bene dici hic reperiri limitationem aut exceptionē; quia potiùs pauperes excipiūtur reliquis in regulâ generali relictis; ratio n. ob quam excipiuntur pauperes, non invenitur in divitibus; illi n. ideo à regulâ generali excepti, committuntur Eminentiſſimi Electoris clementiæ, quia cùm non habeant unde vivant, ni manibus laborent, non poſſunt aut Romam ire, aut per procurationem agere, & divites utrumque poſſunt. *Nota bene.*

Ad confirmationem reſpondeo, me deſiderare omnia eſſe falſa, quę in ea aſſumuntur; ſed ſint vera, quid inde? lex tenet, etiam ſi ex malevolentiâ n. getur diſpenſatio, etiam ſi ex lucro.

QVÆSTIO V.

Quinam dicendi ſint pauperes ad mentem Romani Pontificis?

CCCL. *Qui pauperes dicendi ſunt.* Viderentur mendici omninò excludendi, quia Pontifex, cum agit de pauperibus, exponit mentem ſuam & operarios ſolos videtur intelligere, nā ut eſt apud poëtam neſcio quem

Non

Non eſt paupertas Phyllis habere nihil.
Sed opinor nō iri excluſum mendicos, illaq; Bullæ verba, *qui quotidiano labore & induſtriâ victum ſibi parant*, eſſe adhibita contra axioma quod docet, *Omnem hominem pauperem eſſe*; nam ſi pauper dicendus ſit, qui ſtatui ſufficientia non habet, ipſemet Hiſpanorum Monarcha, quo ditiorem neuter Orbis habet, pauper eſt; non enim habet ſufficientia, ut ſuis militibus exactè ſatisfacere poſſit. His prælibatis

Vtrum omnis homo ſit pauper?

Dico Primò. *Omnes operarij, cuiuscunq; artis ſint, qui non habent reditus patrimoniales ut vivant, ſed labore manuum victum quærunt, Pontificis ſententiâ ſunt pauperes.* Sic enim ait. *Verè pauperes tantùm; qui quotidiano labore & induſtriâ victum ſibi parant.* & inferiùs, *cum aliis etiam verè pauperibus tantùm, quotidiano labore & induſtria victum ſibi parantibus.*

Dico Secundò. *Etiam mendici ſunt ſententia Vrbani VIII. pauperes.* Patet, quia & ipſi quotidiano labore & induſtriâ victitant; & aliàs etſi non victitarēt hoc modo, ratio quæ operarijs favet, ipſis à fortiori faveret; bene enim ſcimus in rebus favorabilibus admitti rationis paritatem ſi in nullius gravamen aut nocumentum vergat.

An in moralibus admitti poſſit aut debeat rationis paritas.

Dico Tertiò. *Etiam omnes famuli, & miniſtri (Advocati, Iurium & Legum Profeſſores, Senatores, Chirurgi, Medici, Pharmacopæi, &c.) qui carent patrimonio unde vivant, aſſeruntur à Pontifice eſſe Pauperes.* Quia & ipſi quotidiano labore & induſtriâ victum quærunt.

QVÆSTIO VI.

An Eminentiſſimus Princeps poſſit in Impedimentis matrimonij ſine ulla cauſa diſpenſare?

CCCLI. *Perſonæ tres.*

Tres cauſas, rationes operandi, ſeu circumſtantias reperio; ſicut & tres perſonas. Perſonę ſunt Pontifex qui delegat; Princeps qui concedit; ſubditus cui cōceditur favor. Ex parte ſubditi, ſi Bullę inſiſtamus, requiritur quod pauper ſit; alias enim eſt favoris recipiendi incapax; pauper quidem iuxta ea, quæ præcedenti quęſtione reſolvimus. Ex parte Pontificis requiritur etiā rationabilis ratio: eam exponit ipſe dicens, *Nos earum (perſonarum) ſtatui, & animarum ſaluti paterna charitate conſulere volentes.* Ex parte etiam Eminentiſſimi Principis, neceſſariò debet dari aliqua ratio prudens & mediocris ne dicatur pro ratione voluntas. Aliquæ enumerantur in Bullâ, alias rationis paritas ſubminiſtrabit. Suppono non tenere diſpenſationem in raptu formali, ut conſtat ex illis verbis, *dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint*, quę bis ponuntur; & circumſtantias in quibus valebit diſpenſatio, propono.

Nota illud propter hoc.

Prima eſt, *ſcandalum hæreticorum*, & quidem expreſſa verbis iſtis, *Ad evitanda ſcandala; quæ ob vicinitatem hæreticorum contingere poſſent.* Nemo enim ignorat, nos in noſtrâ religione firmari, cùm vitia & peccata Martini Lutheri & Ioannis Calvini legimus & audimus, adeoq; ipſi etiam in ſuæ hæreſeos debent errore firmari, cùm noſtras miſerias culpas & exorbitantias percipiunt.

Secunda eſt *dotis inſufficientia*. Naſcitur ex paupertate in familiis illuſtribus; nam Senator, qui patrimoniū non habet, pauper eſt; quotidiano n. labore & ꝓpriâ induſtriâ victitat; & ſi habeat pecunias ſufficientes, ut det filiæ dotem, quantam alij ſenatores ſuis dare filiabus conſueſcunt, ni alia circumſtātia puta ſcandalū, ſimilisve urgeat, Eminentiſſimi Principis adſiſtentiam & diſpenſationem implorare nō poteſt. cęterùm ſi detur conſanguineus, qui qualitate æqualis minori ſit dote content⁹, huic dare filiam poterit Principe diſpenſante; id enim ſonant apertè illa

verba, *ſive ex eo quod mulieres dotem habeant minus competentem.*

CCCLII. Tertia eſt *civium raritas.* Nota illa verba, *ob locorum anguſtias.* Contingit enim in parvis aut pagis aut oppidis ita eſſe omnes ſanguine commixtos, ut difficulter reperias, cui æquali & competenti viro filiam tradas; ne ergo cogaris quærere, peregrinas ſponſas, filij tui quietem & tranquillitatem periculo exponendo, conceditur Eminentiſſimo tuo Principi, ut in tali circumſtantiarum anguſtia poſſit tibi favere diſpenſando.

Quarta eſt *inimicorum concordia.* Sæpe enim contingit ſopiri lites, controverſias, diſcordias conſanguineorum connubio. Nota illa verba, *Ad ſedendas inimicitias.*

Quinta eſt *rationis paritas, ſeu cauſa præcedentibus ſimilis,* Admittitur expreſſè à Pontifice dicente, *aut ob alias rationabiles cauſas.* Ut ergo meliùs & doctiùs poſſis Bullæ huius utilitatem defendere, hic pedem fige. Si cauſæ graves ſint, hoc eſt, ſi illud matrimonium ad graves fines ſit neceſſarium graviter, non eſſe opus Bullâ Pontificiâ, ſed ex vi ſuæ ordinariæ authoritatis ſine Bulla poſſe Eminentiſſimum Archiepiſcopum diſpenſare Quæſt. 12. videbimus. Si dicatur ſufficere has cauſas eſſe leves; tunc poſſet defendi Bullæ utilitas, cùm enim cauſæ leves dantur Epiſcopi diſpenſare non poſſunt. Fortè nemini eſſes iniurius ſi totam Bullam ad compendium redigeres his verbis. *Urbanus VIII. Venerabilis frater, cùm tu habeas ex ordinaria authoritate tua, quod cum pauperibus divitibusq; in impedimentis matrimonij diſpenſare poſſis, ſi dentur urgentes, graves, & inevitabiles cauſæ, nos concedimus, quod etiam poſſis cum pauperibus propter cauſas rationabiles & leves diſpenſare.* Si hoc modo intelligatur Diploma, videbitur valde neceſſarium.

QVÆSTIO VII.

An Eminentiſſimus Princeps poſſit intuitu diſpenſationis aliquas pecunias recipere?

RESpondeo poſſe eum recuperare CCCLIII.
expenſas, nimirũ pecunias, quas *Poteſt indemnis reddi.*
expēdit Bullam hanc procurando. Ratio eſt; quia nemo tenetur favere aut ſervire alteri cũ proprio damno; maximè, ſi ille alter ſatisfaciendo ſit. Unde ſine ſcrupulo trecentos, aut quotquot ſunt illi aurei, quos ſingulis trienniis tranſmittit, & ſalaria eorum quos in diſpenſationibus concedendis, & cauſis diſpenſandi examinandis impendit, poterit ab illis exigere, qui diſpenſationẽ accipiunt; qui enim ſentiunt utilitatẽ, damnum ſentiant, quo hæc ipſa utilitas procuratur.

Dico Eminentiſſimum Principem poſſe pecunias exigere in diſpenſatione, licet non pro diſpenſatione. Puta, ſufficientes, ut indemnis reddatur, iuxta ea quæ ſub initium diximus; & etiam congruas ut ipſi luant, ſi peccando & ſe carnaliter cognoſcendo extorſerint diſpenſationem. Lego n. in Bulla, *Impoſita illis propter præmiſſa aliqua publica vel alia pœnitentia ſalutari prout magis expedire iudicaveris.* Poteſt igitur illis imponi pœnitentiæ titulo, ut tot diebus ieiunent, tot miſſas audiant; tot diſciplinas recipiant, tot templa viſitent; & cur non etiam, ut tot florenos elargiantur pauperibus, tot fiſco, &c.

QVÆSTIO VIII.

An Diœceſis Moguntinæ pauperes poſſint ſibi ab ipſo Pontifice immediatè diſpenſationem procurare?

AFfirmativæ parti adhæreo; quia CCCLIV.
hæc Bulla cum privilegium ſit, ne- *Privilegia*
minem

Digitized by Google

nemini cõceduntur invito. minem cogit; poteſt pauper illo uti & non uti. Adeoq; liberè, ſi impedimentum habeat, poteſt ad Eminentiſſimũ Principem; & ſi nolit ad eum, poteſt ad Summum Pontificem recurrere, ut diſpenſationem obtineat.

QVÆSTIO IX.

An Eminentiſſimus Princeps, ubi poſſit, etiam diſpenſare teneatur?

CCCLV. *An ſit bona conſequentia, Poteſt ergo debet.* CEnſeo eſſe improbabilem opinionem affirmativam; nam Pontifex non ſemper tenetur diſpēſare cùm poteſt, ipſeq; ſuam authoritatem Eminētiſſimo Electori legavit. Si daretur caſus in quo Pontifex deberet concedere diſpenſationem vel invitus, etiam Princeps Moguntinus deberet; ſed caſus iſte rarò accidet; & ſi accidat aut diſpēſatione non indigebit ſubditus, aut Bullâ non indigebit diſpenſator; neceſſaria enim non cadunt ſub privilegium, ut quæſtione XII. dicemus.

QVÆSTIO X.

In quibus gradibus poſſit Princeps Elector diſpenſare.

CCCLVI. *De gradib. cognationis & affinitatis; an in omnibus poſſit Princeps Elector diſpenſare? De Matrimonio Patris & Filiæ, Matris & Filij. Fratris & Sororis.* SI literæ rigorem & contextum purum recipias neſcio cur non poſſis probabiliter dicere in omni affinitatis ſpiritualis & corporalis gradu, in fere omni conſanguinitatis, poſſe Principem diſpenſare; Pontifex enim nullum limitat, nullum excludit, & concedere videtur quantum poteſt. Quamobrem abſtrahendo à matrimonijs Patris & Filiæ, Matris & Filij quæ à Naturâ interdicta dicuntur (non demonſtrantur) reliqua talia ſunt, ut certò, aut probabiliter Eccleſiæ clavibus ſubijci poſſint. Nam fratrum matrimonia (de reliquis à fortiori philoſophor) eſſe iure naturæ valida, & ſolo humano inhibita, docent Hurtadus *tract. de matrim. diſp. 17. diff. 5. num. 12.* & apud eum Caietanus Scotus, & alij. Ita etiam D. Thomas, Richardus, Durandus, Carthuſianus, Abulenſis, Armilla, Vera cruz, Oleaſter, Hervetus, & Aloyſius de Leon, quos citat & ſequitur Baſilius Poncius *de matr. libr. 7. cap. 32. num. 3.* quorum ſententiam probabilem iudicant Sanchez, Præpoſitus, & alij.

In legibus magis ſenſus eſt curandus, quàm verba. At quia exiſtimo in legibus, non tam verborum rigorem, quàm Spiritum & animum conſiderandos, opinor probabilius ſolùm concedi authoritatem diſpenſandi in gradibus in quibus Pōtifex diſpenſare conſuevit; durum enim eſſet quod intuitu huius Diplomatis diſpenſaret Princeps Eminentiſſimus, in gradu in quo Pontifex nunquam aut rarò diſpenſavit. Hic enim videntur habere locum tres Iuris Canonici Regulæ, nimirùm, XXVIII. *Regulæ Iuris XXVIII. VI. & LXXXI.* *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* & VI. *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* & præcipuè, LXXXI. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter conceſſurus.* Cùm igitur videatur Pontifex negaturus licentiam diſpenſandi in primo aut ſecundo gradu: non erit dicendus in generali conceſſione eiuſmodi licentiam conceſſiſſe. Nihilominus, ſi Elector diſpenſaret de facto, crederem diſpenſationem eſſe probabiliter validam; & tunc Pontificem eſſe verè ſimilem Chriſto dicenti eos qui ſe ſequuntur, non ſolùm eadem quæ ipſe, ſed etiam maiora facturos.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XI.

An ex vi huius Bullæ poſſit Eminentiſſimus Princeps ad dignitates & hæreditates ſæculares aliquem legitimare?

CCCLVII. *De legitimatione;*

CONſidero illa verba, *Proles etiam reſpectivè ſuſceptas & ſuſcipiendas exinde legitimas decernere & nuntiare.* Et exiſtimo

Primò, *Proles ex huiuſcemodi matrimonijs (nempe ex Principis diſpenſatione legitimâ contractis) non indigere novâ legitimatione, ſed omninò legitimari præventionaliter, impedimentum auferendo, quo non ſublato eſſent illegitimæ & nothæ: eo omninò ſenſu ac verborum rigore, quo dicimus, Virginem à peccato redemptam, non quod redempta fuerit ab illo in quod incurrerat, ſed quod præventa ne incurreret.* Sed ſi rigorem ſcholaſticũ ſerves, credes eſſe impropriam lectionem Secretarij, & evidenter videbis, Bullarum interpretes teneri nonnunquam ad improprias & metaphoricas phraſes recurrere, ne vel contra decalogum, vel rationem naturalem effutiant aliquid imprudenter.

Redemptione & præventione.

Secretarij, dum rhetoricari volunt, multa & frequenter contra mẽtem Dominorum ſcribunt.

Secundò, *Proles ex contubernio conſanguineorum & affinium exortas poſſe legitimari.* Primò, ſi ſequatur parentũ matrimonium legitimum, iniendum ex legitimâ diſpenſatione. Secundò licèt illud non ſequatur, modò illas Princeps legitimare velit. Oſtenditur hoc ultimum; nam illud prius ad controverſiam probabilem reduci non poteſt. Quia verbis expreſſis conceditur Eminentiſſimo Principi legitimandi authoritas, & tamen modus non determinatur nec limitatur; ergo dicendus eſt poſſe legitimare quocunq; modo velit.

Legitimãdi duplex modus.

CCCLVIII. *An Gallus ad dignitates Hiſpanas, Eccleſiaſticas ad ſæculares, ſæcularis ad Eccleſiaſticas poſſit aliquem legitimare?*

Tertiò, *hanc legitimationem ubiq; terrarum ad dignitates Eccleſiaſticas ordinari, ad ſæculares poſſe probabiliter admitti, ubi eſt Princeps ſæcularis ſummus Pontifex.* In aliis locis? *Non puto Galliæ Regem poſſe legitimare aliquem ad dignitates ſæculares Hiſpaniæ. Non puto poſſe Principem ſæcularem legitimare aliquem ad dignitates Eccleſiaſticas: & ratio eadem urget, è contra eximo de ſummo Pontifice pariter eſſe philoſophandum.* Patet. Quia non poteſt Pontifex in privilegiis concedendis terminos ſuæ iuriſdictionis excedere; cumque ipſe duas habeat Eccleſiaſticam, Sæcularemque; eò ſe extendet hæc diſpenſatio Eccleſiaſticè, quò Pontificis Eccleſiaſtica authoritas; eò ſæculariter, quò authoritas eiuſdem ſæcularis: at illa totum Chriſtianiſmum pervadit; hæc brevius cincta terminis territoriũ illud, in quo Pontifex eſt Princeps ſæcularis non excedit. [In Bohemia hæc recognoſco, & addo Bohemos nolle legibus alienis etiam in alienis provincijs gubernari; & quod mirabile eſt, non admittere teſtamenta condita Pariſijs v.g. iuxta leges Gallicas, aut Madriti iuxta Hiſpanas, ſed ipſis eſſe invalidum ubique terrarum illud fiat, ſi iuxta Bohemicas non fiat.]

De Bohemorum teſtamentis.

Quartò, *poſſe Eminentiſſimum Principem quà ſupremum ſui Principatûs ſæcularis dominum, legitimare aliquem ad ſui territorij dignitatẽ, & hæreditates ſeculares, non iam ratione Pontificij huius Diplomatis, ſed ratione ſuæ ſæcularis authoritatis, ni cõtrarium expreſſâ lege, à ſe indiſpẽſabili, ſancitum ſit.* Patet; quia unuſquiſque ſupremus Dominus, qui poteſt leges condere, poteſt etiã ad adeundum hæreditates, & dignitates ſuæ regionis habilitare & legitimare.

QVÆSTIO XII.

An hæc Bulla ſit neceſſaria?

CCCLIX. *Sæpe licẽtia petun-*

SÆpe contingit homines timoratæ cõſcientiæ petere indulta faciẽdi ea, qua

tur, quæ non ſunt neceſſaria.

quæ ſine indulto poſſent: adeoque incipis dubitare, An hæc Bulla, Eminentiſſimo Principi Electori conceſſa, ſit neceſſaria? hoc eſt, an etiam ſine ipſa poſſit ipſe eaſdem concedere diſpenſationes? Sit

Concluſio. *Plus, cùm dantur cauſæ graviſſimæ, & urgentiſſimæ, ex ordinaria ſua authoritate, ſine novo privilegio aut diplomate poteſt quicunq; Epiſcopus, atque adeò ipſemet Eminentiſſimus Archiepiſcopus Moguntinus, in ſua diœceſi facere, quàm in iſta Bulla conceditur.* Cæterùm, *Cum dantur cauſæ leves, Epiſcopi ex ordinaria ſua authoritate pauca aut nulla poſſunt, & Eminentiſſimus Princeps virtute hujus Bullæ multa poteſt.*

De impedimento occulto.

Probatur. Primò enim, quando matrimonium eſt contractum de facto publicè, & impedimentum eſt occultum, & conjuges ſeparari non poſſunt, ſine ſcandalo, nec ad ſummum Pontificem patet aditus, poteſt quicunque Epiſcopus diſpenſare, ſive contrahentes ſint pauperes, ſive non. Dicendum eſt non patere aditum Pontifici I. Si contrahentes non habeant media ſufficientia ut ſolvant expenſas & jura, quæ in ſimilibus caſibus ſolent à Curialibus Romanis exigi: ipſæ enim tametſi exorbitãtes, ſemper multo minores, quam ſi ipſimet contrahentes, ad iter Romanum ſe accingerent. II. Si divites ſint, & tamen multis leucis diſtent ab urbe, & ſine ſcandalo ſeparari non poſſint: non enim tenẽtur in contubernio convivere, & quia ſeparari non poſſunt, debent habere in ſuâ provinciâ ad quem recurrant petendæ diſpẽſationis gratiâ. III. Roma, diſtet paucis aut multis leucis, modò tabellariis ratione bellorum non pateat ſecurus & facilis tranſitus; nemo enim tenetur miſerias ſuas ſecretas literis perdendis, & ad hoſtium manus venturis commendare; tunc igitur pauper, aut dives ſis, ad epiſcopum potes confugere, & ejus clementiam & diſpenſationẽ impetrare. IV. Si agamus de matrimoniis jam contractis, authoritatis ſuæ ordinariæ vi poſſunt omnia illa, & plura quam in Bullâ præmiſsâ conceduntur. Hæc omnia poſſe quemcumque Epiſcopum, *certum eſt*, ut utar verbis Dianæ *part. 2. tract. 16. reſol.* 17. ita enim eodem teſte tenet communis Doctorum ſententia: & expreſſè præter Dianam & Me, Coninch *de Sacram. diſp. 33. dub. 3. num.* 32. Sylveſter *verb. diſp. quæſt.* 9. §. 15. Fernandez *in examine Theolog. part. 3. cap. 16. §. 4. n.* 1. Rodriguez *in ſumm. tom. 3. cap. 35. n.* 2. Franciſcus Leo *in theſ. for. Eccl. part. 2. cap. 8. num.* 43. Gomez *in Bullæ cruciatæ clauſula* 9. *num.* 58. Navarrus *cap. 22. num.* 85. Valentia *tom. 4. diſp. 10. quæſt. 5. punct.* 5. Leſſius *libr. 2. cap. 40. dub. 18. num.* 128. Gutierrez *canonic. qq. lib. 1. cap. 23. num.* 18. *& de matrim. 49. num. 6. & ſeqq.* Armilla *verb. Diſpenſatio. num.* 20. Henriquez *libr. 12. cap. 3. n.* 2. Sanchez *de Matrim. lib. 2. cap. 40. num.* 7. Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 14. diff. 25. num.* 6. Bonacina *tract. de matrim. quæſt. 3. punct.* 15. *num.* 6. Reginaldus *in praxi tom. 2. libr. 31. cap. 27. num.* 205. Ex quibus obiter nota Petrum Molineum fruſtra moliri multa contra ſedem Petri, ignorantiam ſuam potius quam ſedis dignitatem oſtendendo. *Subit animum*, inquit libr. de Monarch. temporali Romani Pontif. cap. 26. num. 3. pag. mihi 346. *non mediocris admiratio, cùm cogito quanta ſit Italorum & Romanorum prærogativa, & ad ſalutem πλεονέκτημα: utpote, qui remiſſionem peccatorum habent ſub manum & in propinquo: At Hiſpanis, Polonis, Hibernis, iter immenſum, & ſumptus par*

Molineus impugnatur.

Digitized by Google

labori. Sed & melius agitur cum divitibus quibus eſt equus & valetudo integra, nam pauperes & languentes ſumptibus deterriti, & labori itineris impares, tam larga indulgentia fraudantur.

Et quidem omnia quæ calumnioſè effutit, eſſent vera, ni penes Epiſcopos eſſet ſolida & integra diſpenſandi authoritas, ubicunque diſpenſationem implorantes aut ſunt pauperes, aut ægri, aut imbecilles, aut tales qui Pontificem adire non poſſint. Sed quia Chriſtiana Theologia hanc authoritatem Epiſcopis abſolutè concedit, Molinei verba falſa omnia & injuria ſunt, ex mera ignorantiâ ſuborta.

CCCLX. *Præcavendum omninò, ne ſequatur infamia.* Secundò antequam matrimonium contrahatur, ſive pauperum, ſive divitum ſit, ſi timeatur infamia aut ſcandalum ex ejus aut omiſſione, aut dilatione, ſic omnia debent diſponi ut nulla perſona diffametur, nulla ſcandalizetur: ergo ſi non poſſint omnia ſic diſponi recurrendo ad Pontificem, ſufficiet recurrere ad Epiſcopum aſſerente Sanchez, Henriquez, Villalobos, Reginaldo, Bonacina, & Diana, *ubi ſupra.* quibus adhærent Molfeſius *in ſumm. tom. 1. tract. 4. cap. 12. num. 35.* Barbaroſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 35. num. 5.* Homobonus *de Examine Eccleſiæ part. 1. tract. 5. c. 5. q. 32.* Victorelus *in notis ad manual. Navarri,* Baſilius Pontius, *de matrim. lib. 8. cap. 13. num. 6.* & apud ipſum Vaſquez etiam & Salas. Valentiam ille & etiam Bonacinam pro hac ſententiâ adducit, ſed malè ſi credimus Dianæ.

CCCLXI. *An opinio ſingularis, hoc ſolo nomine reiici debeat?* Hanc veritatem Sanchez tam claram judicavit, ut auſus fuerit illam docere & imprimere, tametſi ſingularem & nullius authoris putarit; ſed ut vidimus multorum illa eſt, & valdè tuta. Illã ipſemet author hoc exemplo ſolidiſſimè illuſtrat. [Accedit mane confeſſura quæ reperitur habere impedimentum dirimens, cujus detectio infamiam ei pareret, & omnia ſunt parata ad nuptias celebrandas veſpere, aut tali die determinato; tentatis omnibus mediis nulla via aperitur ad tollendam infamiam aut ſuſpicionem, gravis delicti in confeſſione manifeſtati, ſi tunc non celebrentur nuptiæ, in hujuſmodi caſu teſte Sanchez poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſive contrahentes ſint pauperes, ſive divites, ſive opulenti.] Ex hoc ad alios caſus ſimiles tranſcurre, in quibus detur par reſolvendi ratio.

Tertiò præter impedimenta conſanguinitatis & affinitatis, dantur impedimenta orta ex criminibus, nempè ex uxoricidio *c. qui preſbyterum. de pœn. & remiſſ.* ex matrimonio cum moniali ſcienter inito, *cap. hi ergo. 27. q. 1.* ex eo quod ob peccatum debuerit quis publicam pœnitentiam agere. *c. de his 33. quæſt. 2.* ex inceſtu cum conſanguineis conjugis aut ſponſæ adhuc viventis *c. 1. 2. & c. transmiſſa, de eo qui cognoſcit &c.* an hæc impedimenta ſint obſoleta & jam per non uſum exciderint, quærunt Theologi; & Ego præſcindendo ab occiſione alterius conjugis, in quâ multæ latent difficultates, agens de criminibus reliquis, puto utrumq; poſſe probabiliter dici. Sublata credunt Diana *part. 3, tract. 4. reſ. 259.* & apud eum Coninch, Sotus, Veracruz, Sanchez, Baſilius Pontius; negant Rebelius *part. 2. lib. 3. q. 18. num. 23.* & alii penes ipſum; Supponendo igitur Dianæ ſententiam dicam in ejuſmodi caſibus diſpenſationem non requiri & ſtando Rebelii ſententiæ, dicam in talibus impedimentis relaxandis non debere recurri ad Pontificem, ſed ſufficere Epiſcopi diſpenſationem

Impedimenta à criminibus nata.

An obſoleta ſint?

Digitized by Google

onem. Ita Navarrus *lib. 4. conſ. 9. num. 5. de conſang. edit. 2.* & hoc ex communi Doctorum ſententia.

CCCLXII *De raptu.* Quartò circumſtantia raptûs ita urgetur ab Urbano VIII. ut non ſolum impediat matrimonium, ſed ſpem etiam diſpenſationis obtinendæ proſcribat; ſemel enim & iterum lego, *Remanere liberè & licitè valeant, dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint, &c.* & tamen Theologi exiſtimamus I. Matrimonium contractum cum eâ, quam quis rapuit libidinis explẽdę gratiâ licet in raptoris poteſtate exiſtẽte, eſſe validum nec laborare aliquo impedimento. Ita Sanchez *tom. 2. lib. 7 diſp. 13. num. 4.* Coninch. *de Sacram. diſp. 31. dub. 4. num. 48.* & Diana *part. 3. tract. 4. reſolut. 261.* ita & Cardinalium congregatio teſte Mazilla. II. Raptum volentis puellæ, ab invitis parentibus etiam propter hoc, ut loquitur Urbanus VIII. hoc eſt ad incundum & contrahendum matrimonium non inferre aliquod impedimentum. Ita Sanchez & Diana *ubi ſupra.* Filiucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 8. num. 265.* quod & probabile putat Coninch jam citatus. III. Supereſſe, ut ſolum agat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. matrim.* de raptu puellæ invitæ, & nondum libertati reſtitutæ, (ubi enim ex raptoris poteſtate extrahitur, hæc circumſtantia & impedimentum omninò ceſſant) & tunc cùm ad actus internos reducatur, decretum purè probabile eſt. Nã Tridẽtini Patres prudẽtiſſimè potuerũt act⁹ internos reſpicere, probabile enim eſt de occultis & internis actib⁹ Eccleſiã judicare, at quia probabilius eſt de occultis illam non judicare, probabilius illud impedimentum negatur. Diſcurro ſic. Vel Eccleſia judicat de occultis vel non; alterutrum dicas, non requiretur in raptu mulieris invita Pontificis diſpenſatio. Ergo. Probatur Minor: nam ſi occulta ſit, violentia illa ſubeſſe non poteſt, ſi poſteà voluntaria voluerit contrahere, negareque voluntatem occultam quam habuit. Nec ſufficiet dicere illam fuiſſe externis ſignis manifeſtatam, nam & ipſæ cum voluntariè rapiuntur, pugnant reſiſtuntq; tanquam quæ nolunt vincere. Si occulta Eccleſiæ ſubſint, ſecretò illa & occultè judicare debet, citra peccatoris infamiam. Et ſi ſecretò, quomodo juvenes divites ſint aut pauperes Moguntiæ exiſtentes, poſſint ſummum Pontificem ſecretò convenire, & diſpenſationem obtinere non capio.

An Eccleſia de occultis judicet?

An poſſit matrimonium contrahi ante legitimam ætatem? IV. Si ſtemus communiori & probabiliori ſententiæ contrahere matrimonium ante legitimam ætatem peccatum mortiferum eſt. Ita Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 14. diff. 14. num. 8.* Coninch. *de Sacram. diſp. 21. dub. 5. num. 54.* Gutierrez *de matrim. cap. num. 16.* Bonacina *de matrim. quæſt. 1. punct. 4. num. 7.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 7. num. 259.* Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 276.* Baſilius Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 65. num. 3.* Henriquez *lib. 11. cap. 13. num. 13.* & in ætatis circumſtantia poterit ne diſpenſare Eminentiſſimus Princeps? Sanè ex vi Diplomatis præcedentis non poteſt; in eo enim de impedimento ætatis non agitur, & tamen diſpenſare poteſt, quia aſſerentibus Paludano *in 4. diſt. 28. q. 2. art. 1. num. 8. & 10.* Angelo *verb. matrim. 3. impedim. 16. num. 7.* Tabienâ *verb. matrim. 2. quæſt. 6. num. 7.* Henriquez, Filliucio & Dianâ *jam citatis* universi Epiſcopi diſpenſare in hoc impedimento poſſunt.

Sextò matrimonia fidelis cùm infideli ex-

An fidelis cum infideli contrahere matrimonium poſſit? expreſſè excipit Pontifex in diplomate quod expoſuimus, cū tamen ex naturâ ſuâ mala nō ſint, ſed ratione periculi, quo nō obſtante ex causâ urgenti & gravi iniri poſſe docet Sanchez *de matr. tom.2.lib.7.diſp.72.num.5.* Azorius *tom. 1.libr. & c. 11.quæſt.5.* Filliucius *tom. 1. tract. 10.cap.6.part.2.quæſt.2.* Coninch *de Sacram.diſp.31.dub.3.concl.3.* Bellarminus *de matrim.lib 2.cap.23.prox.4.* Reginaldus *in Praxi tom.2.lib.23.num.169.* Serrarius *in opuscul.de matrim.cath. cum hær. num.18.* Diana *part.3 tract.4.reſol. 267.* quod ſi verum alibi, verius erit in iis regionibus.

CCCLXIII. *Caſus ſæpe propoſitus.* Hinc radius novo dubio, quod non ſine utilitate decidetur. Eſt caſus. Moguntinus, Lansgravius, & alii Principes vicini, habent homines ligios, ſeu ſervos ſibi perſonaliter obſtrictos, qui ſine licentiâ expreſſâ ad alias Principum ditiones tranſire non poſſunt, & quia præter Moguntinam aliæ provinciæ ſunt hæreticæ, meritò quis inquireret, *Primò* An Princeps Elector poſſit dare ſuis licentiam, ut ad alias tranſeant cum tanto ſubverſionis periculo? *Secundò*, an ex hypotheſi, quod talem licentiam ſe daturum promiſerit, non ſolùm eam poſſit concedere, ſed & teneatur?

Reſolutio. *Ad primum* Reſpondeo affirmativè. Quia majus perverſionis periculum reperitur in cohabitatione matrimoniali, quam in aliâ civili qualicunque. Atqui contractus & cohabitatio matrimonialis non habent malitiam ab intrinſeco: ergo neque ſimplex & merè extrinſeca cohabitatio. Ergo, ſiquidem non eſt contra legem naturalem contrahere matrimonia cum infidelibus, non erit etiam contra eandem pura cum eis cohabitatio. Omnia propter minorem patent, & illa ante paucas lineas multorum authorum teſtimoniis probata eſt.

Ad ſecundum reſpondeo etiam affirmativè. Nam illa licentia nullâ eſt lege Pontificiâ interdicta, nullâ Cæſareâ, & quod majus eſt nulla naturali: atqui promiſſio quæ nec contra Deum, nec contra Homines militat (hoc eſt quæ nec legi Divinæ, nec Humanæ opponitur) debet ſervari: ergo.

Ad objectiones, quæ fieri poterunt, reſpondeo omnes in periculo perverſionis fundari, quod à fortiori in matrimonio fidelis cum infideli reperitur, quæ tamen ratio ut vidimus, viros doctiſſimos non urget. Accidit quod illud ſubverſionis periculum non ſemper ſit probabile; nam ſæpe eſt remotiſſimum. Et ſi aliquando non ſolùm eſſet probabile, ſed & evidens, nondum eſſet periculum peccati; non enim quæcunque hæreſis peccaminoſa eſt, ſed formalis, quæ vix in his hominibus reperiri poterit. hæc omnia nimis certa ſunt & plus quam probabilia; ſi adhuc ſcrupulus aliquis reliquus ſit, alii Doctores Theologi & Juriſperiti conſulantur, jubearque Ego caſum, quem obiter & per accidens tetigi ex profeſſo reſumere; videor enim videre clariſſimè, non poſſe aliquid obiici, cui vel non ſit hîc ſatis factum, vel non poſſit ex dictis ſatisfieri, modò velim[9] rem bene examinare, & ad bonę Theologiæ fundamēta reducere. Sed quia de hoc caſu uberiùs ſcripturū me credo, redeo ad Bullāā quâ tātiſper fui digreſſ[9]. CCCLXIV. *Hæreſis materialis non eſt peccatum.*

Dico igitur omnia iſta quæ ſex diverſis articulis hæc ultima quæſtio comprehendit, poſſe fieri ab omnibus Epiſcopis adeoque ab Eminentiſſimo Principe ſine Pontificio privilegio. Poſitiones authorum probavi teſtimoniis, ſupereſt ut doctrinam generalem ſub- CCCLXV.

ſubjungam, quæ à ratione probatâ univerſas ſubcollet. Sit ergo

Veterum Epiſcoporum authoritas

Prima Hypotheſis. *In diſpenſationis materia veterum Epiſcoporum authoritas fuit abſolutiſſima.* Eſt communis; certum eſt enim apud Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ profeſſores tantum olim Epiſcopos, in propriis diœceſib⁹ circa materiam hanc, potuiſſe, quantum hodie in totâ Eccleſiâ Pontifex. Vide Becani verba & adjunctam ponderationem, quę dedimus ſuperius *quæſt.1.§.inquiris.*

Quas ad ſe cauſas Pontifex advocarit?

Secunda. *Cùm Pontifex ad ſe omnes cauſas diſpenſationum advocavit, dicendus eſt illas ſolas advocaviſſe, quæ advocari potuerunt, non tamen illas quæ non potuerunt advocari.* Suppono aut Epiſcopos jure ſuo ceſſiſſe, aut emerſiſſe graviſſimas cauſas, ob quas Eccleſia diſpenſationes omnes potuerit aut debuerit ad Apoſtolicam ſedem redigere; de hoc enim non volo diſputare, non enim habeo quod cōtra præſcriptā Pōtificis ſummi poſſeſſionē efficaciter objicere poſſim aut velim: dari a. diſpēſationū multa genera evidēter oſtendā. *Primò* enim datur levium dubiorū, & probabilium impedimentorum diſpenſatio; *Secundò* gravium, ſed talium, quæ moram non patiuntur; *Tertiò* perſonarum, quarum ſupplicatio tametſi moram patiantur, per accidens impoſſibilis eſſet ratione paupertatis, *Quartò* perſonarum quæ tametſi divites ſint, non poſſunt adire Pontificem, nec mittere procuratorem ratiōne belli publici: *Quintò* divitum, cùm non agitur de tempore determinato. *Quibus notitiis præmiſſis* ſtatuatur Hypotheſis.

De rationibus levibus.

Tertia. *Vbi impedimenta ſunt levia, non poteſt Pontifex ſibi diſpenſationem reſervare.* Patet; quia ipſamet reſervatio gravis eſt, grave Romanum iter, graviſſimæ viæ & procuratorum expenſæ, ad quas injuſtè ob cauſas leves cogereris.

De impedimentis dubiis.

Quarta. *Impedimentorum dubiorum aut merè probabilium diſpenſationem, non potuit ad ſe advocare Summus Pontifex.* Oſtenditur, quia omnis lex debet Eſſe utilis, hæc eſſet inutilis: ergo. Probatur Minor, quoniam impedimenta dubia aut probabilia, ſtando ſummo rigori Theologiæ, diſpenſatione non indigent; ad quid ergo ſervire poſſet, quod ſibi Pontifex reſervaret diſpenſationes rerum, quæ non indigent diſpenſatione? & tamen licet neceſſariæ non ſint, tales diſpenſationes utiliter ab Epiſcopis concedi ſolent ad majus ſubditorum ſolamen, qui ſæpe ſuas obligationes non percallent & in dubio habere diſpenſationem cupiunt.

An diſpenſatione indigeant?

CCCLXVI. *De periculo in mora.*

Quarta. *Si impedimenta ſint gravia, & tamen ſit periculum in mora, ita ut grave damnum immineat, ſi matrimonium differatur, diſpenſatio non potuit reſervari Pontifici.* Et oſtenditur, quia leges humanę nō ſunt in damnum & deſtructionem hominum, ſed in ædificationem latæ aſſerente expreſſè D. Paulo, nemo enim tenetur jejunare cum periculo vitæ, aut audire ſacrum cum periculo perdendi bona. Ergo ſi ex matrimonii dilatione ſequi poſſit aut grave ſcandalum, aut peccandi periculum; illa pertinebit ad Epiſcopum, dicendaque erit non poſſe Romam advocari.

De inacceſſibilitate.

Quinta. *Nequit Pontifex ſibi reſervare cauſam, diſpenſationem aut abſolutionem alicujus perſonæ, reſpectu cujus inacceſſibilis eſt.* Primò Pontifex eſt inacceſſibilis reſpectu pauperum, qui non habent media ſufficientia, ut Romam vadant. Nec audiendi ſunt Curiali-

rum ſcrupuli, dum dicunt nullum hominem pauperem eſſe, eumq; qui propriis non poteſt, poſſe diſpenſationem impetrare expenſis ſui Epiſcopi; Epiſcopus enim non tenetur has expenſas ſubire aſſerentibus Sanchezio *in ſumm. tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 39.* Salas *de leg. diſp. 20. ſect. 3. num. 27.* Dianâ *part. 1. tract. 10. reſ. 37.* Secundò ſi in narratione ipsâ debeat exprimi aliqua circumſtantia infamatoria, erit etiam inacceſſibilis reſpectu debilium, qui non habent vires ut Romam adeant, licet divites ſint: ratio eſt clariſſima, quia nemo tenetur communicare procuratori circumſtantias, ex quarum notitia jacturam honoris pati poſſit. Sed in hoc caſu poſſet peti diſpenſatio à Confeſſario, & ipſe etiam poſſet uti nominibus ſcholaſticis (videlicet Titii, Semphronii, &c.) ne fama aut authoritas rei periclitetur. Tertiò, reſpectu eorum, qui non ſunt ſui juris, qui non poſſunt patriâ excedere ſine alienâ licentiâ; ipſi enim perſonaliter Pontificem adire non poſſunt, & aliquando tales ſunt circumſtantiæ ut comparare per procuratorem non expediat. Quartò tandem inacceſſibilis etiam dicendus eſt, ſi bella & nebulones graſſentur, & itinera periculoſa ſint, & epiſtolæ ſoleant perdi, & aliquam jacturam ex earum publicatione poſſit aliquis pati.

Sexta. *Pontifex impedimentorum gravium certorumque diſpenſationem, ſi non ſit periculum in mora validè & legitimè Romam advocat, reſpectu perſonarum quibus per ſe, aut per procuratorem Roma acceſſibilis eſt.* Patet ex præcedentibus. Ergo tunc ſtandum neceſſariò eſt Pontificis reſervationi. CCCLXVII.

Septima. *Quando Pontifex concedit inferiori Epiſcopo, ut in impedimentis iis diſpenſet, in quibus plus ipſe poteſt, non tam eſt dicendus delegare, quam priſtinam authoritatem reſtituere.* Conſtat evidenter ex prima. Hinc patet

Non ſolum olim ſed etiam hodie magnam eſſe Epiſcoporum authoritatem in diſpenſationum materiâ, Pontificemq; non omnes cauſas Curiam Romanam advocaſſe.

CAPUT III.
PRACTICUM.

Complectens Fundamenta ſpecialia, quæ Leges formaliter ſumptas concernunt.

CCCLXVIII *Lex bifariam ſumitur.*

Lex ſumi bifariam poteſt: formaliter & objectivè. Cùm primo modo ſumitur, dicit actus Intellectûs & Voluntatis, in quibus conſiſtit formaliter: cùm ſecundo, dicit materiam, quam præcipit, quæ denominatione deſumta ab libero voluntatis imperio dicitur *Lex objectiva*, aut *Legis formalis mate-*

teria. Igitur de Lege formali & ejus attributis hoc capite ſumus diſputaturi, & in ſequenti de lege objectivâ & materiali. Fortè aliqua videbuntur utrique argumento communia, & tamen non debebunt repeti, ne ſine cauſa iterum iterumque eadem reponamus.

FUNDAMENTUM XIV.

De Legum natura & ingenio.

CCCLXIX. *Lex triplex. Moralis, Pœnalis, Mixta: Diſjunctiva, ſeu Conditionata.* LEx eſt triplex: Pœnalis, Moralis, & Mixta. Lex merè pœnalis non obſtringit cõſcientias: Lex merè moralis non obligat ad ullã pœnam: Lex mixta obligat in utroq; foro. Videtur Lex pœnalis eſſe diſjunctiva & conditionativa: nam ex ſuppoſitione quòd violetur, obligat ad acceptandum pœnitentiam.

Omnis humana Iuriſdictio & Authoritas à Deo eſt; conceſſa nimirùm Rerum publicarum Rectoribus non ad deſtructionem ſed ad ædificationem. Superior qui potentia ſubditum injuſtè opprimit, gladium divinitùs conceſſum, ut Dei cauſas defendat, temerè aſſumit contra Deum. *Omnis humana authoritas & Poteſtas à Deo. Et cur conceſſa?*

CCCLXX *Multi hodie abutuntur Deo contra Deum.* ET quot ſunt hodie quæſo, qui Deo & hominibus ingrati abutuntur conceſſâ cœlitùs authoritate! Quàm multa & gravia Principes, quæ non facerent ſi potentiâ carerent! Ergo in iis illi omnibꝰ contra Deũ & contra dignitatem delinquunt: & in hoc veniâ indigniores ſũt, quòd ſe inde minùs peccare putent, unde graviùs exorbitant. *Et ſunt ſceleratiores.* Hinc patet Reges & Principes bifariam peccare ſolere, ut Homines & ut Superiores. *Principes peccant bifariam.* Peccant quidem ut homines, cùm ex fragilitate committunt, quæ cæteri mortales ſolent. *Nempe, ut homines.* Et hæc peccata ut plurimum ad ſimplicem fornicationem reducuntur. Peccant ut ſuperiores mortaliter, hoc eſt, in materiâ ſui officii, cùm negligenter agunt res, quas ſtrenuè deberent: at ipſi formaliter, ut ſuperiores, quando ut malè agant authoritate & impunitate ſuæ dignitatis abutuntur. *Et ut ſuperiores.* Pono exemplum. David concupivit Bethſaben Uriæ uxorem; & hoc ut homo fragilis; ſi illam precibus ſolicitavit, hoc etiam ut homo peccavit: nam preces moderatæ communes ſunt privatis & prælatis. *Regis Davidpeccatum.* At miſſis nunciis tulit eam, hoc eſt, rapuit, violentiam intulit; & hanc ut Princeps. Tandem adulterio addidit homicidium; & Uriam remittens ad Joabum, Vaſallum & optimum militem prodidit, nempe hac Epi-

pi-

Epiſtolâ: *Ponite Vriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium ; & derelinquite eum, ut percuſſus intereat.* Et hæc omnia ut Rex; Ergo in homicidio iſto David peccavit formaliter ut Rex, fuit enim abuſus ad deſtructionem ſubditi authoritate ad defenſionem à Deo datâ.

FUNDAMENTUM XV.

De Legum Quantitate.

CCCLXXI. *Leges non debent eſſe multa.* LEgum & præceptorum numerus deberet Lege ſeveriſſima determinari ubique; nam alicubi Leges video de Legibus non multiplicandis. Aliquando Legum paucitate peccatur, & aliquando multitudine gravius; quoniam Leges, ſi nimis multæ contemnuntur, & contemptæ, non regunt ſed turbant Rempublicam. *Rarò legum paucitate peccatur.* *contemptæ nocent.*

CCCLXXII *Ciſtertienſium Hiſpanorum cura, ne leges multiplicentur ſine cauſa.* VIdi in ordine Ciſtercienſi in Hiſpaniâ multas in variis Monaſteriis leges latas à privatis Abbatibus: at Angelo Manrique ad Generalem dignitate promoto reduci omnes ad paucas. Angelo Martinus Gutierrez ſucceſſit, qui interdixit Abbatibus ultra duas aut tres leges morales ponere, quæ obligarent conſcientias. In caſuum reſervatione magna erat in Europa ſeveritas abuſusque. Singuli ſuperiores, quos volebant ſine delectu, nec ſemper ſine delicto, reſervabant. Condoluit ſubditis Clemens VIII. & authoritatem reſervandi reſtrixit, juſſitque nullum caſum præter undecim à ſe determinatos, poſſe reſervari à Prælatis: & Capitulis generalibus adhuc conceſſit ut unum reſervare poſſint præter illos. *Rarò & paucos caſus ſervandos.*

CCCLXXIII Ego, ut rem fatear, cùm tot leges morales & reſervationes video in aliquibus communitatibus, & ad Hiſpaniam converto oculos pronuncio aut Hiſpanos errare aut Germanos. Multis annis fui in Hiſpaniâ diſcipulus, multis Profeſſor, & putavi caſus reſervatos eſſe entia aliqua mathematica vel ſpeculativa, quæ nunquam reducerentur ad praxin; nam in nullâ communitate unquam fui, in quâ eſſet aliquis caſus reſervatus. A multis annis habeo ſubditos, & veſtigiis Hiſpanorum inſiſtens nullum caſum reſervo, nullam legem moralem fero, & tamen experior ſufficere leges pœnales. Si liceat ſincerè loqui, meam mentem exponam in hac parte. Chriſtus nobis Prælatis authoritatem ſuam delegat ut ſimus in terris Pro-Chriſti, hoc eſt Chriſti Vicarii: [unde S. Benedictus in Regulæ Capite II. *Abbas, qui præeſſe dignus eſt Monaſterio, ſemper meminiſſe debet quod dicitur, & nomen Majoris factis implere: Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur, quando ipſius vocatur prænomine dicente Apoſtolo, Accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus* *Prælatus eſt Chriſti Vicarius.*

Digitized by Google

mus ABBA *Pater.*] Et ſtatim abbas, qui ut indulgeat genio & quietè dormiat, Leges morales in ſuo Monaſterio multiplicat, eidem Chriſto authoritatem ſuam ſubdelegat; unde oritur, ut idem Chriſtus ordinariam habeat & ſubdelegatam poteſtatem, non minori, ut exiſtimo errore, quam ſi Prorex, ut dormiret & quieſceret, Regi ſuo ſubdelegaret poteſtatem. *An ſuam Chriſto ſubdelegare queat authoritatem?*

FUNDAMENTUM XVI.

De legum Qualitatibus.

CCCLXXIV *Legum proprietates.* MUltæ ſolent enumerari, ſed tres propono characteriſticas, quæ ſunt quaſi concomitantes proprietates, ſine quibus Lex ſubſiſtere nequit: Lex enim debet eſſe *Poſſibilis, facilis, Utilis.* Debet, inquam, Lex eſſe poſſibilis; fruſtra enim præciperentur quæ non poſſent ſervari. Et in hoc nolumus Leges divinas ab humanis diſtinguere, illæ enim ſeriæ ſunt & qui impoſſibilia præciperet, ſeriò non ageret. Debet eſſe etiam facilis; ſummè enim difficilia inutiliter præcipi ſolent, & dicuntur moraliter impoſſibilia. Et tandem debet eſſe utilis; non enim licet ſuperiori jubere quidquid velit, ſed quod expediat, & populo ſibi commiſſo proſit. *Impoſſibilia nec à Deo, nec ab Homine præcipi poſſunt.*

CCCLXXV. FOrtè alicui videbitur probabile aut certum poſſe humanitùs, aut fortè ſaltem divinitùs impoſſibilia homini præcipi; nam hodie aliqui Theologi tametſi Catholici velint audire, Legem DEI impoſſibilem aſſerunt; & multi cauſantur, cùm legunt Benedictinos vi Regulæ obligari ſæpius ad impoſſibile. Contra Theologos illos, qui non tam poteſtatem quàm tyrannidem Deo affingunt, voluntque illum nos ad impoſſibilia obligare, multa alibi ediſſero; & modò ſolummodò produco verba Tridentini Concilii dicentis, DE*US impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet & facere quæ poſſis, & petere quæ non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* *Idem eſt dicere Deum eſſe tyrannum, ac Deum impoſſibilia jubere.*

FUNDAMENTUM XVII.

De Legum Relatione ſeu Fine.

An ceſſante fine legis totali, ceſſet ipſa lex, in caſu aliquo particulari?

An-ne ſtrictiùs obligent leges humanæ, quàm divinæ?

MUltas in legibus Relationes poſſumus conſiderare; at minus neceſſarias omnes illa excepta, quæ ordinatur ad finem: non enim lex dari poteſt aut concipi, quæ fine careat. Ceſſante fine adæquato Legis naturalis (quo nomine Decalogum intelligo) in caſu aliquo particulari, ceſſare etiam ejusdem Legis obligationem in eodem caſu particulari certum eſt. Et certum etiam [NB.] non obligare ſtrictiùs Leges Humanas, quàm Divinas. Ergo ſicut de Divinis ſic etiam de Humanis, aut benigniùs fortaſſis de iſtis erit Philoſophandum.

ESſe ſcio illuſtriſſimorum ſcriptorum ſententiam, quæ affirmat ceſſante fine adæquato Legis Humanæ in aliquo particulari, non ceſſare ipſam Legem: at eosdem ſatisfeciſſe rationi præmiſſæ non ſcio; nunquam enim audiviſſe me memini aliquid pro ſeverâ opinione quod ſolutione egeret. Porro rationem, quam in textu inſinuavi, repono: & ſic inquam. [Strictiùs obligat lex divina, quàm humana: aut æquè ſtrictè etiam, ſi velis: non verò minus ſtrictè: At ceſſante fine legis divinæ in aliquo particulari, ceſſat lex ipſa in illo caſu particulari: Ergo idem dicendum eſt de lege humanâ. Nam aliàs eſſet multò ſtrictior divinâ.]

Ratio fortiſſima.

Ponamus igitur veram, & ſi liceat ſic loqui, demonſtratam ſententiam, quæ LEGEM *in tali caſu ceſſare* aſſerit; & quia adhuc illâ poſitâ novæ difficultates prodeunt, unam aut alteram controverſiam ponamus.

Reſolutio.

QUÆSTIO I.

An quis legere poſſit libros prohibitos, ſi ſciat certò nullum illos nocumentum eſſe illaturos?

HAnc olim Panormi Romæque controverſiam Dianæ Viri eruditi propoſuerunt, & utrobique reſpondit negativè, ut conſtat ex *part.* 6. *tract.* CDXXXIV

Dianæ opinio. tract. 6.reſol.49.ubi etiam tuetur negativam ſententiam.

At ego contra non argumenta nova, ſed illud ſolùm urgeo, quod ab illis fuit poſitum, puto enim nondum à Dianâ ſatisfactum. Sic argumentabantur. [Probabile eſt ceſſante fine Legis in aliquo particulari, ceſſare etiam legis vim & obligationem in illo particulari: At finis legis interdicentis lectionem librorum hæreticorum ceſſat reſpectu illius, qui ita doctus & pius, ut prævaricari non poſſit: Ergo reſpectu ejusdem ceſſabit etiam ipſa lex.] Major non jam eſt probabilis; ſed affecta probabilitatis modo eſt evidens; eſt enim evidens & certum moraliter, eſſe probabile, quod Authores illuſtriſſimi & plurimi affirmant. Minor ſupponitur: adeoq; non poterit conſequentia negari.

Ratio contra Dianam.

Cur libri interdicãtur?

CDXXXV. *Reſponſio Dianæ.* Huic ſyllogiſmo, quem fortiſſimum judico, reſpondet Diana diſtinguendo majorem; ſi agatur de fine adæquato concedit; ſi verò de inadæquato negat: diſtinguit è contrario minorem, ceſſare in propoſito caſu finem inadæquatum concedit, ceſſare verò adæquatum negat: & poſteà negat conſequentiam illatam. Ut meliùs diſtinctionem intelligas, & quo ille modo ſingula membra diſtinctionis corroboret, proderit eum audire, qui animoſè pronunciat his non obſtantibus ſupradictam doctrinam non valere in caſu noſtro: nam procedit, quando lex unum ſolum finem habet, ex quo Legislator movetur ad prohibendum aliquid: ſecùs verò, ſi lex habet plures fines; nam deficiente uno, obligatio legis non deficit; quam ob rem cum putet Eccleſiam in interdictione librorum plures habere fines, conſequenter affirmat, ceſſante perverſionis periculo adhuc eſſe obligatoriam illam legem. Et quidem Eccleſiam in prohibitione librorum damnatorum plures fines habere; ſic probat: Nam prohibet illos, ut hoc modo quaſi medicinâ quadâm præſervet fideles ab hæreticorum contagio, & ne damnatorum librorum lectione, veluti veneno quodam peſtifero Catholici inficiantur: & ideò ob hanc cauſam olim in primitivâ Eccleſiâ prohibebatur fidelibus ne Gentilium libros legerent, teſte Clemente *lib.* 1. *conſtit. Apoſtol. cap* 6. & ideò in Concilio Carthaginenſi IV. *capit.* 16. Eccleſia præcipit, ne fideles communicent verbis cum hæreticis: ergo multò magis potuit & debuit præcipere, ne cum ipſis communicent libris & ſcriptis, cum hæc communicatio magis ſoleat nocere, quàm quæ fit ſolis verbis; libri enim ſcribuntur majori cum conſideratione, ac propterea magis permovere ſolent Lectores ad illorum falſam doctrinam amplectendam. Subjungit Romanam Eccleſiam in prohibitionem dictorum librorum non habuiſſe hunc ſolum finem, nempe ne Catholici falſâ doctrinâ ex dictis libris inficiantur; ſed etiam legem illam ſtatuiſſe in pœnam Authorum damnatorum (non enim levis eſt pœna in eorum libros nigrum præfigere Theta, & ſub cenſurâ prohibere, ne legantur) ad obſcurandum & abolendum eorum nomen, & ne hoc afficiantur honore,

Lex ſolet habere plures fines.

Olim libros interdixit Eccleſia, ne Catholici perverterentur.

Scripta magis ſunt nociva, quàm verba.

Eccleſia etiam libros interdicit in Authorum pœnam.

ut inter manus Doctorum hominum involvantur. Et ex iſtis concludit legem prohibentem ſub cenſurâ lectionem librorum damnatorum ſemper obligare; nam licet deficiat in aliquo caſu particulari finis dictæ prohibitionis, nempe periculum & nocumentum, quod ex lecturâ dictorum librorum prohibitorum contingere poteſt; adhuc tamen ſemper remanet alius finis prohibitionis, nempè pœna Auctoribus damnatis impoſita ad eorum dedecus, ne eorum libri legantur. Quòd non ſolùm habeatur ratio nocumenti, ſed etiam pœnæ, ex eo probat, quòd non ſolùm libri Hæreticorum damnantur, qui continent falſam doctrinam contra fidem; ſed etiam minimè de Religione tractantes, ut ſunt Dialectici, Rhetorici, Grammatici, &c. In quibus libris nullum eſt periculum, ut lectores eorum lectione ad hæreſim pertrahantur. Et ideò Sanctarellus *tract. de hæreſi cap. 14 dub. unico num. 4.* meritò aſſeruit omnes libros hæreticorum prohiberi in pœnam illorum Auctorum, quamvis hæreſim non contineant, ut etiam habetur *in Regul. 2. Indicis.* Et Souſa *in Bull. Cæn. c. 2. diſp. 15 num. 11.* rectè obſervat lectionem librorum prohibitorum in odium Auctoris interdici. Quæ omnia tam eſſe certa exiſtimat, ut concludat non eſſe de dictis dubitandum, & aliter ſentientes in Sacræ Inquiſitionis Tribunali ſeverè puniendos eſſe. *Et poſteà* ſuæ adhuc parti minus fidens addi jubet, quod aliqui viri docti aſſerunt lectionem librorum hæreticorum eſſe de ſe inductivam ad inficiendos animos Legentium: adeoque eorum prohibitionem ſemper obligare.

Quàm certa ſit Dianæ doctrina?

Nota attentè hanc ultimam Dianæ rationem.

CDXXXVI. *An circa hanc materiam aliter loquendum ſit in Italia, aliter in Germania?*

Hæc omnia Diana Romæ, ubi inquiſitionis tribunal floret maximo Eccleſiæ bono, & utilitate Reipublicæ. Sed quid dicemus de Germaniâ, in quâ à Bibliopolis Catholicis & piis publicè venduntur Hæreticorum volumina, & ſi rogentur cur id faciant; reſpondent, Se ſuos Confeſſarios conſuluiſſe, & reſpondiſſe, Poſſe fieri. In quâ quotidianæ ſunt diſputationes cum hæreticis, ne rixas dicam; & qui neſcit quid Calvinus aut Lutherus dicat, & quo illud modo Paræus vel Philippus intelligat, dicitur imperitus. In quâ, ut verbo dicam, ſæculares Heterodoxi verſatiſſimi in controverſiis torquent multos Theologos etiam eruditiſſimos. In quâ Hiſpani, & Itali ſoliti Fidei dogmata credere non edifferere, poſtquam egimus Magiſtros in variis Univerſitatibus, debemus controverſias diſcere vel rideri: & cùm ridemur nos, & nobiſcum ridetur Orthodoxa Religio. Hinc eſt, quòd pace Dianæ vellem Germaniam, Belgium Galliamque, ab Hiſpaniâ & Italiâ diſtinguere. Provinciæ hæ feliciſſimæ ſunt, nam in ipſis ad firmandum cor ſincerum ſola fides ſufficit: at in reliquis, in plateis, in menſis, in popinis petitur ratio fidei, & hæretici in erroribus ſuis noſtrâ taciturnitate aut etiam ignoratione confirmantur. Quam ob rem exiſtimarem eſſe non licitum ſolùm, ſed & neceſſarium omninò, quod in Germaniâ omnes Theologi ſint in Hæreticorum libris eruditi & verſati.

Hiſpani & Itali, qui in ſuis Patriis Magiſtri, debent ſtudere in Germania.

CDXXXVII. *Libri interdicun-*

Sed egrediamur ex infectis provinciis, & ad Italiam aut Hiſpaniam puriſſimas regiones tranſeamus. Dicam

tur ratione periculi. cam tibi ratione periculi interdici Hæreticorum libros, & in hoc à me ſtabit Diana. At ille addet eoſdem interdici ad ignominiam Auctorum. Et dicam hoc non videri verum, nec ad rem.

Non verum. Quia eoſdem libros, ſi ſint correctionis capaces, expurgatores corrigunt, & correctos permittunt. Sub annum 1632. evulgabatur in Hiſpaniâ Expurgatorius liber, qui non omninò indoctus, ſed quia fuerat à P. Pineda concinnatus, reiiciebatur à Societatis æmulis, quaſi correctores in ipſos non ratione ſed affectibus dirigerentur: & in ipſo legiſſe me memini, cum librum non eſſe Prohibitorium, ſed Conceſſorium, ut pote, qui libros aliàs interdictos ratione errorum erroribus expunctis concedebat. Ergo opinione ipſius Inquiſitionis librum expurgatorium evulgantis, libri interdicuntur ratione periculi, nam etiamſi corrigantur errores, adhuc authores manent hæretici & pertinaces, ut anteà, nec debent aliter amari quàm anteà.

An liber expurgatorius, libros concedat, an interdicat?

CDXXXVIII Nec contra hoc militat Hæreticorum libros Grammaticos, Rhetoricos, Dialecticos, & Philoſophicos interdici; nam hos Diana exiſtimat nullam continere hæreſin, ſed hoc ideo exiſtimat, quod majoribus occupatus ejuſmodi libros non legat; forte nec habet, rari enim hinc mittuntur Grammatici in Italiam; ſed fallitur doctiſſimus vir, nulli enim ſunt, qui plures errores & hæreſes habeât; Libri Theologorum hæretici, ut plurimum unam aut alteram promovere conantur, at Liberales libri plurimas.

Hæreticorum libri liberalium Artium & Philoſophiæ plurimis inficiuntur erroribus.

Non aliter poteſt Grammatica, Rhetorica, & Dialectica, quam exemplis tradi, & talia Heterodoxi congerunt, quæ ſuam fundent hæreſin aut exponant: ubique ſtatui Eccleſiaſtico inſultant, ubique Papa eſt Antichriſtus, ubique nos Idololatræ. Habeo ob oculos plurimos quos poſſem allegare ſi vellem, ſed cur Lectorem meum onerarem eorum ineptiis, ſi ſufficiat aſſerere vix ullum eſſe librum liberalem, qui hæreſibus multis non ſcateat. Unde concludo etiam ipſos ob doctrinam ab Eccleſiâ interdici.

Sed demus illos interdici in odium & pœnam Authorum, & rogabo, Quis majori ignominia & dedecore afficiatur, illene qui occiditur & igni mandatur in carcere, an ille qui conducitur per plateas civitatis præcone ejus infamiam inclamante? Ille, qui ſuſpenſus à patibulo eâdem die ſepelitur; an qui jubetur in cruce remanere toto anno? Hinc tranſi ad libros. Putarem ſeveriore ſententiâ condemnari librum (dicam Hiſpanè, *à quien ſe le pone un ſanbenito*) librum, cui nigrum Thetha præfigitur, cui inſcribitur eſſe Authoris damnati, illum, qui legitur ut Authoris infamis, quàm qui omninò non legitur. Et tamen ſtando Dianæ fundamentis deberemus dicere furem, qui condemnaretur exilio & juberetur non comparere in toto regno, condemnari ſeveriùs, illo qui juberetur manere & ſignum publicum & externum ignominiæ portare, ut ab omnibus eſſe infamis & ſceleratus noſceretur. CDXXXIX.

Quid ſit ignominioſius, non legi omnino, aut legi ut Authorem damnatum.

CDXL. *De Libris inducentibus & inductivis.*

Venio ad ultimam rationem Dianæ, quam eſſe Virorum Doctorum affirmat. [Illi libri, ait, tametſi non ſint inducentes in hæreſim, ſunt inductivi; Atqui finis Eccleſiæ eſt, ut non dentur libri, qui poſſint inducere in hæreſim: Ergo non ceſſat legis finis.] *Et Ego dico primò* majorem debere ab illis Viris doctis probari. *Dico ſecundò*, condonetâ majori adhuc falſam eſſe, quia illi libri non ſunt reſpectu illorum hominum inductivi; nam ignis tametſi calefactivus ſit, non eſt calefactivus ligni remoti, niſi priùs ponatur approximatio, quæ ex parte ſubjecti requiritur: & conſequenter illi libri tametſi ſecundum ſe inductivi dicantur, non erunt inductivi reſpectu hominis, qui in quæſtione proponitur, quouſque detur in eodem periculum, & tunc tollitur caſus.

Potentia eſt relativa, nec reſpicit ſubjectum incapax.

Dico tertiò, non omnes libros eſſe etiam ſecundum ſe inductivos, nam falſitas, ut nocere poſſit, debet eſſe ſimilis veritati; quam ob rem cùm aliquis nimis inſolenter mentitur, nullum decipit. *Quæ notata eſſe volo*, ut Martini Lutheri opera à libris aliorum diſtinguam; quis enim turbari aut ſeduci poterit à Viro tot ineptias, blaſphemias, & injurias vomente? Quis à Doctore, qui ſe à Diabolo didiciſſe fatetur, quæ ſuos diſcipulos edocet? Ille unicus, qui non legerit hos libros Martini Lutheri. Nam Ego Spiræ, ut quemdam amicum virum doctum, ad noſtram Religionem reducerem, perſuaſi, ut aliquos Lutheri libellos evolueret; qui cœpit non eſſe illos ſui Lutheri, ſed à noſtris confictos, occlamare priùs; at typo, anno, & ſuorum Miniſtrorum confeſſione convictus, dare manus poſteriùs malleque eſſe Tridentini diſcipulus, quàm Lutheri, ſe à Diabolo didiciſſe affirmantis.

Quæ evidēter falſa, inducere in errorem non poſſunt An Martini Lutheri libri, ſi attentè legātur viro docto nocere poſſint? Lutherus fuit diſcipulus Diaboli: quod ipſe fatetur.

Sed condonemus omnia, quæ Diana deſiderat in illis ultimis lineis ſuæ Reſolutionis. Quid habebimus? caſum ab illo tolli, non deciſi. Supponit Caſus, ceſſante legis fine in particulari, ceſſare ipſammet legem in particulare: ergo ſupponit poſſe ceſſare finem; at, ſi illa diſtinctio *inducentis* & inductivi admitteretur, impoſſibile eſſet, quòd aliquando ceſſaret finis in particulari: ergo tolleretur tota hypotheſis. Et ſi tolleretur, nemo poſſet viſitare fœminam pulchram, quia tametſi non induceret ad malum, eſſet inductiva: nemo poſſet habere carnes die veneris, ipſæ enim etſi non eſſent inducentes, eſſent inductivæ: & nemo poſſet habere enſem, quia tametſi non eſſet ille occidens, eſſet occiſivus: &c. *ſtat igitur* admiſsâ hypotheſi Dianam debuiſſe aliter philoſophari.

CDXLI. *Caſum non debet tollere Deciſio, ſed ſupponere.*

Sed neque hoc militat contra Inquiſitionis authoritatem, hæc enim propoſitio, *Nemo poteſt legere libros prohibitos, etſi certus ſit ſibi non obfuturos*, eſt doctiſſima, probabiliſſima, & prudentiſſima, & ſi Inquiſitores omnia ſua velint eſſe evidentia, eſſe volent ſede ipſâ Apoſtolicâ digniores, nam præter Articulos Fidei, qui ad probabilitatem reduci non poſſunt, ſed debent admitti tanquam certi, centena diebus ſingulis Decreta à Pontifice emanant, quæ innituntur opinioni probabili: & ut rem ipſam clariſſi-

CDXLII. *Opinio contraria eſt probabilis. Sunt merè probabilia multa Inquiſitorum Aſſerta: imò etiam ſummorum Pontificum.*

mo

An poſſit Pontifex in voto ſolenni diſpẽſare? mo exemplo dilucidem, quoties in voto ſolenni diſpenſat Summus Pontifex, prudentiſſimè quidem diſpenſat, at quia D. Thomas & Dominicani hanc ipſam diſpenſationem eſſe invalidam dicunt, procedit ex ſententiâ probabili.

CDXLIII Accedit, quòd ſemel poſitâ probabili legendi poteſtate, adhuc Inquiſitio habeat Jus puniendi illum, qui libros illos legiſſe ſine licentiâ ſuperiorum convincitur. *An puniri ille poſſit, qui ſequitur ſententiam probabilem?* Primò, quia in Dianæ ſententiâ quam habet *part.* 1. *tract.* 10. *reſol.* 8. §. *Reſtat modo.* Poteſt ſuperior punire illum qui ſequitur opinionem probabilem; quæ tametſi amplectenda non ſit, enervat objectionem Dianæ. Secundò, quia ſtando certiſſimæ doctrinæ, quæ docet, non poſſe inquiſitionem punire illum, qui ex opinione probabili operatur (is enim cùm non peccet, puniri nec debet nec poteſt) adhuc puniri poſſet, qui libros interdictos legeret; *Periculum eſt in poſſeſſione: & nemo poterit probare nullum fuiſſe periculum.* eſt enim externa, & eſt periculum in poſſeſſione externâ, & ceſſare illud non poterit ab ullo probari; quam ob rem, ſi convictus de lectione ſe excuſet, dicatque: *Poteſt legere libros hæreticorum, qui non habet conſentiendi periculum: At ego nullum habeo: Ergo & poſſum.* Debebit Inquiſitor dicere majorem probabilem eſſe, ſed debere minorem probari: adeoque eodem modo procedere, quam contra homicidam, qui diceret, *Quicumque occidit alterum invaſus, ſi procedat cum moderamine inculpatæ tutelæ, bene facit. At ego ſic Ioannem occidi: Ergo bene feci.* *Qui fatetur homicidium, punietur, niſi illud juſte factum oſtendat.* Nam ſi fateretur homicidium, & circumſtantiam excuſantem non probaret, deberet omninò puniri. Sed quis probabit ſe ſine periculo aut damno legere libros Hæreticorum? nullus, nullus. Ergo quidquid de foro interno ſit, nemo poterit legere ſine licentiâ tales libros, & in Sanctæ Inquiſitionis tribunali pœnas conſtitutas evadere.

QUÆSTIO II.

An ſit mortale comedere carnes die Veneris?

CDXLIV. *Jejunii finis.* OB mortificationem inſtituta ſunt abſtinentiæ & jejunia, ut ſubigatur & maceretur caro; ut corpus rationi obediat, & meliùs gubernari poſſit. At hic occurrunt multa, quæ indigent magno examine. Unum aut alterum dubium propono.

Caſus. Petrus vir robuſtus & fortis, & qui piſcibus libenter veſcitur, ſe, ait, in abſentâ à carnibus, quam Catholici obſervant, nullam incommoditatem, nullam utilitatem, nullam mortificationem ſentire: & concludit abſtinentiam à carnibus erga ſe eſſe rem, quæ leviter poteſt conducere ad finem, quem proponit Eccleſia. *Media, quæ efficaciter conducunt ad finẽ levẽ: & quæ leviter ad gravem, obligant* Cùm igitur non ſolùm peccet venialiter, qui omittit medium quod ad finem levem ordinatur, ſed & ille, qui medium, quod ad finem gravem leviter cenſetur conducere: ſi ab-

Digitized by Google

ſub veniali tantummodò.

Argumentum à majori ad minus.

An jejunia regularia obligent ad mortale?

ſi abſtinentia à carnibus die Veneris leviter conducat ad finem quem intendit Eccleſia, putat ſolùm obligare venialiter. *Confirmat.* Magis enim neceſſaria ſunt jejunia & abſtinentiæ ad vitam Monaſticam, & Religioſam, quàm ad vitam Chriſtianam: at in multis Ordinibus jejunia regularia creduntur eſſe res parvi momenti, & ſolummodò obligare ad veniale: Ergo idem à fortiori de Eccleſiaſticis dicendum eſt.

CDVI. *An piſces excitent luxuriam?*

Sic philoſophari ſolet Petrus, at multò duriùs & exorbitantiùs Fridericus. Venus è mari oriri dicitur, quod marina omnia ſint venerea. Ardet luxuria in undis, & in omni concharum genere evidentiùs, & in omnium piſcium genere ſatis clarè excitatur. Carnes ſuavioris & purioris nutrimenti nec ſunt, nec ita concupiſcentiam irritant, nec alterant laſcivos humores. Ergo finis, quem intendit Eccleſia, ceſſare videtur contrariè. At quando finis contrariè ceſſat, ceſſat abſolutè ipſa Lex: Ergo nemo comedere piſces tenebitur. Sic Fridericus. Et Ego ſi aſſumpta vera ſint, diſcere volo, cur non ſunt veræ conſequentiæ. Quod ſi illa falſa judices, doceri volo, an habeas aliquam demonſtrationem, quâ poſſis clariſſime oſtendere nunquam laſcivos corporis humores piſcium comeſtione irritari.

FUNDAMENTUM XVIII.

De Legum Actione, ſeu Legumlatione.

CDXLVI. *Legiſlatores Numinum Internuncii.*

DIfficillimum eſt Legislatorem agere, & ideò antiqui Legum Conditores maluerunt dici Deorum Interpretes, quàm legum ipſarum Authores; ut vulgus reverentia & religione inductus Leges à Deo per ſuorum Principum manus ſe putaret accipere, & devotè obſervaret.

In dubio ſtandum eſt pro præcedente poſſeſſione.

Plus eſt quàm dubium probabilitas.

Sed quales erunt leges, ſi de Legislatoris authoritate dubitetur? Reſpondeo diſtingui dubium à probabilitate debere: Nam in dubio ſtandum omninò eſt pro poſſeſſione, quæ erat ante illud dubium, unde ſi Electio Superioris ſit dubia, ſtandum erit pro non

non-electione, & ſupponendum eum qui invadit Rempublicam, verum Superiorem non eſſe; ſi autem depoſitio ſit dubia, ſtandum erit pro non-diſpoſitione. Ergo cenſendus eſt non habere authoritatem, cujus eſt dubia electio; & cenſendus eſt manere adhuc in priſtinæ authoritatis poſſeſſione, cujus eſt dubia depoſitio. Sed quia rarò aut nunquam talia dubia ſubſiſtunt, transeamus ad probabilitatem. Puto Miniſtros & Officiales omnes, quamdiu in dignitatibus collatis maneant, obedire probabiliter-legitimo Superiori debere, aliàs haberent ſimul duas opiniones oppoſitas, ordinariam enim ſuperioris authoritatem confitetur, qui delegatam recipit & in aliquo officio agit Superioris Vicarium: at cæterorum ſubditorum vulgus debere obedire ſuperiori probabili crediturus non ſum.

Dubia hodiè rara.

An homo ſimul poſſit operari juxta duas oppoſitas opiniones probabiles?

An aliquis debeat obedire Superiori probabili?

CDXLVII HÆC ſæpe à nobis dicta & expoſita, majori commentario non indigent: vide interim, quæ ſcribo Theologiæ Regularis num. 1582.

Ratio fundamentalis eſt; quia tametſi poſſim habere quamcumque opinionem probabilem ſeorſim; non conjunctim; nam ut ſimul duas habeam ſententias, eſſe illæ debebunt comprobabiles & conſiſtentes, aut aliàs in ſumma præcipitia perducent. Hanc ego ob cauſam Poſitiones, quas olim cenſuræ Theologorum ſubjeci, & hîc iterum do, nolui vocare *Theſes*, ſed *Syntheſes*; & hoc conſultò, ut vel ipſo nomine innuerem, illas non probabiles tantum, ſed etiam comprobabiles eſſe. Rem exemplo dilucido. Hæc propoſitio, *Quotieſcumque una formalitas concipitur non concepta altera*, *diſtinctio realis intercedit*, eſt probabilis, nam admittitur ab illis omnibus, qui objectivas præciſiones reiiciunt. Item hæc, *poteſt mens concipere Naturam Divinam non concipiendo Relationes Divinas*, eſt probabilis; nam admittitur à Thomiſtis, & Scotiſtis univerſis: & tamen infertur hæc conſequentia, *Ergo Natura Divina realiter diſtinguitur à Relationibus Divinis*; quæ eſt omninò improbabilis, hæretica, & centies ab Eccleſiâ damnata. Ergo Propoſitiones probabiles à comprobabilibus & conſiſtentibus ſunt diſtinguendæ: ſed de hoc uberiùs in Logicâ Morali tracto.

Non omnes ſententiæ probabiles ſunt comprobabiles.

Non omnes Theſes ſunt Syntheſes.

Ex præmiſſis probabilibus ſequi poteſt concluſio improbabilis.

De naturæ divinæ & relationum diſtinctione.

Digitized by Google

FUNDAMENTUM XIX.

De Legum Paſſione: hoc eſt, promulgatione & acceptatione.

CDXLVIII *Obligantur lege nō acceptata ſervi:*

ACceptatio à Legum Paſſione diſtinguitur, multi enim obſtringuntur præceptis etſi non acceptatis. PRIMO enim ſervi non rogantur, An acceptare legem velint? carent enim nomine & libertate. Ratio Reſolutionis clara eſt, quia victor, ſi interpoſito pacto, & præſcriptis articulis & conditionibus victos ſub protectionem & amicitiam recipiat, debebit ſtare promiſſis: quòd ſi illos debellet pura vi, & victos occidere poſſit [& hoc accidit quoties non petitur aut conceditur ſalus, vulgò *Cuartel*:] poterit eoſdem proculdubio mitiori ſententia ſervare, hoc eſt, ſervos reddere: & ipſi ſemel ſervati tenebuntur ſervatori obedire, nec habebunt jus Leges non acceptandi. HINC PATET, DEI Leges non pendere ab hominum acceptatione; ſervi enim & creaturæ ſumus, occidi imò & adnihilari omnes poſſumus, & clementia Conditoris ſervamur; atque ideò citra omnem acceptationem aut non acceptationis exceptionem Servatori obedire tenemur.

Victoria duplex. *Cuartel quid?* *Servare quid ſit?*

Ergo creatura divina: nam ancillantur DEO.

CDIL. *Item liberi legibus neceſſariis: nam hæ ſunt in pacto vitæ communis acceptatæ.*

SECUNDÒ, Homines liberi, non habent jus non acceptandi Leges præciſè neceſſarias ad conſervationem Reipublicæ; nam ad illam perdendam aut ſolvendam poteſtatem non habent. Et ratio eſt; quia pactum vitæ communis ab univerſis initum eſt acceptatio omnium mediorum, ſine quibus ea non poteſt ſtare. Quam ob rem, ſi loqui in rigore velimus, non debemus dicere ejuſmodi Leges non indigere acceptatione, ſed non indigere nova, ſed eſſe in ipſa Reipublicæ erectione acceptatas. Eodem philoſophari modo debes, de Legibus præciſè neceſſariis ad obtinendum finem, ob quem inſtituta eſt Reſpublica: quotquot enim volunt eſſe ejuſdem Reipublicæ membra, eumdem finem intendunt, & omnia media

Sed quis erit Iudex, An lex ſit neceſſaria?

dia

Digitized by Google

dia præciſè neceſſaria ad ejusdem conſecutionem acceptant.

CDL. *Item Religioſi legibus Regularibus.* Tertiò, Religioſi, quibus præcipiuntur ea, quæ ſunt in Regula, non habent jus non acceptandi Leges; quia ipſas jam in ſolenni profeſſione acceptarunt.

Non tamē liberi legibus non neceſſariis. Quartò, Homines liberi, quibus minùs neceſſaria jubentur non tenentur acceptare præcepta, niſi fortè acceptaverint liberè aliam Legem, quæ illos privet libertate Leges non acceptandi. *Poteſt dari lex acceptata, quæ jubeat leges ante acceptationem eſſe validas.*

Et profectò, ſi quatuor iſtæ veritates bene conſiderentur, non multum diſtabunt duæ illæ ſententiæ, quæ videntur oppoſitæ; quarum altera negat, altera aſſerit Humanas Leges ante acceptationem obligare. Item duæ illæ, quarum altera Leges Eccleſiaſticas à ſæcularibus diſtinguit, altera non diſtinguit: omnes enim iſtæ quatuor ſententiæ univerſaliter ſumptæ falſæ ſunt; & ſi limitentur juxta doctrinam poſitam, omnes ſunt veræ. *Oppoſitæ ſententiæ conciliantur.*

Communitatum compromiſſio. In vota plurium compromiſerunt Communitates, at nulla generaliter, ſed in talibus materiis & caſibus. Si pronuncietur Lex circa materiam, in qua omnes compromiſerunt, & acceptetur à pluribus, obligabit pauciores, etiam non acceptantes. Si verò circa materiam in qua non ſit omnium compromisſio, feratur, obligabit compromittentes & non alios: nimirùm obligabit Communitatem ipſam, quæ compromiſit; obligabit acceptantes, nam & ipſi compromiſerunt. At unum aut alterum, aut pauculos, qui non compromiſerunt obligabit in communi, non tamen in particulari. In communi; quia oſtendimus eſſe Communitatem obligatam, & hæc ipſa obligatio ſingulos in communi concernit: non in particulari; quia ſinguli compromiſſione obligantur, adeoque qui noluerunt compromittere, non poſſunt privatim obligari. CDLI. *Quando ſit ſtandum plurium votis?*

Expedit ut lex incipiat ſimul obligare univerſos. Puto etiam Leges promulgari debere, ut innoteſcant vulgo, cui impoſitæ. Puto eas, quæ toti Reipublicæ indictæ, ſi toti eadem hora notificari non poſſint, debere præfigere tempus futurum, ex quo incipiant obſtringere: non enim careret magnis inconvenientibus popularis confuſio, ſi eamdem legem CDLII.

Bb 2 alii,

Digitized by Google

Expedit, ut lex incipiat ſimul obligare univerſos.

alii, quibus notificata, obſervarent, & alii, quibus nondum notificata, non obſervarent. Sed quanto illæ tempore poſt promulgationem incipient obligare? Rei natura nullum determinat; competens humanitùs determinari poſtulat: at Humanæ (ſœculares certiùs, & Eccleſiaſticæ probabiliter) videntur non niſi poſt duos menſes obligare, & hoc quia ſic ſuperiores voluerunt: nempe ſupremi (quo nomine Cæſarem, Reges, &c: & probabiliter Papam intelligo) quia Magiſtratuum & inferiorum leges videntur obligare ſtatim.

Leges obligant poſt duos menſes: ſed quæ?

HÆc omnia vera & certa; at quia non deſunt in re clarâ quæſtiones & difficultates, unam vel alteram propoſiturus ſum.

QUÆSTIO I.

An ſi Lex fuerit acceptata à majore communitatis parte, ſi aliquis illam frangeret ſecluſo ſcandalo, peccaret mortaliter?

CDLIII. *Vide quæ dicemus inferiùs à num. 672.*

UT controverſiam hanc dilucidet Diana ponit caſum, in quo Petrus ex illis ſit, qui non acceptarunt legem, privatimque & ſecretò illam violet: & ait Caramuelem *in Commentario in Regulam D. Benedicti num.* 744. Petrum excuſare à mortali. Producit unam aut alteram Caramuelis periodum & ſubjungit. [Sed hæc opinio mihi non placet, nam dato & non conceſſo, quod obligatio legis penderet ab acceptatione populi, tamen eo ipſo, quod lex à majori parte fuerit uſu recepta, obligat omnes & ſingulos, communiter aſſerant Doctores: ut ſicut è contrà, ſi de facto major pars populi non ſervaret legem, poterunt alii ſine peccato majori parti conformari, & excuſari, quia talem legem ſupponitur non eſſe utilem Reipublicæ.] Hæc ille *part. 7. tract. 11. reſol. 23.*

An lex, quæ contemnitur à majore Communitatis parte, pauciores obliget?

CDLIV. Legit hanc Reſolutionem Caramuel Alderſpachii in Bavariâ Anno 1645. & obſtupuit; jurans, dejerans ſe improbabilem putare errorem, quem illi Diana adſcribit. Voluit id ſcripto publico teſtari, ſed quia bellorum turbines aliò illum abegerunt, nec poſteà libros Dianæ habuit, taceri debuit, & permittere ſe citari pro errore, quem totâ ipſe vitâ fortiſſimè in multis libris impugnaverat. Porrò, ſi dignatus fuiſſet Diana binas ante, & binas etiam poſt periodos exſcribere, citaſſet Caramuelem pro contrariâ ſententia. At quia feſtinus fuit, debebit Caramuel repetere, quæ ſæpiſſimè ſcripſit ſatis clarè. In materia legum ſic philoſophatur Caramuel.

CDLV. Dicit primò, *Non licere Legiſlatori Humano ponere quaſcunque leges, ſed ha-*

Superiorũ

bere authoritas

eſt limitata. *bere authoritatem limitatam, & debere ſe continere intra terminos ſibi conceſſæ poteſtatis.* Et quia in Commentario illo Regulam Benedictinam explicat, ponit exemplum in Abbate, cujus authoritas extra Regulam extendi non poteſt, nam ut patet ex ipsâ ſolenni profeſſione, obdientia ſuperiori promittitur non abſoluta & qualiscumque, ſed ſecundum Regulam D. Benedicti, nimirùm prout uſu receptam.

Privilegium, quod concedit S. Benedictus cap. 68. Dicit ſecundò, *Abbatis legem, quamdiu ſe contineat intra Regulæ terminos, hoc eſt, quamdiu præcipiat quæ expreſſè continentur in Regula, poſſe ſemel modeſtè rejici: Quod ſi ſecundò pronuntietur obligaturam, etſi contradicant univerſi.* Patet, quia in profeſſione leges Regulæ acceptarunt ſinguli, & ipſa concedit ut ſi cui præcipiatur quod vires ſuas videatur excedere, poſſit ſe ſemel excuſare, jubetque ut abſolutè obediat, ſi in ſuâ ſententia perſeveret Superior.

CDLVI. *De rebus circa quas non compromiſit Communitas.* Dicit tertiò, *In rebus, quæ ſunt extra Prælati poteſtatem, legem acceptatam tranſire in compromiſſum, & obligare eos, qui acceptarunt, non alios. Et addit, eamdem obligare Communitatem, ſi illam acceptavit Communitas, & tamen poſſe violari à quocumque particulari, qui illam non acceptavit.* Hæc eſt Caramuelis ſententia, clara & vera, quam cùm Diana ad Regulam univerſalem trahit, ſe nimis feſtino oculo apertum textum interlegiſſe oſtendit. Et quidem Caramuelis ſententiam, quam docet, in loco, quem citat Diana, exemplo notiſſimo illuſtro.

Exemplum Omnia officia mechanica in civitatibus Germaniæ habent ſuas tribus & Antiſtites, qui leges ferunt in materiâ ſingularum artium; pone Textorum Præſules jubere pannos, qui tãti væneunt, debere tantum lanæ & tantum ſerici complecti: & hanc legem dicet Caramuel omnes & ſingulos obligaturam, ſi à pluribus ſit acceptata; niſi fortè contractu inito ab omnibus concedatur Præſuli, ut inconſultis ſubditis leges pronunciet. Quid ſi eorumdem Textorum Superior præcipiat, ut non carnes in poſterum, ſed piſces comedant; ut à vino abſtineant; ut nunquam cœnent; ut quotidie audiant ſacrum; & ſimilia? Reſpondeo Textores non teneri. Quid ſi omnes Antonio excepto iſtas leges acceptent? Reſpondeo illas acceptaſſe Communitatem illam, & teneri illos, qui quoad hoc compromiſerunt in plurium vota, at Antonium, qui nec illas acceptavit, nec in plurium vota compromiſit quoad hoc, non teneri. Hæc eſt Caramuelis ſententia, quam in dicto Commentario à num. 738. ad 749. dilucidat, quam in multis aliis locis confirmat, cui in S. R. Imperi Pace conſonat; & quam nimis feſtinus Diana legit, aliàs enim vir doctiſſimus & oculatiſſimus optimo amico non potuiſſet tam ſtupidum errorem imponere. *Caramuelis doctrina.* Non ſum adeò amens ego, ut nunquam erraviſſe Caramuelem affirmem, nam & video ab ipſo nonnulla intendi, remitti, limitari, & ampliari; non enim habet ſcientiam infuſam, ſed ſummo labore proficit, & ita hodie ſtudet, ut die craſtinâ ſcripta priora legat doctior: at ipſe quando errat, ingenioſè erat, & ſi habuiſſet errorem, quem illi Diana adſcribit, nec doctè nec ingenioſè erraſſet. *An nunquam erraverit Caramuel?* Cur

 plu-

Digitized by Google

plura ſcriberem? Ponam calamum orando meum Lectorem, ut Commentarii citati à Dianâ dignetur Paragraphos ſequentes interlegere: nimirùm, numer. 488. 492. 493. 738 739. 740. 741. 742. ad 479. & in S. Rom. Rom. Imperii Pace num. 82. 83. &c. & poſtea dicere, An-non ille contradictoriam omninò habeat ſententiam, nec unquam illam ſomniaverit, quam illi invito Diana adſcribit?

QUÆSTIO II.

An, ſi maior pars non ſervet legem, deſinat obligare ipſa Lex?

CDLVII. AFfirmativam ſententiam tenet Diana *part. 7. tract. 11. reſ. 23.* ubi ait. [Si de facto major pars populi non ſervaret legem, poterunt alii ſine ſcrupulo majori parti conformari & excuſari: quia talem legem ſupponitur non eſſe utilem Reipublicæ.] Et Ego Aſſertum ipſum & rationem inferendi conſidero, & infero Catholicos, qui in civitatibus Hæreticorũ habitant, non teneri ad jejunia; poſſe in quadragesimâ carnes comedere; non debere audire Miſſam diebus feſtis, &c. nam has leges major populi pars non obſervat, & ipſi ſe poſſunt majori parti conformare. Quod ſi ad jus divinum recurras, & dicas hanc hæreticorum negligentiam ex infidelitate ſubnaſci, cur non poſſit aliquis bene credere, & tamen in cæteris ſe illis conformare, nõ video. Sanè relinquamus hæreticos, etiam inter Catholicos corruptiſſimæ ſunt aliquæ Communitates: An-ne ideò poterit Petrus violare talem aut talem legem, quia plerique; illam violant? ſed inter Eccleſiaſticas & ſæculares diſtingues: interrogabo tamen, An Eccleſia poſſit ferre leges inutiles? nam quæ temeratur à pluribus eſſe inutilem Diana ſupponit. Ego Dianæ aſſentiri non ſcio: tu rem conſidera.

An Catholici habitantes inter Hæreticos præceptis Eccleſiæ teneantur?

QUÆSTIO III.

An legem Moralem à ſuperiori legitimo latam poſſit acceptare populus quoad forum exteriùs, & reiicere quoad forum interius?

EXcipi ſolet contra leges Eccleſiaſticas & ſæculares eò quod non ſint ex Legiſlatoris & acceptatorum intentione, ut obligent in foro interiori? quod eſt quærere, An poſſit ſoleatq; populus acceptare leges quoad forum exterius, & non acceptare quoad interius? CDLVIII.

Reſpondeo ex Dianâ *part. 2. tract. 17. reſol. 21.* producendo Extravagantem Pij V. de quâ ſic ille. *Quoad pœnam Bullæ Pij V. privationis privilegij clericalis officii & beneficii, &c. dico probabiliorem eſſe illam ſententiam, quæ aſſerit illam Bullam non eſſe receptam in uſu, quoad forum interius.* Sic Henriques, Avila, Sayrus, &c.

Ergo poſitâ legiſlatione dubitandum eſt de acceptatione; & poſitâ acceptatione quærendum adhuc eſt qualiter lex ſit acceptata, & quouſq; conſtet eſſe acceptatam quoad forum interius, non eſt dicenda, conſcientias obligare.

*

FVN-

Digitized by Google

FUNDAMENTUM XX.

De Legum Duratione.

An Materia exiſtat exiſtentia Formæ? De legum exiſtentia.

MAteria D. Thomæ opinione exiſtit exiſtentia Formæ; & in mea Leges exiſtunt Legiſlatoris exiſtentia, durant Legiſlatoris duratione: quod ſi fortè aliqua Principi ſupervivat, erit confirmata à Republica tota, quæ non moritur. CDLIX.

An lex maneat mortuo Legiſlatore? De Legum tempore.

Viderentur debere perennaturæ ſcribi; labilis enim eſt memoria, nec poteſt ſingulos apices retinere: at non ſcriptæ quanto duraturæ ſunt tempore? Hoc ipſum deberet ſcripta lege aliqua determinari.

CDLX. *Non-ſcripta ſuperiorum mãdata, quanto tempore ſint duratura?*

VIdi ſemel ad tollendos ſcrupulos declarari à Generalibus Ciſtercienſis Ordinis viſitatoribus præcepta Abbatum non ſcripta ultra ſex menſes non durare: & me judice prudens fuit hæc ipſa declaratio; ſolent enim nonnulli Præſules tam leviter præcepta imponere, ut eorumdem obliviſcantur ipſi poſteà; & interim ſcrupulis onerant ſuas communitates: ergo ſatis erit, ſi ejuſmodi præceptis ſex menſium concedatur obſervantia: ut Abbates, qui velint ſua præcepta eſſe perpetua, non illa merâ voce proferant, ſed in tabulis publicis Cœnobii exarent.

Cæterùm ex hac Viſitatorum lege non poterimus diducere Regulam aliquam univerſalem. Quia quàm certum eſt legem agraphicam non poſſe eſſe perpetuam, tam incertum eſt tempus ultra quod non ſit perennatura. Et hanc ob rem prudenter recurrimus ad Superiorum voluntatem.

FUNDAMENTUM XXI.

De Legum Loco.

CDLX. *Nec leges, nec Principes ſunt immenſi.*

HAbent ſuos terminos Provinciæ, extra quos non extenduntur Leges. Non obligant Leges Galliæ in Hiſpania, nec Hiſpaniæ in Gallia: ſed unæquæque ibi habent vires, ubi ferri potuerunt.

Qui-

Digitized by Google

Servi. Religioſi. Vagi. Legati.

De Peregrinis Quibus legibus obedire teneantur?

Quibus legibus tenentur Peregrini? Aliqui ſunt priori loco obſtricti perſonaliter, aliqui realiter: Servi & Religioſi quamdiu manent obſtricti priori loco, ejus legibus tenentur: cæteri legibus loci in quo habent domicilium de facto. [Legati non videntur habere domicilium apud Principem ad quem legati, ſed urbe unde miſſi.]

De Senatore capto.

An-ne captivi Senatores poterunt in territorio alieno jus dicere? Reſpondeo Senatores eſſe Doctores & Iudices: ubicunque ſint, eruditi ſunt, docti ſunt, & poterunt juxta jura & leges reſpondere. At proferri ſententiam, qua liberi obſtringantur, poſſe à captivis, crediturus non ſum. Et idcirco pronuncio Iudicem Hiſpanum, captum à Gallis & Pariſios transmiſſum, non poſſe jus dicere, quod liberos Hiſpanos obliget. Ratio eſt, Quia hujus Senatoris perſona (imò ipſa charta, in qua ſententia ſcribitur; calamus qua illa ſcribitur; ſigillum, quo firmatur) alti imperii nomine pertinet ad Regem Galliæ: non ergo Ius dicere poterit nomine Regis Hiſpaniæ.

CDLXI. *De Camera Spirenſi ſub Gallo.*

HInc patet quid dici debeat de Camerâ Spirenſi à Gallis captâ. An ſub Gallorum Imperio conſtituta poſſit Germanos judicare? De hac Ego materiâ tractatum ſpeciálem ſcripſi; ſed quia vidi rem tam magni momenti contra Cæſaris authoritatem affectibus privatis regi, & aliquos damno publico quærere commoditates privatas, judicavi nondum illum debere edi; ait enim Dominus Deus, *Cùm accepero tempus ego juſtitias judicabo.*

FUNDAMENTUM XXII.

De Legum ſitu aut ordine.

CDLXII. *De Legum concurſu.*

Non eſt obediendum Homini contra Deum.

NOn ſunt æquales Leges, ſed aliæ ſunt nobilores, aliæ minùs nobiles, & ſi concurrant, nobilior obtinere, & cedere debet inferior. Lex Dei ſuprema eſt, nec cedit Humanæ aut Angelicæ. Si contra Creatorem creatura aliquid præcipiat audienda non eſt. Qui ſi concurrant duæ Leges, Divina probabilis, & Humana certa; utra præcedere debebit? Reſpondeo poſſe ſubditum in tali caſu opinari non dari Legem Divinam; poſſe & opinari contrarium: eſt enim conſcientiæ libertas in materia probabili, niſi ſubditus ſe liberè obligarit ad alteram contradictionis partem. Si opinari velit

De lege probabili.

Digitized by Google

velit dari Legem Divinam, hoc ſtante dictamine non poterit obedire Humanæ: Si opinetur Divinam non dari, tunc tenebitur obedire Humanæ: at in tali caſu non dicetur Humana Divinæ præponi; ſed Humana obſervari, & non dari Divina. Quid ſi ſuperior jubeat tibi bibere venenum probabile? quid ſi dubium? ſi reus ſis, & ille te damnare poſſit morte certâ, etiam poterit probabili aut dubiâ: & tunc venenum haurire poteris, ſed non teneberis. Ergo neque teneberis, ſi ſis innocens, aut ille te capite condemnare non poſſit.

Modus loquẽdi corrigitur.

De veneno probabili.

CDLXIII. HUnc legum & præceptorum ordinem expendit curioſè & eleganter Auguſtinus (& habetur 11. *quæſt.*3. *can. Ita corporis. Canon qui reſiſtit.*) qui ſic ait. *Quid, ſi illud jubeatur quod non debeas facere? Hic ſanè contemne poteſtatem: ipſos humanarum legum gradus adverte. Si aliquid juſſerit Curator, faciendum eſt; non tamen, ſi contrà Proconſul jubeat: Non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis maiori ſervire: nec hinc debet minor iraſci, ſi maior prælatus eſt. Rurſus ſi ipſe Conſul aliquid jubeat, & aliud jubeat Imperator, & aliud Deus: da veniam ô Imperator; tu carcerem, ille gehennam minatur, &c.*

Humana poteſtas gradus habet.

An ideò obediendum Deo?

CDLXIV. Sed debes hîc omninò notare, poſſe & ſolere ſubditum habere multos ſuperiores ſubordinatos; & tunc debere obedire maiori, etiam contra voluntatem & præcepta minoris. At in hoc ipſo caſu debet intervenire Principis ſuperioris prudentia, ne fortè præcepti altioris colore Reipublicæ præjudicetur. Inter Hiſpanos ſic proceditur. Petrus Solutor generalis, exempli cauſa, ſuam habet inſtructionem à Rege; præcepit contra Prorex, ſe urbanè excuſat Petrus, Regiam inſtructionem proponens. Si adhuc Prorex in ſcriptis ei jubeat, ut non obſtante mandato Regis, ſibi obediat; debet obedire Proregi; & monere Regem, ut ipſe examinet, cur Prorex talem legem poſuerit. Et hi mores ſummâ prudentia & ratione fundantur: ſolent enim mutari circumſtantiæ, & debent inſtructiones privatæ etſi Regiæ, inſtructioni Proregis etiam Regiæ ſubeſſe.

Antiſtites ſubordinati.

Exemplũ ſcitu dignum.

CDLXV. Datur etiam aliud ſubordinationis genus; quando nimirùm, Petrus ſubditur Paulo, Paulus Joanni, cui non ſubditur Petrus: & in hoc caſu, ſuo unusquiſque ſuperiori, & non ſuperioris ſui ſuperiori obedire tenetur. Pono exemplum. Habes domi Franciſcum honeſtum famulum, qui tibi ſubeſt: hic aut pecuniâ ſui ſtipendii, aut aliunde adquiſitâ etiam famulos alit; & pronuncio Franciſcum tibi obedire debere, at famulos Franciſci non debere: ipſi enim Franciſco famulantur, non tibi. In diverſis Religionum Ordinibus varii ſunt mores: apud Benedictinos (niſi aliqua Congregatio ſpeciales habeat leges vel mores) opinamur omnes Cœnobii Religioſos uni & ſoli ſuo Abbati ſubditos; non Provinciali aut Generali; his enim Abbates ſoli immediatè ſubduntur. Hanc ob rem Ordinis ſuperiores, extra viſitationem (cùm enim Monaſteria viſitant, ſunt immediati) cùm volunt aliquid Religioſis indicere, non dicunt, *Iubemus Religioſis, ut hoc faciant*, tunc enim mandatum periculo exponerent: ſed dicunt, *Iubemus Domino Abbati, ut ſuis Religioſis præcipiat, ut faciant hoc*: & tunc omne dubium ceſſat; nam Abbas tenetur obedire Ordinis ſuperioribus, &

An tui famuli famulus ſit tuus famulus?

An Religioſi Generali ſubdantur?

privati Religioſi ſuo Abbati. In Monaſteriis non exemptis id Epiſcopus poteſt; quod Ordinis ſuperior in exemptis; unde Epiſcopo Auguſtano roganti, *Quis ergo eſt ſuperior in Monte ſancto* (Monaſterium eſt Ordinis Benedictini in Bavariâ) *cui debent Monachi obedire?* Optimè reſpondit Abbas, *ſuperior Ego ſum. Monachi mihi ſoli obedire tenentur. Ego verò illuſtriſſimæ Celſitudini Tuæ.* Quam reſponſionem fuiſſe legitimam, & contra Epiſcopi ſcrupulos Bavariæ Sereniſſimus, & omnes Abbates debere defendi putarunt.

De monaſteriis non exemptis.

An Montis ſancti Religioſi ſint ſubditi Epiſcopi Auguſtani?

CDLXVI. Non videretur hæc doctrina Reipublicæ & Politicis utilis, ſi intra ſepta Eccleſiarum & Monaſteriorum maneret; ergo demus exemplum aliquod Regiũ, quo privata firmemus. Franciſcus de Oviedo in Epiſtolâ Dedicatoriâ præfixâ Tractatibus Theologicis primæ ſecundæ D. Thomæ correſpondentibus. *§. Primus ſe offert.* Sic inquit: [*Cùm Rex D. Petrus, cui ſævitia appellationem fecit, ſeriis jocis cum fratre Henrico velitaret, procubuit iſte: tunc Ferdinandus, non minùs de amore, quàm de famulatu Henrico coniunctus, ſupra Petrum ſervavit Henricum, aiens,* No quito, ni pongo Rey; pero ayudo a mi Sennor. *Ad hæc Henricus pugione Petrum confodit, & fraterno ſanguine Regiam ſibi purpuram tinxit.*] Hæc Oviedus, qui citat Licenciatum Molinã *in deſcriptione Regni Galleciæ fol* 49. Argote de Molina *libr.* 1. *cap.* 102. Didacum de Andrade *in Chron. de Calatravâ libr.* 29. *fol.* 60. *anno* 1369. P. Malachiam de la Vega Ordinis S. Bernardi *in Chronic. Iudic. Caſtellæ. tom. Caſtror.* & Andrade: & alios multos poſſet. Commendat Oviedus Ferdinandi generoſam actionem, quæ non aliter poteſt defendi, quàm ſi dicamus Ferdinandum non Petro ſed Henrico ſubfuiſſe: tametſi ſubeſſet Henricus Regi Petro.

Petrus cognomento Crudelis Caſtellæ Rex.

An Regi omnes immediatè ſubdãtur?

Sed hoc ipſum multas difficultates pateretur: & aliter non poſſet defendi.

*

FUNDAMENTUM XXIII.

Dē Habere.

MUlta habent Leges, ob quæ juſtæ dicantur; at inter alia hęc duo præcipuè; vide licet, præmium & pœnam, *quia nec domus, nec Reſpublica ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia extent ulla, nec ſupplicia peccatis.* CDLXVII.

Et ut Iudicem integerrimum agas, inquiris, *Primò* An punire illum poſſis, qui ſequutus opinionem probabilem? *Secundò*, An excommunicari poſſit inobediens, ſi pro ſe opinionem probabilem habeat? *Tertiò*, An, qui occiderit ob defenſionem vitæ? *Quartò*, An, qui occiderit ob defenſionem divitiarum? *Quintò*, An, qui occiderit ob defenſionem honoris? *Sextò*, An ſicut liberè ſequutus eſt quam voluit

Dubia nõnulla proponuntur:

Digitized by Google

Et reſolvuntur. luit ſententiam in operando, poſſit Iudex ſequi quamlibet in judicando? Et ad omnia dubia reſpondeo negative.

CDLXVIII HÆc omnia mihi clara & certa: at in re clarâ multi Authores tenebras, & in expeditiſſima ſcrupulos varios invenerunt: Aliqua poſſem circa ſingula objicere, ſed quia præcipuè me vocat Diana, ex illo aliquas periodos exſcribam.

Parte 1. *tract.* 10. *reſol.* 8. *§. Reſtat*; inquit: [Judices Curiæ judicare ſecundum opinionem probabiliorem, quæ aſſerit Conſtitutiones Pontificias, tantùm Romæ publicatas, obligare in foro externo & conſcientiæ: ſed ex hoc non ſequitur contrariam ſententiam eſſe falſam. Et ita in ſimili caſu reſpondet Becanus *in ſumma Theologiæ part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæſt.* 7. *num.* 3. *in fine*: & ita etiam in ſimili caſu de ſtylo Curiæ Romanæ reſpondet Fagundez *de præcept. Eccleſ. tract.* 2. *libr.* 8. *cap.* 8. *num.* 138. & Granado *in part.* 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *diſp.* 11. *ſect.* 2. *nu.* 15. Igitur dicendum eſt, quod praxis illa, quæ affertur, fundatur in probabilitate contrariæ ſententiæ, non tamen tollit probabilitatem alterius.]

CDLXIX. *An leges obligent ante duos menſes?* *Et reſol.* 5. §. *ultimo*, ait: [Nec valet dicere, quod ſtylus Curiæ Romanæ eſt in contrarium, & quod ibi à Judicibus paſſim puniuntur transgreſſores legum etiam ante elapſum tempus duorum menſium, nam reſpondeo cum Salas, Becano, Mirandâ & aliis, quod ſtylus Curiæ & Judices ideò hoc faciunt, quia fundantur & ſequuntur opinionẽ priorem: ſubditos verò poſſe ſequi oppoſitam, quia probabilis eſt; ſed caveãt pœnas à Judicibus infligendas. Igitur, ait Navarrus, ſtylus Curiæ procedit in foro externo, & non in interiori.]

Et tu ex harum duarum periodorum CDLXX. doctrinâ hoc argumentũ formas. [Probabile eſt, Pontificias Leges, non aliter obligare, quam ſi in ſingulis provinciis & diœceſibus evulgentur: probabile etiam eadem non incipere obligare, niſi poſt duos menſes à promulgatione numerandos: Atqui Curia Romana punit eos, qui prætextu harum opinionum leges Romæ tantùm promulgatas alibi temerant, etſi nondum illi duo menſes ſint elapſi: Ergo puniri poteſt, qui ſequitur opinionem probabilem.] Omnia admittet Diana. At quia mihi videtur injuſtum concedere talem eſſe curiam Romanam, quæ certò innocentes puniat (illos enim, qui ſequuti ſunt opinionem probabilem eſſe probabiliter reos improbabile eſt) ne ſtylum damnẽ, aut corrigendum dicam, aliam viam ineo, & facillimè me ab objectione expedio. *Dico leges Pontificias, ut primum promulgantur Romæ, omnes Chriſtianos, ad quorum notitiam venerint, obligare pœnaliter* (qui ſi illas violent, caveant, ut ait Diana, pœnas à Judicibus infligendas) *ſed tamen moraliter & in foro interiori te non obligaturas, niſi ſint in tua diœceſi jam promulgatæ, & duo integri menſes à promulgatione tranſiverint.* Quâ ſolutione, ut vides, & ſtylus Curiæ, & doctrina de probabilitate & innocentiâ, quæ negari non poteſt, conciliantur. *Conciliãtur ſentẽtia.* Cur ergo hæc ſententia non debebit cæteris omnibus, quæ circumferuntur, præſcribere?

Digitized by Google

CAPUT IV.

PRACTICUM.

Ediſſerens Fundamenta ſpecialia, quæ Leges materialiter ſumptas concernunt.

CDLXXI. *De legum materia.*

VEnio ad Legum materiã, eamque quoad ſubſtantiam attributa & accidentia meditor, & interlego Fundamenta ſecura, quibus poſſim confidere. Dubia ex certis ſuborta proponuntur, non quidem ut certa, ſed ut dubia, ut te demum audito, poſſint dilucidari. Patere igitur Candide & urbaniſſime Lector, ut etiam num ſincerè loquar, & quid ſentiam aut non, breviſſimè & clariſſimè dicam; quid intelligere nequeam, prout hucusque præſtiti ſummâ tibi cum humilitate proponam. *Multa proponit Author, ut audiat aliorũ Cenſuram.*

FUNDAMENTUM XXIV.

De Legum materia, quoad ſubſtantiam.

CDLXXII. DIvina Iurisdictio non ſolùm ad externos hominum actus, ſed etiam ad internos extenditur; Lex humana quà talis non poteſt præcipere actum purè internum directè, nec actum mixtum (hoc eſt, ex externo & interno compoſitum) directè: ſed actum purè externum; at indirectè externum poteſt. Sed quid eſt indirectè præcipere? Qui rem aliquam directè præcipit, indirectè cenſetur compræcipere omnia illa, quæ ſunt præcisè neceſſaria, ut fiat res illa, quæ præcepta directè. Media enim, quæ non ſunt præcisè neceſſaria, non præcipiuntur indirectè. Actus internus eſt occultus per ſe; & ideò per ſe independens ab Humanis Legibus: an-ne & actus externus ſecretus, qui eſt occultus per accidens, per accidens erit independens? Tu conſidera.

Homo actus purè internos præcipere non poteſt: Deus poteſt.

De præcepto directo & indirecto.

Quid ſit præcipere indirectè?

Quid dicẽdum de actibus externis ſecretis?

Lego

Digitized by Google

CDLXXIII. *Plerique male exponunt indirectum præceptũ.*

LEgo libros, etiam hominum, qui tenerentur bene loqui, & mirabilia dicunt cùm agunt de præcepto indirecto. Audio etiam homines, qui Doctores dicuntur, & tamen ſæpe de rebus, quæ indirectè præcipiuntur, volunt confidenter audiri, & loquuntur non doctè. Et ex multis materiis, in quibus hæſitant aut ceſpitant, Officium Divinum eligo, ut eos audiamus.

I.

CDLXXIV. *De attentione requiſita in Officio Divino.*

Qui dicunt Eccleſiam judicare de occultis, & ſpeciali præcepto internam attentionem directè præcipere, loquuntur valde probabiliter; nec habeo cur illos abſolutè condemnem. Qui dicunt Eccleſiæ ſubdi actus Humanos, hoc eſt, mixtos, adeòq; Eccleſiam directè præcipere lectionem attentam, (hoc eſt aggregatum ex lectione externa & attentione interna coaleſcens) etiã loquuntur probabiliter, & ut docti. At illi, qui tenent Eccleſiam directè præcipere lectionem purè externam, & indirectè attentionem internam, me judice, improbabiliter loquuntur, & puto me tam evidenter videre eorum errorem, ut poſſim illum digito oſtendere & ſincero juramento firmare. Sic diſcurro. *Quæ nam indirectè præcipiantur?* [Illa præcipiuntur indirectè, ſine quibus poni non poſſunt, quæ præcipiuntur directè: At ſine attentione interna poteſt poni mera & pura Pſalmorũ &c. Lectio externa: Ergo cùm mera lectio externa directè præcipitur, non compræcipitur attentio interna indirectè.] Aut etiam ſic. [Ego voluntariè diſtractus legi Officium divinum; totum, totum. Ergo poſui omnia media præciſè neceſſaria ad externam lectionem; Patet; quia, ſi omnia illa non poſuiſſem, nec poſuiſſem externam Officii lectionem. Ergo nullum præciſè medium neceſſarium omiſi: Patet, quoniam qui ponit omnia, nullum omittit. Ergo non violavi præceptum de mediis præciſè neceſſariis ponendis. At hoc eſt, quod vocatur *præceptum indirectum*: Ergo.] Hæc nimis certa & clara ſunt: ad alia ſubtiliora progredior.

II.

De Actibus externis ſecretis.

NOlo examinare, an judicet de occultis Eccleſia? Negativam eſſe probabilem ſententiam ſuppono; & inquiro, *An poſito quod non judicet de illis, quæ ſunt per ſe occulta, judicet de occultis per accidens?* Reſpondent communiter, quod ſic. Et tamen Ego volo videre unam rationem, quæ probet Eccleſiam non judicare de occultis per ſe, quæ tamen nõ æquè probet eamdem non judicare de occultis per accidens. Ideò, inquiunt, Eccleſia non judicat de occultis per ſe, quia illa non poteſt cognoſcere per ſe: ergo ipſa per accidens carebit authoritate judicandi de illis, quæ cognoſcere non poſſit per accidens: eumdem enim effectum, quem cauſa per ſe dat per ſe, cauſa per accidens dat per accidens; nam ſi ignis eſt calidus per ſe, & opponitur frigori per ſe; aqua dum eſt calida per accidens, opponetur frigori per accidens. CDLXXV. *Alia ſunt occulta per ſe, & alia ſunt occulta per accidens.*

CDLXXVI. *Quantâ ſit divinum Officium attẽtione legendũ?* *Conſidera bene argumentum Dianæ,*

Ut hanc doctrinam firmem produco Dianam, qui *part. 2. tract. 12. reſol. 2.* interrogat, An qui voluntariè diſtractus horas recitat, præcepto Eccleſiæ, & capiti Dolentes, ſatisfaciat? reſpondetq; benignè & doctè, & ut reſponſionem ſuam firmet utitur hoc argumento. [Nemo poteſt præcipere aut vetare, quod non poteſt punire: ſed non poteſt punire quod non poteſt cognoſcere

Digitized by Google

& judicare; ſed Eccleſia extra confeſſionem non poteſt cognoſcere & judicare actus internos: Ergo dicendum, quod non poteſt eos præcipere aut vetare.]. Et ex his fundamentis ſtatim argumentis oppoſitæ ſententiæ ſatisfacit.

At ego doceri à Dianâ velim, an hoc eodem argumento, quo attentio interna excluditur, non poſſit etiam æquè excludi lectio occulta privata? Peto, An quando non dantur teſtes & arbitri teneatur aliquis legere Canonicas horas privatim? Reſpondet Titius negativè, & ingenio Dianæ (imò aliorum, qui ejus ſententiam amplectuntur) uſus aut abuſus, ſic inquit. [Nemo poteſt videre quod non eſt coloratum: at materia aëris per accidens caret colore, ergo per accidens eſt inviſibilis: At ſubſtantia Dei (aut etiam Angelorum & Animarum rationalium) per ſe & eſſentialiter eſt inviſibilis: Ergo per ſe & eſſentialiter videri non poteſt.] Et hoc lapide fundamentali ſuppoſito, ducitur doctrinæ conſequentia, & ſic infit. [Nemo poteſt præcipere aut vetare, niſi poſſit punire: & nemo poteſt punire, niſi poſſit judicare: & nemo poteſt judicare, niſi poſſit cognoſcere: Ergo ſi res ſit per ſe & eſſentialiter incognoſcibilis, erit per ſe & eſſentialiter injudicabilis, per ſe & eſſentialiter impunibilis; & per ſe & eſſentialiter impræceptibilis: Ergo ſi res ſit per accidens incognoſcibilis, erit per accidens injudicabilis, per accidens impunibilis, atque etiam per accidens impræceptibilis. Atqui lectio Horarum occulta, & etiam omiſſio ejuſdem lectionis occulta, per accidens eſt incognoſcibilis (ſuperior enim, qui externos ſubditorum actus verè occultos & ſecretos cognoſceret, non eſſet jam Homo, ſed Angelus) Ergo per accidens eſt injudicabilis. Ergo per accidens eſt impunibilis. Ergo per accidens eſt impræceptibilis. Ergo per accidens accidit ſuperioribus, quod non poſſint interdicere actiones aut omiſſiones ſecretas & occultas per accidens.

& vide an differat ab argumento Titii.

An Deus (an Angelus: an anima) ſit inviſibilis?

Huic rationi addit vires Tridentinum Concilium ſeſſ. XXIV. cap. 1. ibi enim agit de inconvenienti plurimo, quod ex Matrimonio clandeſtino ſuboritur, & ait; *Cui malo, cùm ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur*, &c. ex quibus verbis hoc poteſt argumentum formari. [Ideò Eccleſia de clandeſtino matrimonio non judicat, quia de occultis non judicat: Ergo illa occulta, de quibus illa non judicat, non ſunt tantummodò occulta per ſe, ſed etiam occulta per accidens: quia matrimonium clandeſtinum non eſt occultum per ſe, ſed per accidens.] CDLXXVII.

Digneris attentè verba hæc legere & ponderare

Nota bene.

Videtur huic ſubſcribere opinioni Eſcobar *Moralis Theologiæ tract.* 1. *examin.* 7. *cap.* 3. nam ſequutus Sanchez, Comitolum, Fagundez, & Sá, docet eum qui ex occulto duellum reſpicit non incurrere in excommunicationem.

An qui occultè duellum reſpicit, ſit excommunicatus?

Bone Deus, ſi hæc opinio ſemel admitteretur, actum eſſet de tota aut ferè ſuperiorum authoritate. Subditi obedirent ad oculos, & privatim omnia mandata (Eccleſiaſtica aut ſæcularia) temerarent. Nemo peccaret, qui ſecretò comederet carnes diebus veneris: nemo qui diebus jejunii, ſecretò comederet tertiò vel quartò: nemo qui ſecretò omitteret officium divinum. Nimia omnia & improbabilia, & tamen legitimè illata ex doctrinâ probabili. Ut video ex hac doctrina oriri CDLXXVIII.

An hæc doctrina poſſit admitti? An poſſit rejici?

Indepen-dentium Hæreſis. oriri in noſtris ſcholis poſſit Independētium illa Hæreſis, quę ab annis paucu-lis inficit Angliam. Quærenda igitur eſt ratio probabiliore certior, quæ hanc doctrinam pernicioſam debel-let. Ergo Theologe Lector me juva. Ergo vel mihi oſtende, cur antecedens non ſit probabile, aut cur conſequens ſit probabile : aut tandem oſtende er-rorem in argumentationis noſtræ for-mâ, quoniam doctior eſſe deſidero, nec aptos Magiſtros invenio.

III.

De violatione præceptorum quo ad modum.

CDLXXIX. AGamus etiam de his, qui impoſi-tis Superiorum præceptis quoad ſubſtantiam, & non quo ad modum ſa-*Reſolutio.* tisfaciunt. *Putamus eſſe certam, aut ad minimum probabiliſſimam ſententiam, quæ docet, eos peccare venialiter, ſi careant ra-tionabili causâ : quod ſi in modo materiæ præceptæ deficiant cum causâ mediocri aut rationabili, eoſdem nullo modo peccaturos putamus.* Et ut id nobis perſuadea-mus, utimur hac ratione. [Modus eſt res parva collata cum rerum ſubſtan-tiâ : ſed qui omittit rem parvam ſine causâ non peccat mortaliter, ſed ve-nialiter : Ergo nec ille, qui ſatisfaciens quoad ſubſtantiam, omittit modum.] Hæc ratio probat priorem Reſolutio-nis partem : poſteriorem hæc ſubſe-quens. [Modus eſt res parva collata cum rerum præceptarum ſubſtantiâ? Ergo, ſi cauſa gravis ſufficit, ut omit-tatur Divini Officii lectio aut Jejunium quoad ſubſtantiam ſine culpâ mortali, *An poſſit legi unum Officiū pro altero.* cauſa rationabilis aut mediocris ſuf-ficiet ut utrumque omittatur quoad modum. Omittet modum legendi Officij, qui aut legit feriam pro Domi-nicâ, aut invertit horarum ordinem aut *An in die* invertit horarum ordinem aut tempus *jejunij poſ-* (ſi datur talis obligatio) prævertit : & *ſit collatio* omittet modum jejunandi, qui ſumit *ſumi mane* collationem mane, & prandet veſpere; *ac prandiū* &c.] Ex hac veriſſima doctrina ſubori-*veſpere?* tur Quæſtio, quæ inquirit.

IV.

An, qui die Sabbathi in Hiſpania comedit carnes, peccet mor-taliter?

SÆpe mihi mores noſtræ Patriæ ri- CDLXXX. dentes hanc Controverſiam propo-ſuerunt Germani. Senſi difficultatem, & ridendo reſpondi. Nunc autem eam-*Sæpe ſole-* dem seriò, ſed non ſerò aliis diſcutien-*mus elu-* dam propono : ſpero enim ex eius ſo-*dere diffi-* lutione multas alias Quæſtiones deci-*cultates,* dendas & illuſtrandas eſſe. Propoſui *quas non* aliquibus, qui illam olim facillimam *poſſumus* & clariſſimam dixere & dicunt ; ſed *ſolvere?* eamdem repono, quoniam eam cen-ſent alii ſummè difficilem, & intel-ligibilem. Sic diſcurrunt. [Qui ſa-tisfacit præcepto quoad ſubſtantiam, tametſi non ſatisfaciat quoad mo-dum accidentalem, ut ſummùm pec-cat venialiter, non mortaliter. Hanc ob rem, qui lecturus de Feriâ legit *De Officij* de ſancto, aut contrà, non peccat *divini mu-* mortaliter ; quoniam Officium de *tatione.* Feriâ & de Sancto conveniunt in ſubſtantiâ, hoc eſt in ratione Officii divini ; & tantummodo differunt ac-cidentaliter. Ex hac doctrina infe-runt: *Ergo, qui die Sabbathi in Hiſpania carnes comedit, ut ſummum peccabit ve-nialiter.*]

Ut vim huius conſequentiæ per-*Cibi Sab-* calleas, mores Hiſpanorum propono: *bathini* & quia inter ſe variant, Madritenſium *Hiſpano. ū*

Die

Die ipſi Sabbathi non carnem ſed pinguedinem dicuntur comedere poſſe; & nomine pinguedinis intelligunt *Caput, Collum, Armos, Pedes, & Caudam*: & quia termini à nullo Geometrâ ſunt circumſcripti, ita Collum ſolet per ſpinam dorſi deſcendere, ita aſcendere cauda, ut vel cognationem, vel ſaltem affinitatem contraxiſſe videantur. His addunt *interiora omnia, ſanguinem, Inteſtina, Cor, Lienem, Iecur, & Renes*; quæ omnia non carnem ſed carnis eſſe ſpolia dicunt. His poſitis doceri noſtri Germani volunt, An Armus à Femine differat ſubſtantialiter, an accidentaliter? Porrò ſubſtantialem diſtinctionem nemo demonſtraturus eſt: ſi maneat diſtingui accidentaliter, qui potens Armos comedere, comedit Femina, ſervavit quidem præceptum quoad ſubſtantiam, & violavit quoad accidens ſeu modum. Ergo vel iſte non peccabit mortaliter, vel violare præceptum quoad modum vel accidens, mortale eſt. Accedit, quod non omnia ſpolia (ſic enim enumerata dici ſolent) quæ comeduntur Madriti, poſſunt alibi comedi: ſunt enim in Hiſpaniâ urbes multæ, in quibus nec Armi, nec Colla, nec Capita comedi ſolent. Quæ omnia demonſtrare videntur differentiam non eſſe ſubſtantialem ſed accidentalem, & omninò arbitrariam, & ab inſtituto pendentem. *In diverſis civitatibus varij.*

FUNDAMENTUM XXV.

De Legum materia, quoad Quantitatem.

CDLXXXI. *An præcepti gravitas à materiæ gravitate ſumatur?*

Vt Lex, etiam Divina, obliget ad mortale, requiritur magna materia. In parvâ non poteſt Legiſlator graviter obligare; nec in magnâ leviter. Solet interdum res, quæ intrinſecè & abſolutè diceretur parva, induere magnitudinem accidentariam, extrinſecam, & relativam. Dantur res eſſentialiter magnæ: dantur etiam eſſentialiter leves: illæ, ſi præcipiuntur aut voventur, gravem ſemper obligationem inferunt: iſtæ autem ſemper levem. Inter iſtos magnitudinis terminos datur materia indifferens, quæ tunc erit gravis cùm præcepta: & tunc putamus præceptum attingere totam materiam & immediatas eius partes, non mediatas. Sed quot ſunt immediatæ? Octo gradus ſeu partes cognoverunt Philoſophi, & Theologi: conſtamus illis, & dicimus Officium Divinum v.g. obligare eos, quibus præcipitur, ut totum legatur. Qui vel totum omiſerit, vel octavam eiuſdem partem peccavit mortaliter: venialiter qui non jam Officii, ſed partis partem; hoc eſt aliquid minus octavâ parte.

Magnitudo eſt duplex: intrinſeca & extrinſeca abſoluta & relativa. Eſſentialis & accidentalis.

Materia indifferens

In omiſſione Officij divini, quãta pars ſufficiat ad mortale.

Digitized by Google

CDLXXXII *De actu completo & incompleto.*

Actus completus eſt peccatum mortale, ſi interdictus, & materia ſit gravis. Actus idem graviter inceptus, eſt etiam peccatum mortale. Sed quo ſe modo diriget in confeſſione, qui ſemel actu completo & iterum actu graviter incepto peccavit? An-ne tenebitur diſtinguere, vel poterit abſolutè dicere, *Bis in tali materia peccavi graviter*? Puto hoc ultimum dicendum eſſe, nam complementum addit ſupra actum graviter inceptum quamdam circumſtantiam augentem aggravantemque, quæ non debeat in confeſſione neceſſariò explicari. Rem exemplis dilucido.

An pœnitens inter actũ graviter inceptum & completũ diſtinguere teneatur?

I.

CDLXXXIII. *An fur teneatur in confeſſione explicare, quantum furatus ſit*

Quærunt Authores, An qui mille aureos ſit furatus ſatisfaciat dicendo *Rem notabilem furatus ſum*? Reſpondent aſſertivè Bonacina, Navarrus, Vaſquez, Megala, Zenardus, Gipſius, Zerola, quos probabiliter loqui ſentit Diana *part. 1. tract. 7. reſol.* 14.

II.

An idem dici poſſit de Officij divini omiſſione?

Quærunt etiam, An, qui omiſit totum officium divinum, ſatisfaciat dicendo, *Omiſi partem notabilem*, aut *materiam ſufficientem ad peccatum mortale*? Aſſerit Diana *part. 2. tract.* 12. *reſol.* 23. & citat Squillantem, &c.

III.

CDLXXXIV. *An idem de fornicatione?*

An-non his poſitis tenentur hi Theologi in materia fornicationis dicere, eum qui cognovit fœminam ſatisfacere dicendo *Cum fœminâ peccavi mortaliter?* aut etiam *Fornicationem incepi?* Prodierit audire Dianam, qui *part. 3. tract. 4. reſol.* 88. interrogat, An ſi quis commiſit fornicationem, ſatisfaciat ſi dicat in confeſſione. *Commiſi grave peccatum in materia caſtitatis cum ſoluta?* Reſpondit hanc quæſtionem reperiri apud neminem, niſi noviſſimè apud ſolum Turrianũ, qui *lib. de pœn. quæſt. 9. art. 2. diſp. 29. ad argum.* 5. obſervat, Recentiores aliquot iudicare probabile eiuſmodi modum confitendi: & eorumdem ſententiam ab illo indicari probabilem. ſed quid iudicat Diana? [An ſit verè probabilis, ait, alijs iudicandum relinquo, communis enim uſus Fidelium eſt in contrarium] At ego, ut puto, aut debet Turriano ſubſcribere, aut quæ de furto ſuperius ſcripſit, delere.

Nota illud aliquot: non ergo eſt ſolius Turriani iſta ſententia.

An-non etiam in materia ſodomiæ, aut etiam pollutionis tactibus alienis procuratæ, ſi dicat, *Cum viro peccavi mortaliter?* aut fortè, *Tangendo alium peccavi graviter:* non explicando, an pollutio fuerit completa vel incepta? Sed hoc pendet ab alia quæſtione, quæ inquirit, An tactus laſcivi inter maſculos ſint principium ſodomiæ? De quo inferiùs, in ſexto præcepto Decalogi.

An-non etiam in materia mollitiei, ſi dicat, *Tangendo me peccavi mortaliter?* aut fortè *Moroſe delectatus ſum?* probabile enim eſt delectationem moroſam eſſe culpam mortalem, & omnem eſſe pollutionem inceptam.

An omnis delectatio moroſa ſit initium pollutionis?

Quod ſi in his ultimis caſibus debeat pœnitens explicare, An actus ſit completus, an non? cur non etiam debebit in prioribus? aut omnes debent eodem modo reſolvi, aut conſequentia non ſervatur.

Digitized by Google

FUNDAMENTUM XXVI.

De Materia nulla morali.

CDLXXXV. DAtur in moribus materia magna, datur parva, datur nulla. Duæ priores notiores ſunt, & à nobis expoſitæ; tertiam explico. Materia moraliter nulla illud eſt, quod realiter conſideratum eſt aliquid, & tamen prudentum æſtimatione nihili fit. Puta, unum granum tritici, unum piſum, &c. Quis enim auderet conſtituere venialem culpam in ablatione unius folii fœni, vel alius materiæ vilioris? Ut ergo materia nulla dignoſcatur & diſtinguatur, hæc obſervari debet regula. In rebus, quæ pretio væneunt, quidquid minus valet quàm ultima moneta, illud nihil moraliter valet in illâ Republicâ. *In rebus quæ pretio non væneunt, datæ parvæ materiæ, quidquid minus eſt octava parte illius eſt minus quàm parva materia, ac propterea eſt nulla materia.*

Materiæ magna, parva, nulla.

Quo cognoſci modo poſſit materia moraliter nulla?

CDLXXXVI. MAteriam moraliter nullam apud neminem legimus, & tamen admittendam putamus, nec videmus cur poſſit ab aliquo Theologo rejici: multis illam communicavimus, omnibus placuit. Dari magnam & parvam materiam omnes admittunt, at non omnes illas diſtinguunt eodem modo: nemo invenit regulam generalem, quæ in omnibus verificari poſſit: cum aliquibus ergo limitationibus ad partem octavam recurro; & manutenebo illam Regulam, quouſque meliorem & ſecuriorem ponat alius.

Admittenda eſt materia moraliter nulla.

Magna & parva diſtinctio.

FUNDAMENTUM XXVII.

De Legum materia, quoad Qualitatem.

CDLXXXVII. PRima & potiſſima materiæ præceptæ qualitas eſt, quod intrinſecè mala non ſit, quæ enim mala intrinſecè etiam ob bonum finem non poſſunt præcipi. Sed quæ dicuntur mala intrinſecè? Quæ interdictæ à Decalogo: Non enim ante hunc aliquam peccaminoſam malitiam cognoſcimus; ſed quæ

Quid ſit rē eſſe malā

Digitized by Google

intrinſecus? Materia legis debet eſſe bona, quæ eſt poſt Decalogum internam dicimus, quòd prior ſit omni præcepto Humano. Sed quid ſi res eſſet probabiliter mala, & tamen ab Homine præciperetur? Puto in eo caſu ſubditum non teneri, niſi fortè ſe obligaverit obedire in omni re, quæ mala evidenter non ſit; hoc enim votum emittere potuit, & ſi emiſerit, tenebitur obedire etiam in materiâ probabiliter malâ. *An ſubditus teneatur obedire, in re probabiliter malâ?*

poſſibilis, Secunda eſt, quòd ſit poſſibilis (videlicet phyſicè & moraliter) illa enim quæ realiter repugnant, aut ſummè ſunt difficilia Communitatibus juberi non ſolent. *An impoſſibilia poſſint præcipi?*

utiliſq; Tertia debet eſſe utilis. Non enim ita deſipimus, ut putemus poſſe ſuperiorem habenas ſuæ laxare tyrannidis, & præcipere quidquid voluerit: Omnis enim Humana authoritas ad aliquid conceſſa eſt, & illud ipſum ad quod ordinatur authoritas, debent ob oculos habere ſuperiores, quoties Leges pronunciant. *An inutilia?*

CDLXXXVIII. Omnia hæc, quæ hìc dici poſſunt, ediſſeruimus Capite præcedente, Fundamento XVI. ubi de Legum formalium qualitate tractavimus; Hic tamen inquirere poſſem, An illæ qualitates, quæ ibi expoſitæ & hìc poſſent reſcribi, pertineant potiùs ad objectivas Leges, quàm ad formales? Sed quo fructu huc ingrederer, quando me feſtinare profiteor, & velle plurima valde neceſſaria comprehendere, & edere librum non magnum.

****

FUNDAMENTUM XXVIII.

De Legum materia relativa.

CDLXXXIX. ALiqua præcipi propter ſe, & aliqua in ordine ad aliud certum eſt. Prioris generis ſunt, quæ intra datæ poteſtatis ſunt terminos: poſterioris illa, quæ ordinantur ad meliorem & ſecuriorem obſervantiam priorum.

DE diſtinctione eorũ, quæ propter, & eorum quæ propter aliud præcipiuntur, fuſè ſcripſi in Commentario in Regulam D. Benedicti, *tractatu de Obedientiâ, à num.* 690. ubi legitur Diſputatio L. De rebus, quæ præcipiuntur propter ſe; *num.* 694. De Jejuniis prout præceptis propter ſe, agitur *num.* 711. de ſilentio, *num.* 715. De Caſtitate & Paupertate prout præceptis propter ſe: *num.* 716. de rebus præceptis non propter ſe, ſed propter aliud; Diſp. LI. *num.* 718. Vide etiam, quæ dixi Capite præcedente, ubi de Legum fine. *Aliqua præcipiuntur propter ſe: aliqua propter aliud.*

FUNDAMENTUM XXIX.

De Legum materia, quoad actiones.

XD. *Operationis impetus.* PUto omnem Legem violari actione, nec enim puram omiſſionem intelligo, nec admitto. Sed hæc quæſtio phyſica eſt, & alibi uberiùs tractata. Progredior & impetum actionis conſidero; & hanc Theſin pronuncio, *Quicumq; uno impetu multas actiones elicit, quæ ſunt phyſicè diſtinctæ numero, unicum committit peccatum*: nam illæ omnes, tametſi in eſſe phyſico ſint diſtinctæ, moraliter conſideratæ ſunt unicæ. *An pura omiſſio ſit poſſibilis? Quando plures actiones phyſicæ ſint una moralis?*

Præcepta alia ſunt poſitiva & alia negativa. Eâdem numero actione poteſt ſubditus ſatisfacere duobus præceptis: imò ſi præcepta ſint negativa, non aliter ſatisfacere poteſt: & oſtenditur clarè. Præcipitur abſtinentia à carnibus diebus Veneris: præcipitur etiam jeiunium & abſtinentia à carnibus S. Petri profeſto: quid ſi hoc profeſtum incidat in diem Veneris, debebone aut potero abſtinere à carnibus bis? nullo modo. An-ne etiam unicâ actione duabus partibus eiuſdem præcepti? Vide Fundamentum XXXI. *Eadem actio pluribus præceptis ſatisfacit. An & partibus eiuſdem præcepti?*

XDI. ALio numerantur modo actiones phyſicæ, alio morales, ut videamus, quando prius unicum aut multa peccata commiſit, aliqua ſubſcribamus.

I.

Petitur, An qui unicâ voluntate plures homines occidere voluit; pluries ad mulierem accedere; pluries furari; pluries mentiri; pluries miſſam aut officiū divinum omittere, teneatur hanc circumſtantiam explicare?

An duo accidentia puro numero diſtincta inſint eidem ſubiecto? Reſpondent Suarez & Megala apud Dianam *part. 1. tract. 7. reſol. 17.* non poſſe ineſſe unico actui duas aut plures malitias diſtinctas puro numero, & inferunt eum qui plures occidere voluit, &c. non teneri hanc circumſtantiam explicare.

Porrò, ſi dicatur duo accidentia diſtincta puro numero poſſe & ſolere ineſſe eidem actui, ceſſat quæſtio, & contraria ſententia eſſet tenenda. At quia putant Suarium & Megalam bene diſcurrere ſupponendo eidem ſubiecto non poſſe ineſſe duo accidentia diſtincta puro numero, has ego obiectiones ſubiungo.

Prima. Tametſi duo accidentia intrinſeca dicantur non ineſſe eidem ſubiecto phyſico, poteſt adhuc dici duo accidentia extrinſeca eidem ſubiecto phyſico poſſe competere: nam poteſt habere homo veſtitus plures veſtes, plura induſia, plures thoraces, plures togas; &c. Ergo, ſi dixerimus moralitates eſſe accidentia extrinſeca, adhuc poſſent *An poſſint duo accidentia extrinſeca? An Moralitates ſint*

accidentia extrinſeca?

poſſent duæ moralitates puro numero diſtinctæ competere eidem actui.

XDII. *Quid de accidentibus relativis dicendum ſit? An poſitis diverſis terminis diverſæ relationes ponantur? An Moralitates ſint accidentia relativa? An in unico actu phyſico poſſimus reperire multos actus morales?*

Secunda. Tametſi duo accidentia intrinſeca abſoluta non competant eidem ſubiecto phyſico, poteſt adhuc dici duo accidentia phyſica relativa eidem phyſico ſubiecto competere: quid enim vetat Petrum habere quatuor filios numero diſtinctos, & conſequenter quatuor diſtinctas numero paternitates. Ergo ſi dicamus moralitates eſſe formas quaſdam relativas, adhuc poterunt plures diſtinctæ puro numero in eodem ſubiecto reperiri.

Tertia. Eſto duo phyſica accidentia diſtincta puro numero (ſive ſint intrinſeca ſive extrinſeca; ſive ſint abſoluta, ſive relativa) non poſſint in eodem phyſico ſubiecto reperiri; quid inde? An non poterimus, & fortè debebimus dicere volitionem illam, quâ quis vult occidere quatuor, eſſe unum ſimplicem actum phyſicè, quadruplicem verò moraliter? ſi ſit moraliter quadruplex, complectetur quatuor peccata mortalia, & qui talem actum eliciuerit, tenebitur in confeſſione dicere *quatuor voluiſſe occidere*, non tamen tenebitur exponere, An id voluerit unico actu phyſico, an quatuor phyſicè diſtinctis actibus: ſemper enim manet, id eum voluiſſe quatuor actibus numero diſtinctis moraliter.

An qui plura peccata commiſit teneatur in confeſſione dicere illa commiſiſſe unico phyſico actu?

Hinc patet, quid debuerit reſpondere Diana *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 40. rogantibus, An teſtis, qui ſimul rogatus de pluribus articulis ſub juramento in ſingulis mentitur, teneatur hanc circumſtantiam aperire? quid debuerit reſpondere *reſolut.* 41. rogantibus, An Sacerdos, qui in peccato mortali multis miniſtrat Euchariſtiam, multa committat peccata? quid *reſol.* 43. rogantibus, An qui in mortali multorum confeſſiones excipit, teneatur hanc circumſtantiam explicare? & quid *reſol.* 51. rogantibus, An qui unico impetu multas blaſphemias profert, commiſit multa peccata?

XDIII. *Corollaria nonnulla.*

Vidimus unum actum phyſicum poſſe; imò fortè debere, dividi in multos morales: videamus modò, an contrà multi actus phyſici identificari poſſint aut debeant identificari?

De actuum phyſicorũ identificatione morali.

II.

XDIV.

Actuum phyſicorum repetitio, non ſemper multiplicat actus morales: proderit Authores audire.

Qui uno impetu pluries peierat.

Si quis uno continuato ſermone ter vel quater peieret, unicum peccatum committit, & ſufficit ſi in confeſſione dicat, *Peieravi.* Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *quæſt.* 5. & Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 163.

Qui uno impetu pluries hominem vulnerat.

Si quis uno iræ impetu ter aut quater inimicum vulneret, unicum tantùm peccatum committit: & ſi clericum, unicam excommunicationem incurrit. *Item* Azorius *jam citatus.* Suarez *de cenſuris diſp.* 5. *ſect.* 3. *num.* 8. Sayrus *libr.* 2. *cap.* 10. *num.* 9. Ugolinus *tab.* 1. *cap.* 16. §. 3. & alii.

Qui uno impetu multas blaſphemias evomit.

Si quis unico impetu multas blaſphemias in Deum, multas in Divos effutiret, unicum peccatum committeret, & ſatisfaceret ſi in confeſſione diceret, *ſemel blaſphemavi.* Ita Diana *ubi ſupra*, addit hoc verũ etiam, ſi verba blaſphemiæ res varias ſignificarent, & allegat Molinam *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 41. *num.* 5. Covarruvium *libr.* 2. *var. Reſ. cap.* 10. *num.* 8. §. *Ego ſanè.*

An blaſphemiæ diſtinguãtur ſpecie?

Qui uno impetu multos occidit.

Si quis unico furoris impetu tres vel quatuor occideret, unicum peccatum homicidii committeret. Sic debet dici, aut non poteſt conſequentia ſervari.

Qui uno impetu pluries fornicatur

Si quis unico luxuriæ impetu ad multas fœminas accederet & à fortiore, ſi pluries ad eamdem, unicum peccatum committeret. Quod etiam dici

 debet,

Digitized by Google

debet, ſi Dialecticari velimus. Sed quid eſt unus luxuriæ impetus? Videretur ille, qui unâ nocte ſuæ amaſiæ condormit, unico luxuriæ impetu commotus eſſe. Hanc opinionem tenet Zanardus Dominicanus, qui *in direct. confeſſ. part.* 1. *de Sacram. Pœnit. cap.* 18. *fol.* 204. docet, qui totâ nocte amaſiam habuit apud ſe, non debere dicere, *Ego eam cognovi tot vicibus.* Sed *Feci, quod potui*; modò non habuerit interruptionem mentis, vel operis. Legunt Zanardum aliqui, & neſciunt cur obliget ille Pœnitentem ad dicendum, *Feci quod potui*, cum videatur Pœnitens ex eiuſdem fundamentis ſatisfacere dicens, *ſemel ſum fornicatus.* Legit illum Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 67. & ait. [Sed fallitur; nam opera illa conſumata ſunt diſtincta peccata in cõfeſſione aperienda: nec unum reſpicit & ordinatur ad alterum: Ergo: &c.] Sed quid Zanardo Diana, ſi referret opinionem docentem eum, qui conſequenter multas blaſphemias evomit unicum peccatum committere, & adderet [Ita Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 163. Sed fallitur; nam ſingulæ blaſphemiæ, ſunt ſingulæ diverſæ iniuriæ, diverſæ actiones peccaminoſæ, & diverſa peccata: & in confeſſione aperienda: una enim blaſphemia nullo modo ordinatur ad alteram.] Ergo vel debet Diana hîc ſubſcribere, vel antecedentia delere.

Quid ſit unicus luxuriæ impetus? Qui totâ nocte dormit cum Amaſiâ, quo modo debeat cõfiteri.

Diana impugnat Zenardũ. An bene?

V. D. *Opinio cuiuſdã Doctoris.*

Ego quidem ſenſi difficultatem, & ne mihi confiderem: hanc Ego P. N. Pragæ & Viennæ S. Theologiæ doctori & Profeſſori, Viro verè erudito, & in Moralibus bene verſato, decidendam propoſui, & judicavit eum, qui uno itinere aut coitu bis aut ter concurreret, unicum peccatum commiſſurum: plura autem ſi inter fornicationem priorem & poſteriorem intercedat temporis intervallum. [Ergo dicere debuit à fortiore mulierem, quæ antequam vir exoneret, bis concurrit, unicum commiſiſſe fornicationis peccatum.] Et Ego etiam hic difficultatem invenio; & in re dubiâ & perplexâ *dico primò.* Sicut de perjuriis & blaſphemiis, ita de homicidiis & fornicationibus in hac materiâ eſt philoſophandum. Ergo videat Diana, quid dicat de prioribus, & vel invitus debebit de poſterioribus pariformiter philoſophari. *Dico ſecundo*, ſicut de fornicatione, ita de pollutione, ſodomiâ, & aliis ſordibus contra naturam erit philoſophandum: nam, ſi habere totâ nocte unam fœminam, eſt unicum peccatum mortale, etſi interveniãt plures copulæ; unicum erunt peccatum mortale multæ pollutiones aut contranaturales copulæ habitæ conſequenter & uno impetu.

An, qui in uno coitu pluries cõcurrit, pluries peccet?

De ſordibus contra naturam.

Si quis uno gulæ impetu multas carnes devoret, etiam diverſas, & ex diverſis diſcis, unicum peccatum committit. Videtur eſſe unicus impetus, quamdiu quis aſſidet eidem menſæ: imò ſi ſine interruptione iret ex menſa ad menſam.

De gula,

De furto eodem modo philoſophãdum eſt: nam ille qui unico impetu conſequenter ab eodem aut à diverſis multa & pluries accipit, unicum peccatum committit. Ergo ſiquidem inductione factâ in omnibus materiis hæc doctrina verificatur, poteſt & debet ad Regulam generalem reduci.

& furto.

FVN-

Digitized by Google

FVNDAMENTVM XXX.

De Legum materia, quoad paſſiones.

VDI. QVi in tentatione conſtitutus nec diſſentit ab obiecto propoſito, nec conſentit, ſed ſuſpendit judicium, non peccat; ſed hæc ipſa ſuſpenſio videtur eſſe moraliter impoſſibilis. *An in tentationibus poſſit aliquis agere quis agere indifferentem?*

De Egoitate agit Theologia Germanica. Fortè omnis actus virtutis in eo conſiſtit, quod homo liberè permittat ſe agi à Deo, & concurrat gratiæ in genere cauſæ inſtrumentalis: & omne peccatum in eo quod homo liberè reſiſtat gratiæ, & nolit eſſe inſtrumentum Dei, ſed operari ut principalis cauſa. Sed de hoc ſpeciali Tractatu, cum de Egoitate diſputabo. *Quid ſit actio meritoria? quid peccaminoſa?*

Paſſivè ſe habet, qui tolerat, quæ impedire non poteſt: nimirùm aut abſolutè, ſi careat viribus, aut relativè, ſi habeat quidem impediendi vires, ſed prævideat maiora mala ab ipſa impeditione quàm à permiſſione oritura. *Quid ſit paſſivè ſe habere?*

An fœmina, qua opprimitur, debeat poſitivè reſiſtere? An & vociferari? Fœmina, quamdiu inſtrumentaliter agitur, etſi violetur, non peccat: Ergo nihil agere poterit in tali caſu in quo cooperatio principalis reluceat. An tenebitur poſitivè reſiſtere? Si ſic ſe evaſuram exiſtimet, poterit & debebit, alias non. An tenebitur vociferari? Si vel ſic poſſit evadere, debebit. Sed quid, ſi addantur minæ, & occidenda ſit, ſi vociferetur? Quid ſi honorem perditura ſit? non puto illam tanto damno teneri. *Quid ſit agere inſtrumentaliter & ſine libertate?*

VDII. *Iuris regula.* EST Juris Regula XLIII. *Qui tacet conſentire videtur*; ex quâ poſſit iſta deduci, *Qui non diſſentit poſitivè, conſentit moraliter & interpretativè.* At illa Juris Regula multas patitur limitationes, quæ omnes tranſibunt ad poſteriorem proportione ſervatâ. Porrò in rebus, quæ ſubſunt Juri Humano abſolutè, poteſt ſtatui, ut qui non reſpondeat habeatur pro confeſſo; ſed hanc legem non reperio in Decalogo, & ideò illam ad actus internos non transfero: imò nec in externis obſeruo, niſi magna prudentia temperatam. Agam iterum de hac ipſa Regula inferiùs num. Nunc autem dico, quod ſtando Juri puro naturæ, tacere non eſt mentiri, nec dicere veritatem: adeoque ſuſpendere judicium non erit conſentire nec diſſentire, ſed neutro modo ſe habere.

FVN-

FUNDAMENTUM XXXI.

De Legum materia, quoad idem tempus.

VDIII. EOdem tempore poſſe ſubditum duabus ſatisfacere Legibus manifeſtum eſt. Iubetur Chriſtiano, ne occidat, ne mœchetur, ne furetur, ne mentiatur, & omnibus his legibus eodem tempore ſimul ſatisfacit. Nec diſtinguendæ ſunt quoad hoc Leges poſitivæ à negativis: qui enim ex obedientia ire ad talem locum tenetur, ſi in via legat horas Canonicas, ſatisfaciet eodem tempore duabus Legibus. Porrò actiones, quæ eodem tempore conſiſtere nequeunt, ab hac regula ſunt eximendæ; agimus enim de illis, quæ præceptæ, & eodem ſimul tempore componuntur de facto. *Eodem ſimul tempore ſatisfacimus multis præceptis.*

An poſſit quis ſimul ſatisfacere duabus præcepti partibus? An-ne & potero eodem ſatisfacere tempore duabus eiuſdem Legis partibus? Aſſerere neceſſariò tenentur, qui putant poſſe ſimul duas miſſæ audiri partes: ſed quis audeat hanc ſententiam improbabilem dicere? & ſi probabilis ſit, quis tolerare audebit, abſurda, quæ ſimul ex illa ſequuntur? *An poſſit quis duas miſſæ partes audire ſimul?*

ID. *Duobus præceptis ſatisfacere poſſum eodem tempore: An eadem actione?* AN-ne ſimul duobus præceptis poſſum ſatisfacere? Aſſerit communis Theologorum ſententia; nec eſt cur certam rem velimus uberiùs pertractare. Si eodem tempore poſſumus, an & eadem actione? Concedunt omnes, nam hodie die S. Philippi & Iacobi hæc ſcribo, qui Dominicus & feſtus eſt, & in ipſo duo præcepta de audiendo ſacro evidenter concurrunt [deberent enim omnes audire hodie miſſam, etſi non eſſet horum Apoſtolorum dies, quia eſt dies Dominicus; & deberent etiam audire Miſſam, etſi non eſſet Dominicus, quia eſt dies horum Apoſtolorum :] & tamen, qui unum ſacrum audiverit, utrique præcepto ſatisfaciet.

I.

De præcepti partibus.

SI me amas Lector, & doctrinæ conſequentiam ſectaris, reſponde obſecro mihi, An-ne poſſim ſimul eodem tempore duabus eiuſdem præcepti partibus ſatisfacere? aſſerent omnes, qui tenent me poſſe ſimul tempore audire duas Miſſæ partes. Vide Dianam *part.* 2. *tractat.* 17. *reſolut.* 18. Infero: Ergo ſicut de duobus præceptis, ſic de duabus eiuſdem partibus philoſophandum eſt. Ergo, ſi eodem tempore poſſumus, etiam eadem actione. Concediſne omnia? Ergo proſequere, & reſponde ſequentibus. *An pluribus præcepti eiuſdē partibus eodē tempore ſatisfacere poſſem? An & eadem actione?*

II. De

II.

De confeſſione & communione annua: An unica duorum annorum obligationi ſatisfaciat?

D. PRæcepit Eccleſia, ut ſingulis annis confitearis & ſanctam Euchariſtiam recipias: & determinat tempus, nimirùm, à Dominicâ *Palmarum* ad Dominicam *Quaſimodo*. Ergo his diebus poterit Petrus communicare, ut ſatisfaciat præcepto anni elapſi: Ergo his etiam diebus poterit, ut ſatisfaciat præcepto anni futuri: Ergo, ſi bis communicet, ſemel pro anno priori, & ſemel pro poſteriori, duobus præceptis & pro duobus annis ſatisfaciet. Admittuntur iſtæ tres conſequentiæ communiter. Sed quid, ſi ſemel tantùm communicet? An ne unicâ ille communione pro duobus annis ſatisfaciet? Probabiliſſima eſt aſſertiva ſententia.

III.

De confeſſione menſtruâ. An duobus menſibus unica ſatisfaciat?

Sicut de Religioſis, ſic de Parrochis aut Clericis philoſophatur. Sæpe enim Epiſcopi menſtruã confeſſionem indicunt.

DI. DOctrinæ conſequentia me promovet. Sunt Regulares Ordines, in quibus præcipitur, ut Religioſi ſinguli, ut minimum ſemel in menſe confiteantur. Poteſt Religioſus hos menſes à die quocumque computare: Ergo incipit à decima Januarij, & ſic inquit; *Decimâ Februarij confitebor*; ergo ſi faciat, ſatisfaciet pro elapſo menſe; Sed eadem dies, quæ eſt ultima antecedentis menſis, eſt ſubſequentis prima. Ergo, ſi confiteatur illâ die bis (iterum pro priori menſe, & iterum pro poſteriori) ſatisfaciet obligationi duorum menſium. Concedis. Sed quid, ſi ſemel confiteatur? An-non unicâ confeſſione duorum menſium obligationi ſatisfaciet? Qui dicunt Chriſtianum unicâ confeſſione aut communione poſſe pro duobus annis ſatisfacere, aut debebunt inconſequenter loqui, aut tenere Religioſum unicâ confeſſione poſſe ſatisfacere pro duobus menſibus. [Suppono poſſe Eccleſiæ Prælatos confeſſionem præcipere etiam illi, qui non habet mortale; quia ſtando contrariæ ſententiæ, non ſolvitur ſed tollitur caſus. Nam poſſet aliquis dicere Primò; Ne quidem ſemel teneor confiteri duobus menſibus, quia careo peccato mortali. Cur non etiam ſecundò? Sciunt omnes me eſſe illius ſententiæ, quod non tenear confiteri ni habeam mortalia; ſciunt me non ſingulis menſibus confiteri: Ergo modo, ſi me videant ad pedes confeſſarii provolui, ſuſpicabuntur meritò me eſſe reum eſſe alicuius mortalis: non teneor meum honorem prodigere: Ergo, &c. Et bone Deus quàm multa inconvenientia & pericula huiuſmodi diſcurſus pareret!]

An poſſit confeſſio præcipi homini, qui caret mortali?

Nemo tenetur confiteri cum periculo infamiæ.

IV.

De lectione diurna. An unica lectione aliquis duorum dierum obligationi ſatisfaciat?

MUltum debent Dialecticæ cæteræ Facultates, & Theologia Moralis plurimum, multæ enim opiniones in illâ ſolâ rationis paritate probantur. Peto igitur, *Vtrùm ille, qui veſpere Matutinas & Laudes recitat, duorum dierum ſatisfaciat obligationi?* DII.

Poſſumus legere veſpere Matutinas & laudes diei ſequentis.

Ante Quæſtionis reſolutionem *ſuppono primò*, poſſe Eccleſiaſticos veſpere ſine mortali culpâ legere Matutinas & Laudes diei præſentis ſequentisque; nam ſi Philippus hodie non iverit ad Matutinas, & tamen cæteras horas in choro legerit, ſi prævideat die craſtinâ ſe non poſſe intereſſe officio communi, poterit hodie veſpere legere Matutinas & Laudes huius diei; & cum abſolverit, poterit legere Matutinas & Laudes diei craſtinæ, & ſic veſpere duplici lectione duorum dierum penſo & obligationi ſatisfacere. Sed ſatisfaceret-ne utrique penſo ſi ſemel tantùm legeret Matutinas & Laudes? Patientiam habe in me, & omnia reddam Tibi.

DIII. *Suppono ſecundò*, dari duos immediatos dies, in quibus officium ſit, aut poſſit eſſe de communi Martyrum, aut Confeſſorum. Tales ſunt in Calendario Ciſtertienſi Aprilis, ultimus & penultimus; hic enim D. Roberto Abbati, Ordinis noſtri Inſtitutori, ille B. Petro Martyri ſacer eſt. In utriusque Officio ad dictas Horas eoſdem Pſalmos & Antiphonas legimus, & ſolum eſt differentia in Lectionibus; Non ſecus in Junio, cuius unde-trigeſimus dies ſacer eſt D. Petro, ultimus D. Paulo: utrique utpote Apoſtolo, debentur ad Matutinas & Laudes iidem Pſalmi. Tandem vigeſimus octavus Decembris dies celebrat Sanctorum Innocentium, & immediatè ſubſequens S. Thomæ Martyris ſolennitatem. Poſt Paſcha plerumq; tranſlata ſunt aliqua officia, quæ ſolent eſſe ſimilia, & legi ſucceſſivis diebus.

Mutare officium nõ eſt mortale.

Suppono tertiò poſſe ſine peccato gravi mutari Officium Canonicum ex Feriali in ſolenne, aut è contrario. Expendo id & probo in Commentario in Regulam D. Benedicti *numer.* 1387.

His poſitis dubium proponitur. Sunto Feriæ ſecunda & tertia duobus Martyribus, aut Confeſſoribus ſacræ authoritate publicâ. (hoc eſt ex præſcripto rubricarum breviarij) aut ſaltem privatâ. (nempe, ſi Petrus duobus illis diebus decrevit legere officium ejuſdem Martyris aut Confeſſoris) Petitur igitur, An Philippus, ſi ſub veſperum ſecundæ Feriæ legat Matutinas & Laudes, diei utriusque obligationi ſatisfaciat, ita ſaltem, ut non peccet mortaliter, nec feriâ tertiâ teneatur iterum eaſdem horas legere? Conſultò dixi, *ita ſaltem ut non peccet mortaliter*, quoniam, ſi mutet officium ſine cauſa, non poteſt non cenſeri hæc actio venialiter peccaminoſa: & quia varia ſunt ingenia Hominum, fortè illum aliqui de mortifero, & alij de veniali arguent.

V.

Sententia aſſerens.

Opinio prima affirmat ſimplicem Matutinarum & Laudum lectionem, ſi fiat ſub veſperum, duorum dierum obligationi ſatisfacere; & probat. DIV.

An unica actione poſſim duobus præceptis ſatisfacere?

Quia unâ & eadem actione poteſt Philippus ſimul ſatisfacere duobus præceptis numero diſtinctis eodem tempore concurrentibus. Concurrunt in caſu duo diſtincta numero circa officiũ Divinum; Ergo poteſt unicâ & ſimplici actione utrique ſatisfacere. Maior eſt certa: nam datur præceptum de audienda Miſſa diebus Dominicis, datur etiam aliud de audienda Miſſa in feſto S. Petri. Quid ſi S. Petri ſolennitas in Dominicam incidat, teneberisne audire duas Miſſas? minimè. Sed hoc clarius conſpicitur, in negativis, quibus ſeorſim obedire

Digitized by Google

obedire non ſolùm non debes, ſed nec potes; naturâ enim te cogente utrique debes ſimul ſatisfacere. Dabo exemplum. Quinto Decalogi præcepto interdicitur homicidium; & hoc etiam interdicitur lege morali humanâ. Dic obſecro; ſi ſemper ex præſcripto legis Divinæ teneor non occidere, quando potero humanæ legi ſatisfacere? & ne quæramus materias exoticas & peregrinas, etiam in Officio Divino reperiemus penetrationes præceptorum. Petro Benedictino mandatur ab Abbate, ut diebus ſingulis officium legat ſub peccato mortali: promovetur ad ordines maiores, hi inducunt novam legendi obligationem à prima diſtinctam, & ita gravem ut ſola ſufficiat ipſum obligare ſub mortali: tenebiturne legere duo Officia? negant omnes, quia duæ illę obligationes ſunt numero diſtinctæ, & utrique lectione ſimplici poteſt ſatisfieri.

An Iuniores Benedictini teneantur legere horas, ſi jubeat Abbas? An promoti ad maiores ordines etſi Abbas nil jubeat?

DV. Probatum eſt poſſe unam & eandem lectionem duobus præceptis concurrentibus facere ſatis: ſupereſt ut probetur, duo illa præcepta diſtingui numero, ac ſimul concurrere.

Diſtinctionem merè numericam omnes admittent, qui conſideraverint objectum præceptorum; utrumque enim ordinatur ad officium Divinum. Concurrentiam non admittent tam facilè: probatur tamen. Obligatio legendi Matutinas & Laudes pro feriâ ſecundâ incipit à veſpere Dominicæ, & uſque ad horam duodecimam noctis diei ſequentis protenditur; obligatio autem eaſdem horas legendi pro feriâ tertiâ incipit à veſpere feriæ ſecundæ, & extenditur uſque ad mediam noctem feriæ tertiæ. Ergo duæ hæ obligationes concurrunt ſpatio ſex vel octo horarum, nempe ab occaſu ſolis (vel ante) uſque ad noctem mediam. Sunt igitur concurrentes obligationes & diſtinctæ numero; atque ideò poterit Philippus eadem actione utrique ſatisfacere.

VI.

Sententia negans.

DVI. Huic ex diametro opponitur ſententia altera, aſſerens, non poſſe eadem recitatione ſatisfieri utriq; obligationi: quod probat.

Primò, quia in rebus moralibus neceſſarium eſt agere prudenter & circumſpectè; ergo non debet aſſeri Philippum ſic poſſe ſatisfacere: quoniam ex hac aſſertione multi ſequerentur abuſus & negligentiæ: plurimi enim, ſi ſcirent ſe probabiliter poſſe binis diebus ſemel tantùm Matutinas & Laudes legere, non legerent bis, idque eſſet magnæ relaxationis occaſio.

Opiniones quæ pariunt abuſus ſunt vitandæ.

Secundò, quia aſſertiones morales periculoſæ ſunt & temerariæ, ſi gravi authoritate careant; atqui nec unus authorpropugnat aſſerẽtem ſententiam: ergo eſt improbabilis.

Item illæ, quæ gravi authoritate carẽt.

Tertiò, quoniam præcepta poſitiva pendent à Legiſlatoris voluntate; certùmq; eſt ſummum Pontificem voluiſſe Religioſos & Sacerdotes, omnes recitare ſingulis diebus Officium, nec toleraſſe Matutinarum & Laudum anticipationem in Canonicæ obligationis fraudem: Ergo.

Anticipatio non debet vergere in fraudem.

Quartò, quia Lectio Matutinarum ex ſe indifferens eſt, ut uni alteri diei ſatisfaciat, determinatur tamen ab applicatione & intentione legentis: unde ſi Philippus velit ſatisfacere obligationi feriæ ſecundæ, jam iſta lectio hac applicatione ita modificatur, ut alteri feriæ ſatisfacere nequeat.

Lectio modificatur intentione legentis.

Digitized by Google

VII.

Satisfit rationi pro prima ſententia militanti.

DVII. QVi ſententiam poſteriorem defendunt, negare nequeunt fortem eſſe rationem illam unicam, quâ prior armatur. Debent concedere eadem numero actione duobus præceptis numero diſtinctis, ſi eodem tempore occurrant, poſſe ſatisfieri. Hæc duo præcepta diſtingui puro numero neſciunt: negant tamen ea ſimul concurrere, quia præceptum de legendis Matutinis diei craſtinæ, non incipit ab occaſu, ſed à nocte media. Si enim Petrus legat veſpere, ſolutionem anticipat Eccleſiâ connivente.

Quando incipiat præceptū de lectione craſtina?

Cæterùm, ſi benè rem examines, hæc ſolutio eſt arbitraria; quia vel Philippus veſpere legens ſequentis diei Matutinas præcepto ſatisfecit, vel non; ſi non, ergo tenebitur eaſdem horas repetere die craſtinâ, quod nemo tamen admitteret: ſi ſatisfeciſſe dicatur, ergo dabatur tunc præceptum, cui ſatisfaceret. Probatur conſequentia: Audiens Miſſam Sabbatho, non ſatisfacit pro Dominicâ; & ratio eſt, quia cùm nondum ſit Dominica, nondum incipit præceptum illud obligare: Ergo ſi Philippus ſole occidente Matutinas ſequentis diei legit & ſatisfacit, ſignum eſt diem ſequentem incipere Eccleſiaſticè, ab occaſu ſolis, & horas triginta aut plures complecti; hoc eſt diem ſequentem incipere ſex aut pluribus horis antequam præcedens finiatur. Hanc eſſe Eccleſiæ mentem omnes Sanctorum ſolennitates oſtendunt, incipiunt à veſperis, & finiuntur poſt Completorium alterius diei.

Confirmat Doctor Angelicus, qui *quolibet. 5. artic. 28.* ait: *Quantum ad Divinum Officium & ſolennitatem, dies incipit à Veſperis.* Ergo ſingulis diebus tenetur legere Philippus horas Nocturnas & Diurnas: hæc tamen eſt inter dies differentia, quod dies pro diurnis Horis complectantur intervallum temporis à media in mediam noctem, pro nocturnis verò à veſpere primi ad mediam noctem diei ſubſequentis.

VIII.

Occurritur rationibus alterius ſententiæ.

PRIMA ratio timet abuſus & morum aliquam deformationem, ſed perperam, quoniam ſequi rationem probabilē, nec abuſus, nec relaxatio, ſed virtus eſt; virtus enim eſt obligationi ſatisfacere, & qui operatur probabiliter, ſatisfacit obligationi. Malè igitur exploditur ſententia affirmans quà benigna; cùm opiniones ſolùm quæ improbabiles explodi debeant: cæterùm eam eſſe improbabilem imprimis oſtendendum eſt. Præthereà, demus multos ex illa ſequi abuſus; quid inde? An ideo improbabilis erit dicenda? Minimè: nam ſi ab ipſa pura & manifeſta veritate inconvenientia & abuſus ſequuntur, cur non poterunt à probabilitate? DVIII.

Sæpe non ſolùm ex probabilitate, ſed etiam ex veritate certa & liquida abuſus & inconvenientia ſequuntur.

SECUNDA ratio Authores potiùs reſpicit, quàm ſyllogiſmos; ſed eſto nemo ſubſcribat aſſerenti ſententiæ, quis huſcuſque propugnavit negantem? Ergo æquè ſingularis erit qui negat, atque ille qui aſſerit; quouſq; Authorum numerus alterutri parti faveat.

TERTIA teſtificatur, certum eſſe Pontifices voluiſſe ad duplicem Matutinorum recitationem in caſu poſito obligare: ſed unde hoc ſcitur? qui Pontifices

tifices demonſtrantur, hac de re conſulti? quando & cui intentionem ſuam explicarunt? An non eodem modo dici poſſet in feſto S. Petri, ſi in Dominicam incidat, duas habere Miſſas audiri, eo quod certum ſit, hanc eſſe voluntatem Pontificis? dicetur equidem, ſed non probabitur. An non & eodem jure poſſem dicere eſſe falſas opiniones, quæ docent; una confeſſione aut communione annuâ, aut menſtruâ, duorum annorum aut menſium obligationi ſatisfieri: nimirum poſſem has opiniones rejicere, dicendo intentionem Pontificum fuiſſe ad binas confeſſiones & communiones obligare. Poſſem quidem id dicere, non tamen id poſſem probare.

DIX. *An ſit intentio ſatisfaciendi neceſſaria?* QUARTA ratio multa ſupponit minùs certa. Requirit intentionem ſatisfaciendi, quod falſum ut oſtendo in Commentar. in Regul. S. Benedicti *diſp.* 113. *num.* 1415.

Primò, quia inde ſequeretur eum, qui vel Miſſam audiret vel officium ſine intentione legeret, deberet iterum & Miſſæ aſſiſtere, & Canonicum officium recitare: quod hodie omnes fere negamus.

An poſſint actus interni præcipi? Sequeretur *Secundò*, actus mere internos & ſpirituales Eccleſiæ ſubjici, quæ juxta communem opinionem de occultis non judicat: quoniam intentio eſt actus merè internus, ut nullus ambigit.

Tertiò, ſi omnia admittantur, quæ videntur ſupponi, adhuc nihil inde concluditur; Ratio eſt, quia eodem prorſus modo poſſet quis de Miſſa audienda in ſolennitate S. Petri, quæ in Dominicam incidiſſe ſupponitur, philoſophari. Appoſitè diceret Miſſæ auditionem ex natura ſua indifferentem eſſe, ut ſatisfiat præcepto alterutri, debere tamen determinari ab intentione audientis: unde ſi ab eo determinetur ad ſatisfaciendum ſolennitati S. Petri, jam hæc miſſæ auditio affecta hoc modo intrinſeco illam determinante ad primam obligationem, non poterit ſatisfacere ſecundæ.

Vltimò Fundamenta debent eſſe certiora concluſione, quæ eſt certa propter illa fundamenta, teſte enim Stagiritâ, *Propter quod unumquodq; eſt tale, illud eſt magis tale*; Atqui ſententia negans, quemadmodum conſtat ex quarta ratione, ut ſe tueatur, ſupponit intentionem requiri; ergo magis certum eſſe debet intentionem requiri, quam unicam ſimplicem lectionem nō poſſe duorum dierum obligationi ſatisfacere. Atqui intentionem requiri ita eſt certum, ut contrarium ſit certiùs juxta ea quæ ediſſero in Commentario in Regulam D. Benedicti *num.* 1415. Ergo ita certa eſt ſententia negans, ut ſit multò certior contraria. *Præmiſſæ debent eſſe concluſione veriores. Axioma Peripateticum.*

IX.

Reſolutio.

DIſſolvi utriusque partis argumenta, nec dum controverſiam reſolvi. Satisfeci rationibus dubitandi, ſed nondum dubio. Poſtulas cenſuram. Quamcumque partem elegero videbor ſingularis. Totius eccleſiæ Praxis favet parti neganti, licet non expreſsè. Aſſerens rationi innititur; cui multi cùm ſatisfaciunt ſibi non ſatisfaciunt. Cæterùm an ſit probabilis ſententia affirmans, eſto aliorum judicium. Scribent Juniores, novæ rationes invenientur, novæ reſolutiones; & ſic olim hæc quæſtio decidetur, quæ in præſenti vix poteſt. DX.

Digitized by Google

X.

DXI. *Sunt qui illectos libros & homines inauditos condemnant.*

NUlla urbanitas ſufficit, ut agnus à Lupo, ſi iſte fortior evadat; nulla, ut doctus ab imperito, ſi iſte audax. Experientiſſimus Dominus N. (etiã Medicis debitor ſum, qui gratias Deo robuſtâ valetudine prædirus illis non utor) multa ſemel injuriarum plauſtra exoneravit, quòd in Commentario aſſeruerim, poſſe hominem legendo ſemel Matutinas duorum dierum obligationi ſatisfacere. Aderat ex diſcipulis meis præcipuus D. Joannes Richart, qui ſi ingenio favor ſuperiorum accedat, Ordinem noſtrum illuſtrare poterit, & in Univerſitate cum magno plauſu & opinione promoveri. Ipſe igitur ſuaviter pugnax ſuppoſuit primò, nec librum nec authorem à Medico lectum aut viſum, ſed illa effundi ex aliorum inſtinctu, qui alienâ abutuntur audaciâ, Medicorum nimirùm, quando Theologorum non poſſunt. Fatetur Medicus, ſe nec vidiſſe authorẽ nec librum, ſed audiviſſe, à neſcio quo, hac utrumque opinione inquinari. Docuit illum Joannes nec debere temerè judicare, nec hominem damnare inauditum, librum illectum; oſtenditq; talem in libro non doceri ſententiam, ſed ſolum ab invidis affingi. Obſtupuit Medicus, ſuamq; ſtupiditatem ad ſtuporem admiratus, cautior eſſe proponit, & intimam eum illo contrahens neceſſitudinẽ, vult utriuſq; partis fundamenta doceri. Proponit eruditus adoleſcens, quæ hucuſque expenſa; & uno aut altero (ſyllogiſmo dicam an fulmine) partem negativam proſternit. [Majori, inquit, ſollicitudine debet Eccleſia procurare, ut Chriſtiani à peccato mortali egrediantur, quàm ut legant officium; nam ſine hoc ſalvari poterunt, & in illo non poſſunt. Atqui quando præcipit annuam confeſſionem, eſt contenta una confeſſione pro duobus annis: ergo quando quotidianam Matutinorum lectionem, à fortiori unâ pro duobus diebus debet eſſe contenta. Minorem probavit producens è Theſibus defenſis Lovanij 3. die Junij 1642. ſub Eximio Domino Guilielmo ab Angelis has lineas: videlicet, *Ad peccatorum mortalium confeſſionem faciendam obligat nos præceptum divinum in articulo mortis, Eccleſiaſticum autem omnes & ſolos mortaliter peccantes, ad eandem ſemel in anno inſtituendam adſtringit. Hæc obligatio non extinguitur poſt elapſum annum, poteſt tamen eadem confeſſione ſatisfieri, anni præcedentis & currentis præcepto. Tenemur etiam circumſtantias omnes, peccatorum ſpeciem mutantes, in confeſſione exprimere, non ita intrà eamdem ſpeciem notabiliter aggravantes.* Probavit quidem ſic; Quoniam opinio, quæ in unâ univerſitate ſine contradictione defenditur, improbabilis dici non poteſt. *Confirmavit* quia magis neceſſaria eſt Religioſa confeſſio menſtrua, quam lectio matutinorum quotidiana; at, qui mortaliter ad menſtruam confeſſionem tenetur, unâ confeſſione duorum menſium obligationi ſatisfacit, ut docet Salas *d.20. de legib. num.98.* & ex eo Laurentius Forer, S. J. *in Theſibus propugnatis Dilingæ anno 1620.* Ergo & unâ matutinorum lectione obligationi duorum dierum.

Ratio fortiſſima pro aſſerente ſententia.

Vna annua confeſſio ſufficit pro duobus annis.

Confeſſio annua non obligat carentes peccato mortali.

Circumſtantia aggravantes non debẽt exponi in confeſſione

Vna confeſſio menſtrua ſufficit pro duobus menſibus.

XI.

DXII. *Sententia cuiuſdam Doctoris Pragenſis.*

AUdivimus Medicum, videamus quid dicant Theologi. Propoſui hanc doctrinam eximio cuidam Doctori Jeſuitæ, Theologiæ Moralis à multis annis Profeſſori, & hîc Pragæ docenti; & reſpondit ſibi videri benigna

gnam ſententiam probabilem. Eius nomen non exprimo, ſcio enim malle eum in pace vivere, nec morderi ab indoctis, quàm ab ingenij perſpicacitate collaudari. Ergo pro illa ſit iſte primus Author : ſit ſecundus Caramuel: fortè alij accedent, & quæ probabilis eſt ab intrinſeco, ab extrinſeco erit etiam aliquando probabilis. Fortè etiamnum eſt probabilis ab extrinſeco benigna opinio, eſt enim nova, & ſolùm à nobis tractata; habet pro ſe duos Authores, & contra ſe nullum: & quia hoc verum, cur non erit probabilis?

An ſit probabilis opinio, quæ duos authores habet?

Nec tremenda ſunt inconvenientia : nam ex illa, quæ docet unicam confeſſionem & communionem pro duobus annis ſufficere, maiora inconvenientia ſequi poſſunt, & tamen hæc mirabilis & pernitioſa opinio probabilis eſt.

Inconvenientia nō reddunt opinionē probabilē.

XII.

HAnc opinionem judico probabilem in materia obedientiæ, non tamen in materia voti aut juſtitię. Quia, qui vovit, ſe quotidie lecturum; eo tenebitur modo, quo ſe voluit obſtringere, & ideò eius ſola voluntas eſſet examinanda. Et in materia Juſtitiæ, Canonicus aut Beneficiarius, qui ob laborem legendi precium recipit, ſatisfacere debet contractui, quam ob rem, ſi contrahentes de duabus communionibus, aut confeſſionibus pactum inierunt, unica non ſatisfaciet contractui. Quid ergo de Religioſis dicendum? Si qui in Mundo recipiunt ſtipendium pro Canonici Officij lectione, iſti tenebuntur bis legere: ſed qui illi? ubi? nos autem, qui ex obedientia, ſemel poſſumus.

An hæc doctrina voto applicari poßit? an cōtractui?

Nota id bene.

Agitur de Religioſis.

Hæc omnia diſputando dicta ſint (nam & etiamnum proderit hoc lapide frangere dentes invidiæ) Tu amice Lector, ne feſtines; & ita ſeveriori ſententiæ, quouſque pro benigniore quatuor vel ſex Authores habeas.

XIII.

De Miſſa. An auditione unius poſſit homo Catholicus duorum dierum obligationi ſatisfacere?

OCcurrit mihi hoc dubium in librum Eminentiſſimi Cardinalis Lugonis *diſp.* 15. *ſect.* 7. *num.* 55. legenti. Agit ibi ſapientiſſimus Vir de nocte Nativitatis; & quomodo in ea obſervetur jejunium naturale, inquirit & ait [Dubitari poſſet de Nocte Nativitatis Domini, in quâ videtur de facto diſpenſare pro Cardinale celebrante primam Miſſam poſt Matutinum in Sacello Pontificio coram eodem Pontifice, nam reverà ſolet miſſa tota abſolvi ante mediam noctem, ut poſſint Cardinales opportunè convenire ſequenti die ad tertiam Miſſam, quam celebrat ſolenniter Pontifex in Baſilicâ S. Petri. Unde tacitè videtur Pontifex diſpenſare cum Cardinale, ut celebret ante mediã noctem non jejunus, nam intra eamdem diem horâ ſolitâ pranſus eſt, alioquin cogeretur aliquando per biduum jejunare, quando verbi gratia vigilia Natalis eſt in Dominicâ: tunc enim debet jejunare à prandio Sabbati, in quo fuit jejunium vigiliæ, uſque ad feriam ſecundam poſt tertiam miſſam Natalis, quod quidem de facto non fit. Adhuc ego tamen non credo intentionem Pontificis eſſe diſpenſare in jejunio naturali pro illa vice ſingulis annis; ſed potiùs dicerem ꝙ velit pro illo loco & illa DXIII.

Vtrùm diſpenſet ſummus Pontifex, ut Cardinalis celebret non jejunus?

Sententia Cardinalis Lugonis.

noctę

Anticipatio diei ſequentis. nocte anticipari aliquantulum initium diei ſequentis, &c.] Hæc Lugo, è quibus Ectheſes nonnullas deduco: & *primò* ſtando illi ſententiæ, quam rejicit Lugo, aſſerenti nimirùm non anticipari diem Nativitatis,

DXIV. *An Cardinalis idem poſſit bis in eadem die celebrare?* Sit prima. *Non ſolùm intelligitur Pontifex diſpenſare, ut ille Cardinalis celebret non jejunus, ſed etiam ut bis celebret in Dominica Nativitatis profeſto.* Patet: quia poſſet contingere cum manè celebraviſſe ex devotione, & nihilominùs debere ante mediam noctem celebrare.

Secunda. *Si Nativitas in feriam ſecundam incidat, tam ipſe Cardinalis, qui celebrat, quàm Fideles qui audiunt, poterunt licitè nullam aliam miſſam audire illa die Dominicâ.* Et oſtenditur: quoniam illa verè legitur die Dominicâ: Ergo qui illam audierit, non eſt dicendus die Dominicâ non audiviſſe Miſſam.

DXV. Tertia. *Ille ipſe Cardinalis, non obſtante, quod illam Miſſam poſt Matutinas coram Pontifice celebraverit, poterit die ſequenti (hoc eſt, die Nativitatis Dominicæ) tres miſſas celebrare.* Probatur: nam tres miſſas celebrandi facultas conceditur omnibus Sacerdotibus: ergo & illi Cardinali. Confirmatur, quia ſi quis malus Sacerdos tres aut plures miſſas in profeſto Natalis celebraſſet, & tamen verè poſteà pœnitens confiteretur & abſolveretur, nempe non ſolùm à peccatis, ſed à cenſura etiam, ſi qua hoc crimen ſequatur, poſſet die Natalis celebrare tres miſſas: ergo à fortiori de Cardinale idem dicendum eſt. Patet, quia miſſam illam, quam dixit poſt matutinas in ſacello Pontificis, non celebravit in feſto Nativitatis Dominicæ, ſed in profeſto.

DXVI. At ſtando opinioni Lugonis aliter philoſophandum eſt. Sit igitur Ectheſis

Prima. *Non requiritur tacita aut expreſſa diſpenſatio, ut illa miſſa ante mediam noctem celebretur, etſi Cardinalis manè aliam legerit miſſam, & in prandio comederit, aut etiam veſpere collationem ſumpſerit.* Patet; quia hæc omnia facta ſunt die heſterna, & dies Natalis incipit non jam à media nocte præcisè, ſed ab hora decima: hoc eſt duabus horis ante noctis medium. Eſt enim Miſſa illa ſolennis, & ſi ante duodecimam ſemper finitur, incipitur ante undecimam. Ergo dies craſtinus ut minimum incipit ab hora decima.

Secunda. *Romæ ab hora decima eadem nocte poterit quis carnes comedere ſine peccato.* Probatur; quia illas comedere poteſt die Natali, & ab hora decima noctis dies Natalis eſt. *Nota hanc bene.*

Tertia. *Ille Cardinalis præter hanc miſſam, quam coram Pontifice celebrat, non poteſt tres alias celebrare.* Et clariſſimè oſtenditur; quia in Natali Domini tres poteſt celebrare, non quatuor.

Sed quid ad caſum ſequentem reſpondebimus? [Inciderat Nativitas Domini in diem Lunæ; & Anſelmus die Dominicâ manè non audivit miſſam: ante mediam noctem miſſæ illi interfuit, quæ coram Pontifice à Cardinale celebratur, & illâ auditâ ivit cubitum, & die ſequenti ſerò ſurgens, noluit ad Eccleſiam venire.] *An-ne Anſelmus unicâ auditione unius Miſſæ duorum dierum obligationi ſatisfecit?* DXVII. *Caſus proponitur.* *Et in ipſo quæſtio principalis*

Si diceretur Natalis Chriſti dies incipere ab hora decima ante mediã noctem, & eodem momento diem profeſtum finiri, dici conſequenter deberet Anſelmum nõ audiviſſe miſſam die Dominicâ ſed die Lunæ: at conſequenter deberet dici Romæ in Nativitatis pervigilio legiſſe ſuas horas omnes ante decimam horã noctis debere, quod tamen

Profeſtum & feſtum Nativitatis habet duas horas cõmunes.

men Romani non putant. Ergo dicendum eſt vigiliam Nativitatis Dominicæ durare uſque ad horam duodecimam,& diem ipſum Nativitatis incipere horâ decimâ, adeoque hos duos dies habere duas horas communes. Ergo in caſu poſito hæ duæ poſitiones erant veræ. *Anſelmus audivit Miſſam die Nativitatis , Anſelmus audivit miſſam in profeſto Nativitatis.* Ergo neutro die omiſit miſſam. Ergo duobus præceptis &pro duobus diebus ſatisfecit auditione unius miſſæ. Ponatur igitur Ecthеſis

DXVIII. Quarta. *Quæ dubio ſub initium propoſito reſpondeat aſſertivè.*

Quinta. *Illis duabus horis communibus utriq; diei (profeſto & feſto) poteſt aliquis ſine mortali legere totum vigiliæ officium.* & quis hanc in controverſiam ducat?

Sexta. *Eiſdem duabus horis communibus poteſt aliquis ſine mortali totum Nativitatis officium legere.* Patet: quia poteſt totum hodiernum officium legere,vel primâ vel vltimâ horâ , quin culpam mortalem incurrat. Et hinc oritur Ecthеſis valde notabilis:nimirùm

Nota hanc bene.

Septima. *Poteſt eiſdem duabus communibus horis totum ſemel officium legere , & duorum dierum obligationi ſatisfacere.* Totum dico;&non iam tantùm matutinas & laudes : & hæc Ecthеſis naſcitur ex præcedentibus.

Satisfit obiectioni.

Forte diceret aliquis Pontificem ita diem anticipare,ut præcaveat omnibus his inconvenientibus. Sed quomodo? Ultimi Pontifices ſecuti ſunt veterum veſtigia , nec novum Ius condere volunt; & antiqui (vt puto) hæc omnia non prævіderunt, adeoq; dicendi non ſunt lege ſecundâ has conſequentias limitare. Fortè aliquis omnes liberè admittet: fortè alius aliquas reprobabit. Audiam alios , ut ſecunda huius libri editio procedat fortior & accuratior.

XIV.

Vtrùm eadem actione duabus præcepti partibus poſſimus ſatisfacere?

HÆc omnia inde ſuborta, quòd eodem tempore & eàdem actione poſſumus duobus præceptis numero diſtinctis ſatisfacere: ad eum, qui vnicâ actione duabus eiuſdem præcepti partibus ſatisfacere vult , ſubveniamus. DXIX.

Et quidem; ſi res bene conſideretur, multas conſequentias parturit Reſol. XVIII. quam habet Diana *tractatu XVII. partis II.* ubi interrogat, *An Petrus ſatisfecerit præcepto miſſæ, ſi eodem tẽpore ſacrum duorum ſacerdotum audivit; nempe miſſam vnius ſacerdotis uſque ad cõſecrationem , & miſſam alterius Sacerdotis à conſecratione uſque ad finem.* Ut rem meliùs intelligas,clare ponitur:quando unus ſacerdos elevat, alter introitum incipit, & tunc Petrus Eccleſiam ingreditur,& utramque miſſam ſimul audit, alteram ab elevatione ad finem, & alteram ab initio ad elevationem:& interrogat: *An miſſæ præcepto ſatisfecerit?*

An ſimul audire poſſis duas medietates Miſſæ?

Negat Reginaldus, ſed Reginaldi opinio non placet Dianę,qui pro contrariâ citat Molfeſium,& alios.

Non eſt animus approbare aut improbare iſtam ſententiam. Sed notare quæ debeat conſequenter admittere meus Diana,ſi Dialecticam amat PRIMÒ enim ſicut ſatisfecit Petrus audiendo ſimul duas medias miſſas à duobus Sacerdotibus , poſſet ſatisfacere audiendo ſimul quatuor miſſæ quadrantes à quatuor ſacerdotibus : aut etiam o- DXX.

An etiam audiendo quatuor quadrantes, aut octo octantes ſimul?

cto octantes ab octo: quin imò, ſi eſſent multa altaria, quibus ſimul eſſe præſens Petrus poſſet, & in uno Miſſa inciperetur, in altero epiſtola, in altero Evangelium, in altero oblatio, in altero canon, in altero conſecratio, & in altero communio, & tandem in altero poſt-communio, & in altero ultimum Evangelium; poſſet Petrus uno quaſi momento temporis integram miſſam audire.

An omnes lectiones & reſponſoria poſſint legi ſimul in choro?

Secundò rationis paritas nos deduceret ad officium Divinum. Nam iuxta mores & rubricas Monaſticas in officio ſolenni habemus duodecim lectiones & reſponſoria, quæ non recitat Communitas ſed audit tantùm. Ergo ſi ſint viginti quatuor Religioſi in choro, & ſinguli dicant ſimul lectionẽ aut reſponſorium, ſatisfacient præcepto legendi duodecim lectiones, & totidem reſponſoria.

An ſocius in lectione Officij Canonici debeat alterũ ſpectare? An attendere?

Tertiò, quando duo legunt ſimul, non erit opus ut alter alterum expectet, ſed poterit alter incipere verſum ſequentem, antequam alter præcedentem abſolvat, quoniam poteſt ſimul ſe & ſocium audire: nec eſt cur ad attentionem & auſcultationem recurras, quia attentionem internam non eſſe neceſſariam putamus.

Quid de Miſſâ dicendum ſit?

Quartò, in miſſâ ſolenni, poſitâ ſententiâ, quæ docet ſacerdotem non teneri legere Epiſtolam, nec Evangelium, poterit dum legitur illa tractum & verſus dicere, & dum hoc cætera, quę illud ſequuntur.

An Scythæ duas reales & phyſicas linguas habeant? Quomodo ut illuſi philoſophãdum?

Quintò, ſi vera ſunt, quæ de Scythis nonnullis leguntur, videlicet ſingulos binis linguis præditos, & poſſe aut etiam ſolere binas voces formare, & binas ſimul periodos diverſas efferre; vel ſi Deus aliquos homines bilingues produceret, qui dum alterâ linguâ recitant Matutinum, alterâ laudes aut primam recitarent; dicendum omninò eſſet eiuſmodi homines duas ſimul horas legendo, obligationi recitandi officium divinum ſatisfacturos.

DXXI. *An Communitas poſſit ſimul duas horas legere? an duos actus celebrare?*

Sextò, hoc ipſum neceſſariò deberet ad Communitates traduci: ipſæ enim omnes ſunt multilingues. Quid enim ſtando huic doctrinæ vetaret magnam communitatem in decem manipulos dividi, & dum unus recitat Matutinum, & alius Laudes, alium Primã, & alios cæteras horas recitare; & quaſi horæ quadrante gravi & moleſtæ publici officij obligationi ſatisfacere? ergo poſſet ſimul eadem communitas dividi in partes plures ſimul actus Communitatis celebrare.

Nulla deberent in Officio divino repeti.

An officium unico præcepto reſpondeat?

An unico actu poſſimus duobus præceptis ſatisfacere?

Septimò in officio divino nonnulla pluries repetuntur, An ne hæc toties deberent repeti? Reſpondi olim in Cõmentario in Regulam S. Benedicti eſſe probabile ſingulas horas ſingulis reſpondere præceptis; eſſe certum unico actu hominem poſſe diverſis præceptis ſatisfacere; adeoque ſi ſemel in unâ horâ dicatur *Pater*, & *Ave*, & cætera quæ in horis diverſis repetuntur, non debere in aliis recitari. Sed quid dicemus ſi totum officium unico præcepto indicatur? Putavi illa debere omninò repeti, & toties legi, quoties præcipiunt Rubricæ. Hæc dixi ſtando communi doctrinæ: at hodie, ſi hanc Dianæ reſolutionem, quam dilucido, admitterem, dicerem in officio divino etſi totum uni præcepto correſpondeat poſſe dici ſemel tantùm *Pater* & *Ave*; ſemel *Credo*; ſemel *Deus in adiutorium*; ſemel *Gloria Patri*; ſemel *oratio*; & ſemel *Pſalmus*, qui in horis diverſis ſolet repeti. Et ratio eſt manifeſta, quia ad Dianæ mentem non ſolùm ſimul duobus præ-

ceptis,

ceptis, ſed etiam ſimul duabus præcepti partibus poſſumus ſatisfacere.

DXXII. *An lectione unius Ave-Maria poſſit aliquis ſatisfacere toti Roſario?*

Octavò, ſi cui Roſarium legere præciperetur (hoc eſt quindecies *Pater*, & centies quinquagies *Ave*) diceret: quia ſingula *Pater* & ſingula *Ave* diverſis præcepti partibus correſpondēt, & poſſumus ſtando Dianæ Reſolutioni eodem ſimul tempore diverſis præcepti partibus ſatisfacere. Et qui de obligationibus ortis à voto, & ortis à Præcepto aliqui pariformiter philoſophantur, idem dicere de illo deberent, qui voviſſet Roſarium.

An-ne hæc omnia Diana admittet? non puto. Quid ergo? vel hæc omnia debebit transglutire, vel à principali opinione diſcedere.

***

FVNDAMENTVM XXXII.

De Legum materiâ quoad durationem.

DXXIII. Mera duratio temporis non multiplicat culpas; eſt circumſtantia notabilis, non tamen quæ mutet ſpeciem. Quanto tempore commiſſum ſit peccatum, non debet in confeſſione exponi. At debet pœnitens animadvertere durationem non eſſe ſemper meram, ſolet enim interdum aut moraliter retractari voluntas, & hinc multiplicari peccata: & ſolet ignorari peccatorum numerus, & tunc duratio exponitur ut vel inde plus minus numerus illorum colligatur: nam Hæreticus, vel inveterata meretrix, cùm non poſſint determinare peccatorum numerum, prudenter dicent, tanto ſe fuiſſe tempore in illo peccaminoſo ſtatu, ut coniectetur Confeſſarius peccatorum numerum, quo modo poſſit.

Duratio eſt circumſtantia aggravans.

An aliquādo debeat in confeſſione exponi?

Quo debeat modo meretrix cōfiteri?

DXXIV. Porrò, ſi ſemel libertas concedatur ſufficiens, materia gravis, & plenus voluntatis conſenſus, unico ſolo inſtanti poterit mortale peccatum committi. Sed tu quia alios Authores etiam legis, interrogas

***

AN BREVITAS TEMPORIS EXCVſet à peccato mortali?

Diana *part. 1. tract. 6. res. 42.* agens de paupertate, reſpondet aſſertivè: cuius hæc verba ſunt: [Notandum eſt etiam, quod ſi talis Religioſus abſolutè recipiat pecuniam (nimirùm

Diana opinio.

rùm inſcio Abbate) ſed ad breve tempus retineat, ut quia expectatur novus Prælatus, vel ſcribat ſtatim Generali vel Provinciali pro licentiâ, peccabit tantùm venialiter.] & ſubſcribit hæc eſſe valde notanda, quia multum practicabilia.

At Ego propter alias circumſtantias fortè excuſari hunc Religioſum poſſe exiſtimo: at à temporis brevitate poſſe ſumi excuſationem non video: illi enim ne vnâ quidem horâ (imò neque vno momento) licet eſſe proprietario.

****

FVNDAMENTVM XXXIII.

De Legum materiâ quoad locum.

DXXV. SUnt Leges de loco, quæ præcipiunt eſſe in tali vel tali, non ingredi in talem aut talem, & hæ non ſemper obligant graviter, niſi locus ratione circumſtantiarum gravitatem adquirat.

Vbi-nam debeat præcepto ſatisfieri?

De legibus, quæ non determinant ſpecialiter locum, inquiri poterit, An poſſint impleri in quocumque? hoc eſt, An detur aliqua incapacia aut indigna, in quibus, dignioribus non poſſit præceptis ſatisfieri? Puto diſtingui debere ſolennitatem publicam ab obſervantiâ privatâ, nam hæc controverſia ex magna parte à prudentum apprehenſione dependet.

DXXVI. OCcurrit lex illa ſæcularis, quæ iubet ut tali die, tali horâ, omnes in forum aut Eccleſiam conveniant; talem locum non ineant; &c. quæ ſtando illi ſententiæ, quæ docet ceſſante fine adæquato legum in particulari, non ceſſare ipſas leges, erit obligatoria, ſi finis, qui intenditur, ſit magnus. At ſtando ſententiæ oppoſitæ, reſpiciendus erit finis, examinandumque, An ceſſet in particulari?

An ceſſante fine ceſſet lex.

Occurrit etiam illud dubium, quod inquirit, An officio Divino poſſimus in loco immundo ſatisfacere? Reſpondi affirmativè *in Commentario in Regulam D. Benedicti num.* 1326. & tametſi multa audiverim contrà, nihil omninò, quod ſcribi hic & diſſolvi ſit dignum.

De loco immundo.

***

FVN-

Digitized by Google

FVNDAMENTVM XXXIV.

De Legum materiâ, quoad ſitum & partium præceptarum ordinem.

DXXVII. *An ordinẽ mutare ſit mortale?* IN materia præcepta dantur partes, & in ipſis ordo etiam præceptus: ſi enim aliquando non præcipitur ordo, nullus debet neceſſariò ſervari. Sed quanta eſt culpa ſatisfacere præcepto quoad ſubſtantiam, & deficere in ordine; puta, agendo priùs, quæ debeant poſterius? Eiuſmodi defectum, ſi ſine cauſa admiſſus ſit, venialis culpæ arguit cõmunis Theologorum Opinio; excuſatque ab omni peccato, ſi intervenerit rationabilis cauſa.

Ordo alius eſt accidẽtalis, & alius ſubſtantialis. AGimus de ordine accidentario, nã ubi ordo ad ſubſtantiam ſpectat, non poterit ille ſine culpâ gravi alterari; in caſu nimirùm, quod hæc ordinis alteratio alicui innocenti præiudicet. Rem exemplo dilucido. Charitas præcipit amorem ordinatum, hoc eſt amare Deum ſupra omnia, ſe infra Deum, ſed parentes, &c. ſupra cæteros. *Ordo charitatis.* Qui amat amore amicitiæ non amat amicum plus quàm ſe; ſed ſe & ſua ordinat ad utilitatem amici: nam Deus amat homines amore amicitiæ, quos tamen minus amat quàm ſe. Teneo igitur debere ordinem Iuſtitiæ & Charitatis graviter obſervari, quoties cõtrarium ſine proximi gravi iacturâ fieri nequit.

FVNDAMENTVM XXXV.

De Legum materia quoad Habere.

DXXVIII. VLtimum Metaphyſici Prædicamentum vocant *Habere*, & ad illud pertinent veræ ſubſtantiæ, quæ habentur: & ut videamus, quid habeat legaliter materia præcepta aut non habeat, volo hic tantiſper hærere.

Digitized by Google

Primò materia interdicta, ſi generica ſit, habet differentias contractivas, quæ ſi interdictæ etiam ſint, transferunt genus ad diverſas ſpecies peccatorum; & ſi non ſint ſpecialiter interdictæ, cōtrahunt genus phyſicè ſed non moraliter. Illę debent in confeſſione exponi; non iſtæ. *Quæ ſint circumſtātiæ mutātes ſpeciē.*

DXXIX. HÆc reſolutio exemplo clariſſimo dilucidabitur. Iniuria eſt ratio generica mala & peccaminoſa, & contrahitur ad homicidium furtumque per duas differentias ſpecialiter interdictas; nam homicidia quinto, & furta ſeptimo præcepto Decalogi ſunt interdicta. Sed homicidium contrahitur inſtrumentaliter ad illud quod fit enſe, quod lapide, quod ſclopeto, &c. & furtum contrahitur materialiter ad illud, quod eſt auri, argenti, panni, ſerici, &c. Sed hæ duæ contractiones ultimæ ſunt per differentias non interdictas. Sunt, qui dicunt virū & fœminam in eſſe phyſico conſideratos differre ſpecie inadæquatâ (quod eſt dicere differre quidem ſpecie; ſed debere hanc veritatem verbis moderatis proponi, ne ignorantes cauſentur) at non dicent occidere fœminam & occidere virum eſſe peccata diſtincta ſpecie vel inadæquatâ; quia illæ differentiæ, etſi dicantur ſpecificæ, non ſunt interdictæ ſpecialiter. Sic etiam nefandum illud crimen quod vocatur *Beſtialitas*, non differt ſpecie, ſi cum diverſis brutis committatur, etſi hæc diſtinguantur ſpecie; quia hæ ipſæ brutorum differentiæ ſpecificæ, cum non ſint ſpecialiter interdictæ, non augent malitiam ſpecialem. Sic etiam contrà philoſophandum eſt: nam ſæcularis & ſacerdos non diſtinguuntur ſpecie, & tamen occidere ſæcularem & occidere ſacerdotem ſunt peccata diſtincta ſpecie, quia ſacerdotij violati circumſtantia habet ſpecialem malitiam ex Canone, *ſi quis ſuadente Diabolo.*

De diſtinctione ſpecificâ inadæquatâ; An debeat in confeſſione exponi?

Beſtialitas.

Sacerdoticidium.

DXXX. *Secundò* materia interdicta, ſi ſpecifica ſit, habet differentias individuales, quæ ſemper interdictæ ſunt, & non transferunt rationem communem ad novam ſpeciem, ſed illam numero multiplicant. Et hæ debent in confeſſione neceſſariò explicari. *Numerus peccatorū eſt in confeſſione explicandus.*

Hic tamen neceſſariò notandum poſſe multas actiones phyſicas coincidere moraliter & eſſe unicum tantùm peccatum; & conſequenter unicam & indiviſibilem actionem phyſicè poſſe & ſolere dividi & multiplicari moraliter, & multa peccata complecti. *De multiplicatione phyſica & morali.*

Principiū individuationis. UT hanc Reſolutionem capias, debes legere Authores Phyſicos de principio individuationis diſputantes, & illa omnia ad mores reducere & tractare de individuatione actuum moralium. Prodeſſe poterunt, quæ ſuperiùs

Digitized by Google

periùs ſunt dicta Fundamento xxix. per totum.

Modus facilis cõfeſſionẽ multorum annorum faciendi. Sed quo ſe explicabit modo, qui bene conſiteri vult, & numerum peccatorum ignorat? Cùm inveteratus aliquis peccator ad meos pedes venit, ſi probabiliter conſtet decem aut pluribus annis ſemper vixiſſe eodem modo, iubeo ut unius menſis peccata confiteatur, & facta prudenti proportione iudico de reliquâ vitâ. Hunc procedendi modum didici à Diana *part.3. tract.* 4. *reſol.* 89. & Authoribus quos ibi citat.

***

DXXXI. *De accidẽtibus interdictis.* Tertiò materia interdicta ſolet habere accidentia, quæ rarò ſunt etiam interdicta: & ſi ſint transfertur peccatum ad novam ſpeciem accidentalem.

Accidentia quæ ſpecialiter interdici ſolent, ſunt Locus, Tempus, Modus, & quia locus ſpecialiter interdicitur, *Sacrilegiũ ratione loci.* ſæpè peccata, quod facta in loco ſacro, dicuntur induere circumſtantiam mutantem ſpeciem; ſæpe etiam ſpeciem peccati mutantem. Eodem modo de Tempore & Modo philoſophare: & vide Auſonium Noctinot in ſummâ Dianæ *verb. Circumſtantia*: ubi explicat has, *Quis? Quid? ubi? Per quæ? Quoties? Cur? Quomodo? Quando?* *Enumerãtur circũſtantiæ.*

DXXXII. *De prædicamento Habendi.* Quartò materia interdicta ſolet habere materias à ſe realiter diſtinctas, quæ ſi interdictæ etiam ſint, non transferunt culpam ad aliam ſpeciem, ſed addunt novam ſpeciem peccati, ut potiùs videatur peccatum duplex, quàm peccatum diſtinctum ſpecie. Et hoc eſt Prædicamentum *Habere*, quod ponitur in Syſtemate materiæ legalis.

Claudus cæcum ſuſtentans. Pinxit Poëta Græcus Cœcum, qui humeris Claudum ſuſtentat: conceptum Minois latinè reddidit; Alciatus dilucidavit Emblemate 159. & Didacus Lopes expoſuit; videar in libri Pacis S.R. Imperij Podromo *art.3.num.* 47. *pag.* 19. Ego illo conceptu alter impræſentiarum utar, & eodem exponam quæſtionem toto cœlo diverſam. Video ibi multos homines, & hic unum humeris geſtantem vitellam: & *Homo vitellam gerens.* quia diverſitatem percipio, interrogo, An iſte homo ſit animal eiuſdem ſpeciei cum alijs? videretur, quod non. eſt enim Homo vitulinus; quoniam habet vitellam, quæ etiam eſt animal, quâ cæteri Homines carent. At dicam hoc aggregatum ex Homine vitellâ non eſſe animal diverſæ ſpeciei, ſed eſſe duo diſtincta animalia ſpecie differentia inter ſe. Hoc ita clarum puto, ut non poſſit in quæſtionem reduci.

***

I. Hinc

Digitized by Google

I.

DXXXIII. Hinc magna affulget lux obſcuriſſimis difficultatibus: incipiam à minùs obſcuris. Petrus voverat Deo ſe ieiunaturum die Mercurij, quo aliàs poterat comedere carnes; interim fragilitati humanæ & gulæ ceſſit, carnes comedit; & quærit, quomodo peccaverit? Reſpondeo feciſſe ſimul duas actiones unam indifferentem, & alteram ſacrilegam, (nam indifferens erat comedere carnes, & ſacrilegum violare votum) adeoque in confeſſione non debere explicare priorem ſed poſteriorē; hoc eſt, debere dicere, ſe violaſſe votum, nō tamen exponere, an illud violaverit comedendo aut ludendo.

II.

DXXXIV. Ioannes voverat Deo, ſe nunquam luſurum, ſe diebus Lunæ carnes nō comeſturum, ſe ex oppido non egreſſurū: & tamen die Lunæ egreſſus ad domum ruſticam ibi luſit & comedit carnes; & modò, quia confiteri deſiderat, vult inſtrui, & ſcire quomodo peccaverit, & quo aperire ſuam conſcientiam debeat in confeſſionis tribunali? videretur alicui commiſiſſe unicum peccatum habens multas deformitates, quia quidquid mali commiſit, afficit illam peccaminoſam egreſſionem. Videretur alij commiſiſſe tria peccata diſtincta ſpecie: non enim eſt idem comedere quod ludere, aut ambulare. At ego præſcindendo à voto, dico primò, Ioannem feciſſe tres actiones indifferentes diſtinctas ſpecie; aliud enim eſt comedere, aliud ludere, &c. addo tamen illas non debere in confeſſione neceſſariò explicare, quoniam actiones indifferentes non pertinent ad confeſſionem. Dico ſecundò, Ioannem ter violaſſe votum, adeoq; commiſiſſe tria peccata diſtincta numero, & in confeſſione debere dicere *Ter violavi votum*; non tamen exponere, an ter violaverit idem votum, an ſemel ſingula vota diverſa: quia diverſitas, quæ ſe tenet ex parte rei votæ, ſi aliàs non eſt obligatoria, materialiter tantùm ſe habet: nam & ille, qui ſemel furatus eſt aurum, ſemelque argentum, ſatisfaciet ſi in confeſſione dixerit, *Bis furatus ſum*; nec exponere furtorum materiam debebit.

De voti violatione. An omnes violationes ſint eiuſdē infimæ ſpeciei?

III.

DXXXV. Si non furaturum iuravit Fridericus, & nihilominùs furatus eſt; quale igitur peccatum commiſit? Dico commiſiſſe duo peccata, debereque in confeſſione utrumque exponere, puta ſi diceret, *ſemel promiſſorium iuramentum violavi, ſemel furatus ſum:* non autē video, cur teneatur exponere connexionem furti & periurij, nam ſunt duo peccata diverſa; tametſi alterum ſit alterius materia.

De furto contra iuramentū.

IV.

DXXXVI. Hinc ad Religioſos cōverto oculos, & exiſtimo omnia vota ſolennia quà vota diſtingui ſolo numero, & nihilominus ratione materiæ differre plusquā numero, & poſſe, qui omnia violaverit, omittere omnes circumſtantias materiales non peccaminoſas, & ſolùm peccaminoſas explicare. Ut rem meliùs percipias pono hunc caſum [Fridericus præter tria vota ſolemnia communia omnibus Religioſis, habebat quartum votum ſolemne de abſtinentiâ à carnibus, quintum ſimplex de audiendâ miſſâ diebus ſingulis: interim ſemel fuit proprietarius, ſemel mollitiem cōmiſit, ſemel comedit carnes, ſemel omiſit miſſam die feſto, ſemel die feriali: quomodo igitur confiteri debebit?] Reſpondeo poſſe exponere ſingula, p-ut facta, ſed ad hoc non teneri; poteſt enim vota ſolennia à ſimplicibus nō diſtinguere, & diſtinguere vota ipſa à ma-

An vota ſolennia diſtinguantur ſpecie?

Votum ſolenne & ſimplex nō differunt ſpecie.

teriâ

Digitized by Google

teriâ votorum, & dicere; *Semel furatus ſum: ſemel mollitiem habui; ſemel omiſi miſſam die feſto; quinquies violavi votum*: at de comeſtione carnium, & omiſſione miſſæ die feriali nihil teneretur ſubiungere, quia in ipſis præter violationem voti, quam expoſuit, cùm quinquies violaſſe votum dixit, nulla alia malitia reperitur.

Omiſi inobedientiæ culpam. At fortè debui non omittere: fortè enim Religioſus, qui violavit obedientiæ votum, non ſatisfacit dicendo, *violavi votum*, nam inobedientia etiam præſcindendo à voto in filio familias, qualis eſt Religioſus, cenſetur mala; & ſi materia magna ſit, mortaliter peccaminoſa.

An inobedientia Religioſi duas malitias contineat?

V.

DXXXVII. Me præſente, Reverendiſſimo Angelo Manrique, tunc veſperariam tenenti cathedram Salmanticæ (poſteà ad primariam fuit, & ad Pacis-inſulæ Epiſcopatum promotus) propoſitus hic caſus fuit. [Theodoricus adulterium commiſit, & quia nolebat clarè loqui, ita confeſſus fuit, *Commiſi ſimplicem fornicationem*; & aliis peccatis interiectis addidit, *Intuli cuipiam gravem iniuriam, tertiâ quâdam perſonâ cooperante, cui ſatiſfacere adæquatè non poſſum, ſatiſfaciam ſi potero & ut potero.*] & quærebatur, An ille fuiſſet confeſſus bene? Eramus in gymnaſio, & coram omnibus Angelus aſſertivè reſpondit; putabat enim ſimpliceitatem & Adultereitatem non eſſe differentias, quæ cõtrahunt Fornicationem, ut Animal contrahunt Rationalitas & Hinnibilitas in communi ſententiâ; ſed ut Non-arma & Arma Hominem; aut in exemplo poſito Non-vitella & vitella.

An adulterium ſit duplex peccatum?

Simpliceitas & adultereitas.

CAPUT V.

De Clavibus ſeu Regulis Iuris Canonici.

DXXXVIII. Eccleſiaſtici Iuris Claves dicimus, quas alij Regulas: & utrumque nomen illis convenit: aperiunt enim Iuris ſeras; & Iuriſtam dirigunt, ne in eius expoſitione exorbitare & delinquere poſſit. Ordinem mutaturi ſumus, ut methodum faciliorem reddamus. Regulas ad claſſes reducemus, ut compoſitio & collatio ob oculos expoſitionem ponat: tunc enim explicantur ſolidiùs, cùm ſingulæ ſingulis ſunt lux. Nunc autem in gratiam eorum, qui Regularum ordini vulgato aſſueverunt, illas omnes præſcribimus, & iuxta numeros communes damus: & in ſingula loca & Authores à quibus explicantur, adiungimus.

REGULA I. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione canonicâ obtineri.* Illam exponit Layman libr. 3. tract. 1. ſect. 5. c. 8. n. 5.

REGULA II. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* Ego in ſcholio num. 367.

Digitized by Google

REGVLA III. *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit*. Layman lib. 3. tract. 1. ſect. 5. c. 8. n. 5. & 8.

REGVLA IV. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum*. Reginaldus de prudentiâ conf. ſl. cap. 22. n. 18.

REGVLA V. *Peccati venia non datur niſi correcto*.

REGVLA VI. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 14. n. 5. & lib. 3. tr. 4. cap. 4. num. 4. Gaſpar Manzius q. 5. n. 86. p. 1. Patrocinij. Reginaldus in praxi fori pœn. lib. 22. num. 25.

REGVLA VII. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſonâ*. Layman libr. 1. tract. 4. cap. 23. numer. 4.

REGVLA VIII. *Semel malus ſemper præſumitur malus*. Coriolanus Capuccinus. part. 2. caſu. 5. num. 68. fol. 295. In eius opinione qui bis fecit, ſolitus eſt facere, fol. 330. §. ſeptimo. Adducit Regulam generalem, quando dolus non debeat præſumi, à folio 363. ſatis fusè. & fol. 233. docet non eſſe credendum teſti; qui ſemel periurus fuit. Hāc etiam Regulam Layman folio 333. num. 8. in ultimâ editione exponit.

Ex præteritis coniectari poſſumus futura. Layman de iuſta defenſ. cap. 6. pag. 287.

REGVLA IX. *Ratum quis habere non poteſt, quod ſuo nomine non eſt geſtum*. Ego in Commentario in Reg. S. Benedicti num. 508. ſub fin. Leſſius lbr. 2. cap. 41. dub. 7. Reginaldus libr. 23. nu. 187. fusè. Layman libr. 3. tract. 3. p. 3. cap. 4. num. 6. Auſonius Noctinot, Crouſers, Diana, Coninch Regulâ ſequenti citandi.

REGVLA X. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*. Ego in Morali Philoſoph. numer. 122. Layman libr. 7. tractat. 2. c. p. 3. numer. 3. & tractat. 4. cap. 18. numer. 10. & libr. 3. tract at. 2. cap. 6. numer. 3. Reginaldus Praxi fori pœn. libr. 10. numer. 83. Bartholomæus à S. Fauſto Theſaur. Relig. libr. 1. quæſt. 29. & libr. 5. quæſtion. 239. Auſonius Noctinot in Dianæ ſummâ verb. Ratihab tio. nu. 1. Crouſers in Regul. D. Franc. cap. 7. lect. 21. Diana part. 6. tract. 6. reſ. 57. Coninch de ſacr. diſp. 8. dubio. 4. à n. 34.

REGVLA XI. *Cùm ſunt partium iura obſcura, reo favendum eſt potiùs quàm actori*. Reginaldus libr. 24. num. 29. & libro 24. num. 147. & libr. 25. numer. 656. & de Prudent. Confeſſ. cap. 3. num. 8. Layman libr. 1. c. 5. n. 16. & lib. 3. tract. 3. p. 2. ca. 2. n. 7.

REGVLA XII. *In iudiciis non eſt exceptio perſonarum habenda*. Reginaldus lib. 23. num. 40. & ſeqq. Layman libr. 1. tract. 1. cap 5. num. 16. Craesbeck in Reg. S. Bened. pag. 74.

REGVLA XIII. *Ignorantia facti non iuris excuſat*. Filliucius part. 2. fol. 23. nu. 378. Comicolus libr. 5. quæſt. 1. num. 8. Azorius tom 1. lib. 1. cap 13. quæſt. 1. & 3. Bartholomæus à S. Fauſto libr. 6. Theſaur. Relig. quæſt. 33. num. 11. Layman lib. 1. tract. 4. c. 20. n. 6.

REGVLA XIV. *Cùm quis in ius ſuccedit alterius iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere*.

REGVLA XV. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*. Ego in Commentario in Reg. S. Benedict. num. 787. 791. 79. 1016. 1633. 797. 49. 748. 1747. 589. 706. 1325. 1348. & in Scholio num. 343. 348. & in Motivo Iuris fol. 80. Layman pag. 7. num. 4. & pag. 17. num. 2. & pag. 679. num. 6. & libr. 1. tract. 5. cap. 2. num. 3. Regi-

Digitized by Google

Reginaldus libr.23.numer.174.& 159. & 184.& libr.18.num.410. Azor ex inſtituto libr.2.cap.11. fol. 98. & 99. & tom.2.libr. 4. quæſt. 10.cap.3. fol.629. Naldus verb. caſus reſervat.numer.3.& verb. Sacerdos.num.5. Cruz lib.2. cap. 2.dub. 2. concluſ.4. pag 112. & libr.1. cap.6.dub.10. Poſſevinus.pag.576.numer.22.

Pœnæ ſtrictiſſimè debent interpretari. Si excipias vocem excommunicationis quæ abſolutè poſita de maiore intelligitur. Azor tom.1.lib.2.c.11.Layman lib.1.tr.5.p.3. c.1.num.3.& ſeqq.Reginaldus de confirmat. & libr.23.num.174. docens bis confirmatum non fieri irregularem. qui poteſt etiam videri fol.610.nu.35. & de Prudent.pag.694. & Azor libr.2. c.19.quæſt.11.docet non eſſe irregularem præter eum qui expreſsè ponitur in Iure. Multa etiam de hac materiâ reperies apud Bartholomæum à S.Fauſto in Theſaur. libr.5.quæſt. 257.258.259. 260.261 262.263.264.265.

REGVLA XVI. *Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe perpetuum.* Layman lib. 1.tr.4.c.22.n 6.

REGVLA XVII. *Indultum à Iure beneficium non eſt alicui auferendum.*

REGVLA XVIII. *Non firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non ſubſiſtit.* Layman libr.3. tract. 3.cap.6.num. 4.& libr.4.tract 4.cap.8.num.3. & lib. 1.tract.4.c.22.num.14. & libr.4. tract. 3.cap.16.num.4. Auſonius Noctinot in ſumm.Dianæ verb. Ratihabitio. numero 2.ubi citat Crouſers, Coninch,& Dianam.

REGVLA XIX. *Non eſt ſine culpâ, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.* Layman lib.3.tract.3.p.3.c.10.n.3.

REGVLA XX. *Nullus uti pluribus defenſionibus prohibetur.*

REGVLA XXI. *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.* Layman libr.4. tract.4.cap.8 numer.12 fol. 647 lib.5. tract 10.p.2.ca.7.num.7. Emanuel Rodriguez quæſtionum Regularium. qu. 55.art.7.

REGVLA XXII. *Non debet quis alterius odio prægravari.*

REGVLA XXIII. *Sine culpâ, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.* Reginaldus lib. 13.cap.24. num. 256. Bartholomæus à S.Fauſto Theſaur. Relig. lib. 6 quæſt.20. Layman libr.1. tractat.40. c.15.num.2.& libr.5.tract.10.p.2.ca.7. num.7.

REGVLA XXIV. *Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe.*

REGVLA XXV. *Mora ſua cuique eſt nociva.* Altenſtaius verb. Moroſus.

REGVLA XXVI. *Illa, quæ fiunt à Iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.*

REGVLA XXVII. *Scienti & conſentienti non fit iniuria neque dolus.* Reginaldus lib.30.tract.3 n.200 caſu 5.

REGVLA XXVIII. *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.*

REGVLA XXIX. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Layman libr.3. tract.2.p.1.c.5.num.7.& l.3.tract.4.ca. 12.num.9.& libr.4.tract.2.ca.9. num.9. fol. 567.& lib.3.p.1.c 5. num.7. & lib 4. tract.9 c.6. num.7. Reginaldus libr.4. Bartholomæus à S.Fauſto libr.6.quæſt. 112.num.2. Caſpar Manzius Patrocinii part.1.q.1.n.54.

REGVLA XXX. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* Ego in Comment, num.... Layman lib.1.tr.4.c.16.n.3.

Digitized by Google

REGVLA XXXI. *Eum, qui certus eſt, certiorari ulteriùs non oportet.* Layman lib. 7.tract.1.c.5.n.3.

REGVLA XXXII. *Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.*

REGVLA XXXIII. *Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* Layman lib.3.tr.4.c.14.n.3.& lib.4.tr. 2.c.12.n.10.

REGVLA XXXIV. *Generi per ſpeciem derogatur.*

REGVLA XXXV. *Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.* Reginaldus lib.30. tract.3.n.177.

REGVLA XXXVI. *Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.*

REGVLA XXXVII. *Vtile non debet per inutile vitiari.* Layman de votis c.2.nu. 3.fol.128.& libr.1.tr.5.p.2.c.2.num. 13.fol.118. valde fuſe. & lib.4.tr.4.ca. 5.n.3.& lib.1.tr.4.c.22 num.25. fol.95. & lib.1.tract.4.c.19.n.7.& c.21.n.3.& c. 22.n.25.

REGVLA XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus exſtitit impugnare.*

REGVLA XXXIX. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.*

REGVLA XL. *Pluralis loquutio duorum numero eſt contenta.* Bartholomæus à S. Fauſto in Theſ.libr.2.q.181.n.3.Naldus verb.Miſſa.n.11.

REGVLA XLI. *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Reginaldus libr. 23. n.77.

REGVLA XLII. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Layman libr. 4. tract.7.c.2. num.5.& 7. fol. 694. & de iuſta defenſione fol. 363. & fol. 247. & in Theolog. Morali fol. 566. Biderman de delect. moroſâ fol. 408. Reginaldus lib. 23. num. 117. & ſeqq. Bartholomæus à S. Fauſto Theſaur. Religioſ.lib.1.q.11.n.7.

REGVLA XLIII. *Qui tacet conſentire videtur.* Ego in Morali Philoſophiâ à num.49. fusè. Layman lib.1. tract.2. cap.3.num.3, Coſcanus de voluntario 29. Azor lib.1.cap.40. Paulus Zehetner de pœnitent. fol.390. Reginaldus lib. 25.num.76.& 284. Pirrus quæſt.55. Theſ.Relig.& lib.2.q.40.

REGVLA XLIV. *Is qui tacet non fatetur, ſed neque negare videtur.* Layman li. 1. tract.2.c.3.num.3.fol 17. Qui patitur aliquid fieri, quod ad ſuum commodum ſpectat, mandare cenſetur. Layman ibid.

REGVLA VL. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* Layman lib.1.tract.4. c.14. num.4. ex præteritis coniectura poteſt capi ad futura Layman de iuſtâ defenſione c.6.pag.287.

REGVLA XLVI. *Is qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille, uti debet.* Ego in Philoſophiâ morali n.731.

REGVLA XLVII. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.* Layman li. 1.tract.4.c.20.n.6.

REGVLA XLVIII. *Locupletari non debet aliquis, cum alterius iniuriâ vel iacturâ.* Layman lib.1.tract.4.c.20.n.7. & lib.3. tr.7.c.3.n.5.& 7.

REGVLA IL. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Ego in Comment. num.787.& 791. Reginaldus de prudentia pag. 300.& in foro praxis pœnit. lib 13. num. 258.& 260. Azor lib. 2.c.11.fol.99. Sed apud eum exceptionem patitur. ibid. Layman. lib.1. tract. 4 c.18.n.3.

REGVLA L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.* Layman libr.1. tract.5.p.1.c.7.n.1.

REGVLA

Digitized by Google

REGVLA LI *Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulteriùs tranſferendum.*

REGVLA LII. *Non præſtat impedimentum, quod de Iure non ſortitur effectum.*

REGVLA LIII. *Cui licet id, quod eſt plus, licet utique quod minus eſt.* Layman. libr. 4.tract. 4.c.8. num.20.&l.br.5. tract.7. c.3. num.2. & libr.1.tract. 4. cap.18. nu. 11. & libr. 5.tr. 7. c.3.num.1. Reginaldus libr.18 num.339. &libr. 30. tr.3. num. 177. Ioannes de la Cruz. libr.1. cap.6. dub.15.concl.4. Azor part. 2. libr.4.c. 2. quæ. 11. & 12. fol. 621. Laurentius Portel fol.3. numer.3. Bartholomæus à S. Fauſto libr. 4.quæſt. 41. Delrius libr. 6. c.1.ſect. 3. pag. 910. Coriolanus p.1. fol.27.n.22.

REGVLA LIV. *Qui prior eſt tempore, potior eſt Iure.* Reginaldus lib. 25. num.95. & 366. Perez ad caput 63. Reg. S. Benedicti. num. 2. Vazquez 1. 2. diſp. 65. cap.3. Suarez de religion. tom. 2. libr. 4.c.5. num.7. Diana part.4. tract. 3. reſol. 2. Auſonius Noctinot in Summa. verbo. conſcientia.n.2.

REGVLA LV. *Qui ſentit onus ſentire debet commodum; & è contra.* Layman.libr. 1 tract. 4.cap.10.num.5.& c.13.num.1.& libr.3.ſect.5.c.5.num.9.& c.6.num. 4.& lib. 3.tr.4.c.20.n.1.

REGVLA LVI. *In re communi potior eſt conditio prohibentis.*

REGVLA LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.*

REGVLA LVIII. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum.* Reginaldus libr. 25. num. 51. 52. 53. & 95.& in caſib. diffi. p. 2.quæſt.8.pag. 51. Layman lib. 3.tr.4.c.4. n.7.& lib.4.tr.3. c.6.n.1.

REGVLA LIX. *Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem.* Reginaldus li. 25.n.151.

REGVLA LX. *Non eſt in morâ, qui poteſt exceptione legitimâ ſe tueri.*

REGVLA LXI. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Layman lib.4.tr.4.c.8.nu. 25. fol.650. lib.1.tr.5.p.2. c.4.nu.4. fol. 134. lib. 4.tr.4.c.8.n.27.lib.4.tr.3. ca.6. n.8. & lib.1. tr.4.c.23. num.7.& tr. 5.p. 2.c.4.n.4.& lib.4.tr.3.c.5.num.8.& c.6. nu.8.

REGVLA LXII. *Nullus ex conſilio, dummodò fraudulentum non ſit, obligatur.* Reginaldus in praxi fori pœnit. fol. 324. n.91.Layman lib.3.tract.2.c.6.n. 4.& c. 8.n.1.

REGVLA LXIII. *Exceptionem obiiciens non videtur in intentione adverſarij confiteri.*

REGVLA LXIV. *Quæ contra Ius fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Layman lib. 1.tr.4 c.16.nu.3. Biderman de Matrim.theſi 22. Intellige de Iure dirimẽte.Multa prohibentur fieri,ait citatus Layman, quæ ſi fuerint facta obtinent firmitatem. Sà verb. Excomm. Abſol. Bartholomæus à S. Fauſto Theſaur. li. 1.quæſt.15.num.5. Emanuel Rodriguez qq.Reg. tom.4. fol 14. n.2. Portel par. 2 fol.74.n.6.fusè.

REGVLA LXV. *In pari delicto vel cauſâ melior eſt conditio poſſidentis.* Reginaldus fol.324. &ſeqq. & libr. 10. num. 30.& 291.& libr.25.num.93. Sanchez libr 2. de Matrim. diſp. 41. Bartholomæus à S.Fauſto Theſaur. Relig. lib.1.q.23.nu. 4.Layman lib 1.c.5.n.21.

REGVLA LXVI. *Cùm non ſtat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet.*

REGVLA LXVII. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.*

Digitized by Google

REGVLA LXVIII. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum.* Layman li. 1.c.5.num.17.& lib.4.tr.3.c.10.num.1. Stephanus Briel in Magnete Amoris divini c.19.§.7.

REGVLA LXIX. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.* Layman libr.3.tr.4.c.4.n.7. Bartholomæus à S.Fauſto li. 1.theſauri quæſt.37.numer.2.& Iſidorus libr.2. de ſynonymis, & refertur in decret.22.q.4.in c.in malis.

REGVLA LXX. *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.* Layman lib.3.tr.4.ſect.5.c.5.n.5. & libr.4.tr.4.c 8.n.3.n.12.fol.647.

REGVLA LXXI. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.* Layman libr.3.tr.4. c.9.nu. 10.& c.13.nu.7.Reginaldus libr.25.nu. 151.

REGVLA LXXII. *Qui facit per alios, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum.* Ego in Cōmentario nu.1303.Layman libr.2.tr.1. c.15.num.9. Deus etiam regit per alios apud Craesbeck. pag. 143.& poſſumus amare Patrem per Filium & Spiritum Sanctum apud Magnetem divini amoris pag.418.

REGVLA LXXIII. *Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eveniat à quo non potuit inchoari.* Reginaldus lib. 25.num.50.Layman lib. 1.tract.4.cap. 22.n.15.

REGVLA LXXIV. *Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* Ego in Commentario num. 472. quia in iis, quæ à merâ gratiâ, ſtat pro ratione voluntas.

REGVLA LXXV. *Fruſtra ſibi fidem poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.* Maldonatus in Matth.c. 5.verſ.32.fol.123. Grottau de Reſtitut. 93.*Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Bartholomæus à S.Fauſto Theſauri li. 6.quæſt.126.n.6.

REGVLA LXXVI. *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare,* Layman de iuſtâ defenſione. Epilog. membr.3.fol.448.& lib.3 ſect.5.tract. 4.c.11.n.4.

REGVLA LXXVII. *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.*

REGVLA LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.*

REGVLA LXXIX. *Nemo poteſt plus Iuris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.* Azor tom.1.fol.622.quæſt.14. lib. 4.c.3.fusè.Layman lib.1.tr.4.c.6. n. 6.& lib.3.tract.5.c 7.n.15.

REGVLA LXXX. *In toto partem non eſt dubium contineri.* Layman libr.1.tract.4. c.18.num.41. erat Regula LIII. Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus, illamque videntur Authores cum Regulâ præſenti confundere.

REGVLA LXXXI. *In generali conceſſione, non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Reginaldus lib.25. num.85.Siculus Pirrus libr.4.Theſ.qu. 25.& Layman lib.1.tr.4 c.5.num.10.& lib.5.tr.10.p.3.c.5.n.17. Auſonius Noctinot in Dianæ Summa.verb.Regulares. nu.20 conſonans Merollæ tom.3. diſp.6.c.4.dub 7.num.64. Portellio, & Dianæ part.6.tr.7.reſol 39.

REGVLA LXXXII. *Qui cōtra Iura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.*

REGVLA LXXXIII. *Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.*

REGVLA LXXXIV. *Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti.*

REGVLA LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.* Layman

man lib.3.tr.3.p.1.c.5.num.13.& tr.4. c. 7.n.3.

REGVLA LXXXVI. *Damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non alijs imputare.* Layman lib.1.tract.5.p.2.c.2. n.6.

REGVLA LXXXVII. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Reginaldus lib. 30.tract.3.c.11.num. 161. Omnes infames eſſe dicimus, quos leges ſæculi infames appellant, ait Layman lib.1.tr.5. p.5.c.4.n.2.

REGVLA LXXXVIII. *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Layman lib.1.tract.4.c.18.n.4.

HÆ ſunt Regulæ Iuris, quas ſi crudè intelligas, fallaces ſæpiſſimè experieris; veras tamen, ſi elimatas pronuntias, nimirùm quales inferiùs dabimus. Authores addidimus, qui ſingulas exponunt & dilucidant; ut plurium collatione iuvêris. Præter ipſos ſunt aliqui in omnes Iuris Regulas ſcripſere inter quos laudatur S. Antoninus, Henricus Caniſius, aliique; quibus accedet cito D. Georgius Weimberger Furſtenveldenſium Prior, qui valde utile Opus apparat, in quo ad ſingulas omnes illi Conſcientiæ Caſus, quos varii Doctores ex ipſis reſolverunt, ponuntur, examinantur, iudicantur.

***

DE IUSTITIA ET IURE

Ex Regulis Iuris Canonici.

Verbo plurima comprehendi ſolent.

SÆpe contingit unico addito verbulo plus dici, quàm multis commentariis poſſet. Multa ſcriptores varii de divinarum Perſonarum æqualitate, infinitate, æternitate, at plus omnibus verbo unico Eccleſia cum illas vocavit Homouſias: multa de CHRISTO antiqui ævi Prophetæ, multa Apoſtoli, at plus omnibus Thomas cùm *Dominum* vocavit & *DEVM*; ante quem *Prophetam*, *Angelum*, *Emanuelem*, *IESVM*, & *DEI Filium* quàm multi dixerant CHRISTVM, nemo *DEVM*. Sic ego in clavium harum, & Canonicarum Regularum expoſitione prolixus futurus non ſum, ſed curaturus ut paucis multa comprehendantur.

Brevitati ſtudebo.

***

FVNDA-

FVNDAMENTVM XXXVI.

De Annullativa Iuſtitiâ.

DXXXIX. QUod plenè probari non poteſt, A moraliter infectum dicitur; ita enim ſe habet in Republicâ ac ſi factum non eſſet. B Quæ contra leges dirimentes, aut etiam à carente C legitima authoritate fiunt, nulla ſunt. Actus abſolutè legitimi, quales ſunt. E mancipatio, D Acceptilatio, hæredis Inſtitutio, ſervi optio, tutoris Datio, Adoptio, ſolennis Profeſſio, diei Adiectio, electio, Poſtulatio &c. Stando Iuri naturæ involuere poſſunt conditionem & diem, non tamen ſemper ſtando Iuri humano: & Matrimonium nec diem admittit nec conditionem repugnantem. Conceſſi à Iure aut à ſuperiore Privilegij H nulla eſt ſi fiat ab inferiore revocatio; nulla etiam legis ſuperioris authoritate propriâ diſpenſatio. Illa autem quæ nulla ſunt, E nullam conſequentiam inferunt, F nullum effectum cauſant. Prætertes, dantur etiam Perſonę moraliter & civiliter nullę, & in ordine ad Promotiones G infames & ſerviles univerſæ ſunt tales. Quæ nullę I ab initio ſunt, mero temporis decurſu non ſubſiſtunt.

Res improbabiles. *Lex dirimens.* *Actus nulli.* *Actus conditionati.* *Inferior nõ revocat privilegia conceſſa à ſuperiore.* *Ex nihilo nihil infertur.* *Perſona nulla.*

HOc *Fundamentum multas Regulas à Bonifacio collectas aut ſparſas complectitur; iſtas exponit, iſtis exponitur.*

A. Quod (*plenè*) probari non poteſt, mihi infectum eſt. *Bernardus lib. de præcepto & diſpenſatione.*

B. Quæ contra Ius (*dirimens*) fiunt, debent utique pro infectis haberi. *Eſt Regula* LXIV. Non omnes leges dirimentes ſunt, multa enim illicitè, ſed valdè fiunt. *Sà verb. excomm. Abſolut. Bartholomæus à S. Fauſto Theſaur. Lib.1. quæſt. 12. num 5. Huc pertinent verba Gregorij in regiſtro, quæ habentur 25. quæſt. 2.* Imperiali conſtitutum eſt ſanctione aperte, ut ea quæ contra leges fiunt, non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habenda.

C. Ea, quæ fiunt à Iudice (*idem dicito de quocumque, qui limites ſuæ iuriſdictionis excedit*) ſi ad eius non exſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt. Eſt regula Iuris XXVI.

D. Actus (*abſolutè*) legitimi conditionem non accipiunt neque diem. *eſt Regula* L. *Actus legitimi, alij ſunt abſoluti, alij conditionati: à nobis enumerantur*

tur illi, exponuntur & Pomponij verbis illuſtrantur ſuo loco.

E. Actus moraliter nullus nullam conſequentiam infert, nullum effectum cauſat *Eſt axioma Iuridicum.* Beneficium eccleſiaſticum non poteſt licitè (*imo nec validè*) ſine inſtitutione canonicâ obtineri. eſt Regula L.

Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. *Eſt Regula* XXVIII.

Legibus, & non actibus eſt argumentandum. *Eſt adagium Iuridicum.*

E. Non præſtat impedimentum (*neque utilitatem*) quod iure non ſortitur effectum. *Eſt Regula* LII.

G. Infamibus portæ non pateant dignitatum. *Eſt Regula* LXXXVII.

Neque famoſis & notatis, & quos ſcelus aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portæ patebunt. *Alexander Imperator.*

Etiam ſunt moraliter nulli, qui Periuri; & apud Hiſpanos qui ebrioſi, imò & aliquando apud Germanos.

H. Indultum à Iure Beneficium (*Privilegium*) non eſt alicui auferendum (*nimirum ab eo cui non ſubſit Ius, & tunc ex rationabili causâ.*) *Eſt Regula XVII. & non ſolùm in Privilegijs, ſed etiam in præceptis locum habet.*

A Iure aut à ſuperiore Principe impoſitam legem non poteſt inferior tollere aut limitare, niſi detur ſufficiens cauſa, & habeat ad hoc authoritatem ſpecialem. *Eſt corollarium præcedentis.*

I. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit. *Eſt Regula XVIII.*

I.

PRIMUS, is qui fundamentalis Iuris utriuſque lapis, quo ſubſtruitur Eccleſiaſtica & Civilis Prudentia, eſt illud Axioma ſecuriſſimum, quod aris Æquitatis inſcribitur: nimirùm, *Quod plenè probari non poteſt moraliter* (virtualiter, Civiliter, & politicè) *infectum eſt.* Hoc reſponſionem ſuam libro de præcepto & diſpenſatione fundat Bernardus meus; nam cùm Carnotenſes urgerent Prælati ſui electionem tot tricis & difficultatibus implicatam, ut tametſi de eius nullitate corã Deo dubitari non poſſet, non poſſet coram hominibus probari; reſpondit; *quod probari non poteſt, mihi infectum eſt.* hoc eſt, ita ſe habet, ac ſi factum non eſſet. Unde Ioannes Phocylides in examine Lansbergianæ Aſtronomiæ pag. 97. *Sed bene res cecidit, quod non deſint oculatiores, qui ad hæc non magis, quàm ad puerorum crepitacula moventur, & cognoſcere nolunt, quod probare non poſſunt* cuius verba tametſi in alio foro dicta, placuit referre.

DXL. *Improbabilia, virtualiter infecta ſunt.*

II.

Quæ contra ius (dirimens) fiunt debent utique pro infectis haberi. Ut regulam hanc LXIV. intelligas adnotato eſſe Iura, quædam merè prohibentia, & quædam etiam annullantia, ſeu dirimentia; & quæ contra priora fiunt, fieri quidem illicitè, ſed validè; quæ tamen contra poſteriora, ſemper invalidè, tametſi non ſemper illicitè. Prioris generis non multa exempla adduci

DXLI. *Aliæ leges impediũt, & aliæ dirimunt.*

Hh poſ-

poſſent; ſed hæc occurrunt. Matrimonium poſt ſimplex continentiæ votum à viro ſæculari contractum eſt contra Ius, nec tamen nullum; peccat quidem, qui ſic contrahit, ſed validum eſt matrimonium.

Votũ ſimplex matrimoniũ non dirimit.

Idem dicito de quocunque matrimonio contracto cum impedimento impediente : *Ita omnes.*

Notanda.

Clericorum ordinatio; Eccleſiæ ab alieno Epiſcopo conſecratio; ſententia Iudicis, ſi durior, aut ſub conditione lata. Vel ſi qua id genus alia expreſſè habentur in Iure, illicitè & legibus prohibentibus fiunt, nec tamen nulla iudicantur. *c. fin. nona quæſt. 1. c. Epiſcopus in diœceſin.* 7. 9. 1. *l. moris.* 9. §. *ſed. ff. de pœnis l. relegatorum* 7. §. *ad tempus. ff. de interdict. & relegat. libro primo §. biduum. ff. quando appellation. ſit add. Addi poteſt caſus in libro tertio ff. de officio Pretoris. & textum in c. ad Apoſtolicam* 16. *circa finem. extr. de regularibus.* Præter hos paucos caſus, quos ob particulares rationes Ius tolerat & ſuſtinet, tenendum eſt omnes alios, qui contra Iura, nullos eſſe & irritos & ſi ſint ſimpliciter prohibiti & nulla clauſula derogatoria aut annullativa addatur: *per textum in l. non dubium. S. C. de legibus & quæ ibidem tradit Iaſon numero decimo ſeptimo capite primo.* non enim addi debent, Quæ ſemper iuſſa ſubintelligi.

Regula generalis.

Unde teſtamentum factum ſine ſolennitatibus debitis omnino eſt nullum.

Teſtamentum invalidum.

Et quidem Ius Civile Regula XLV. aliquos contractus invalidos recenſet his verbis. *neque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt.* Hinc lux caſui difficili.

Caſus proponitur.

Licitabantur Petrus Ioanneſque de equi pretio, quem Ioannes volebat vendere Centum aureis, & videbatur dubium an Petrus tanti voluerit illum emere. Die ſequenti Ioannes poſtulat ſibi locari à Petro eundem equum, & Ioannes adnuit, & pro aureo locat; hac locatione Petrum ſe emiſſe equum fateri pronuntio: non enim poſſet Petrus eſſe locator, niſi eſſet equi Dominus; nec Ioannes eſſe locatarius, ſi eſſet Dominus equi.

Solvitur.

III.

DXLII.

Regula 26.

EA, *quæ fiunt à Iudice* (& idem dicito de quocunque, qui limites ſuæ iuriſdictionis excedit) *ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.* [Nota tamen ex Regula XXI. Iuris Civilis, *Non debere, cui plus licet, quod minus eſt non licere.* nempe, ſi illud plus contineat illud minus, ut Totum partem, iuxta ea quæ dicemus inferius.] Sanè hæc Regula XXVI. Iuris Canonici, non eſt condiſtincta à præcedenti, nam in eâ clauditur; quicunque enim ea, quæ ad ſuam non ſpectant Iuriſdictionem, facienda aut decidenda aſſumit, contra Iura operatur, quæ unicuique dari quod ſuum rigoroſè præcipiunt; & quæ contra Iura fiunt, pro infectis habenda iam vidimus.

Regula 21.

Hæ duæ Regulæ tametſi in ſerie veterum Tabularum remotæ, proximæ & concatenatæ ſunt. Quoniam quæ contra Ius, ad Iudicis non ſpectant officium; & quæ ad Iudicis officium ſpectant, ſecundum Iura ſunt. Sed quia dantur Iudices ſupremi & ſubordinati, quo illi modo Iuri ſubſint, examinandum eſt.

DXLIII.

De iure ſanguinis.

Occurrit hæc periodus, *Iura ſanguinis, nullo iure civili dirimi poſſunt.* Eſt Pomponij lib. 4. ad Sabinum. & habetur l. 8.

ff. de

Digitized by Google

ff. de Regul. Iur. ergo quæ contra Iura ſanguinis fiunt, ſemper fiunt contra Ius dirimens, quoniam ſanguinis Ius omnia Civilia & Canonica dirimit, & à nullo Canonico aut Civili dirimitur. Ergo quæcumque contra Ius ſanguinis facta, debent utique pro infectis haberi. nam ad Iudicis hæc non ſpectant officium, & quæ præter officium à Iudice tentata aut facta, viribus non ſubſiſtunt. Sed quod eſt illud adamantinum Ius, quod à ſanguine denominatur? Ius naturale, ſeu Ius divinum; nullum aliud. Porrò Ius naturale, non dicitur à naturâ, quaſi eſſentiale & indiſpenſabile à DEO; ſed à nativitate; quoniam *natura* etiam pro nativitate ſolet poni, & deduci à participio *natus*. Sentio decalogum eſſe Ius Divinum, non eſſentiale & inevitabile, ſed DEO liberum, & quod potuerit non ferri, præcipuè quoad ſecundam Tabulam: ſentio id eo ſenſu dici *naturale*, quo Adami gratia à Patribus naturalis vocatur, nativitatem enim ſequitur, & omnes obligat. eandem ob cauſam Decalogum *Ius ſanguinis* vocari patiar.

Ius naturæ & divinũ humano non ſubeſt. Naturale unde dictum?

An gratia Adami fuerit naturalis?

Quod ſi agamus de Iure divino Sacramentali, de quo non puto cogitaſſe Pomponium, meritò poterit dici *Ius ſanguinis*, quoniam in ſanguinis Chriſti efficacia fundatur, & nullo Iure humano dirimi poteſt: nulla enim apud Homines hodie poteſtas aut dirimendi antiqua Sacramenta, aut inſtituendi nova. & ut exemplo rem illuſtrem: Nemo Pontifex, nemo Imperator poteſt Baptiſmum legitimè collatum dirimere, nemo confirmationem: nemo Pœnitentiam, nemo Communionem, nemo extremam-unctionem, nemo Ordinem, & tandem nemo matrimonium: facere enim ut Petrus, qui fuit hucuſque Chriſtianus, ſacerdos, &c. Baptiſmi aut ordinis characterem amittat, impoſſibile eſt. Impoſſibile facere, ut peccata iam remiſſa redeant, quod manentibus ſpeciebus conſecratis Chriſtus recedat; quod ſolvatur ſacramentalis matrimonii vinculum: & ſexcenta alia, quæ Chriſtus poſuit, nec voluit Humanæ voluntati committere.

Ius ſanguinis ſacramentale.

Sacramẽta ſemel collata humanitus nõ poſſunt dirimi.

DXLIV. Hæc omnia dicta, ut Regula illa VIII. defendatur. Quoniam ſi Pomponius de Iure conſanguinitatis agat, illa aut nimis craſſè exponetur, ſi in ſenſu Phyſico. Quoniam ſi certum eſt Iura humana non poſſe facere, ut Petrus non ſit Phyſicus Ioannis filius, hoc eſt, à Ioanne genitus; nec poſſunt facere, ut pictor non ſit Phyſica cauſa picturæ; nec quod furtum Phyſicè commiſſum, non ſit. Hic ſenſus pinguis omninò eſt, nec in ipſo diſputantur moralia, ſed quærimus, An Ius conſanguinitatis aliquid diſponat, quod non poſſit dirimi Iure civili? Reſpondeo Pomponium, ſi hoc ſenſu fuit loquutus, erraſſe: non enim erit aſſignabile aliquid, quod politico Iuri non ſubſit. Habet, ratione ſanguinis, Pater Ius ut filio utatur, & illi imperet; filius obligationem obediendi; at poſſunt leges emancipare filium, qui eo genere quo emancipatus fuerit, non amplius ſubierit iuriſdictioni Patris, nec tenebitur illi obedire. non enim poteſt Pater filio iubere Religioſo, ut ad ſe redeat; non coniugato, ut uxorem dimittat.

An Ius morale ſanguinis poſſit civiliter dirimi?

Emancipationis vis.

DVL. Dices poſſe Patrem filium ſuum Religioſum è monaſterio extrahere, ſi extremam aut gravem neceſſitatem incurrat; & hoc ſanguinis Iure, non alio.

An Religioſus teneatur egredi ex Monaſterio,

 Reſpon-

Digitized by Google

...t ſuſtentet Parentem? *Reſpondeo.* Hunc caſum non fuiſſe à maioribus noſtris bene examinatum, & pati innumeras difficultates. Primò enim in rebus-publicis etiam Mahometanis vix datur extrema neceſſitas. Secundò, ſi daretur, non ſolum filium, ſed omnem hominem obligaret: in tali enim caſu omnia communia ſunt ex charitate, ferè omnia ex iuſtitiâ, & ſinguli fauere tenentur. Tertiò, quia poſita neceſſitate gravi, poteſt Pater ſuo iure cedere; poteſt obligatio aut ad monaſterium, aut ad hæredes tranſire; & fortè de facto tranſivit. Quę omnia humana ſunt, & quæ dirimunt obligationem filij ortam à ſanguine. Notare tamen potes obiter eminentiſſimum Cardinalem Ægidium Columnam in Quodlibeticis *diſputat. 6. quæſtion. 2. pag.* 112. iuxta editionem Lovanienſem anni 1646. docere talem filium poſſe veniam egrediendi petere; & ſi hanc non obtineat, non teneri egredi.

DXLVI. Hæc clara iudicas, & adhuc Pomponium defendis & ut faciliùs poſſis, ad impedimenta Matrimonij recurris. *Iura ſanguinis*, ais, *quæ naturaliter impediunt & dirimunt conſanguineorum matrimonia, nullo Iure civili poſſunt dirimi.* & adquieſco, ſi talia iura dantur. *An matrimonio iungi poſſint frater & ſoror? An Pater & Filia? an Mater & Filius?* Moneo tamen me Lovanij multis Authoribus ſubſcribendo, poſſe Pontificem diſpenſare, ut ſoror Fraterque validè contrahant, in promotione ad lauream propugnaſſe, propugnaturus etiam poſſe ut Mater Filiuſque, Pater & Filia contrahant, ſi Authores huius ſententiæ reperiſſem: ſed quia nullum reperi, defendi ſententiam communem; quam temerè falſam dicerem, ſi authoritatem ſequerer: quam temerè veram, ſi examinarem rationes à me viſas. Fortè aliæ ſunt, quas nondum legi; fortè ſum ſententijs damnandis inſufficiens. Hoc alij iudicent, ego neminem docere teneor, ſed mentiri non teneor; adeoque ſincerè fateor me non intelligere cur matrimonia aliqua, etiam in primo gradu, ſint irrita Iure naturæ. Quod ſi hoc ſenſu loquutus eſt Pomponius, hæc verba, *Iura ſanguinis nullo Iure civili dirimi poſſunt*, æquivalebunt his, *Iura, quæ inter Patrem & filiam, inter Matrem & filium matrimonia naturaliter dirimunt, civiliter dirimi non poſſunt.* erunt vera in ſententiâ communi.

Quia de Iudice, qui ſuæ authoritatis terminos tranſgreditur, agebat canonici Iuris Regula XXVI. tu ex civili Regulam XXXVII. proponis; videlicet, *Nemo, qui condemnare poteſt, abſolvere* (ſi ratio & innocentia poſtulent) *non poteſt.* excedit igitur Iuriſdictionis terminos, qui eum condemnat, quem non poſſet abſolvere: hoc enim diſcrimen reperitur inter Commiſſarium & Iudicem, quod ille ad unum determinatus ſoleat eſſe, hic autem habeat authoritatem abſolvendi & damnandi; unde *Ioannis* 18. CHRISTO Pontius Pilatus. *Mihi non loqueris? Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* DXLVII. *Condemnandi, & etiam abſolvendi facultas.*

Quæris, Anne poſſit Franciſco delegari authoritas, vi cuius condemnare reum poſſit, ſi morte dignum iudicet; Si tamen innocentem iudicet abſolvere non poſſit? *Reſpondeo* Stando mero Iuri naturæ poſſe; at Stando civili non poſſe. Quoniam eiuſmodi commiſſio videretur crudelitatem *Dubium proponitur.*

Digitized by Google

litatem Cõmiſſoris arguere; & Commiſſarium periculo male iudicandi exponere, tanta eſt enim humana fragilitas, ut homo libentiùs dicat Ius quam abſtineat. Unde ſi Bernavvelus apud Hollandos in manus Iudicum incidit, qui eum capite damnare poterant, at innocentem declarare non poterant, quales eiuſmodi Iudices fuerint? quales eorundem ſuperiores? eſto alterius iudicij.

Hiſtoria Bernavvely.

IV.

DXLVIII. *Actũs nullus. Meritorius, demeritorius, obligatorius.*

A*CTUS moraliter nullus, nullam conſequentiam infert, nullum effectum cauſat.* Actus, de quo agimus, eſt triplex; meritorius, & demeritorius, obligatorius.

De Primò eamdem Regulam deſcribo ſic. *Actus, qui moraliter non eſt meritorius, nullius eſt præmij dignus*, & in ſpecie, *ſi conſilium fraudulentum per accidens utile fuit, nullo honorario aut præmio dignus eſt, qui dedit eiuſmodi conſilium.* Vnde emanavit Iuris civilis Regula LXXIX. *Fraudis interpretatio ſemper in Iure Civili, non ex eventu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur.*

De Secundò reſcribo eandem Regulam, *Actus qui moraliter non eſt demeritorius, nullius ſupplicij dignus eſt.* & in ſpecie. *Si conſilium ſincerè datum per accidens, aut præter dantis intentionem nocivum fuerit, hic nullo ſupplicio dignus eſt.* Imò honorario potiùs, quia fecit quod ſapuit & potuit. Hinc oritur Iuris Civilis Regula XLVII. quæ ex Vlpiano ſic ponitur. *Conſilij non fraudulenti* (hoc eſt, ſincerè dati) *nulla obligatio eſt. Cæterùm ſi dolus aut calliditas interſit, de dolo actio competit.* Hinc patet viros prudentes cauſas debere, & non effectus iudicare. Recenſeo nonnulla, quæ vidi. Perdidimus Traiectum, Bredam, & ante Rocroyam cœſi ſumus; interim, qui Traiectum tradidit, Marchio denominatus eſt: & etiam qui Bredam, promotus. & D. Frãciſcus de Mello, qui adverſo marte ante Rocroyam conflixit, honoratus fuit Regijs litteris quarum hic erat ſenſus. *In Rocroyano conflictu multa ſunt ob quæ gratias vobis agere debeam. Res omnes bene diſponere, prudenter iubere, generosè exequi Principum fortiſſimorum eſt. Victorias Regi ſuo omnes procurare tenentur, nemo dare tenetur, quoniam illas dat DEVS.* Traiectinus & Bredanus Propugnatores, ſummam laudem etiam perditis locis adepti ſunt, quoniam ſupra omnem ſpem multis illa ſeptimanis contra numeroſiſſimas copias defenderunt. Marchio de Aytona prudenti & eleganti calamo ſcripſit Boetij vitam, quam Comes de Rebolledo ante annos paucos evulgavit, & §. 14. ait *Con mayor gloria, a mi parecer, perdió Odoacer a Italia, que la ganó.* hoc eſt, *Glorioſiùs Odoacer, me iudice, Italiam amiſit, quam obtinuit.* quoniam gloria non à caſu ſed à prudentiâ generoſâ dependet.

Non caſu, ſed conſilia ſunt conſideranda.

D. Franciſcus de Mello, etſi victus laudatur.

Marchio de Leyden.

Odoacer Italiæ Rex.

De tertio hanc Regulam ſtatuo, *Obligatio moraliter nulla, nec vinculum, nec impedimentum inducit.* Hanc Regulam in duas diviſit Bonifacius, cui eſt XXVIII. *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda*, unde optimè in tribunalibus dicitur, *Legibus, & non actibus eſſe argumentandum*; multi enim actus contra leges hominum ignorantiâ aut etiam malitiâ ſubrepunt: Vnde Paulus Iuris-

De conſequentijs moralibus.

Digitized by Google

conſultus, *Quod contra rationem Iuris receptum eſt, non eſt ad conſequentia producendum.* Cui etiam Bonifacio eſt Regula LII. *Non præſtat impedimentum, quod Iure non ſortitur effectum.* Verbi gratiâ. Votum ſimplex reſpectu matrimonij eſt impedimentum impediens; votum ſolenne eſt dirimens; quod ſi probentur fuiſſe nulla, nec illud impedire, nec hoc dirimere matrimonium poterit. Sic etiam matrimonium eſt impedimentum dirimens ſequentem profeſſionem, & tamen ſi illud nullum fuiſſe probetur, hæc erit valida.

DIL. *Actus infectus, inceptus, & cõpletus.*

Inter actum moraliter & validè factum, & inter actum invalidum & infectum moraliter datur actus inceptus: & hic duo breviter examinanda ſunt; alterum quando actus incepiſſe dicendus ſit; alterum, quæ iuridicè ex actu incepto ſubſequantur. l. 13. ff. de reg. Iuris his verbis. *Non videtur cœpiſſe, qui per exceptionem à (legitima) petitione removetur.* Addidi illud *legitimâ,* ut rem dilucidè explicarem. Quoniam, tametſi nemo impediri poſſit, quin privatim poſtulet, multi à ſolenni legitimâ & iuridica petitione removentur: quod exemplis illuſtro. Admitti ad Regularem ſtatum poſtulat Iuvenis ſæcularis; poſtulat Novitius iuxta leges Benedictinas quarto, octavo & duodecimo menſe. Novitius, ſi pie & ſanctè procedit, multorum opinione ex iuſtitiâ; hoc eſt, legitimè & Iuridicè; adeoque iſte talis incepiſſe dicitur: at ex merâ gratiâ ſæcularis. nec dicendus eſt incepiſſe eſſe religioſus, tametſi privatim centies ſolicitaverit, & habitum petierit, ſi remotus fuerit, nec permiſſus fieri Novitius, & tunc legitimè Regularem ſtatum poſtulare. Hinc eſt quod annos antiquitatis Religioſus non numeret à die quo incepit ſolicitare & privatim orare, ut reciperetur; non à profeſſionis die, ſed à die quo incepit habere ius profeſſionem poſtulandi, hoc eſt, à veſtitionis die. Si dicas eſſe graves authores, qui tenent Novitios non poſtulare profeſſionem ex iuſtitiâ ſed ex miſericordiâ; reſpondebo hanc opinionem eſſe Sanchezij *in ſumma tomo ſecundo libro quinto capite quarto numero* 54. quam probabilem iudicat Peregrinus *in Commentar. ad conſtitut. part. 2. capite quinto littera B. §. primo.* quam ego cum aliquâ limitatione cenſeo veram *Theolog. Regul. num.* 472. ubi multis aliis ſubſcribo. Addam eandem moribus Ciſtertienſium firmari; Novitius enim qui approbari deſiderat, proſternit ſe in capitulo, & ab Antiſtite rogatus, quid petat? reſpondet, *miſericordiam à DEO, & à V. Paternitate, & à toto ſancto hoc conventu.* Subiiciam eſſe etiam multas Communitates, in quibus antiquitatis anni à Profeſſione numerantur. Vtcumque res ſe habeat, dico omnem Novitium legitimè & iuridicè admiſſionem ad Profeſſionem petere, hanc nullum ſæcularem legitimè ac iuridice petere. Quoniam ſæcularis nondum veſtitus nullo iure menſam, cohabitationem, habitumque à Monaſterio poſtulat, quæ Novitius, ſi bene ſe gerat, ſaltem poſtulat iure probabili.

Antiquitas in monaſterio quomodo poſſit computari?

An novitio dare ſuffragium ſit gratia?

Hinc patet, Quid apud Lovanienſes, alioſque *ſupplicare ad ſupplicandum ſit?* Qui enim ſupplicat, ut ſupplicare

Supplicare ad ſupplicandum quid?

care

Digitized by Google

care poſſit, petit privatim ut poſſit publicè & Iuridicè petere quam ob rem probabile puto ſupplicantem ad ſupplicandum ſine causâ repelli poſſe; at ſemel admiſſum ut ſupplicet, ſi ſupplicet, ſine causâ repelli non poſſe.

DL. Hinc etiam, quid ſit in Parlamentis lites & cauſas non admitti. Quoniam tametſi tota lis nihil aliud quam Iuridica petitio ſit, debet peti facultas ad petendum, hoc eſt, ad litigandum; ſæpe enim tam evidens eſt Actoris iniquitas, ut per exceptionem à petitione removeatur; qui ſi non obtineat litigandi licentiam, non eſt dicendus incepiſſe.

An actus, qui nullus fuit, nullus ſit?

Vides ſæpe de præteritorum actuum valore diſputare, & interrogas, *An idem ſit probare actum nullum fuiſſe, ac nullum eſſe?* Reſpondet Ius Civile Regulâ XXIX. *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu (meri) temporis convalere.* Verba ſunt Pauli *libro octavo ad Sabinum*, quibus illud *meri* addidi, quoniam tametſi merum tempus contractus non firmet, ſolent comitari tempus aliquæ circumſtantiæ, quæ firmare ſufficiant. Pono unum aut alterum exemplum.

An tempus contractũ confirmet?

Contractum verè invalidum bonâ fide iniviſti, & pacificè manes in poſſeſſione quadraginta annis, te legitimum poſſeſſorem hinc ratione præſcriptionis iudico. non quod mera tot annorum duratio, aut reddat contractum priorem validum, aut tibi rem adiudicet; ſed quia alio imperio Reſpublica utens, definit omnem titulum poſſidendi eſſe validum, ſi ſit bona fides, & annorum quadraginta poſſeſſio. [Fortè non ſemper bona fides requiritur vide num .] Sit ſecundum exemplum.

De præſcriptione.

An profeſſio invalida ſilentio quinque annorum firmetur?

Petrus invalide profeſſus eſt, & quinquennio nõ reclamat; Anne mero temporis decurſu invalida profeſſio firmatur? Teneo illam firmari in foro humano; non tempore ſed conſenſu, qui concomitari præſumitur: quoniam, qui ſcit ſe debere ante quinquennium reclamare, nec reclamat, videtur conſenſum præbere, & vota de novo emittere. An is validè coram DEO poſſet fugere, & uxorem ducere?

An impedimenta præſumpta dirimant?

Aſſero non ſolùm potuiſſe Eccleſiam inter impedimenta dirimentia votum ſolenne verum enumeraſſe, ſed etiam votum quod humanitùs ſolenne eſt: imò de facto ſic feciſſe; quoniam, ſi Antonius coram DEO ſit non profeſſus, & tamen coram hominibus ſolenniter profeſſus ſit, & uxorem ducat, ſeparabitur, & illa alteri nubere permittetur: ergo leges humanæ ita ſunt exponendæ, ut hæ non accidant exorbitantiæ.

De diſſolutione contractuum.

DLI. Quæris, An actus ſemel validus, dirimi poſſit? hoc eſt, An poſſit fieri ut actus, qui heri validus fuit, incipiat hodie eſſe non validus? Reſpondet Phyſicus, rem eiſdem à cauſis intrinſecis & etiam extrinſecis poſſe deſtrui, à quibus facta. Nam ſi Binarius additione unitatis fit, ablatione eiuſdem deſtruetur; unde ortum axioma Philoſophicum, *Totum diſſolvitur in illas partes, quibus componitur.* Et quia Moralia Phyſicis ſunt ſimilia, eſt Iuris Civilis Regula XXXV. *Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidq; diſſolvere, quo colligatum eſt. Ideò verborũ obligatio verbis tollitur: nudi conſenſus obligatio, contrario conſenſu*

conſenſu diſſolvitur. Hinc eſt quòd obligatio, à promiſſione acceptatâ (quæ probabiliter à multis admittitur) orta, diſſolvi poſſit contrarijs verbis promiſſarij; nempe; ſi dicat, ſe nolle habere rem promiſſam. Hinc eſt, diſſolvi poſſe contractum qualemcunque, ſi omnes illi diſſolutioni conſentiant, qui conſentire debuere inſtitutioni. In matrimonio cooperantur DEUS, Vir & Fœmina, iuxta illud, *Quos DEUS coniunxit, homo non ſeparet.* & ſi omnes tres conſentiant, diſſolvetur: unde in lege veteri per libellum repudii diſſolvebatur, quia illum permiſit Deus.

An matrimonium diſſolvi poſſit?

An ſolennis profeſſio?

In Profeſſione ſolenni reperio Dei, Eccleſiæ, Religionis, & vota emittentis conſenſum & concurſum; & conſentientibus his omnibus poſſe diſſolvi profeſſionem exiſtimo, ſic in aliis contractibus.

De potentiá virtuali ad præteritum.

Quæris etiam, An poſſit fieri, ut nullus fuerit contractus, qui validus fuit? Agimus in ſenſu virtuali; quoniam ſi ſemel fuit validus, ut revera non fuerit validus fieri non poteſt; poteſt tamen fieri, ut virtualiter non fuerit validus, hoc eſt, ita ſe habeat, ac ſi nunquam validus fuerit. Verbi causâ. Vendis hortum Antonio mille aureis; illum ei tradis, & ipſe incurrit obligationem ſolvendi annuos canones quinquaginta aureorum quouſque congreget illos mille aureos. Poſt annum colligit Antonius fructus & agitur de diſſolutione contractus; & teneo bifariam illum diſſolvi poſſe, nimirùm ut non valeat inpoſterum, & etiam ut nuſquam valuerit. Poſterioris diſſolutionis vi recuperabis hortum, nec ad aureos mille, nec ad canones annuos Antonius tenebitur. At virtute prioris Antonius retinebit primi illius anni fructus, & ſolvet primi illius anni canonem. Sed virtute poſterioris ita ſe habebit Antonius, ac ſi nunquam illum hortum emiſſet; & ideo nec retinebit fructus, nec ſolvet canonem.

Contractuum diſſolutio duplex.

DLII. *Aliud eſt contractũ finiri, & aliud ſolvi.*

QUÆRIS TANDEM, An-ne prioris contractus diſſolutio novus contractus ſit? An verò ſit prioris mera non conſervatio? Reſpondeo, aliud eſſe contractum finiri; & aliud contractum diſſolvi: & exiſtimo finiri ſine contractu novo, non diſſolvi. Finiri quidem, nam ſi loco domum pro triennio, elapſis tribus annis contractus iſte ſine novâ ſolennitate finitur: at elapſo uno anno contractus iſte non poteſt ex naturâ ſuâ finiri, poteſt tamen convenientibus partibus ſolvi; puta, ſi locatarius ius quod habet in domum, cedat; aut mihi eandem iterum domum pro eodem pretio locet: ſi primum, erit donationis contractus; ſi ſecundum, erit contractus ſecundæ locationis. Subtilia hæc ſunt, ſed quæ ſæpe diſputantur in praxi; & hunc caſum propono. [Dediſti domum Anſelmo in emphyteuſin, hac lege, ut quotieſcunque illa mutaret dominum vigeſimam pretij partem haberes. Vi huius contractus illa domus ab Anſelmo vendi poteſt, at donari non poteſt. Vendit illam Anſelmus Friderico duobus millibus aureis contractu legitimo & valido. At iſte pœnitentiâ ductus domum reſtituit, & Anſelmus acceptat. & inquiris, An hic duæ fuerint venditiones, vel nulla? & reſpondeo duas fuiſſe; alteram, quæ exuit domo Anſelmum, & conſtituit Fridericum verum

Emphyteuſis.

Duplex venditio.

Digitized by Google

Duplex venditio.

verum ejuſdem Domûs Dominum; alteram, quæ iterum dominium tranſtulit ad Anſelmum; adeoque domum bis mutaviſſe dominum, & bis tibi vigeſimam partem debere: hoc eſt aureos centum. Hinc. Lux legi c. ff. de Regulis Juris. *Omnia, quæ jure contrahuntur, cõtrario jure pereunt.* Clariùs: *Omnia, quæ Iure contrahuntur, eodem jure finiri poſſunt, & debent contrario, adeoque Iure poſitivo, diſſolui.*

Perſonæ in Iure nullæ.

Præter actus nullos, dantur etiam perſonæ in Republicâ nullæ, & iſtæ ſunt, quæ infames; unde

V.

DLIII. *Infames, non ſunt promovendi.*

INfamibus portæ non pateant dignitatum. Eſt Regula LXXXVII. & ejus ratio, quia talibus promotionibus, non tam honorantur infames, quàm infamantur honores. Ut conſtat *ex lege 2. c. de dignitat.* Alexander Imperator ſic inquit, *Neque famoſis & notatis, & quos ſcelus aut vita turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portæ patebunt.* Sane infamiam eſſe duplicem, juris & facti ſcis; & ſcire vis de utrâ Regula iſta loquatur. Et Reſpondeo eſſe certum eam loqui de utrâque; & jubere ne promoveantur ad dignitates homines ſententia Judicis honore diminutos, ſeu privatos: ne etiam illos, qui apud viros graves & pios prudenter diſcurrentes, Infamiâ laborare probantur. Prudenter inquam; quia viri pii ſæpe ſunt nimis creduli, & ſæpe Petrus ex unius anûs calumniatis malitiâ, & nimia piorum hominum credulitate, contra prudentiæ regulas infamatur; nec enim omnis dicenda eſt infamia, quæ videtur.

Infamia duplex.

Viri pij ſunt nimis creduli.

An fœminæ ſint promovendæ? An & pueri?

Jus Civile Fœminas etiam & Pueros dignitatum omnium aut ferè incapaces declarat. l. 2. de Regulis Juris. *Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt; & ideò nec Iudices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores exiſtere. Item impubes omnibus officiis civilibus debent abſtinere.* [Excipe eas dignitates aut officia, ad quæ jure aut conſuetudine ſpeciali fœminæ ſolent adſumi in communitate, in quâ degis.] Hæc Regula deſumpta eſt ex Ulpiano *libr. I. ad Sabinum.*

Si harum legum rationem quæris, DLIV.
adnotato duo omninò requiri, ut quis dignè officio publico fungatur; nimirùm, ut maturitatem judicii, & bonam voluntatem habeat. Hæc præſumitur abeſſe infamibus; quia Infames ſunt, qui graviſſimè & ſceleratiſſimè mali, adeoque ſine injuriâ ſemper cenſeri poſſunt mali. Illa verè deeſt Pueris. Utraque ſæpe fœminis. Sunt etiam aliqui qui non ratione Criminis, ſed ratione miniſterii infames ſunt, & his præcluditur aditus ad dignitates, ut hac via omnes ad famam & gloriam invitentur. Ejusmodi erat infamia Paſtorum apud Ægyptios, unde Joſeph ſuaſit fratribus ſuis, ut ſe Paſtores dicerent, ne cohabitare Ægyptiis & moribus eorum infici cogerentur. Geneſ. 46.33. ſic ait. *Cùm vocaverit vos* (Rex) *& dixerit, Quod eſt opus veſtrum? Reſpondebitis: Viri Paſtores ſumus ſervi tui ab infantia noſtra uſque in præſens, & nos & Patres noſtri. Hæc autem dicetis, ut habitare poſſitis in terra Geſſen; quia deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium.* Quamobrem precariò viſi ſunt apud Ægyptios vivere, nec unquam ad Civiles dignitates promoti, & poſteà afflicti ab alio Pharaone qui non cognoſcebat Ioſeph, & ut mancipia furnis laterum adiudicati.

Princeps bono ingenio & bona voluntate ſit præditus.

Officia infamia.

An Paſtor ſit infamis?

Digitized by Google

DLV. *Cur ſervi promoveri ad dignitates nequeant?*

Servi etiam ut Mancipia à dignitatibus arcentur, quod hoſtes olim fuerint, & bonâ etiamnum carere voluntate credantur, l. 211. de regul. Juris Civil. *Servus Reipublicæ cauſa* (hoc eſt ob negotia publica) *abeſſe non poteſt.* Et ibidem l. 22. *In perſonam ſervilem nulla cadit obligatio,* (videlicet, *juridica & publica*) & ibid. l. 32. *Quod attinet ad Ius Civile, ſervi pro nullis habentur, non tamen & Iure naturali. Quia quod ad Ius naturale attinet omnes homines æquales ſunt.* Et ibid. l. 107. *Cum ſervo actio nulla eſt.* l. 118. cod. tit. *Qui in ſervitute eſt, uſu capere non poteſt, nam cum poſſideatur , poſſidere non videtur.*

Servi in Iure ſunt nulli.

An non-nolle *diſtinguitur à velle?*

Hinc lux illi periodo , *Ejus eſt non nolle, qui poteſt velle.* l. 1. ff. de regul. Jur. non enim Infamis, Fœmina, Impubes, Servus, cenſeri poſſunt non nolle (imò nec nolle) magiſtratum gerere, aut publica munia adminiſtrare, cum ipſi incapaces ſint, & velle aut adſpirare ad ejuſmodi dignitates non poſſint. Fortè legendum eſt *non velle,* ut ſenſus ſit, *neminem arguendum quod non voluerit facere quod velle non potuit* ut natura libertatis phyſicæ & moralis noſcatur: poſtulat enim arbitrii libertas , ut poſſis rem facere, & non facere: quam ob rem non dicêris unquam non voluiſſe tráſvolare Caucaſum, aut Conſtantinopolin reſtituere Chriſtianis , quia neutrum phyſicè potes facere , neutrum velle efficaciter potes.

Libertatis natura.

DLVI. *Furioſi etiã ſunt nulli.*

Præter Infames, Fœminas, Impubes, ſervoſque etiam Furioſi apud Juſtinianum nulli ſunt. l. 5. ff. de regul. Jur. *In negotiis contrahendis alia cauſa habita eſt Furioſorum , alia eorum qui fari poſſunt quamvis actum rei non intelligerent. Nam Furioſus nullum negotium contrahere poteſt, Pupillus ſomnia Tutore auctore agere poteſt.* Ecce Paulus libr. 2. ad Sabinum, diſtinguit inter manutenere & contrahere: non negat Furioſos (amentes univerſos intelligit) poſſe per alium defendere ſua jura legitimè adquiſita: quis enim diceret, eſſe benè gubernatam Rempublicam, in quâ amens licitè expoliaretur? & in hoc Furioſos ſimiles eſſe Pupillis judicat: in hoc tamen totam differentiam conſtituit, quòd Pupillus medio Tutore novos contractus inire poſſit, quod Furioſus non poteſt. Sed me Iudice hæc differentia à placito Reipublicæ & non à rei naturâ pendet; poſſet enim dari furioſo Tutor, qui haberet authoritatem emendi, vendendi, alienandi, bona etiam radicalia ad majorem Furioſi utilitatem. At hujuſmodi Reipublicæ placitum non dari defacto aſſerit hæc Juris Politici Regula. Nec contra militat lex 39. ff. de Reg. Jur. *Furioſi vel ejus* (prodigi, qui publicè condemnatus eſt ; aut cujuſcumque alius) *cui bonis interdictum ſit , nulla voluntas eſt.* Quia ſi placeret Principi, id quod propriâ non poteſt, aliena voluntate poſſet.

Diſcrimen inter furioſum & infantem.

An furioſus perdere ſua debeat? an adquirere aliqua de novo poſſit?

An poſſit tutorem habere?

VI.

DLVII. *An actus conditionatus ſit legitimus.*

A*ctus (abſolutè) legitimi conditionem non recipiunt neque diem* (ſi dies Conditiove addatur, nulli ſunt.) Bonifacii Regulam hanc L. non poſſe de omnibus actibus legitimis intelligi manifeſtum eſt, & ideò illos in abſolutè legitimos , & legitimos etiam conditionatè dividere neceſſarium eſt. Actus igitur abſolutè legitimos appello Emancipationem, Acceptilationem, Hæreditatis aditionem , Servi optionem, Tutoris dationem, Adoptionem, Electionem , & Poſtulationem; vel univerſaliùs Diri adjectionem: Adde Matrimonium, quod abſolutus Contra-

Actus abſoluti.

Digitized by Google

tractus eſt, nam ſi conditio accidentalis ſit, judicatur non poſita, & ſi ſubſtantialis (hoc eſt contra Matrimonii eſſentiam pugnans] judicatur contractum totum annullare.

Dies in quem: dies à quo.

Porrò iſti actus non admittunt diem, *in quem*; at verò non video cur non poſſint recipere *diem à quo*, ſi non omnes, ſaltem præcipui; ſed & ipſi non admittunt conditionem futuram, at neſcio cur nō poſſint præſentem aut præteritam. Et ut rem meliùs intelligamus, placet aliquot exempla ſubjūgere.

Emancipatio nulla.

Emancipationis hæc formula, *Ego te hodie eximo à poteſtate patria ſi victurus ſis decem annis*, eſt nulla; quia cum illa conditio non ſit humanitùs ſcibilis, nō poſſet ſcire an iſte eſſet mancipatus; & quia in dubio beatus qui poſſidet maneret ſub authoritate parentum. Etiam hæc formula eſſet nulla. *Ego tibi concedo ut ſis emancipatus duobus annis*. Nam moralia tractari debent ut phyſica, & homo non poteſt occidi Phyſicè per duos annos, nam vel debet non occidi, aut ita occidi, ut nunquam humanitùs aut lege ordinariâ ſuſcitandus dicatur. Igitur, cùm Emancipatio ſit quædam virtualis parentum occiſio, vi cujus filius emancipatus ita ſe habet ac ſi omninò careret parentibus, rationi conſentaneum eſt, ut qui reſpectu filii emancipati, ſuo modo, morali & politico, dicuntur occiſi, eodem ſenſu mortui in perpetuum remaneant. At ego non video repugnantiam in iſtâ formulâ, *ſi verum eſt quod crudeliter tractatur à parentibus, ego Titium ab eorundem authoritate eximo*; nec ſcio cur non debeat admitti: ſicut nec in hac, *Concedo, ut ab anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto filii emancipentur à juriſdictione Parentum.* Quæ pariformiter de omnibus aliis contractibus abſolutè legitimis poterunt dici, ſi matrimonium excipias, in quo Jura ſemper deſiderant majorem clarítatem: & fortè hoc ipſum deſiderium tantum ordinatur ad melius.

Emancipatio ad tempus.

Quid ſit emancipatio?

Emancipatio conditionata.

Matrimonium conditionatum.

Hæc ipſa *l. actus legitimi, ff. hoc titul.* DLVIII. optimè explicavit Pomponius vel ut alii volunt Papinianus, *Actus*, (abſolutè) *legitimi, qui recipiunt (alii, qui non recipiunt) diē vel conditionem veluti Mācipatio (alii, Emancipatio) Acceptilatio, hæreditatis Aditio, ſervi optio, Datio Tutoris* (addantur *Adoptio, Diei Adjectio*, nam *electio & Poſtulatio* Conditionis adjectione vitiantur; & *Matrimonium*, ſi conditio ſit talis quæ ejus ſubſtantiam deſtruat) *in totum vitiantur per temporis vel Conditionis adjectionem. Nonnunquam tamen actus ſuperſcripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehenſa vitium adferunt.* (*Nota bene*) *nam ſi acceptum feratur ei, qui ſub Conditione promiſit, ita demum egiſſe aliquid, acceptilatio intelligitur, ſi obligationis Conditio extiterit: quæ ſi verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.* Senſit ergo Pomponius (Papinianus) & omnes illi, qui eorum verba loco Regulæ l. 77. ff. de Reg. Juris, poſuerunt, non omnem conditionem ex naturâ rei repugnare iſtis actibus, aliàs enim illā ne implicitè quidē admitterent; at ex naturâ rei repugnare multas, & in foro exteriore pleraſq;, & inſtrumenta debere fieri clauſulis abſolutis; Jura enim nonnulla, quæ aliquam conditionem ſubintelligi volunt, non patiuntur aliquam expreſsè dici vel ſcribi.

Quando conditio noceat in contractibus.

Non omnis conditio repugnat.

Conditio implicita.

VII.
QUÆSTIO INCIDENS

De conditionato contractu. *Hoc eſt, De Teſtamento, Donatione, Profeſſione ſolenni, voto ſimplici, & quocumq; alio actu aut pacto, quod expreſſa aut tacita conditione ſubſiſtat.*

SUmma eſt ſolennium omnium actuum Connexio, ſed quia Regu- DLIX.

Profeſſio

 laria

Digitized by Google

monaſtica conditionata. laria ſpecialiùs tractamus, conditionatam ſolennem Profeſſionem diſcutiendam proponimus, multa de ſimplicibus votis, multa etiam de Matrimonio, & contractibus aliis dicturi. Scimus nos detecturos ſolidiſſimum lapidem, cui multa inniti debeant; inviſum Thomæ Sanchez, Baſilio Pontio & aliis, qui de Matrimonio & ſolennibus aliis contractibus; ſed quia non eſt animus dicere, quæ ab ipſis ſcripta, amicos ipſos eſſe nobis, ſed veritatem eſſe magis amicam proteſtamur: & ne proemio oneremus lectorem ad rem venimus.

Conditio. Multa ſcriptores de nomine *Conditio*, multa etiam de ſignificatione; at inter multa pauca, quæ rem claram dilucident. Unde ſiquidem nominis ſignificatio certa eſt, non eſt cur obnubiletur expoſitionibus non neceſſariis; quoniam aliquando contingit definitiones, quæ putantur Clariores definito, ita eſſe obſcuras, ut illud ruſticus, hanc vix ſapiens intelligat. *An definitio ſemper ſit clarior definito.* Notavit hoc Carteſius, noto & ego; quod ut non ſolum notem, ſed demonſtrem, pictorem in medio pruduco. Illi coram te jubeo, ut qualitate viſibili viſûs congregativâ tabulam pingat; & in eâ, qualitate viſibili viſûs diſgregativâ delineat Alexandrum. An me intelliget? Minimè. Jubebo igitur ut in Tabulâ nigrâ colore albo Alexandrum efformet; & ſtatim me intelligens; oſtendet ſæpe definitiones eſſe obſcuriores definitis, & errare Doctores dùm res claras & univerſis notas volunt dilucidare. Nolo igitur quid *ſit conditio* exponere; nota res eſt; nec poteſt clariùs aliter quam mero nomine repræſentari.

DLX. *Profeſſio* Profeſſio igitur conditionata illa eſt quæ conditioni innititur, ut, *Voveo, ſi obiit Pater meus. Voveo, ſi tale privilegium habetis.* *conditionata quæ?* Conditio, quæ intervenire ſolet, varia eſt, Neceſſaria, Poſſibilis & Impoſſibilis; Honeſta, & inhoneſta; *Conditiones variæ.* Incompoſſibilis & conſiſtens; Certa & Dubia; Cognoſcibilis, & Incognoſcibilis; Præterita, & Præſens, & Futura. Omnes iſtas, & alias etiam occurrentes examinabimus, & Doctrinam Matrimonio & aliis contractibus conſentaneam ponemus, adnotando conditionalem Poſitionem poſitâ conditione tranſire in abſolutam, & hanc eſſe optimam argumentandi formam; *An conditionalis tranſeat in abſolutam?* *Donaſti Petro aureos centum, ſi eſſet Doctor; atqui eſt Doctor: igitur contractu teneris.*

VIII.

Conditio NECESSARIA.

DLXI. *Conditio neceſſaria non eſt conditio.* Omnia illa, quæ naturam reſpiciunt, & ab hominibus certò cognita impediri non poſſunt, non habere vim conditionum dicuntur; quoniam hæ propoſitiones, *Voveo, ſi heri Sol ortus fuit. Voveo, ſi cras ſit oriturus. Voveo, ſi mare exſiccatum non eſt*, & aliæ ſimiles æquivalent huic abſolutæ, *Voveo.* Conſtat ex lege, ſi pupillus 9. D. novat. *Qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omni modo extitura eſt, purè videtur ſtipulari.* Et cur legem & authoritatem produco in re tam clara? ut morem geram imperitis, qui non credent hanc chartam albam eſſe, niſi lege & Juris perito ſuadeatur.

Nota obiter difficilem eſſe hanc periodũ, *Quæ ſecundũ rerũ naturã ſunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta ſint.* §. conditiones, inſtit. de verb. oblig. Certitudo enim reſpectiva eſt, & quæ ſecundũ rerũ naturã neceſſaria ſunt, modò nobis incerta ſint, obligationem morabuntur Quoniam iſte

Digitized by Google

Obligatio à conditione incerta eſt. iſte contractus bonus eſt, *ſi cras pluat, dabo tibi ocreas*, & tametſi pluvia ſecundum ordinem naturæ ſit certa, non tenebor hodie ocreas dare, nec cras ante quàm pluat, quia mihi pluvia incerta eſt, & cùm obligatio à conditione oriatur, incerta eſt.

IX.

Conditio INFALLIBILIS LIBERA.

DLXII. INter neceſſaria & infallibilia diſcrimen notiſſimum eſt; quoniam illa libertatem excludũt, iſta imbibunt. Ubi notandum eſt id quod uni eſt infallibile, alteri neceſſarium eſſe. *Neceſſitas, & libertas.* Abſolutè neceſſarius ſolus eſt DEUS; præter ipſum reliqua illi ſunt libera, quoniam univerſæ Creaturæ ab illius voluntate dependent. At ex his quæ Deo ſunt libera, multa ſunt mihi neceſſaria, quæ impedire non poſſum; infallibilia aliqua, quæ divinitùs doctus ſcio me infallibiliter facturum eſſe. Prioris gêneris ſunt ortus ſolis, occaſus Lunæ, & ſimilia, quæ legibus naturæ obediunt; Poſterioris fuiſſet Petri votum, ſi poſt Chriſti revelationem, at ante negationem, dixiſſet, *Infallibilitas.* *Voveo me talem & tantam pœnitentiam facturum ſi hodie Chriſtum ante gallicinium negavero*: Petro enim erat infallibiliter futura negatio; & tamen libera; quia poterat non negare Chriſtum. Quod ſi conditio mihi non ſit libera, nec ſecundum curſum naturæ neceſſaria, mihi erit contingens; infallibilis tamen, ſi certò præviſa; dubia autem; ſi ignorata. *Conditio neceſſaria, libera, contingẽs, infallibilis, dubia.* Dubiam contingentiam reperio in hac propoſitione, *Cras inviſar à Ioanne*, hoc enim pendet à Joannis libertate, cujus actus certò & infallibiliter prævidere non poſſum. Contingentiam infallibilem reperio in hac, *Antichriſtus naſcetur.* Hujus nativitas non pendet à voluntate meâ, non à curſu naturali rerum, ſed à decreto divino, mihi revelato, adeoque certiſſimè cognito. De futuris contingentibus infallibiliter & certò eventuris agam nunc; nam de dubiò eventuris acturus ſum inferius.

Ut igitur rem meliùs intelligas, horâ tertiâ poſt occaſum ſolis (ſic numerabant horas Judæi tempore Chriſti) revelaverit Petro Chriſtus negationem futuram, horâ nimirum ſeptimâ (nobis primâ poſt mediam noctem) Petrus futurum ſuum lapſum divinitùs edoctus dixerit, *Voveo non ingredi prætorium, ſi Chriſtum negaturus ſum*, & conſulor, an hoc votum quod grammaticè conditionale eſt, moraliter ſit abſolutum & purum? & reſpondeo aſſertivè; æquivalet enim huic, *Voveo non ingredi prætorium.* quia, cùm conditio verè futura ſit, futuritio illa jam eſt, & conditione poſitâ in abſolutam puramque tranſit conditionalis; quia hæc aſſertio, *Voveo non ingredi prætorium, ſi Chriſtum negaturus ſum*, omninò (quod notare oportet) æquivalet huic, *Voveo non ingredi prætorium, ſi nunc ſit futura illa Chriſti negatio.* Atqui non illa eſt futura, & hoc ſcit Petrus: ergo illa conditio in verbis ſolummodò conſiſtens, moraliter loquendo nulla eſt. DLXIII. *Infallibilis conditio eſt nulla.*

[Sed adhuc illa veritas videtur falſificans, nam ſi Petrus non ingreſſus fuiſſet Prætorium non negaſſet Chriſtum in illo: nec fuiſſet negatio futura.

Sed hic ſcrupulus alibi declarabitur.]

*

Digitized by Google

X.

Conditio INFALLIBILIS CONTINGENS.

DLXIV. DEdi conditionem liberam infallibiliter cognitam, ponam contingentem revelatam, quam etiam infallibiliter præſciam. *Voveo*, inquam, *ſi Antichriſtus naſcetur. Contraho, ſi Chriſtus judicaturus eſt vivos & mortuos.* Illæ enim conditiones cùm ſint certò poſitæ, ita ſe habent, ac ſi adjectæ non eſſent: quam ob rem illud votum eſt purum, & abſolutus eſt ille contractus. Ita Thomas Sanchez *libr.* 5. *de matr. diſp.* 2. Rebellus *libr.* 2. *quæſt.* 10. *ſect.* 14. & teſte Baſilio Pontio *de matr. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 13. communiter ſic ſentiunt Theologi. At quia ipſe Baſilius ſæpe à Communi deviat, quod & modò facit, quod jure id faciat videamus.

Baſilii opinio. [*Verius tamen eſt*, ait, *quod docet Covarr.* 2. *p. c.* 2. §. 2. *n.* 11. *Henriquez libr.* 11. *de matrim. cap.* 12. *n.* 4. *& olim Adrianus quæſt.* 3. *de matrim. dub.* 16. *&* 17. *eſſe matrimonium conditionale.*] Si rationem poſtulet, dicit eſſe manifeſtam, quam ex dictis colligit, & ad hanc formam reducit. Nam licèt certum ſit Antichriſtum naſciturum, at incertum eſt quo tempore & die; & poteſt contingere quòd non naſcatur vivo legatario (contrahente, vovente,) & ita habet effectum ſuſpendendi: quod enim in incerto ponit, non poteſt non eſſe conditio ſuſpendens, ut dictum eſt.

Impugnatur. At ego, à Baſilio quem Salmanticæ ſum veneratus, hanc periodum ſcriptam eſſe miror; quia polluit clariſſimo ille ingenio, & tamen hic res toto cœlo diverſas confundit. Aliud eſt dicere, *Voveo, ſi Antichriſtus naſcetur*; Aliud, *Voveo, ſi ante obitum meum naſcetur.* Nam illum naſciturum eſſe infallibile eſt; at eſſe ante meum obitum, dubium aut improbabile: & Baſilio ſubſcribendum eſſet, ſi ageretur de propoſitione ſecundâ; at ſubſcribere nequaquam poſſumus, quoniam de primâ diſputamus.

XI.

Conditio INTRINSECA.

COnditio illa nominatur intrinſeca, ſine quâ poni effectus non poteſt, quæ ſemper intelligitur, & ponatur, aut non, perinde eſt. Tales ſunt, *Voveo me craſ iturum ad Eccleſiam, ſi vixero*; *lecturum talem librum, ſi habuero oculos*; *daturum tot pecunias, ſi habuero*; *&c.* Et dico, hæc vota eſſe abſoluta & pura, non enim potero cras ire ad Eccleſiam, ſi hodie moriar; non legere, ſi oculos perdam; non dare, ſi nihil habeam. DLXV.

Multa ſolent huc authores congerere, quæ non videntur multâ diſputatione digna, adeoque ad utiliora tranſeo.

XII.

Conditio PRÆTERITA, PRÆSENS, INCERTA.

SOlent poni conditiones, præſentes aut etiam præteritæ quæ nobis non ſunt notæ, ſed poterunt temporis ſucceſſu cognoſci; & modò quæritur, quam vim habeant conditiones hujuſmodi? Pono exempla. *Voveo, ſi meus pater eſt mortuus. Contraho tecum, ſi non es mihi quinto gradu conſanguinea.* DLXVI.

Dono

Digitized by Google

Obligatio alia materialis, & alia formalis. *Dono tibi tot aureos, ſi verè ſum Antonio ex aſſe hæres.* Et teneo promiſſiones aut contractus tali conditioni inſiſtẽtes, ſi ipſa vera ut ſupponitur, ſtatim obligare materialiter, tametſi defectu notitiæ ſic vovens aut ſic contrahens, quouſque rem examinet excuſetur. Multa ſunt hic obſcura; aliqua declarabo.

Votum quoddam exponitur. Si Petrus dixerit, *Voveo me donaturum hanc domum tali Xenodochio, ſi nunc ſit Vivus meus pater:* ſi quando vovet ejus pater incolumis & ſanus ſit, non tenebitur ſtatim dare illam domum; non quidem defectu obligationis, ſed defectu notitiæ: nam ſtatim poſt emiſſionem voti antequam ſciat, utrum ejus Pater vivat, vel non vivat, non poteſt domum illam abſolutè vendere, donare, aut alienare, quia ſe exponeret evidenti & voluntario periculo, non ſtandi voto. Conſultò poſui illud *abſolutè*, poſſet enim Petrus procedere conditionatè; Videlicet ſi diceret, *ſi Pater meus vivit, promiſi hanc domum Xenodochio, adeoque ſi ille vivit, illam tibi non do; at quia Xenodochio, ſi Pater meus eſt mortuus, illam non debeo, eamdem, ſi meus Pater eſt mortuus, tibi do.*

DLXVII. *Aliud etiã exponitur.* Si dicat, *Voveo me ſingulis diebus daturum tantam eleemoſynam pauperibus, ſi navis Indica fœliciter appulſa eſt;* & tamen navis appulſa eſt, quod neſcit Petrus, à die voti, illius eleemoſynæ debitor eſt, & cùm primùm ſciat veniſſe navim debebit à die voti numerando ſummam, quam dederit computus, erogare.

Aliud ſimile expenditur. Si dicat *Voveo me ſingulis diebus lecturum roſarium, ſi eadem navis fuerit appulſa.* Non tenebitur legere à die promiſſionis, ſed à die notitiæ; nec tenebitur roſaria omiſſa reſumere. Et tota differentia inter roſaria & pecunias eſt, quod iſtæ obligent realiter, illa autem perſonaliter; adeoque iſtæ non videantur alligatæ vel perſonæ vel tempori, unde ſi non dentur hodie, debebunt ſolvi cras; at roſaria, cùm perſonalia ſint, obligata ſunt perſonæ & tempori, & ſi non legantur hodie, non debebunt reſumi cras. Quod conſtat clariſſimè in miſſâ & officio Divino; nam qui illam non audit die Dominica, non tenetur elapſo die feſto illam audire; ſicut nec omiſſas canonicas horas die ſequenti reſumere. *Obligationum realiũ & perſonalium differentia.* Nihilominùs eſſet limitanda hæc doctrina, ſi vovens vellet ſe expreſsè ad reſumenda roſaria omiſſa obſtringere, quia cùm ſit ſuæ voluntatis dominus, poterit ſe hoc vel illo modo obligare. *Nota id bene.*

DLXVIII. *Aliud votum exponitur.* Si hoc votum labiis ſuis diſtinguat, *Voveo me profeſſurum ſolenniter, ſi jam res talis, quam deſidero, acciderit.* Si verè illa acciderit, Petrus ſtatim obſtringitur voto Religionis; & tametſi non teneatur profiteri antequã ſciat, tenetur nihilominùs non reddere ſe inhabilem ad profitendum, adeoque non poſſet licitè contrahere matrimonium.

Quid ſi contraheret? peccaret mortaliter contrahendo. Et tamen validè contraheret. Et poſtea, ſi re examinatâ reperiret rem illam accidiſſe, ſciret ſe voto religionis teneri, non tamen voto caſtitatis. Aliud eſt enim religionem, & aliud caſtitatem vovere. Unde Conjugatus, ſi voto religionis ſit obſtrictus, tenebitur adire religionem quam primum poſſit, at ſtante matrimonio poterit petere & reddere *Aliud eſt votum religionis & aliud votum caſtitatis.*

dere

dere debitum? at Conjugatus obſtrictus Voto caſtitatis, non tenebitur religionem adire etiam ſi poſſit, nec tenebitur non reddere debitum, at tenebitur illud non petere.

DLXIX. Quid ſi Petro, quem diximus voto Religionis teneri, uxor licentiam tranſeundi ad religionem vero ſimiliter ſit conceſſura? Tenebitur-ne Petrus illam petere? aut tenebitur ſaltem acceptare illam, ſi offeratur? Me judice ad utrumque tenebitur: & ratio eſt, nam qui tenetur ad finem, tenetur ponere media, qui prudenter judicabuntur efficacia ad conſequendum talem finem.

Dilucidatur aliud votum. Subiicio examini aliud votum. *Voveo caſtitatem ſolenniter*, ait Petrus, *ſi talis fœmina mortua eſt.* Et illa verè mortua eſt, & ipſam Petrus eſſe mortuam ignorat. Suppono diſputationis gratiâ votum illud ſolenne eſſe validum (hoc enim examinabitur inferiùs) & definio, à Primo inſtanti Petrum teneri voto, at ſuam obligationẽ ignorare quouſque conditio examinetur. Anne poſt votum emiſſum poterit ducere uxorem? Quid igitur, ſi de facto duxerit? anne manebit conjugatus? & dico rem eſſe difficilem, & quæ petat examen.

Dico Petrum, ſi uxorem ducat ante conditionis examen, ſe exponere periculo contrahendi cum impedimento dirimente, adeoque faciendi contractum invalidum. Addo eundem uxore ductâ, ubi concilium Tridentinum receptum non eſt, non poſſe ſcire, utrùm ſit conjugatus aut non; unde cum in dubiis melior ſit conditio poſſidentis, & ante matrimonium dubium ſit cœlibatus poſſeſſio, debebit credere ſe eſſe cœlibem, nec fœminam tangere. Ubi Tridentinum conſilium receptum eſt, dicendum, illud eſſe clandeſtinum etſi coram multis celebretur, ſi conditionatum ſit & tamen teſtes non ſunt conditionis teſtes, ſed contractûs. Rem valde novam, valde certam & valde neceſſariam tetigi; & volo tantiſper hærere, ut illam radicitùs exponam.

Alii ſunt teſtes conditionis & alii contractûs.

Nota hæc bene.

DLXX. PRIMÒ enim *matrimonia clandeſtina, tametſi ſæpiſſimè interdicta, ante Concilium Tridentinum erant valida.* SECUNDÒ, *Nunc etiam ſunt valida ubi Concilium receptum non eſt.* TERTIÒ, *alibi ſunt invalida.* Quod evidentiſſimè probari poterit ex ſeſſ. 24. de Reform. matrim. Cap. I. & præcipuè ex his verbis. *Dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia libero conſenſu contrahẽtium facta rata & vera eſſe matrimonia quandiu Eccleſia illa irrita non fecit. Et proinde jure damnandi ſunt illi, ut eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera & rata eſſe negant.* Firmant hanc concluſionem omnia illa, quæ Baſilius Pontius ediſſerit *libr. de matrim. Quinti Capit. III.* Secundæ probatio pendet à legum notitiâ, nullam enim poſſe humanitùs poni, quæ ante acceptationem obliget, plurimi ſentiunt, quos in Theologiâ Regulari num. 48. adlego; quibus ego cum aliqua moderatione ſubſcribo; exiſtimo enim omnes leges præcisè neceſſarias in ipsâ Reipublicæ creatione & ſuperioris Creatione eſſe admiſſas, nec novâ egere acceptatione; & in hoc diſtingui ab arbitrariis, quæ à ſubditorum voluntate dependent. Et hinc etiam Tertia probata eſt. Illam tamen ad majorem doctrinæ ſecuritatem hac ejuſdem capitis periodo confirmo.

An Matrimonia clãdeſtina ſint valida.

An lex obliget non acceptata?

Qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi aut Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus ma-

Digitized by Google

matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos ac nullos eſſe decernit, pro-ut eos præſenti decreto irritos facit & annullat. Ecce aperi oculos, & rem perſpice. *Matrimonium clandeſtinum, quod ſancta ſynodus nullum declarat, illud eſt quod probari non poteſt.* Eſt evidens: non enim volebant patres contrahentem onerare Cerœmoniis, ſed obviam ire inconvenientibus, quæ ex clandeſtino conjugio oriri ſolebant. Nam capite illo primo ſeſſionis XXIV. ſic inquit. *Cùm ſancta Synodus ...... gravia peccata perpendat, quæ ex clandeſtinis Conjugiis ortum habent; præſertim verò eorum, quæ in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahant, & cum ea perpetuo adulterio vivunt: cui malo cùm ab Eccleſia quæ de occultis non judicat ſuccurri non poſſit, niſi efficaciùs aliquod remedium adhibeatur, idcircò, &c.* Igitur matrimonia conditione fundata, tametſi coram Parocho & teſtibus contracta, ſæpiſſimè erunt clandeſtina; nimirùm, ſi conditionis poſitio probari non poſſit. Quod ut bene intelligere poſſis, pono caſum, in quo ſic contrahat Albericus: *Duco hanc in uxorem, ſi hodie; legit roſarium,* & non video, qui poterit Parrochus & teſtes teſtificari contractum fuiſſe matrimonium, ſi ignorent, an conditio illa fuerit poſita; non video, qua Parrochus conſcientiâ poſſit dicere, *Ego vos conjungo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti:* qua veracitate poſteà eos eſſe verè conjuges teſtificabitur.

Cur Matrimonia clandeſtina interdicta?

An Eccleſia judicet de occultis.

Matrimonium coram Parrocho & Teſtibus celebratum poteſt eſſe clandeſtinum.

Hinc ad Petrum reverſus dico, ejus conſenſum debere eſſe conditionatũ, non enim volet Petrus eam validè ducere, quam validè ducere non poteſt; Ergo ſi dicat Ego te duco ſi non ſum religioſus, ſive quod idem eſt, ſi talis fœmina vivit, ſi conditio non poſſit probari, probari non poterit valor Contractûs, adeoque erit matrimonium, quod probari non poſſit; & ad mentem Tridentinæ Synodi, Clandeſtinum; & ad ejusdem Synodi decretum, invalidum. Hanc totam doctrinam recognoſce, eſt enim valde neceſſaria, & à nemine, quem ſciam, animadverſa.

XIII.

Conditio IMPOSSIBILIS UT TALIS COGNITA.

Stando ſoli juri naturæ Conditio impoſſibilis contractum nullum reddit; nam, qui contrahit, ſciens illam conditionem impoſſibilem eſſe, caret contrahendi voluntate; & qui putat eſſe poſſibilem non aliter contrahere vult, quam ſi illa conditio ponatur. Hinc eſt quod iſtæ formulæ, *Jubeo ut venias ad me, ſi cœlum manu tetigeris; Voveo caſtitatem, ſi novilunium non recurrat; Contraho cum Titia ſi ſiat vera Franciſci filia, cujus modo non eſt. Vota ſolennia emitto, ſi cras non eſt oriturus Sol.* Et aliæ ſimiles, ſint invalidæ ſtando rationi & naturæ. DLXXI.

Poteſt Reſpublica in Materia fundorum & bonorum decernere, ut contractus effecti impoſſibili, aut etiam turpi (hæc enim moraliter impoſſibilis eſt) conditione ſubſiſtant; quia, cùm ipſa ſit ſuprema rerum Domina, poteſt bono publico proſpicere, & lites aut etiam peccata vitare, jubendo ut invitis directis dominis bona ad alios tranſeant, & ſi conditiones ſint poſitæ in contractu, ratione quarum non

Digitized by Google

non deberent tranſire. Hinc eſt, quod hic contractus, *Do Antoniæ aureos centum, ſi in virum* convertatur, juxta legem naturæ ſit nullus; hinc quod poſſit Reſpublica declarando conditiones impoſſibiles habendas eſſe pro non poſitis, facere, ut etiam donatore invito, ſit validus, quoniam aurei ſubſunt ſupremæ diſpoſitioni & decreto Reipublicæ.

Conditiones aliquæ in Iure pro non adjectis reputantur.

Id quod Rempublicam poſſe facere aſſeruimus, de facto fecit in aliquibus caſibus, quæ res concernunt. Jure enim Civili diſpoſitum eſt, ut conditiones impoſſibiles habeantur pro non adjectis tantùm in teſtamentis favore ultimæ voluntatis: in legatis nimirùm & fidei commiſſis ſine exceptione ullâ; *l. 3. & l. 6. D. de condit. & demonſt. l. 1. de condit. inſtit. §. impoſſibilis; inſtit. de hæredis inſtitut. & l. ab omnibus* 104. *§. 1. D. de leg.* 1. Et ratio legis eſt; quia tametſi inter vivos aliquando poſſit contingere, ut homo velit contractum invalidum facere, quia mavult rem retinere, quàm donare; at hoc non poteſt de morituro præſumi, ergo Credendum eſt illum velle verum teſtamentum condere, & validè legare aut donare. Igitur dicendus erit Teſtator conditionem illam impoſſibilem, quã appoſuit, judicaſſe; poſſibilem, & aliàs illã non poſiturũ fuiſſe; adeoq; judicandam pro non poſitâ. Porrò in inſtitutione hæredis non eſt univerſaliter definitum impoſſibiles conditiones pro non adjectis eſſe habendas. Ut videre eſt apud Baſilium Pontium *de matrim. lib. 3. cap. 3. num. 3.* at in omnibus contractibus conditio impoſſibilis pactum annullat; ut conſtat ex *l. non ſolum. De obligat & action.* Et *§. ſi impoſſibilis inſtit. De inutilibus ſtipulationibus*, ubi dicitur, *ſi impoſſibilis conditio ſtipulationibus adiciatur, nihil valet ſtipulatio.*

Nota hæc omnia quæ valde communia & certa ſunt, tametſi incerta ſint ratione fundata: nam legum vis à voluntate potiùs quàm à ratione pendet.

DLXXII. *Conditio impoſſibilis, ut talis cognita.*

Ad vota venio & exiſtimo conditionem impoſſibilem ut talem cognitam eſſe dirimens impedimentum; & nullum votum emittere, qui in profeſſione ſimplici aut ſolenni diceret, *Ego voveo ſi ſol lucem perdiderit.*

De authoritate & poteſtate Eccleſiæ.

An-ne Eccleſia poterit tale votum validum reddere, & decernere circumſtantiam illam impoſſibilem; habendam fore pro non poſitâ? Reſpondebo forum internum à foro externo diſtinguendo. Scio enim poſſe hominem, etiam invitum, cogi ne è monaſterio egrediatur, ne uxorem ducat, ne pecunias habeat, ne opus præceptum intermittat; hæc omnia forum externum concernunt. Imò exiſtimo poſſe dari Caſum in quo hæc ipſa legitimè poſſint præcipi, non ſolum pœnaliter, ſed & moraliter; at facere, quòd ego nolens voti obligatorii vinculum incurram, Eccleſia Romana non poteſt. Hinc eſt, quod nolit audire poſt quinquennium invalidè profeſſum, at iſta audientiæ negatio erit ſufficiens ut ille cogatur agere vitam Religioſam in foro externo, non tamen poterit illum religioſum reddere; quoniam ſtatus religioſus pendet à Voto, & vovere aut non vovere in manu promittentis eſt.

Invitus nemo vovere poteſt.

De invalidè profeſſo poſt quinquennium.

DLXXIII. Ad matrimonium doctrinæ conſequentia me transfert. Exiſtimo eſſe materiam valde difficilem, nec tam facile ſolvendam, quam vulgus æſtimat. Summi Pontificis decretum tam difficile explicatu eſt ut Durandus *in 4. diſt. 29. quæſt. 4.* dicat, ſe relinquere *ab aliis explicandũ.*

Decretum Pontificis:

Do-

Mirabile:

Incertum:

Mirabile:

Mirè reconditum.

Doctoribus rem explicandam: Paludanus *ibid. quaſt. 2. art. 5. concl. 5.* hoc Gregorii IX. decretum eſſe ſatis mirabile. Sotus *ibid. quaſt. 2. art. 2.* aſſerat nihil de hac re ſe certò compertum vidiſſe aut legiſſe. Covarrubias *p. 2. cap. 3. §. 2. num. 9.* ſibi videri mirabile, cur matrimonium contractum ſub conditione impoſſibili valeat, & ſenſum illius capitis eſſe mirè reconditum. Alii voluerint defendere verba Pontificis aut exponere ſaltem; & impugnātur à Thoma Sanchez *l. 5. diſp. 5.* & Rebello *libr. 2. quaſt. 10. ſect. 4. à num. 25.* & Baſilius Pontius *de matrim. l. 3. cap. 4. num. 2.* ita textum exponit, ut valorem matrimonii conditionari ne quidem in exteriori foro admittat, ſi de contrahentium voluntate Conditionata conſtiterit.

Quid Eccleſia in Materia matrimonii poſſit?

Quamobrem ego ſentio non poſſe Eccleſiam conjungere vero matrimonio hominem invitum, adeoque, ſi Petrus dicat *Ego duco in uxorem hanc fœminam ſi non indigeat ſomno*, nec velit aliter illam habere, cum matrimonium ſine ejus conſenſu fieri non poſſit, dicendum contractum fuiſſe nullum. At Eccleſia ne matrimonia Conditionibus hujus implicentur, vult illas pro non adjectis judicari, *c. fin. de condit. appoſit.* ubi ait Prudentiſſimus Legislator, *Aliæ conditiones appoſita in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint propter favorem ejus debent pro non adjectis haberi.* Sed hæc verba exterius forum & ſolam præſumptionem concernunt; nimirùm quando fuiſſe conditionatam voluntatem probari non poſſit.

XIV.

Conditio Impossibilis, Possibilis credita.

DLXXIV. *Impoſſibilia ſæpe eſſe poſſibilia putamus.*

SÆpe contingit conditionem impoſſibilem poni à credente poſſibilem eſſe. An-ne tunc vitiabitur contractus? Vitiari omnem contractum in tali caſu, affirmavit Donellus *libr. 8. cap. 32. §. hac tamen in re.* Et in matrimonii materiâ: ejus ſequitur opinionem Thomas Sanchez *lib. 5. diſp. 3. num. 8.* Et Emanuel Coſta *Repet. in c. ſi pater. de teſtam. num. 8* ubi etiam multos citat. Non vitiari contractum, ſed conditionem debere reputari pro non poſitâ cenſuit Gabriel Vasquez *opus. c. de reſtit. c. 7. dub. 10.* at Baſilius Pontius *de matr. l. 3. cap. 3. num. 11.* ſubdiſtinguit; nam vel ſcitur contrahentē ignoraſſe circumſtantiam illam fuiſſe impoſſibilem, vel de hoc dubitatur. Si primum, vitiatur contractus, non ex eo quòd habeatur conditio pro poſſibili, ſed quia quando conſtat de mente contrahentis & illum voluiſſe illi conditioni inniti, nec aliter contrahere, dicendum ſublatâ conditionis exiſtentiâ contractum non poſſe ſubſiſtere. Cæterùm ſi dubia mens fuerit, conditio pro non adjectâ reputabitur, in dubio enim præſumitur pro teſtamentis, matrimoniisque

XV.

Conditio Turpis, seu Moraliter impossibilis.

DLXXV.

IMpoſſibilibus meritò turpes conditiones adjungo, quæ in genere morum impoſſibiles ſunt, nam ut conſtat *ex l. nepos. Proculo. 125. de verb ſignificat.* id poſſimus, quod jure poſſimus. Unde prudentiſſime Papinianus. *l. filii. 15. D. de condit. inſtit.* ait. *Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dicam, bonos*

Quid poſſimus? Mala etiam ſunt impoſſibilia.

Digitized by Google

bonos mores, ea nec facere, nec poſſe credendum eſt.

Dico igitur primò, omnem contractum turpi conditione ſubnixum, eâ non poſitâ invalidum. Hinc eſt, quod ſtando ſoli naturæ Juri, qui dicit fœminæ, *Do tibi centum ſi fornicari vis*; non tenetur centum dare niſi illa fornicari velit.

Quid Reſpublica queat?

Dico ſecundò. In donationibus, venditionibus, commutationibus, & in quibuscumque dominii translationibus, poteſt Reſpublica, unam ex tribus legibus pronuntiare: nimirùm, *Contractus turpi conditione ſubnixus ſit invalidus, etiam poſita conditione.* Aut *ſit validus, etſi non ponatur conditio, hæc enim haberi debet, tanquam non adjecta.* Aut tertiò, *ſit validus. Si non ponatur conditio; & ſi illa ponatur invalidus.* Et hæc tertia lex, videretur moribus formandis convenientior.

Dico tertiò; *In materia matrimonii & votorum, cùm Reſpublica poſſit facere* (intra proprios terminos Eccleſiaſtici aut ſæcularis fori) *ne contractus à volentibus fiant; nimirùm inhabilitando perſonas, & impedimenta dirimentia imponendo; & cùm non poſſit facere, ut ab invitis fiant, illos cogendo aut neceſſitando; tenendum eſt, Poſſe facere & pronunciare matrimonia, vota, & omnes promiſſiones taliter conditionatas eſſe invalidas, ponatur aut non ponatur conditio: at eſſe validas, & ſi non ponatur conditio, pronuntiare non poſſe.*

Conditio turpis in teſtamentis.

Dico quartò. *In Teſtamentis Reſpublica vult conditionem turpem pro non non poſita haberi.* Unde in Jure non pauca Teſtamenta damnantur. *l. quidam in ſuo. 27. D. de condit. inſtit.* in teſtamento illius, qui dixit, *Titius hæres eſto, ſi reliquias meas in mare projècerit*, habetur conditio pro non adjectâ; turpe enim eſſet, & hæredi præcipuè, cadaver proiicere in mare. Sic apprehendunt homines, qui cadavera ſolent igni mandari: ſed cur non poſſint cum magna reverentiâ, ſicut igni aut telluri, ſic etiam undis concredi cadavera non video. Et etiam *l. Servo alieno de legib. 1. & l. Titio. 10. §. centum relicta. D. de condit. Et demonſtrat. Vbi legatum relinquebatur ſub conditione, ne a monumento diſcederet.* Quæ Conditio turpis fuit judicatâ, & pro non poſitâ debuit haberi. Videatur Baſilius *De matrim. libr. 3. cap. 5.* Sed quid, ſi ob illud onus legatum dabatur, quod aliàs nullo modo daretur?

XVI.

Conditio alienæ voluntatis, an ne ſit turpis?

DLXXVI.

CAſus proponitur. Franciſcus moribundus hoc teſtamentum iniit, *Mihi hæres ille eſto, quem voluerit Anſelmus.* Et quia hæc hæred s inſtitutio nulla eſt. *l. illa inſtit. 32. de hæredib. inſtitu. & l. ſi quis Sempronium. 68. D. eodem.* Cur ſit nulla & invalida quæritur?

Baſilii opinio.

Baſilius *de matrim. libr. 3. cap. 5.* ideò eſſe nullam putat, quod contra bonos mores ipſa ſit. Sed cur contra bonos mores dici debeat non video; nec cur potiùs hæc inſtitutio obſit politicæ gubernationi, quàm hæc, *Eſto Cajus hæres, ſi Anſelmus velit*, aut *Eſto Anſelmus hæres, ſi Antonius Civitatem advenerit*, Nam utrobique relucet aliena libertas.

Ut ſuam probet ſententiam arguit Baſilius Primò, Quia certum debet eſſe conſilium teſtatoris, *Inſtitu. qui hære-*

Digitized by Google

hæredes inſtitui poſſunt. Atqui hîc non eſt certum : ergo contra bonos mores eſt.

Et ego majorem diſtinguo, ut ſit ſecundum definitiones humanas debere eſſe certum Conſilium teſtatoris, concedo; ut ſit ſecundum præcepta humana vel divina, nego. Ut ſolutionem intelligas, adnotato Leges dividi in definitiones & præcepta. Leges definitivæ nihil præcipiunt, at decidunt, quo debeat contractus modo fieri, ut ſit validus: præceptivæ jubent hanc rem fieri, illam non fieri. Agit contra bonos mores, qui contra præcepta; non ille, qui contra definitiones; niſi fortè hæ præceptæ etiam ſint; dantur enim & leges mixtæ definitivæ ſimul & præceptivæ. Nam, ſi diceretur omnis contractus invalidus, eſſe contra bonos mores, ſequeretur non ideò illum eſſe invalidum, quia eſſet contra bonos mores, ſed potiùs ideò eſſe contra contra bonos mores, quia eſſet invalidus, quod ego nequaquam admittam; tunc enim vox contra bonos mores nimis laxè ſumpta cum nullitate confunderetur. *Tranſeo ad minorem*, quam nego; hîc enim certum eſt teſtatoris Conſilium: ipſe enim vult fieri, quod Anſelmus voluerit; & ſolùm Anſelmi Conſilium incertum eſt. Quod præſcindendo à lege legatum hujusmodi annullante, id non ſit contra bonos mores, oſtenditur. Quoniam majori curâ actiones humanæ, quàm humanæ pecuniæ diriguntur & tamen non eſt contra bonos mores hæc lex, *Obedite propoſitis veſtris*; aliis verbis, *Quæ vobis illi dixerint facite.* Non eſt contra bonos mores, quod qui ſuffragium daturus eſt, aut aliud grave qualecumque facturus, in vocem cujuspiam tertii viri boni & prudentis compromittat. Ergo non eſt contra bonos mores, quòd inſtitutione hæredis, aut legati deſignatione, aliquis rem totam committat arbitrio Anſelmi viri probi & prudentis. Quibus conſideratis nego abſolutè conſequentiam. Et Concludo illud teſtamentum non ideò eſſe invalidum, quia contra bonos mores ſit, ſed quia lege ſic definitum eſt.

Leges definitivæ & præceptivæ.

Imò & mixtæ.

Nota & conſidera bene has cauſales.

Non eſt contra bonos mores ſe viri boni voluntati ſubiicere.

XVII.

Conditio, ſi non nupſerit *an ſit turpis* ?

DLXXVII. In legatis Jure antiquo credita eſt turpis hæc conditio, quia oberat bono publico & hominum multiplicationi. *l. quoties. 22. l. ſed ſi hoc. 62. §. 21. l. 63. & ſequenti. l. cum tale 72. §. ſi arbitratu. l. mulieri. 74. D. de conditionibus & demonſtration.* Ubi legimus, *ſi cui capienti hæreditatem vel legatum, viduitas injungatur, legatum vel hæreditatem capit, ſive is vir ſive fœmina ſit.* Nomen *viduitas* ſignificat ſtatum extramatrimonialem, nam & virgo *vidua* dicitur. *l. 142. §. 3. de verb. ſignificat. & l. 22. filia, mea. D. de annis. leg.*

Viduus in Iure omnis Cælebs.

Cæterùm hanc eamdem conditionem turpem eſſe crediturus non ſum; eſt enim pudicitiæ argumentum non ſolum apud me ſed etiam apud ipſos gentiles. Unde Valerius Max mus *libr. 2. c. 1. de matrim. ritu*, ſic ait, *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ coronabantur. Exiſtimabantur enim, eum præcipuè matronæ ſincera fide incorruptum eſſe animum, qui depoſitæ Virginitatis cubile pudicum egredi neſciret, multorum matrimoniorum experientiam,* quaſi

Viduæ cenſentur caſtæ & pudicæ.

Digitized by Google

quaſi illegitimæ cujuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes. In quam etiam ſententiam abiit Tertullianus libr. de Monogamia & alii veteres.

Hinc conſtat non eſſe audiendos Juris peritos, qui hanc conditionem tanquam turpem reiiciunt; ſed nec audiendos illos, qui exiſtimant non poſſe Rempublicam declarare hanc conditionem debere haberi pro non poſitâ, licet honeſta & bona dicatur. Hinc eſt quod Bartolus apud Baſilium Pontium. *libr.* 3. *de matr. cap.* 6. *num.* 12. quo ad ſubſtantiam non male judicaverit legata Petro, *ſi non nupſerit* poſſe capi, etſi nubat, & quamcumque ille rationem dederit, & quamcunque impugnaverint Covarrubias *lib.* 1. *variar. cap.* 19. *num.* 10. Antonius Gomez *tom.* 2. *Variarum. reſol. cap.* 12. *num.* 78. Molina *tom.* 1. *de inſtit. tract.* 2. *diſp.* 207. *num.* 6. Sanchez. *diſp.* 34. *num.* 5. Ego hanc propono. Cum leges non obligent niſi acceptentur, ubi reſpublica ſancit invalidè talem circumſtantiam apponendam, & populus legem admittit, illa ſanctio vim habet. Ergo ſi Jus civile talem aut talẽ circũſtantiã voluit pro non adjectâ haberi, pro non adjectâ habebitur; non quod turpis ſit, ſed quod contra Reipublicæ legem: multat enim in legibus ſunt, quæ aliter potuiſſent poni, nam in pleriſq; ſtat pro ratione voluntas.

An leges debeant acceptari.

Leges plurimæ ſunt arbitraria.

Stando Juri Canonico, legata ſub conditione, *ſi non nubat*, facta, valida ſunt, & conditio tenet, & ſi hæc non ſervetur, illa capi non poſſunt. *Cap. 2. de condit. appoſitis. &c.*

XVIII.

Conditio ſi nupſerit, *an turpis ſit?*

ETſi non nubere melius ſit, quàm nubere, nihilominus nubere turpe non eſt. Quamobrem, valet hæc conditio, *Lego centum Antoniæ, ſi nubat* item determinando hominem, nimirùm, ſi nubat *Friderico.* Sunt, qui aliquos caſus excipiant. I. Si Antonia voto ſit caſtitatis obſtricta, aut etiam voto religionis. II. Si ſit naturâ ſuâ incapax, quæ nubat. III. Si in conditione nuptiæ clandeſtinæ aut illegitimæ ponantur. IV. Si Fridericus ſit illi inæqualis, & qui cum honeſtè conjungi non poſſit. V. Si ſit conſanguineus. VI. Si ſit impedimentum aliquod, nec ſpes diſpenſationis obtinendæ. Quos caſus conſiderare opus eſt. Primus enim & quintus, ſi diſpenſationi ſubjaceant, nullam involvunt turpitudinem. Secundus & ſextus potiùs videntur impoſſibilitatem, quam turpitudinem involvere. Quartus videtur velle inæqualitatem ipſam pecuniâ legatâ compenſare, quod poſſibile eſt, nec aliquam turpitudinem involvet. Non enim ſemper invalida ſunt matrimonia inæqualium. Unde ſolus videtur caſus tertius manere, qui turpem conditionem imbibat. DLXXVIII

Regula generales.

Exceptiones nonnulla.

Et earumdem cenſura.

XIX.

Conditio, ſi juraverit *an turpis ſit?*

JUramentum, actus religionis eſt, nec ſtatim turpè judicandum; adeoque adju- DLXXIX.

Digitized by Google

Adjuratio an ſit turpis? adjuratio non ſemper mala eſt, præcipuè cùm homo vel diſcedit vel moritur. Primò enim videretur mihi difficilis hæc legatio, *lego Petro centum, ſi juret non occidiſſe meum filium*, nam licèt ego velim hac ſatisfactione eſſe contentus, videor Petro jurandi aut fortè peierandi neceſſitatem imponere; quoniam, ſi non occidit, jurare debebit, ne homicidii ſuſpicionem incurrat; & ſi occidit, etiam debebit, ne ſuum peccatum detegat. Secundò, ſi juramentum ſit de futuro videtur illici, ut promittat quod fortè præſtiturus non eſt. Quam ob rem ut eatur iſtis inconvenientibus jurandi obligatio edicto Prætoris remittitur, ut inter alios notat Baſilius Pontius *de matr. libr. 3. cap. 8. num. 2.*

XX.

Conditio, ſi concubueris mecum, *an turpis ſit?*

DLXXX. *Diverſæ Theologorum ſententia.* VAriant Doctores. Alii docent illam non eſſe turpem, quia adveniente copulâ ſponſalia purificantur. Sic docuit Covarrubias *2. p. c. 3. num. 13.* cujus opinionem refellit Sanchez *libr. 5. diſp. 16. num. 1.* aſſerens in locis ubi concilium Tridentinum receptum eſt, nec valent clandeſtina matrimonia, ſuſtineri non poſſe. Alii exiſtimant hunc contractum, ſi intelligatur de turpi concubitu, eſſe validum & conditionem debere pro non adjectâ haberi: ſi verò de concubitu licito & matrimoniali ſuſpendere effectum usque ad eventum conditionis. Ita idem Thomas Sanchez *libr. 5. diſp. 16. num. 3.* cum Cardinale Alexandro de Nævo, & aliis. Alii ſubtiliùs, ſi agatur de copula illicitâ putant matrimonium tenere, conditionem eſſe turpem atque pro non adjectâ uſurpandum; ſi agatur de copula licitâ non poſſe matrimonium ſuſpendi, ſed omninò eſſe perfectum. Ita Baſilius Pontius *de Matrim. lib. 3. cap. 8. num. 5.*

At ego, quia ſcio non poſſe hominem invitum matrimonio conjungi, quidquid ſit de foro interiori, exiſtimo, multos poſſe fieri contractus, qui ſupponant copulam ut conditionem. *An copula illicita eſſe poſſit matrimonii conditio?* PRIMUS. *Promitto me cras ducturum te in uxorem, ſi mihi condormias hac nocte*, SECUNDUS, Duco te in uxorem coram Parrocho & teſtibus, ſi mihi condormieris hac nocte. Primus contractus matrimonium non eſt, ſed matrimonii promiſſio; nec puto illo Petrum teneri, ni Antonia conditionem tametſi turpem ponat; & conditione poſitâ, illum puto teneri. Addi contractum ſecundum multas difficultates involvere, quoniam conditio futura eſt; & cùm debeat priùs conditio poni, quàm contractus conditionalis ſubſiſtere, ille concubitus eſſet antematrimonialis, adeoque turpis & peccaminoſus; qui, & alia quæ concurrunt, magnam conſiderationem requirerent.

XXI.

Conditio contraria contractui

DLXXXI. IN matrimonio certum eſt conditionē, quæ cōtrarietur ſubſtātiæ contractus poni omninò non poſſe; quod ſi ponatur matrimonium eſſe nullum. Cōſtat ex *c. fin de cōdit. appoſ.* unde nulli ſūt omnes iſti cōtractꝰ, *Accipio te in meā, ſi nolis debitū reddere; ſi velis generationem impedire, poculum ſterilitatis ſumere* *Contractus nonnulli invalidi.* Quæ quidē matrimonia ſtādo puro Juri naturę paterētur ſuas difficultates; & ſtādo canonico, nō ſtatim occurreret, cur potius

Digitized by Google

tiùs iſtæ conditiones debuerint à Pontifice cenſeri dirimentes, quàm turpes impoſſibilesve; nam turpes & impoſſibiles, ut vidimus, non dirimunt Contractum, ſed pro non adjectis judicantur. At quia alibi rationes & motiva Pontificis expendimus, nunc ſufficit mentem & reſolutionem explicaſſe.

Vide inferiùs Fundam.51.§.2.ubi uberiùs hanc quæſtionem reſumo.

XXII.

Conditio de futuro.

DLXXXII. *Aliud eſt contractus futurus, & aliud contractus præſens cùm conditione de futuro.*

OMnia, quæ hucusque dicta, facilia ſunt; nunc difficiliora aggredior, & ad conditiones de futuro devenio. Et ut rem bene intelligas, promiſſionem contractus futuri à Contractu præſenti affecto conditione de futuro, diſtinguo; aliud enim eſt; *Ego ducam te in uxorem, ſi cras meus Pater venerit*, & aliud. *Ego te duco ſub eadem futura conditione.* Poſito primo Contractu certum eſt, non dari matrimonium ratum actuale, ſed promiſſionem meram futuri matrimonii, adeoque poſitâ conditione non eſſe dicendos, ſi qui ſic contraxerunt, Conjugatos, ſed vi promiſſionis habere obligationem contrahendi. Et hoc eſt tam clarum, ut non poſſit in controverſiam rationalem reduci.

At poſito ſecundo contractu (adde teſtes & Parrochum, ne clandeſtina aliqua nullitas nos interpellet) duæ ſententiæ occurrunt. Prima eſſe validum Contractum aſſerit, ſecunda negat. Aſſerentem vocat Communem Baſilius *libr. 3. c. 12.* & docet ſuaderi multis Canonibus, qui matrimonio Conditionem adponunt, tales ſunt *in cap. de illis. c. ſuper eo. c. fin. de cond appos.* At ipſe negantem exiſtimat Veriorem, & mentem ſuam ad hanc Concluſionem reducit. *Matrimonio non poteſt apponi aliqua Conditio, quæ illius valorem ſuſpendat: ſed ſi ponatur in vim Conditionis, tantùm erit contractus ſponſalium, & non matrimonii.* Conſonat Baſilius Gregorio de Valentia *quæſt. 2. punct. 3.* Rebello *libr. 2. de matrim. quæſt. 10. ſect. 6.* Cujacio *c. 1. de condit. appos.* ubi tenet nullam Conditionem apponi matrimonio poſſe: hanc ſententiam probabiliorem cenſuit Petrus de ledesma *quæſt. 47. de matr. ar. 5. dub. 1. cond. boneſt. poſt. 2. concl.*

Baſilij opinio.

An conditio apponi Matrimonio poſſit?

DLXXXIII. *Aliud eſt contractus oneroſus & aliud conditionatus.*

Ut ſuam mentem expendant ibi Authores, duos contractus diſtinguunt; primum, *Do tibi Centum ſub onere faciendi talem rem* ſecundum, *Do tibi centum, ſi feceris talem rem.* Vi prioris contractûs exiſtimant transferri dominium, & donatarium non teneri reſtituere centum donatori etiam petenti, ſed debere facere rem illam: at vi ſecundi contractûs dominium non tranſit antequàm res illa fiat, unde donatarius non poſſet cogi ut rem illam faceret, bene autem ut reſtitueret, ſi centum recepiſſet, & illam rem facere nollet.

Hinc patet hanc propoſitionem, *Do tibi domum, ſi cras Francofurtum venias*, æquivalere huic, *Dabo tibi domum, ſi cras Francofurtum venias*: & conſequenter hanc, *Accipio te in meam, ſi cras naves appellantur*, huic, *Accipiam te in meam, ſi cras naves appellantur.* Cùm igitur ad Matrimonii veritatem præſens requiratur conſenſus, certum eſt ſub conditione de futuro matrimonium præſens celebrari non poſſe. Sic eſt definitum *in cap. ſuper eo de conditionibus appoſitis.* Ubi declarat Pontifex Titium, qui per hæc verba contraxerat, *Accipio te in meam, ſi Pa-*

In Matrimonio requiritur præſens conſenſus.

Illud: conſenſerit: eſt de futuro.

Pater meus conſenſerit poſito Patris conſenſu non eſſe conjugatum defacto, ſed vi promiſſionis factæ debere ad contrahendum compelli. Cujus Pontificis verba fruſtra conantur Adverſarii in ſenſus peregrinos torquere.

DLXXXIV. Et quia fortè Thomas Sanchez in causâ ut totam hanc diſputationem texeremus, oſtendam non ſolùm hæc verba Titii, *Duco te in uxorem, ſi cras Rex venerit*, æquivalere iſtis *Ducam te in uxorem, ſi cras Rex venerit*, ſed etiam hæc verba Thomæ Sanchez, *Eſt matrimonium*, æquivalere his *Eſt promiſſio* aut *Erit verum matrimonium*, quoniam cùm hæc verba promiſſoria Sanchez matrimonialia dicit, non putat; illis enim non effectũ matrimonii, ſed meræ promiſſionis concedit. Petit enim ſecundum conſenſum, nec ſufficere priorem aſſerit, teſte Baſiliô *lib.* 3. *cap.* 12 *num.* 3. & quidem, ſi ſecundus conſenſus requiritur, prior ille promiſſorius eſt, & non matrimonialis: ſed hoc ego non urgeo, quoniam Sanchez ſecundum conſenſum non requirit, ut patet *ex libr.* 5. *diſp.* 8. *num.* 5. quem etiam citat Baſilius *libr.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. Unde aut primum Baſilii locum non intelligo, aut æquivocatio aliqua latet. Sed hoc in medium poſito, alias rationes producamus. Quoniam quærenti, An Titius, qui cum duabus ſub conditione contraxit, nimirùm priùs cum unâ, & poſteà cum alterâ, teneatur primæ, an ſecundæ? reſpondet Sanchez *diſp.* 8. *num.* 25. quod neutri. Ergo contractus ille prior fuit promiſſorius, nam ſi fuit Verum matrimonium, ſecundus contractus ſolus fuit invalidus; non ſecùs, ac ſi hodie Joannes Antoniam duceret, & poſteà ante conſummationẽ matrimonii duceret, Margaretham. Si conditio ſecundi contractus prius poneretur, ſtãdum ſecundò contractui docet Sanchez *ubi ſupra num.* 18. & iterum illum contractum habere vim promiſſionis, & non actualis matrimonii oſtendit, nam prior contractus Verum matrimonium conſtituit, à conditionis poſitione, & non à voluntatis revocatione pendebit. Nam qui abſolutè contrahit, licèt ante conſummationem voluntatem mutet, conjux remanet; quoniam ſola promiſſio pendet à futuro conſenſu.

Obſervatio contra Thomam Sanchez.

Ad quid teneatur, qui cum duabus contraxit?

XXIII.

De Donationibus Condonationis.

Tranſeo ad donationes, de quibus non nihil dixi paulò-antè. Si quis leget centum aureos Antoniæ, ſi caſtè vixerit, certè puto illam ad reſtitutionem teneri, ſi luxurietur, & pecuniis legatis contra mentem legantis abutatur. DLXXXV. Hinc eſt, quod patienter videre non poſſim luxum & profanitatem Regularium quorundam, qui miſerrimo errore ad authoritatem conducere illa putant, ob quæ à ſæcularibus contemnuntur; quoniam meritò ſcandalizantur modeſti homines, cùm ad Abbatum & Epiſcoporum aliquorum menſas profanas (diſtinguo profanitatem à benignitate) vocantur, & cùm veſtes ſericas, calceos oculatos, tibialia punctis ad mentem Zenonis compoſita, induſia linea, pileos caſtoreos, & alia multa vanitatis & luxuriæ inſtrumenta. Hos abuſus peperit ignorantia & opulentia; at ſuperiores, qui ſic excedunt tenentur ad reſtitutionem, quia utuntur abſolutè (aut diſſolutè potius) eleemoſynis conditionatis. Si mihi aſſentiri non vis, citabo Caſparum Queſten-

An Eccleſiaſtici poſſint pecunias à ſæcularibus legatas, in uſus profanos conſumere.

Caſpar Queſtenbergius.

Digitized by Google

ſtenbergium, Virum pientiſſimum, Virum doctiſſimum, qui in Paræneſi ad ſucceſſores ſuos Strahovienſes Abbates, paulò poſt initium ſic inquit [olim Prælati (Auguſtinum, Benedictum, Norbertũ, Bernardum appello) vix leguminibus menſam inſtruebant, ligneâ ſupellectile contenti, rariſſimè Vinum aut carnes inferri ſuſtinebant, ſimplici tunicâ contenti, ipſi ſuis manibus ſibi miniſtrabant. Hêm quantum mutati ab illis! fermè ad numeros gradimur, irritamenta gulæ ab ultimo Oceano conquirimus, vilis eſt omnis veſtium apparatus niſi magno vœneat, purpura & byſſo induuntur Miniſtri, ſileo reliqua. Et miramur projectum ab illis ſemen creviſſe in gentem magnam, benedictione opus eorum proſequente Deo? miramur ſi jam opulenti, Principibus immixti ad Regni ſolium fermè progreſſi, exareſcamus? miramur inquam, quod antiquiſſimæ Fundationes transferantur & pereant? Quod Monaſteria Sanctiſſimarum cæteroquin Religionum everſa jaceant, & vix alibi veſtigia ſuperſint? Ego miror quod non alibi terrâ dehiſcente abſorbeamur, aut ignibus (N.B.) de cœlo projectis in favillam & cineres redigamur. *Cum Conditione* approbãtibus Patribus noſtris (N.B.) bonorum Fundatorum liberalitas plura contulit, ut expediti videlicet à ſæculi Curis, non niſi quæ Dei ſunt, operemur, loquamur & meditemur; ut pluribus in Beatæ Vitæ Communionem ſollicitatis, magnalia Dei noctium ſimul ac Dierum horis concinamus; ut quæ abundant in pauperum uſus partiamur, ut Domi & foris, velut candelæ accenſæ ſuper Candelabrum poſitæ, luceamus ad illuminationem omnium, qui tenebris obſcuratum habent intellectum; ut velut Angeli Dei exercituum ſine crimine ſimus, nemini dantes ullam offenſionem. Quid vero? Quousque pateris ô bone Jesu! neque enim flagellis miſericordiæ tuæ commoti digna profeſſione noſtrâ agimus, percuſſiſti nos, nec dolemus, non eſt qui agat pœnitentiam de admiſſis, recogitet dies priſtinos; Vix quæ DEI ſunt in animum dimittimus, rauca de nare, ſubſellia prementes, vocem damus, velut mercenarii ſolliciti, ut in operis exitum mox procuramus; Pauperibus infirmis Infortunio præoccupatis, quæ à Prælato conſolatio? quàm parca & tenuis? plus una die perſæpè prodigunt, quàm toto anno Compaſſionis affectu, in egentes dividant. Quis aberrantem revocat, aut meliorem commonet? Corridemus ſcurris, & familiares nobis facimus, occaſiones ingerentes ut ſpurciſſimas narrationes repetant. Pauperes aſſidere nobis anxiè ſuſtinemus, Ganeones acceſſimus. An non propter nos blaſphematur nomen Domini? nonne in ſcandalum & lapidem offenſionis ſumus multitudini? Taceo, quia erubeſco. Repetentibus igitur, quæ dederunt Fundatoribus, & Deo ad iracundiam provocato, non miremur, ſi hæreditas noſtra vertatur ad extraneos; ſi detur genti facienti fructus: ſi Ordinum glorioſi Patriarchæ querantur, in unius Dei gloriam à ſe decreta in injuriam ejusdem converti, & Monaſteria plerisque in locis, non Chriſti ſed Belial ſervorũ eſſe receptacula; poſſiumdari eadem & penitùs inverti juſto Dei Judicio ſuſtineamus] Hucusque Abbas ille pientiſſimus & prudentiſſimus, quem erraſſe nemo ſæcularibus ſuaſurus eſt.

Prælati veteres.

Prælati juniores.

Sancti viri ſeveriſſima verba.

Eleemoſynæ dantur conditionatè.

Quid in monaſteriis debeat fieri de ſuperfluis?

Aliquorum prodigalitas.

An fundatores poſſint, quæ dederunt, repetere?

Nota illud pleruſque.

Crudum verbum.

An-ne verum?

*

FVN-

FUNDAMENTUM XXXVII.

De Diſtributiva, Commutativa, & Poſſeſſiva Juſtitia.

IN Promotionibus A defectus impedientes & dirimentes dari ſolent; illi reddunt promotionem illicitam, iſti nullam; nimirùm ſi præeant, vix unquam ſi ſequantur. Idem dicimus de aliis contactibus. Cùm ſemel bono jure aliquis poſſeſſionem obtinet, B non poteſt illa aliter, quàm plena probatione privari. Pro poſſeſſore C habetur, qui doloſè deſiit poſſidere: ſed qui mala fide D poſſidet, aut poſſeſſione E caret, non præſcribit.

DLXXXVI. *Circumſtantiæ ſequentes & antecedentes.* *Præſcriptio.* *An ſemel malus, ſemper ſit malus.* *Dirimentes & impedientes circumſtantiæ.* *Poſſeſſionis vis.*

In omni dubio, F in pari virtute, in pari delicto, ſtandum eſt pro poſſeſſione; & qui prior tempore eſt potior jure eſt dicendus. Hinc eſt quòd ſemel malus, G ſi emendationem non probet ſemper (in illo tamen genere) præſumatur malus; quia ſtat in poſſeſſione malitia. Hinc, quòd omnis homo ſemper præſumatur bonus quamdiu non probetur eſſe malus; quoniam omni actuali delicto prior innocentia eſt. Hinc, quod in dubio H favendum ſit reo; quia ſtat in poſſeſſione innocentia, quæ tanti fit, ut concedatur I accuſato multis defenſionibus uti, non tamen pluribus actionibus accuſatori; quidquid enim K actori, licet reo; aliqua tamen conceduntur reo, quæ negantur actori. Hinc, quòd præſumatur ignorantia L ubi ſcientia non probatur, quoniam ignorantiæ eſt magis antiqua poſſeſſio. Hinc quòd ſemel ſacrum M Deo non debeat ad uſus humanos transferri, nam eſt in poſſeſſione conſecratio, nec temerè dicendum jure conſecrationis Deum cedere. Hinc quòd in re N communi potior ſit conditio prohibentis, quia ſtat pro non-facto poſſeſſio: Et quidem prohibere cenſetur, qui rem Communem vult dividi; is enim prohibet rem eſſe communem; & ubi rei communio eſt incerta, eſt in poſſeſſione diviſibilitas: Hinc, quòd non O ſit moroſus, qui dubitat, an rem debeat facere; quoniam in dubio favet libertatis poſſeſſio. Hinc, quod in alternativis, P ſit debitoris electio, quoniam & poſſeſſio ipſius eſt.

Plura indulgentur reo, quàm actori. *Standum pro aris.* *Poſſeſſor virtualis.* *Pro poſſeſſione ſtandum.* *Favendum reo.* *Ignorantiæ præſumptio.* *Ius prohibendi.* *Quis ſit moroſus ſolutor?*

Digitized by Google

Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Poſſeſſor D malæ fidei poſſet præſcribere, ſi reſpublica vellet; in Jure Canonico ſemel tantum præſcribit: in Cæſareo fortè nunquam præſcribit; Tenetur ad reſtitutionem: antequam re vel voto exhibitam Q peccatum remitti non poteſt. Mala procedit fide, qui exigit R quod non debetur, aut S plus quàm debetur; & ille qui contra Iura poſſeſſionem T ingreditur. *Poſſeſſio bonæ & malæ fidei. An ad præſcriptionem ſufficiat?*

DLXXXVII A. IN promotionibus defectus impedientes & dirimentes dari ſolent; illi reddunt promotionem illicitam, hi nullam.

In contractibus defectus impedientes & dirimentes dari ſolent; illi reddunt contractum invalidum, hi nullum. Factum legitimè retractari non debet licet caſus poſteà eveniat, à quo non potuit conchoari. *Eſt Regula LXXIII.*

B. Qui eſt in poſſeſſione non poteſt aliter quàm plenâ probatione privari (*nempe plena probatione alterius juris, proprij delicti aut neceſſitatis publicæ: quoniam etiam ob delicta & publicum bonum homines bonis privantur.*) *Sæpe enim contingere poteſt ut conducat ad ſecuritatem Reipublicæ, quod tali fundo careant; rarò ut compenſationem non habeam.* Hinc Regula LXV. Beatus qui poſſidet. Melior eſt conditio poſſidentis.

C. Pro poſſeſſore habetur, qui dolo (*hoc eſt malitia propria*) deſiit poſſidere. *Eſt Regula* XXXVI.

D. Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit. Eſt Regula II.

An-ne aliter decernit Ius civile? Non putem. Videtur latere aliqua æquivocatio, & in re utriusque Iuris ſummum eſſe conſenſum.

An-ne poteſt concedere Respublica, ut quis mala fide præſcribat? hoc eſt, ut præſcribat in re quam certò ſciat alienam eſſe? Poteſt. Et fecit Eccleſia de facto in uno caſu, fortè Iuſtinianus in multis, forte in nullo.

Qui incepit poſſidere conſcientiâ dubiâ, incepit mala fide, nec poteſt præſcribere. *Quia in dubiis ſtandum eſt pro poſſeſſore certo; non igitur dubius poteſt auferre rem quam alius poſſidet; ille enim eſt in ſua poſſeſſione relinquendus* *Poſſeſſio dubia:*

Qui incepit poſſidere conſcientiâ certâ vel probabili, incepit bonâ fide: quod ſi dubia ſubrepant, manet poſſeſſor bonæ fidei, *quia eſt in poſſeſſione bonæ fidei, & non debet dubio ſuperveniente privari.* *Certa: probabilis.*

E. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit *Eſt Regula III.*

Poſſidet, qui habet rem proprio nomine: nimirùm, qui rem habet phyſicè vel moraliter; unde poſſeſſio in phyſicam & moralem dividitur

F. In omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione. *Unde datur Regula LIV.* Qui prior eſt te tempore (cæteris paribus) potior eſt jure. *Unde etiam.* In dubiis & ambiguis beatus qui poſſidet. Quod ſemel placuit (nimirùm, ſi voluntate tuâ alteri jus adquiſitum ſit) ampliùs diſplicere (in alterius injuriâ) non poteſt. *Eſt Regula XXI.*

Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum (*hoc eſt, injuriam*) *eſt Regula XXXIII.*

In pari (*Virtute vel*) delicto, melior eſt conditio poſſidentis. *Eſt Reg. LXV.*

Si duo rem indiviſibilem, quam reſtituere non debeant, æquali virtute, aut etiam delicto adquiſiverint, melior erit conditio poſſidentis.

G. Ho-

G. Homo præſumendus eſt bonus, quamdiu non probatur malus. *Layman. l. 3. tr. 3. p. 2. c. 2. n. 7.*

Semel bonus, ſi delictum non conſtet, ſemper præſumitur bonus,

Semel malus (*ſi emendationem non probet*) ſemper præſumitur malus. *Eſt Reg. VIII.*

Offendens in uno, factus eſt omnium reus, *nimirum quoad jus ingrediendi in vitam æternam.*

Periuro nunquam ampliùs creditur. Quia, cùm emendatio ſoleat juramento probari, perjurus ſe eſſe jam emendatum probare non poteſt.

H. Cùm ſunt partium Jura obſcura, favendum eſt reo potiùs, quam actori *quia ante delicti plenam probationem ſtat in poſſeſſione innocentia) Eſt Reg. XI.*

Promptiora ſunt Jura ad abſolvendum, quam ad condemnandum. *Et hoc ob eandem rationem.*

Favorabiliores rei potiùs quam actores habentur.

I. Nullus uti pluribus defenſionibus prohibetur. *Eſt Reg. XX.*

Nemo ex his, qui negant ſe debere, prohibetur, aliâ defenſione uti, niſi lex impediat

K. Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit. *Eſt Reg. XXXII.*

L. Præſumitur ignorantia (*nempe invincibilis*) ubi ſcientia non probatur (*videlicet, neque quoad actum neque quoad debitum*) *eſt Reg. XLVII.*

Ignorantia vincibilis non excuſat.

Scientia præſumitur, ubi debitum ſcientiæ probatur, quoniam Ignorantia vincibilis, quo ad culpam, aut pœnam virtualiter ſcientia eſt. Qui enim vincibiliter ignorat, ita ſe habet ac ſi ſcientiam haberet.

M. Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulteriùs transferendum (*quia ſtandum pro poſſeſſione dedicationis*) *Eſt Reg. LI.*

N. Jure Communi potior eſt conditio prohibentis. *Qui ſtandum pro poſſeſſione, & eſt in poſſeſſione non-actio. Eſt Reg. LVI.*

Fiſcus eſt ſocius.

Si rem communem velit unus ſocius, (*fiſcus unus ex ſociis eſt, cum aliquid ipſi debetur*) dividi, ſtandum eſt pro diviſione: *& oſtenditur, quia ſecundum Communem rei politicæ ſtatum, Communitas eſt privatis perſonis poſterior.*

Communitas eſt antiquior diviſione.

O. Non eſt in morâ, qui poteſt exceptione legitimâ ſe tueri. *Eſt Regul LX.*

P. In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri (*niſi aliter Conventum ſit.*) *Eſt Reg. LXX. & ratio eſt quia debitor poſſidet.* Q. Peccatum non remittitur, niſi (*re, vel voto*) reſtituatur ablatum. *Eſt Reg. IV.*

R. Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem. (*Quod ſi accipiat erit malæ fidei poſſeſſor.*) *Eſt. Reg. LIX.*

Dolo facit, qui petit, quod (*neceſſariò*) redditurus eſt, *inquit Paulus IC.*

S. Bona fides non patitur, ut ſemel actū (*paſſum, datum-ve*) iterum (*niſi fortè novus accedat exigendi titulus*) exigatur *Eſt Reg LXXXIII.*

Deus nō judicat bis in id ipſū. *Reginald° de prudēt. Cōfeſſ. p. 632. ergo nec homo poteſt.*

T. Qui (*ſciens & volens*) contra Jura (*dirimentia*) mercatur (*& univerſaliùs, aliquam rem incipit poſſidere*) bonam fidem præſumitur (*imo convincitur*) non habere. *Eſt Iuris Regula LXXXII.*

I.

HOMINES ad dignitates adſpirant; DLXXXIX. eas obtinent, poſſident, & defendunt. Et ut video, omnia optimè concatenantur: quoniam finis præcedentis capitis, & præſentis initium docet quinā debeāt aut poſſint ad dignitates adſpirare. Quod clarius reddiderit hæc.

In promotionibus obices impedientes & dirimētes ſolent dari, illi reddunt promotionem

Doctrina generalis.

Digitized by Google

nem illicitam, hi nullam. Et eodem omninò modo de reliquis cõtractibus & alienationibus eſt philoſophandum. Et ipſi ſunt ſecundum varias leges & dignitates aut qualitates Varii. Ut ſolenniter quis profiteatur, impedimentum eſt dirimens defectus temporis, ſive iſte ætatem, ſive probationem concernat; ſi enim ante completum annum ætatis ſextum decimum, aut, ante completum probationis annum, Vota emittas, nec ſolennis nec valida erit profeſſio. Ut promoveatur quis ad Ordines temporis defectus non eſt dirimens, ſed impediens. In Abbatum, Epiſcoporum, & aliorum Antiſtitum denominationibus, electionibus & confirmationibus multa illicitè poſſunt fieri, quæ tamen creationem non dirimant; nam ſicut in matrimonio videmus impedimenta impedientia & dirimentia aliquando ſubrepere, ſic in aliis Contractibus & actibus publicis alterutra reperiri poſſunt, & ſolent. Quam ob rem conſcientiâ-conſultus debet examinare, An in Promotione propoſitâ aliquid actum ſit, quod ſit legi contrarium? & ſi aliquod delictum reperiat, An impediens, an vero dirimens; aut fortè ſit neutrum, examinet. Notandum tamen eſt impedimentia dirimentia debere plerumque præcedere, nam Matrimonium, exempli gratiâ, non dirimitur, ſi impedimenta dirimentia ſequantur, unde REGULA LXXIII. *Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſteà eveniat, a quo non potuit inchoari.*

Impedimentum dirimens profeſſionem.

Impediens ordinationem.

Electionem.

Impedimentum ſubſequens & præcedens.

DXC. Hæc notanda ſunt, ut aliquis bono jure & bonâ fide poſſeſſionem obtineat; quâ ſemel obtentâ ſecuriſſimus erit, quoniam argumentum fortiſſimum ab ipſâ poſſeſſione deſumitur; & quidem multæ Juris Regulæ ſunt de manutenendâ poſſeſſione & hoc ipſæ Principio. *Qui prior eſt tempore, potior eſt Iure* REG. LIV. fundantur, quod paucis alteratis proponitur à dicentibus, *ſtandum eſt poſſeſſione juſta*; & omnis poſſeſſio *juſta ſemper cenſenda eſt, quamdiu injuſta non demonſtratur.* Conſulto *Demonſtratur* dixi, nulla enim ratio probabilis tanti momenti poteſt eſſe ut prævaleat poſſeſſioni. Layman *Theologia Moralis libr.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *§.* 3. *num.* [Nemo Privatus, *ait*, alterum ſui juris poſſeſſione privare poteſt ob dubias, etiam probabiles, non tamen certas rationes, ſicut notat Sanchez *diſp.* 44. *num.* 3. & habetur *cap. Inquiſitioni de ſent. excomm.* & apud S. Thom. *in* 4. *d.* 41. *quæſt.* 1. *a.* 5. *quæſt.* 1. *ad* 3.] Nota illud *privatus*, quin homo ex lex, aut legibus univerſis ſuperior, uti probabilitate contra poſſeſſionem poſſet, ſed leges id non patiuntur, volunt enim & meritò poſſeſſioni bonæ fidei cedere omne dubium, ſi detur; poſtponi omnem probabilitatem.

Beatus, qui poſſidet.

Quæ ſit poſſeſſio juſta?

Poſſeſſio plus eſt, quam probabilitas.

Sanè ne poſſeſſio moralis & Phyſica confunderentur, additur à Bonifacio

II.

DXCI PRo *poſſeſſore habetur, qui dolo* (hoc eſt, malitiâ propriâ) *deſiit poſſidere.* REG. XXXVI. Unde optimè Juriſconſultus Paulus. l. *qui dolo. ff. eodem ait*; *Qui dolo deſierit poſſidere, pro poſſidente damnatur, quia pro poſſeſſione dolus eſt.* Et conſequentiæ ſilo *l. parem. ff. hoc tit.* Ulpianus, *Parem eſſe conditionem ejus, qui quidquid poſſideat vel habeat; atque ejus, cujus dolo factum ſit, quo minus poſſideret vel haberet.* Et idem *l. ad ea quæ. §.* 1. *ff. eodem* clariùs, *ſemper qui dolo fecit quo minus haberet, pro eo habendus eſt, ac ſi habe-*

Poſſeſſor invitus.

beret. Et ratio regulæ ſumitur ex alterâ prudentiſſimâ & neceſſariſſimâ; nimirùm, *Omnia ſic temperanda ſunt, ne doloſo ſuus dolus commodum, & alteri incommodum adſerat* deſumptâ *ex l. 1. §. 1. ff. de doli mali & met. except.*

III.

DXCII. *Grammatici frequenter errant in Theologicis. Quid fides?* P*Oſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* Eſt Regula Juris II. Et placet tantiſper hærere in vocum harum expoſitione, ut videamus quàm miſerè errare ſolent, qui ſcrupuloſiores in Grammaticâ.

Quid Fides? Aliqui cum Hoſtienſi (de quo *num.* ſum acturus) Fidei nomine Catholicam religionem intelligunt, putantque poſſeſſorem malæ fidei, hoc eſt, religionis hæret cæ, illegitimum eſſe, nec nullo unquam tempore præſcribere, resque tutâ conſcientiâ retinere non poſſe. Quâ vocis exorbitantiâ hæretici intelligunt illud Pauli ad Romanos, quod non eſt ex fide peccatum eſt, quorum grammatico ſenſui ex catholicis crudè adhæſit Michael Bayus, & poſt eum Cornelius Janſenius, ut dixerit, *Omnia infidelium opera eſſe peccata, & virtutes Ethnicorum, Vitia.* Quia eorundem ſententiâ, quod non eſt ex fide Catholicâ, peccatum eſſet.

DXCIII. *Fides ſignificat dictamen.* At tenendum omninò eſt in utroque loco, nimirùm Pauli Apoſtoli & Bonifacii ſummi Pontificis nomen *fidei* ſumi pro conſcientiæ dictamine; & Poſſeſſorem malæ fidei, hoc eſt, res retinentem contra dictamen, nullo omninò præſcripturum tempore. Non enim annoſa & violenta rei alienæ detentio facere poterit, ut ſit legitima & ſecundum fidem ſeu conſcientiam.

Quæſtio incidens. Poſtulas. An Reſpublica concedere poſſit, ut poſſeſſor malæ fidei, qui ſcit rem quam poſſidet non eſſe ſuam, ſed alterius, præſcribat? An poſſit indulgere ne teneatur ad reſtitutionem ante ſententiam Judicis? & reſpondeo duas dari probabiles ſententias *De acceptatione legum.* circa legum acceptationem: Primam, quæ docet Poſſe Principem populo invito leges ferre: Secundam, eamque probabiliorem, quæ ſervis invitis leges ferri poſſe pronuntiat, at reliquis ſubditis non poſſe. Porrò, ſi ſtetur priori ſententiæ, neganda eſt Reipublicæ hæc authoritas; non enim ipſa aliquem poteſt exſpoliare invitum. At, ſi ſtemus ut ſtare omnino debemus, opinioni ſecundæ, clara res eſt. *Nam cùm volenti & permittenti non fiat injuria*, & lex feratur acceptante, hoc eſt, volente & permittente populo, liberè poterit de bonorum poſſeſſione & Dominio diſponere ſine conſcientiæ ſcrupulo. *Semel* cognito quid Reſpublica poſſit, quid fecerit reſtat examinandum.

DXCIV. *Præſcriptio juxta Canones.* Præſcriptio juxta Jus Canonicum requirit ut incipiatur & continuetur bonâ fide: Unde qui ſub initium bonâ fide domum meam poſſederit, ſi tamen ſucceſſu temporis ſciat eſſe meam, tenetur ad reſtitutionem, nec poteſt contra me quoad forum interius præſcribere. Cum requiri bonam fidem *Bona fides naturalis & civilis.* ad præſcriptionem dico, fidem bonam naturaliter, a bonâ civiliter diſtinguo: haberet enim bonam fidem civiliter, qui certò ſciret domum illam eſſe meam, modo nemo poſſet illum de iſtâ ſcientia convincere. At bonam fidem naturaliter ille ſolummodò habere dicitur, qui ita poſſeſſionem ſuam continuat, ut non ſciat ſe teneri ad reſtitutionem. *Vide c. fin extr. de præſcript.*

Cx-

DVC. *Præſcriptio civilis.* Cæterum Iure civili receptum eſt, aliquorum ſententiâ ſufficere bonam fidem in initio, tametſi mala poſteà fides ſubſequatur *l unica.c.de uſu.c.transfer.l.ſi aliena 10. in princ ff de uſurp.& uſu cap. §.diutina. Inſtit. de uſu cap.* Et noſtra erit inquirere Primo An ex hypotheſi, quod ſic Jure Civili ſit diſpoſitum, ille qui bonâ fide incepit poſſidere, & tamen ſucceſſu temporis habuerit malam fidem, in conſcientiâ præſcribat. Et ſecundò, an id Jure Civili decretum ſit.

Ad primam dubitationem his verbis Caniſius in Regulam II. reſpondet. [*Hoc jure non utimur, propter peccatum, quod provenit ex conſcientia rei alienæ. Cum generaliter, ait Innocentius III. in Generali concilio Lateranenſi.* ſit omni conſtitutioni atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari. *c. fin. extr. de præſcription.*] Sed non urgeor. Quia ſine peccato mortali poſſum præſcribere, ubi leges & populi conſenſus permittit. Sed mox Caniſius. [*Ab hac tamen Regula excipitur caſus in cap. 1. de præſcrip.* (contra ſeptimum præceptum Decalogi nulla eſt exceptio; ergo poteſt dari malâ fide præſcriptio valida & ſine furto, ſi publicâ authoritate & populi conſenſu fiat) *ubi Epiſcopus contra alium Epiſcopum triennio præſcribit locum à ſe converſum ad catholicam unitatem* (nimirùm tametſi incipiat & continuet poſſeſſionem malâ fide, hoc eſt, ſciens epiſcopatum eſſe alius) ſed cur? Reſpondet, *Verùm id fit authoritate ſacrorum Canonum; quibus cùm omnes Eccleſiæ ſubjectæ ſint, & ab iis certam legem accipiant, id certe conſtituere poterunt, ut res unius Eccleſiæ alteri ex juſta cauſa* (imò ex nullâ cauſa, ſi omnes quorum refert, conſentiant) *adquiri poſſit. Itaque rei alienæ fidem ſuſtinent hoc caſu ſacri Canones in favorem catholicæ Religionis.*] Ergo fidem rei alienæ accepiante populo ſuſtinere ſecundum ſe malum non eſt; ſi enim malum eſſet, non poſſet fieri ne quidem Chriſtianæ Religionis intuitu; ut enim mala fieri poſſunt, ut bona eveniant. Quod ſi malum non eſt, fieri etiam aliàs poterit; imò & ſemper, ſi judicetur expedire. Ergo ſicut Epiſcopus poteſt præſcribere Epiſcopatum malâ fide poſſeſſum, quod id leges permittunt: poteris & tu meam domum, tametſi malâ fide poſſediſſes, Præſcribere, ſi hoc leges Civiles concederent. *Et hoc* (utor ad hominem & verbis & ratione Caniſii) *tunc fieret authoritate ſanctorum politicorum Iurium; quibus cum omnia bona privata ſubjecta ſint, & ab iis certam legam accipiant, id certè conſtituere poterunt, ut domus Unica particularis alteri ex juſta cauſa adquiri poſſit. Itaque rei alienæ fidem in tali caſu ſuſtinerent Civilia Iura ad proſcribendas multas implicatiſſimas lites in favorem publicæ tranquillitatis.*

Vtrùm præſcriptio malæ fidei ſit ſecura in conſcientia?

Mala fide præſcribitur in Epiſcopatu.

DXCVI. *Omnes leges malæ fidei poſſeſſores excludunt. Et præcipuè. Bavaricæ, & Imperiales.* Ad ſecundam reſpondeo præſcriptionem aut nunquam fuiſſe qualem Juri communi imponunt, aut jam non eſſe: video enim omnes Provinciales Regum & Principum Conſtitutiones præſcriptionem malæ fidei negantes. Et inter alias Bavaricæ *tit.9. art. 7.& 8.* expreſsè habent poſſeſſionem, quam non Comitatur bona fides tot annis extenſa, quot fuerint ad præſcribendum neceſſarii, non poſſe tutâ conſcientiâ præſcribi. Hanc Juris canonici ſecundam Regulam in Imperiali Camerâ multis Præjudiciis comprobatatam contra Jus commune teſtatur

An-

Conciliātur Ius Civile & Canonicum.

Andreas Gail. *lib. 1. obſerv. 18. num. 7.* & ex eo Henricus Caniſius *ſumma Iuris Canon. lib. 6. Reg. 2.* & quidem poſſet utrumque Jus conciliari, ſi dicamus *malam fidem* à Juriſtis vocari dubium, à Canoniſtis certitudinem iniquæ poſſeſſionis.

Fides certa, & dubia: bona & mala.

Tunc enim hæc Poſitio, *Qui dubitat, an res ſit ſua, non poteſt poſſeſſionem inchoare, qui tamen ſincerè putando rem eſſe ſuam inchoavit poſſeſſionem, ſi poſteà dubitet, poteſt illam piè continuare & præſcribere,* quæ eſt communis & vera, ut habet Eſcobar *in Theolog. Moral. tract. 3. examin. 1. cap. 4. num. 7.* Layman *libr. 3. tract. 1. cap. 8. & alij.* transſcriberetur à Canoniſtâ his verbis; *Datur bona fides certa, & bona fides dubia. Qui bonam fidem dubiam habet non poteſt poſſeſſionem inchoare; qui tamen illam inchoavit bonâ fide certâ, tametſi poſtea habeat bonam fidem dubiam, poteſt poſſeſſionem ſuam piè continuare & præſcribere.* Et à Juriſta his, *datur fides certa, quæ bona dicitur; dubia, quæ mala; ubi enim ſcitur rem eſſe alienam, nō datur mala fides, ſed infidelitas, & nulla fides. Qui malam fidem habet non poteſt poſſeſſionem inchoare, qui tamen illam inchoavit bona fide, tametſi poſteà habeat malam fidem, poteſt poſſeſſionē ſuam piè continuare & præſcribere.* Ubi vides diverſis verbis, imò adverſis, idem omninò dici à Juriſta Canoniſta & Theologo.

IV.

DXCVII. *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.* Eſt Regula III. & in natura & definitione eiuſdem poſſeſſionis fundatur: eſt enim *præſcriptio, rei per continuam poſſeſſionem tempore à jure definiti adquiſitio* ut probatur *ex titulo Decretaliū de præſcript. extr. & in c. ex tit. c. de præſcript. longi temp. 10. vel 20. ann. cum aliquot. tit. c. ſeqq.* Ergo tam requiritur ad præſcriptionem poſſeſſio: quàm rationalitas ad humanitatem.

Quid ſit præſcriptio?

Poſſeſſionē requirit.

Videtur hæc Regula diducta *ex cap. cauſam. 7. extr. de præſcriptione ex c. 3. in fin. extr. de probation.* Cui conſonat textus *in lege ſine poſſeſſione. 25. ff. de uſurpat. & uſucap.* Porrò poſſeſſio eſt duplex, Phyſica & Moralis: hæc ultima ſufficit, & accidit, cùm aliquis rem proprio nomine moraliter poſſidet. Conſulto dixero *proprio nomine*, Colonus enim, Inquilinus, Procurator, Depoſitarius, Cōmodatarius, potiùs res habent phyſicè, quam moraliter; non enim habent nomine proprio ſed alieno, atq; ideo non poſſunt præſcribere.

Proprio nomine & alieno poſſidens.

Hinc patet efficaciſſimum fuiſſe illud dilemma, quo olim in meo Philippo contra Luſitanos & Hollandos ſum uſus. [Vel fuerunt legibus Caſtellæ ſubditi, vel non: ſi ſubditi non ergo liberi; non ergo habent poſſeſſionem libertatis: ergo ſunt ſubditi Regi Caſtellæ; ſi non ſubditi, ergo legibus Caſtellæ non poſſunt præſcribere. Quibus ergo? Propriis? minimè: non enim antequam in libertate præſcribant, ferre & habere poſſunt leges proprias. Non ergo potuerunt præſcribere.] Hæc ratio eſt efficaciſſima, ſed debet conſiderari bene, nam lepidiſſima eſt Macedi inſtantia quâ illam enervare conatur.

Ratio fortiſſima.

V.

Semel malus (ſi emendationem non probet) *ſemper* (in eodem tamen genere, & non aliis) *præſumitur malus.* Et ratio eſt; quia in omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione quæ fuerat ante dubium; unde ſi ante dubium ſit malitia, ſtandum erit pro ipſa, quouſque correctio & emendatio comprobetur: ſi ſit bonitas, ſtandum erit pro eiuſdem poſſeſſione. Huic regulæ datur altera ſimilis; videlicet, *ſemel probatus bonus, ſemper præſumitur bonus.* quæ fundatur in c. DXCVIII.

An ab uno ad omnia valeat argumentatio?

mandata 6. extr. de reſcript. cui addam alteram meliorem benignioremq;, *Homo præſumendus eſt bonus quamdiu non probetur malus*: & illam fundo in ipſa natura Decalogi; eſſem n. Judex temerarius, ſi eſſe malum Franciſcum præſumerem, & omni ratione præſumendi carerem.

Regulæ octavæ moderatio.

Hanc ego octavam præſumptionis Regulam ad idem peccati genus contraxi, & tu ampliandum judicas, & aliã objicis, nimirum, *defleat peccatum, quia offendens in uno factus eſt omnium reus.* Et infers, eum qui in furto peccaviſſe convincitur, omnibus vitijs infectum præſumendum. At Innocentius *in c. fin. de pæn. diſt 5.* negat conſequentiam & ait, *offendentem in uno, fieri omnium reum, non quidem in quantum ad mundum, ſed quantum ad vitam æternam*, & reſponſionem ſuam exponit, *ſicut enim ſi peccatis omnibus eſſet involutus, ita ſi in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit.*

DIC.

Nunquam perjuro creditur.

Objicis perjurum, cui etſi correcto & emendato, ampliùs non creditur, *c. teſtimonium. 54 extr de teſt.* Reſpondeo perjurum ipſo crimine reddi judicialiter nullum, adeoque non mirum ſi ei non credatur, quia ſicut non creditur pſittaco, quia phyſicè homo ipſe non eſt, ſic nec perjuro (addit Hiſpanus ebrioſum) quia virtualiter, quo ad hunc effectum, homo non eſt. Sed quia ſuos patronos etiã habet ebrietas, & dicunt *debere peritos, Qui fuerint Romæ, Romano vivere more*, adeoque ebrietatem in ſolâ Hiſpaniâ maculare, & in Germaniâ ad authoritatem conducere; ſubjungo me videre ebrioſos in ipſamet Germaniâ contemni, nec ad ſublimes qualitates adſumi, imò adſumptos deponi. Nam & hodie bibit Monachij clariſſimus Dominus N, tantæ apud Juriſtas opinionis, ut nullus cliens ſe putet bene procedere, nullus advocatus ſe bene patrocinari, nullus judex bene reſolvere, illo inconſulto, & tamen ob ebrietatem ita miſer, ut fuerit omni publicâ qualitate exutus, nec ſuis conſilijs ſubſcribere nomen permittatur; Juris enim Motiva, quæ ipſe ſcribit, ſemper nomine alterius præſentantur & tametſi plus laboret, plus lucretur quàm reliqui, nihilominùs in foro politico eſt nullus, & hoc in ipſamet Germania. In quâ quidem ſobrietas ſuam laudem habet; & ſi hauſtus liberalior permittitur, nunquã toleratur ebrietas. *Noto tamen eum, qui ſemel malus fuit, etſi emendetur, ſemper habere aliquid notæ, etiam in alijs generibus, quo caret ille, qui nunquam fuit malus, at nolumus hinc argumentum tale ſumi, quod ſufficiat ad præſumptionem, aut probabilitatem.*

Perjurus virtualiter homo non eſt. An idem de ebrioſo dicendum?

Contemnuntur ebrioſi in Germania

Nota bene

Obſervatio digniſſima.

VI.

DC.

C*Um ſunt Iura obſcura, reo favendum eſt potiùs, quàm actori.* Eſt Regula XI. & certiſſima; quoniam actore non probante reus abſolvitur, tametſi in ſe iſte ſuſceperit poſitivam innocentiæ ſuæ probationem, & in probatione, defecerit. *l. 4 de edendo. c. f. §. de jurejurand. l. circa 15. ff. de probat. & ibi Gloſſa, & Bartolus.*

Actori incumbit probatio.

Sed non ſtatim occurrit, cur potiùs favendũ ſit reo, quàm actori, cùm ſemper favendum ſit Reipublicæ, & hic in favorem boni publici agat. Tu daturus rationem Regulas has aſſumis, *Promptiora ſunt jura ad ſolvendum, quam ad condemnandum* itemque *Favorabiliores rei potius, quam actores habentur, illam deſumptam ex c. 3. verſ. 1. ſi ambarum. extr. de probation. l. Arrianus. 46. ff. de oblig. & act.* hanc verò *ex lege favorabiliores. 125. ff. de regulis juris.* ſed hoc eſt æquipollentia jura adducere, & idem per idem probare. Ego quidem hanc Regulam ſic breviter ſuadeo. In dubijs ſtandum eſt pro poſſeſſione

Æquitas non debet eſſe pura æqualitas, ſed ſimilior favori quã odio.

In dubio beatus, qui poſſidet.

ſeſſione ſuæ famæ, ſuæ opinionis, ſuæ libertatis; imò & Civilis ſuæ innocentiæ: ergo per probationem dubium non eſt privandus famâ & commoditate certâ. unde in criminalibus, ſi actor nihil probarit, dimittendus eſt reus; & ſi probatio utrimq; æqualis fuerit, etiam eſt dimittendus: non enim informatio ſemiplena ſufficit, ut aliquis à ſua pacifica poſſeſſione ejiciatur. In civilibus ſtandum etiam poſſeſſioni eſt, cui cedit omnis probatio, quæ plena non eſt.

DCI. *An Iudex ſemper poſſit ſequi opinionem probabilẽ?*

Hinc oritur quod in varietate opinionum teneatur Judex ſequi etiam minus probabilem, ſi reo favorabilior ſit, quia debet facere pro reo quantum poteſt, & habere illam ſententiam poteſt. Coriolanus. 380. Nota hoc, quod non bene intelligitur à multis Ethicis.

An in æquâ probabilitate res debeat dividi?

Objicis tamen ſolere Judices in æquâ probationum obſcuritate, aut rem controverſam dividere aut ſorti committere: Et reſpondeo hoc ipſum laudabiliter fieri, ubi neuter collitigans in poſſeſſione eſt: in què, ſi alter in poſſeſſione ſit.

An bene à Salomone infans juſſus dividi?

At inſtas. Salomon ortâ quæſtione de filiolo inter duas mulieres, ſi ſtetiſſet huic Regulæ, debuiſſet illum reæ & poſſidenti adjudicare, & tamen potius dividi juſſit. *textus in c. afferte. extr. de præſumption.* Ergo diviſio etiam contra poſſeſſionem habet locum, & reſpondeo illâ Salomonis ſententiâ, non fuiſſe ultimâ & definitivam, ſed quaſi interloquutoriam & præparatoriâ probationes ipſas diſponentem ad rigidius examen: non n. ipſe poterat præcipere ut infans innocens verè occideretur. Quamobrẽ, ſi vel utraq; mulier adquieviſſet ſententiæ, vel neutra, iterum manentibus juribus utriusq; partis obſcuris, debuiſſet infans adjudicari poſſidenti. At quia altera ceſſione ſui juris ſe eſſe veram matrem oſtendit; altera pertinacia ſua ſe prodidit, prudentiſſimè Salomon infantem adjudicavit veræ matri.

VII.

DCII. *De revocatione privilegiorum.*

INdultum à Iure beneficium (privilegiũ) non eſt alicui auferendum (nimirùm, ab eo cui non ſubſit Jus: & tunc non niſi ex rationabili cauſa) vel clarius, *A Iure aut à ſuperiore Principe conceſſum privilegium non poteſt Iudex inferior tollere aut limitare; niſi detur ſufficiens cauſa, & habeat ad hoc authoritatem ſpecialẽ.* Hanc Regulâ XVIII. ſic eſſe intelligendâ conſtat *ex l. ſi. c. de legib. l. 2. l. 5. c. ad SC. Macedo. l. fœminis. 9. l. ſi mulier. 22. cũ ll ſeqq. c. ad SC. Velleian. l. nemo 13. de ſent. interloquutor l. ſi. inſi. c. ſi contra jus, vel util c. 1. extr. de ſent. & re jud. l. 4. §. ſi quis condemnatus. ff. de re judicat.*

De revocatione legũ.

Corollariũ. *A Iure aut a ſuperiore Principe impoſitam legẽ non poteſt Iudex inferior tollere aut limitare; niſi detur ſufficiens cauſa & habeat ad hoc authoritatem ſpecialem.* Sed quid faciendũ mihi, cui Rex aliquid juſſit, ſi jam modò Prorex jubeat cõtrariũ? Hæc eſt apud Hiſpanos praxis. Excuſabo me urbanè apud Proregem, & mandatum Regis inſinuabo; quod ſi nõ obſtante mea excuſatione & inſinuatione Prorex adhuc velit ſibi obediri, ad ſecuritatẽ meâ petâ id ab eo mihi in ſcriptis mandari, & recepto mandato illo, Proregi obediam; ſed copiam ad Regem tranſmittâ, ſic diſponunt noſtra Jura, & mores Civiles continuâ religione ſervari.

Quid faciendum ſi Inferior contra ſuperiorem præcipiat?

VIII.

DCIII. *Tempus nõ dat valorẽ contractui invalido.*

NOn firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit. Eſt Regula XVIII. nâ ſi loquamur in ſpecie teſtamentum, ſi probetur eſſe falſum privilegium ſi oſtendatur fuiſſe ſubreptitium, non reddentur valida ſucceſſu temporis, ſi præter temporis decurſum nulla nova addatur circumſtantia. *l. penult. ff. eodem. §. Præterea. Inſtitut. quibus non eſt*

permiſſ.ſac.teſt. cum ſimul.l.inter ſtipul.§.3. §.Sacram.ff.de verb.oblig. l. à marito.18. C. *de donat. inter virum & uxorem. c.1. extr. de ſent.& re iudic.l.ſi expreſſim.19.ff.de appellat.c.1. de reſcript. libr. 6. l. quoties 6. ff. qui ſatisdar.Cogantur. c. quæ contra.l. obligationum fere.43.§.placet.ff.de oblig & act.*

In furto non præſcribitur. Res furto ablata nõ poteſt habere à ſolo tempore & retẽtione diuturnâ, quod adquiratur; oſtendimus enim ſuperiùs poſſeſſorem malæ fidei non præſcribere æterno tempore. *Quæ ætas ad ſponſalia & matrimoniũ requiratur?* Septennio minores, nõ poſſunt inire ſponſalia; nec impuberes contrahere matrimonium. Anne illorum ſponſalia, aut horum matrimonium defluxu temporis reddentur valida? minimè: merum enim tempus invalida ſponſalia aut matrimonia non firmat, & valida reddit. Quod ſi accedat novus conſenſus, vi illius nova ſponſalia aut novum contrahetur matrimonium, non tamen fiet ut validus fuerit ille contractus, qui de jure non ſubſtitit.*c.1.de deſponſ.impub. lib.6.*

DCIV. *An religioſus profeſſus poſt quinquennium poſſit reclamare?* Objicis. Concilium Tridentinum jubet, ut Religioſus, qui putat ſuam profeſſionem eſſe invalidam, aut quòd ante legitimã ætatem, aut incompleto probationis anno, aut ex metu cadente in virum conſtantem profeſſus fuerit, intra quinquennium audiatur: non tamen quinquennio elapſo. Indicarunt igitur Patres, profeſſionem invalidam ſolo quinquennii fluxu validam fieri.

Quæ profeſſio eſt invalida? Reſpondeo ex duplici capite poſſe emergere invalidam eſſe profeſſionem, vel defectu conſenſus, vel defectu alicuius circumſtantiæ jure Eccleſiaſtico ad ſolennitatem eſſentialiter requiſitæ. Dico igitur profeſſionem defectu conſenſus invalidam, ſucceſſu temporis non reddi validam ſine novo conſenſu: Patreſque jubentes non audiri, qui intra quinquennium non clamaverit, non voluiſſe declarare eum jam reddi validè profeſſum; ſed voluiſſe eum punire, ut non profeſſus inter profeſſos vitam agat profeſſi. *Quinquẽnium non eſt novus conſenſus.* Quæ pœne videtur prudentiſſima, & ad tollendas inutiles lites neceſſaria. *Invalidè profeſſus juſſus manere, non ligabitur votis. An ſaltem obſtringetur præceptu?* An iſte tenebitur votis? Porro nunquam ipſe ligabitur Voto, quod non emiſit: at poſſet ſolenni ligari præcepto, quali in aliquorum opinione Sacerdotes, qui ad Caſtitatem ſolenniter tenentur, vel ratione voti ſolennis impliciti, vel præcepti ſolennis: tametſi illud prius mihi verum videatur. Cæterùm, an ſine conſenſu profeſſi, poſt quinquennium teneantur vi præcepti Eccleſiaſtici omnia illa obſervare, quæ ratione voti tenerentur, alibi examinabo.

DCV. *De defectu circumſtantiali.* Quod ſi defectus fuerit in Circumſtantiâ aliquâ à Jure requiſitâ? Reſpondebo tibi, ſi tu mihi priùs reſponderis interroganti; Quid reſolvi deberet, ſi diceretur contractus ipſe fuiſſe conditionatus? *An impedimenta canonica ſint conditionata?* Quid ſi illæ leges eſſent latæ iſtis verbis, *Defectus ætatis, aut etiam integræ probationis, ſi reclametur ante quinquennium dirimat profeſſionem, non aliàs.* Profectò in tali caſu, qui fuiſſet ante ætatem aut finem anni notitiatus profeſſus, & tamen integro quinquennio (à die notitiæ numerando) non reclamaſſet, eſſet verè profeſſus. *Nota bene.* Quid ſi diceretur mentem Eccleſiæ fuiſſe qualem depinximus iſto paragrapho? nullum ego inconveniens reperio. Nunquam enim hinc educetur Regulam iſtam XVIII. quam exponimus eſſe falſam, quia profeſſionis valor, non oriretur à ſolo tempore, ſed à contrahentium voluntate hoc tempus ut conditionem requirente. Quoniam tametſi Profeſſio ſolennis actus abſolutè legitimus eſſe

eſſe dicatur, multæ in hujuſcemodi actibus ſolent conditiones ſubintelligi, tametſi nullæ ob maiorem claritatem inſeri permittantur. Inſtruor à Pomponio, quem *num. 11. d.* citavi. Sed an abſolutè invalida eſſet conditionata profeſſio, ſuperiùs ſpecialiter examinavi.

Vide à nu. 559. ad n. 586.

Alienatio nec firmatur, nec valoratur tempore.

Objicis etiam alienationem, quæ temporis decurſu firmatur. *l. penult. & ult. c. ſi maior facto alien. l. unica. c. de contr. judic.* & reſpondeo alienationem invalidam, non accipere novum valorem à tempore fluente, ſed à conſenſu quem tempus illud manifeſtat, nam ut optimè ait Jure-conſultus Paulus, *vix eſt, ut non videatur alienare, qui patitur uſu capi.*

IX.

DCVI.

N*Ullus (reus) uti pluribus defenſionibus prohibetur. (tametſi contrarijs, modò ſucceſſive: at actor debet unam ſolam actionem unius rei intentare.)* Regula Juris XX. Sed hæc ipſa inæqualitas non eſt iniquitas; iniquitas enim dicitur omnis inæqualitas, quæ in judicio admittitur, & non intuitu æquitatis aut æqualitatis: ponere enim inæqualitatem, ut inæqualia ad æqualitatem reducantur, ponere æqualitatem eſt. Cùm igitur Actoris & Rei ſecundum ſe partes omninò inæquales ſint; nam in illius poteſtate eſt omittere aut differre actionē, aut nō; hac vel illa viâ ingredi; conſulere præſentes & abſentes; non tamen ſimilia in iſtius, qui provocatus & accuſatus debet comparere, & reſpondere; non quidem quando vult, ſed quando jubetur, etiamſi imparatus ſit, nec habeat advocatos, quos conſulat. Ut igitur hanc inæqualitatem Jura tollerent, conceſſerunt reo, ut pluribus uti defenſionibus poſſet; interdixerunt actori, ut plures actiones inſtituere poſſet: ut vel ſic æquè ſit difficile, agere, & reſpondere.

Non omnis inæqualitas eſt iniquitas.

Actoris & Rei partes ſunt inæquales.

Quod pluribus uti poſſit defenſionibus etiam contrarijs conſtat *ex l. is qui s. ff. de exception. l. de exception. l. nemo prohibetur 8. ff. de tit. exception.* Quam ob rem Antonius de homicidio accuſatus, primò ſi prudens ſit, negabit ſe commiſiſſe homicidium. Quod ſi convincatur, adhuc fateri poterit, & ad ſecundam defenſionē recurrere aſſerendo, ſe hominem quidem occidiſſe, ſed invaſorem, ob vitæ ſuæ neceſſariam tutelam. *Decius ad c. paſtoralis. num. 15. extr. de except.* Dixi defenſiones iſtas contrarias ſi ſimul ponerentur, inutiles. DCVII.

Quo reus modo reſpondere poſſit?

Huic vigeſimæ eſt ſimilis alia Juris civilis Regula, *Nemo ex his qui negat ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione uti, niſi lex impediat.* Et deſumitur *ex lege. nemo ex his. 43. ff. hoc tit.* Dantur pauci caſus, in quibus, quibus ſe debeat defenſionibus reus tueri exponitur, & ipſi in gloſſa ad hanc Regulam, & ad hanc legem *Nemo ex his*, recenſeri ſolent. Quæ omnia confirmat alia Juris Canonici Regula nimirum, XXII. *Non licet actori, quod reo licitum non extitit.* ut doceantur Judices Actorum petulantiam cohibere, nec plus ipſis deferre, quàm reis ſoleat aut debeat. Conſonat huic Regulæ *l. non debet actori ff. hoc titul.* Vlpianus dicens. *Non debet actori licere, quod reo non permittitur.*

Et quo Iudex procedere.

X.

Q*Vod ſemel placuit (* ſi voluntate tua alteri jus adquiſitum ſit *) ampliùs diſplicere* (in alterius injuriam) *non poteſt.* Eſt Regula XXI. cui conſonat Regula XXXIII. *Mutare conſilium, quis non poteſt in alterius detrimentum* (hoc eſt, injuriā) quæ DCVIII.

Diſtingue damnum ſeu detrimentū ab injuria.

Digitized by Google

quæ deſumitur *ex cap. mutare. infr. eod. l. nemo mut. ff. eodem tit.*

Solent Canoniſtæ contra hanc Regulam multas exceptiones objicere, quæ non militant contra ipſam, prout à nobis expoſita eſt, dicunt

An communi conſenſu poſſit annullari contractus?

Primò, hanc Regulam pati exceptionem, ſi utriusque partis conſenſu à placito diſceſſum eſt: & ponunt in venditione exemplum: Emiſti domum meam; quatuor millia dediſti, domum habes, quod ſemel placuit, ſemper placiturum ais, nec poſſe alterum altero invito contractum reſcindere, at poſſe ex communi conſenſu. *Et reſpondeo* contractum illum ſolennis venditionis non poſſe annullari, & ſi annullaretur non falſificari noſtram regulam. Non poſſe annullari demonſtratur, quia legitimus & validus fuit; & nemo facere poterit, ne fuerit validus. Poſſumus quidem facere, ut tu iterum recipias illas pecunias, ego domum; ſed hoc non erit priorem contractum dirimere, ſed novum facere. Rem exemplo expono; Madriti Eberhardus amicus meus, emerat unam domum à Joanne jure Emphyteuſeos Titio ſubditam; & Joannes aſſerit non debere Titio vigeſimam: ſoluit pecuniam Eberhardus, domum recipit, moneturque non debere quidem vigeſimam, ſed decimam. Sub hoc onere illam non voluit, & recepta ſua pecuniâ Joanni reſtituit. At Titius, qui Emphitheuſin dederat, duas venditiones objicit; & bis poſtulat decimam, ſemel à Joanne, & iterum ab Everhardo. Debuitq; iſte omninò oſtendere priorem venditionem fuiſſe invalidam, ne ſecundam validam teneretur admittere: oſtendit, dolum adæquatè probando; non enim erat domus immunis à vigeſima, quæ decimam debebat ſolvere. Stat igitur poſt venditionis ſolennitates requiſitas, non eſſe in poteſtate contrahentium priorem venditionem reſcindere, ſed novam facere. Quod omninò debent emphyteutæ notare.

Caſus proponitur & exponitur.

Scienti & permittenti non fit injuria.

Præterea; eſto poſſit ille contractus prior communi voluntate reſcindi, non derogaretur noſtræ Regulæ, non enim reſcinderetur in alterius injuriam detrimentumque, quod ex communi voluntate; ſcientibus enim & liberè conſentientibus nec dolus nec injuria fit.

DCIX. Hinc oritur doctrina utilis, nec univerſis nota; & oſtenditur, cur non poſſit verum matrimonium diſſolvi? Et reſpondeo nullum contractum ſolennem poſſe aliter, quàm ſecundo eoque contrario contractu diſſolvi; & matrimonij contractum ſolenniſſimum eſſe; ergo, ut poſſet diſſolvi contractus matrimonialis prior, deberet ſecundus iniri, in quo maritus traderet uxori jus in corpus uxoris, & reciperet jus in corpus ſuum; qui præter difficultates philoſophicas, laboraret nullitate politicâ. Sanè illas omitto, hanc oſtendo. Poſſet dici, maritum habere jus in corpus uxoris, non quidem ut illud det, ſed ut illo utatur: neminem habere jus in corpus ſuum, nec illud recipere poſſe, tametſi poſſet dare: poteſt enim concedere ſe tangi à conjuge, qui tamen ſe tangere nequit; Sed hæc ſubtilia ſunt & oculos clariores peterent & tempus liberius; venio ad nullitatem. Dico igitur omnem contractum ſolennem Jure publico fundari, adeoque non poſſe contrahere matrimonia homines jure interdictos & potentia morali contrahendi privatos, quales ſunt ſolenniter profeſſi, & ad ordines maiores promoti. Ergo ſecundus ille contractus, ut eſſet ſolennis, & priorem reſcinderet, deberet Jure

An, & cur non diſſolvatur matrimonium

Qualem in corpus ſuum & in corpus conjugis homines habeant poteſtatem?

Qui non poſſint contrahere?

Jure etiam publico fundari; at non fundatur. Ergo. Probatur minor quia Jure divino interdicitur, nam quos Deus conjunxit, homini non licet ſeparare. *c.1.c.4.extr.de Converſ.conjug.cum ſimul.*

DCX. *An poſſit revocari teſtamentum?* *Secundò* putant hanc Regulam pati exceptionem in teſtamentis; non enim poteſt facere teſtator, ut ſuum revocare teſtamentum non poſſit. *Et reſpondeo* teſtamentum eſſe donationem virtualiter conditionalem, in quâ hæredi aut etiam legatariis non aliter jus adquiritur, quàm morte teſtatoris. Unde (legi hoc omnino volo) Petrus, ſi à mortuis reſurgeret, teſtamentum legitimum conditum ante mortem non poſſet revocare; quoniam poſitâ morte purificata fuit illa conditio, & teſtamentum in donationem certam & abſolutam tranſijt. *Quid ſi à mortuus teſtator reſurgeret*

DCXI. *An contractus aliqui exiſtant utriuſque voluntate?* *Tertiò*, In contractibus innominatis, in quibus ante impletionem jus alterius voluntate reſcinditur. *Et reſpondeo* huiusmodi contractus, utpote minùs neceſſarios eſſe conditionatos & incompletos, & utriusque voluntate indigere. *l. ſi pecuniam.5.ff. de condict.cauſ. data.* *Cæterùm* contractus nominati & ſolemnes non reſcinduntur alterius voluntate, *l.ſicut l.ratas.7. c. de reſcind. vend.* excipe tamen depoſitum. *l.1.§.cum autem.ff.depoſ.* mandatum, §.*mandatum. inſtitut. de mandat. ſocietatem*, §. *manet inſt. de Societ.* in quibus re adhuc integra (hoc eſt antequam alterius intereſſe cœperit) alterius-utrius diſſenſus & pœnitentia admittitur. ETIAM hæres ſuus, recuſationem hæreditatis paternæ alienatæ non ſint. *l.ſi. c. de repud. vel de abſtin hæred.*

An ſponſalia ſint cõtractus ſolennis? QUARTÒ ſponſalia excipienda judicant; *Nec tamen* puto talem eſſe contractum ſolennem; ratio enim poſtulat, ut altero leviter recedente ſubſiſtat, dirimatur tamen ſeriò diſſentiente; coactæ enim nuptiæ miſerabiles exitus ſolent habere, quod poſſet multis iisq; lachrymabilibus exemplis confirmari. Huic igitur vigeſimæ-primæ conſonat *An nuptiæ coactæ ſint ſuadendæ?*

XI.

FActum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari, hoc eſt; Quod ſemel placuit & valide conſtitutum eſt, non dirimitur ſupervenіente impedimento dirimente, quod videlicet omnia dirimeret, ſi præceſſiſſet. Eſt Regula LXXXIII. Sic matrimonium quod ſemel legitimè contractum, non dirimitur etiam poſitis omnibus & ſingulis impedimentis. Sic etiam in teſtamento, quod concomitans dirimeret phreneſis, non tamen ſubſequens. In donatione, emptione, aut venditione factis à Petro ante profeſſionem, tametſi profeſſio, ſi præceſſiſſet, Valorem ipſarum impediret. *Impedimenta dirimentia debēt præcedere: aut concomitari.*

XII.

PRæſumitur ignorantia; ubi ſcientia non probatur. (Nimirùm, quoad actum, vel ſaltem quoad debitum. Quoad actũ quidem, ſi probetur rem ſciri: quoad debitum, ſi non probetur ſciri, ſed ſciri debere.) Eſt Regula XLVII. & ipſa poſſeſſione fundatur. Quia, cum ignorantes naſcamur, & aſſerente Ariſtotele, tanquam Tabulæ raſæ, in quibus nihil ſcriptũ; ſtat pro poſſeſſione ignorantia, quæ excludi non debet, niſi probetur diſcendi cõmoditas & obligatio. Invincibilis enim ignorantia, inculpabilis eſt, & ſolùm culpanda vincibilis, cùm quis aut ſcire poteſt illa, ad quæ ex officio tenetur; aut ſaltẽ cedere officio, ſi incapax ſit ut neceſſaria addiſcat; ignorantia DCXII. *Virtualiter rẽ ſcire diceris, quam ſcire debes?* *Ignorãtia vincibilis & invincibilis.*

rantia enim voluntaria, eſt tam in illo, qui indiget ſcientia & cùm poſſit adquirere, negligit; quàm in illo, qui caret ſcientiâ, quam adquirere nequit, & nihilominùs acceptat qualitatem officiumve, quod ſcientiam illam prærequirit.

Nota bene.

XIII.

DCXIII. *De rebus ſacratis & ſacris.* SEmel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos transferendum. Eſt Regula LI. Porrò Deo ſacra ab hominum commertio exempta, non ſunt ullius hominis, ſed ſolius Dei, *c.2. de immunit. Eccleſ. libr. 6. §. nullius eum & ſeque inſtitut de rerum diviſione.* hæc profanis uſibus non ſunt aptanda. Nota tamen eſſe res ſacras, ſacratas, Eccleſiaſticas, eccleſiaſticorum, ſæculares, ſæcularium, & inter ipſas ſummam omninò reperiri differentiam, quam ſæpe expoſui.

XIV.

DCXIV. *Beatus, qui poſſidet.* QVi prior eſt tempore, potior eſt jure (videlicet, cæteris paribus) quoniam *beatus qui poſſidet*, & nemo poteſt alteri, jam in juris adquiſiti poſſeſſione exſtenti, præjudicare. Eſt Regula LIV. conſultò illud *cæteris paribus* addendum cenſui; quoniam, ubi eſt jurium diverſitas, prior ſolet poſteriori poſtponi: nam in concurſu plurium creditorum, præcedit qui habet pignus, ſequitur qui inſtrumentum publicum, poſteà qui chirographum, tandem qui teſtes. Sed inter ſe, qui ſunt eiuſdem claſſis, uti poſſunt hac regulâ *l. eos. 9. c. qui potior in pign. l. creditor. §. ſi primus. l. privilegia. 16. ff. de privileg. credit. l. fin. c. de bonis auctor. jud. poſſit. l. ſcripturas. c. qui potior in pignor.*

In creditorum concurſu quis præcedat?

XV.

DCXV. *An in omni dubio ſtandum pro præcepto ſit?* IN re communi potior eſt conditio prohibentis. Eſt Regula LVI. quam legerunt al qui primæ Tonſuræ Theologi, & invexerunt novas ſententias in ſcholam, ſcrupulis exoticis plenas, volueruntque illa probare in omni præcepto dubio ſtandum eſſe pro prohibente, adeoque putarunt, delendum illud *prohibentis*, & reponendum *præcipientis*, vel ſaltem prohibitionis vocabulo, omne præceptum intelligendum; nam qui actionem præcipit, omiſſionem prohibet; & è Converſo. At ipſi longè à veritate & mente Bonifacij vagantur: non enim teneor obedire ſuperiori dubio, nam ſtare licitè potero pro meæ libertatis poſſeſſione contra authoritatem dubiam. Et poſito ſuperiore legitimo impoſſibilis eſt materia dubia, frequens probabilis, & in iſtâ ſtabo pro arbitrio, nec erit potior conditio prohibentis aut præcipientis, ſed poſſidentis: niſi fortè promiſerim obedientiam ſuperiori etiam dubio vel probabili; aut etiam ſuperiori certo in materiâ probabili, quod facere videntur PP. Jeſuitæ, ſaltem quoad ultimum; & quoad utrumque Prior & omnes Miniſtri communitatis in Ordine Benedictino.

Nota ſingula attente.

Porro hæc Regula LVI. intelligenda eſt de bonis poſſeſſis à duobus, in quibus nihil poteſt fieri quod in alterius aut utriusque detrimentum veniat, illo qui damnum patitur prohibente. *l. non debet alteri. l. factum cuique ff. hoc titul. l. cuius. 22. ff. de ſervit. verb. præd l. inſt. 10. ff. de inſtit. & jure §. juris præcept. eod. tit. in inſtit. in proemio Decretal. Gregor. IX. l. parietem. 7. ff. de ſervitut. urb. præd. l. invito. l. quidem 12. §. ſi. ff. de ſervitut. urb. præd.* At in favorem fiſci poteris rem communem vendere. *l. 2. c. de comm.*

Exponitur Regula.

Privileg. Jur. Fiſci.

de comm. rerum alienat. l. 1. c. de vend. rer. fiſc.

DCXVI. Quid ſi velim rem communem dividi, & tu prohibeas? Reſpondent Jura; te res ex natura ſua politica dividendas, velle in unitate expoſita litibus & difficultatibus, violenter conſervare; & me hanc violentiam prohibere, adeoque cum melior ſit conditio prohibentis; ſtandum eſſe pro diviſione. *l. fin. c. Commun. divid. l. cum pater. 77. §. dulciſſimis in fin. ff. de legat. 2. l. ſancimus. 34. §. ne autem. c. de donatio.* [Nota hunc caſum; quoniam terminis grammaticè ſumptis, ille videretur prohibere, qui manu-tenet, & ille manutenere qui prohibet; ſed non eſt novum Grammaticos abuti vocabulis. Nam *Immateriale & Infinitum* nomina negativa ſunt, & *Materiale & Finitum* poſitiva, cùm tamen ſpiritualitas & Infinitas ſint formalitates poſitivæ, & Materialitas & Finitudo negativæ, & poſſemus exempla millenalia proferre: ſed hæc obiter adnotaſſe ſit ſatis.] Quid ſi ſtante bonorum communione, ego aliquid fecero, quod poſſet in tuum præjudicium videri; & tamen vidiſti & tacuiſti? An qui tacuiſſe, etiam conſenſiſſe fuit viſus? An ſcienti & volenti ſit injuria?

Grammatici abutuntur vocabulis.

Immateriale, & Infinitum ſunt poſitiva.

An qui ſcit & permittit conſentire dicatur?

Reſpondet Peckius *hic num. 1. in fin.* ſocium, qui ſcit, & patitur, nec contradicit, & mandare & permittere *per l. qui patitur. ff. mandati.* & quidem ex Sabino *l. Sabinus. 18. ff. commun. divid.* ſic olim reſpondit Papinianus. *Sabinus ait in re communi neminem Dominorum jure facere quidquam invito alieno* (altero) *poſſe. unde manifeſtum eſt prohibendi jus eſſe: in re enim pari potiorem eſſe cauſam prohibentis conſtat. Sed etſi in communi prohiberi ſocius à ſocio ne, quid faciat poteſt; ut tamen factum opus tollat cogi non poteſt, ſi cùm prohibere poterat, hoc prætermiſit. Et ideò per communi dividundo actionem damnum reſarciri poterit. Sin autem facienti conſenſit, nec pro damno habet actionem. Quod ſi quid abſente ſocio ad læſionem eius fecit, tunc etiam tollere cogitur.*

Quæſtionem hanc proponit Henricus Caniſius *in huius Regulæ expoſit.* & ait, *exiſtimat Peckius, &c. aliter Papinianus, &c.* nec tamen eam decidit. At ego exiſtimo eum, qui tacet, in materiâ odioſâ non videri conſentire, niſi teneatur loqui. Cum igitur oſtendi non poſſit ſocium habere contradicendi & loquendi obligationem, videtur clarum an Papiniano ſubſcribendum ſit, & non Peckio.

Quæſtio reſolvitur.

XVI.

DCXVII. *Non eſt in morâ, qui poteſt exceptione legitimâ ſe tueri.* Eſt Regula LX & etiam manu tenendâ poſſeſſione fundatur; quoniam mora & poſſeſſio diſtinguuntur, quod mora ſit poſſeſſio rei, quâ carere debeas, ſive rem teneatis dare vel facere. Doceor ergo à Regula, quod ubicunque habeo rationem fortem & probabilem, quâ poſſum obligationem elidere, & contra adverſarium excipere, non eſt dicenda mora, meæ libertatis poſſeſſio: nam ſi dicar debere dare pecunias, potero exſpectare quouſque ſatisfiat exceptionibus & rationibus, quibus mihi perſuaſum habeo illas non debere, vel ſaltem non debere nunc dare; ſi dicar debere aliquid aliud agere, poſſum manutenere meæ libertatis poſſeſſionem, & hærere, quouſque meæ rationes & exceptiones examinentur, & authoritate publicâ lis decidatur. *c. mora ſua ſupr. eod. & etiam tit. inſtit. & ff. de except. l. 1. §. 1. cum ſeqq. ſi quis Cautionibus. c. penult. circ. fin. extr. de pignor.*

Quis ſit moroſus in Iure?

Quid ſit mora?

XVII.

DCXVIII. *An meretrici, aut aſſaſino precio conducto, ſit ſolvendũ?*

IN *pari delicto vel cauſa melior eſt conditio poßidentis.* Hanc Regulam LXV. ſic aliqui exponunt, Ubi pretio aliquod peccatum commiſſum eſt pari conſilio, ſi agatur de pecunia, melior eſt conditio poſſidentis: quamobrem, ſi Petrus cum Paulâ in materiâ fornicationis aut homicidii convenerit, & flagitium commiſſum ſit, centum aureorum pretio. Exiſtimant Petrum non debere dare illos Paulæ, ſi nondum dederit; & ſi dederit, Paulam non teneri illos reſtituere; quia commune peccatum illud fuit, & pecunias illas poteſt retinere, qui poſſidet.

Ego quidem teneo poſſe Rempublicam concedere, ne teneatur quis ſolvere iniquitatum pretia, & legem ferre qualem uti expoſitores putant *l.3. l.4. c. de condict. ob turp. cauſ. & l.2. c. de tit.* Teneo eſſe probabile quod tulerit. At exiſtimo probabilius nunc de facto nullam legem tam ſeveram eſſe latam, adeòque Petrum debere Paulæ ſolvere illos centum aureos ſui corporis aut ſuæ militiæ pretium: & regulam aliter expono.

Dico igitur *inter duos, ſi rem indiviſibilem, quam reſtituere non debeant, æquali malitia, aut peccato, aut etiam æquali virtute adquiſierint, meliorem eſſe conditionem Poßidentis.*

Alij hanc eandem Regulam generalioribus verbis pronuntiant, dicuntq; *Beatus, qui poßidet.* Quæ quidem Regula abſolute eſt vera in materia juſtitiæ, & in reliquis tutior & probabilior.

XVIII.

DCXIX. *De alternativis.*

IN *alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri (niſi aliter conventum ſit.)* Eſt Regula LXX. & patet, quia ubi ſcitur alio eſſe modo conventum, concordiæ debemus ſtare. Eſſe potiorem partem debitoris oſtendo; quia in ambiguis melior eſt conditio poſſidentis, qui non poteſt ſua poſſeſſione aliter quàm convictus privari, nam ſi tenear annuatim dare bovem, arietem-ve, neutro potero ſpoliari jure dubio, quia utrumque poſſideo; ergo penes me erit deliberatio.

An potero mutare conſilium? An-ne hoc anno bovem dare potero, & ſi maluero anno ſequenti mutato conſilio dare arietem? Reſpondeo me poſſe dare utrum maluero, & ſingulis annis ſine Cauſa, ſolo arbitrio & voluntate, ſi voluero, mutare. *l. eum, qui* 138. §. 1. *ff. de verb. oblig. junctâ lege qui ex plurib.* 106. *ff. eodem* & repetere alterum quem maluero, ſi utrumque caſu aut errore dedero. *l. penult. de condict. indeb.* *Nota & hoc.* Quod ſi volui arietem dare, & tu moras traxiſti & interim ille aries naturaliter obiit, à debito illo liberor; mora enim tua non debet mihi eſſe onerosa. *l. ſtipulatus ſum damnum.* 105. *ff. de verb. oblig.* *Mora aliena nemini debet eſſe nociva*

Egimus de poſſeſſore bonæ fidei, ſed quia dantur etiam malæ fidei poſſeſſores de ipſis etiam aliqua ſubjicienda ſunt.

XIX.

DCXX. *Poſſeßio malæ fidei.*

POſſeſſor *malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* Sed hanc Regulam II. jam ſuperius expoſui, ut bonam fidem & poſſeſſionem, quæ in illa fundatur, explicarem.

XX.

Quæ contra leges.

QVi (ſciens & volens) *contra Iura* (diſcrimentia) *mercatur* (& univerſalius, aliquam rem incipit poſſidere) *bonam fidem præſumitur* (imo convincitur) *non habere.* Eſt Regula LXXXII cuius ratio à ſingulorum obligatione deſumitur;

mitur; ſingulorum enim eſt ſuas actiones ad leges publicas, ſub quibus vivit, collimare; quod ſi nolit, creditur contra dictamen operari, adeoque malam fidem ſeu conſcientiam habere *l. leges ſacratiſſima. 9. c. de legibus. c. 1. c. 5. extr. de conſtitut. l. dolus 44. ff. mandati.*

Qualis in dubio præſumenda ſit? Si dubium ſit, an ſciens & volens contra jura proceſſionem adieris, quid præſumam? An-ne ſtabo Regulæ XLVII. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur?* cur non? modò non ſolùm intelligatur de actu, ſed etiam de debito. Quia cùm omnes teneantur ſcire neceſſaria, quæcumque in rebus agendis neceſſariæ ſcientiæ carentia voluntaria præſumitur, maximè cùm nemo ignorare poſſit dari leges, quibus actus regantur & poſſit viros doctos conſulere; *per textum in d. l. dolus. 44 ff. mandati.*

XXI.

DCXXI. *De repetitione & repunitione.* **B**ona fides non patitur, ut ſemel actum *(paſſum, datum-ve) iterum* (niſi fortè novus accedat exigendi titulus) *exigatur.* Eſt Regula LXXXIII. exiguntur ab hominibus actiones in ſervitutibus, paſſiones in pœnis, res in debitis; nec tamen bona fides patitur, ut ſi Petrus ex contractu ſervili & oneroſo tenetur Centum aureorum pretio, pingere unam tabulam, feceritque, ut ſecundò exigatur ut ſecundam tabulam pingat vi prioris contractus, & ſine novâ compenſatione: ſicut nec ipſe pro unicâ illâ picturâ poterit bonâ fide exigere duas ſolutiones, ſic etiam in delictis. Si lege conſtitutum, ut primum furtum centum flagellis luatur, ob unum & idem furtum non poterit Antonius bis centenis flagellis excipi.

XXII.

D*Olo facit, qui petit quod reſtituere oportet eundem* (quod ſi accipiat, erit malæ fidei poſſeſſor.) Eſt Regula LIX. quam minus clarè & minùs bene *l. in petitione condemnatione* Juriſconſultus Paulus, repoſuit, dicens: *dolo facit, qui petit quod redditurus eſt.* Non enim repugnat, ut poſtulem quod meum eſt, cum intentione donandi. Hæc regula præcipuè habet locum in uſuris, nam cùm uſurarius teneatur ad reſtitutionem, doloſè agit cum illas recipit. DCXXII. *An reſtituendæ ſint?*

XXIII.

P*Eccatum non remittitur, niſi reſtituatur ablatum.* Eſt Regula IV. & ex verbis D. Auguſtini deſumitur quæ videri poſſunt *in c. cum tu s. extr. de uſuris.* & univerſaliſſima eſt, & ſic intelligenda, quod quando aliquis alteri damnum peccaminosè intulit, teneatur ad reſtitutionem qualem in ſuis locis præſcribimus; pronuncio enim peccatum non condonari divinitùs rem malâ fide poſſidenti, hoc eſt, reſtituere debenti, & potenti; quoniam impotentia liberat ab obligatione, & poteſt veniam impetrare a Deo, qui ſatisfacere non poteſt, modò doleat ſe damnum intuliſſe & ſe ſatisfacere poſſe deſideret, proponatque ſe ſatisfacturum cùm poſſit. DCXXIII. *De reſtitutione.*

FUNDAMENTUM XXXVIII.

De expoſitiva juſtitia.

Modus exponendi omnes leges.

DCXXIV. DEbent Iura Leges & Privilegia, ſi fieri poſſit, ad pronuntiantis mentem A explicari: non enim B in generalibus verbis dicendus eſt aliquis illa voluiſſe, quæ non fuiſſe voliturus certò cognoſcitur. Si de mente non conſtet, hæ Regulæ ſervandæ ſunt.

Pars in toto. Acceſſoriũ in principali. Numerus pluralis.

Pars continetur in toto C actuali; & D poteſtativo. Acceſſoriũ E ſequitur principale. Quale F eſt quod plerumque fieri conſuevit, talis præſumitur actus, de quo dubitatur. Pluralis F F in linguâ latinâ loquutio, duobus contenta eſt: tres in Græcâ requirit.

Favores amplianti. Rationis paritas. Injuria diſtinguitur ab incommoditate.

Favores ſunt ad latiſſimam verborum G ſignificationem, congruam tamen, ampliandi; ſed ſine H præjudicio tertij; tametſi cum I tertii incommoditate. Adeoque in dubio cenſendi reales K perpetui non L revocati. In favorabilibus, qui tacet M conſentire videtur. Privilegio N nemo tenetur uti: nec favebit O rationis paritas illi, cui illud non ſit conceſſum.

Odia reſtringenda. An, qui tacet, conſentire, dicendus ſit?

Odia ſunt reſtringenda P ad minimam, congruam tamen verborum ſignificationem: ideo Q & pœnæ. In Odioſis, qui tacet R non videtur conſentire, ni loqui debeat, poſſitque. Qui loquitur conditionatè, non S confitetur abſolutè.

Nota id bene.

Nulla Iuris T admittenda eſt interpretatio, quæ ſuum authorem injuſtitiæ aut ſtultitiæ arguere debeat. Semper D D contra eum qui potuit clariùs loqui, eſt interpretatio facienda.

DCXXV. *PLurimas, illasq; varias Regulas ad pauciſſimas lineas reduximus; nunc illas uberioris doctrinæ gratia proferamus.*

Legislatorum mens.

A. Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem (*hoc eſt contra legislatoris mentem, & verborum legitimam intelligentiam.*) *Eſt Regula LXXXVIII. & à me ad omnia alia Iura Privilegia extenditur.*

Quid ſit leges ſcire?

Scire leges non eſt verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem. *Acurſius. Bartolus.* Bona eſt lex, ſi quis ea legitimè utatur. *D. Paulus Apoſtolus primæ ad Timotheum primo.* Anne lex, ſi quis ea illegitimè utatur, hoc eſt, ſi ea abutatur, mala eſt? Lege abutitur, qui ſub verborum obſervantiâ contra legis ſenſum procedit.

Lex bona quæ?

B. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter conceſſurus. *Illud veroſimiliter certitudinem moralem importat. Et eſt Regula LXXXI.*

Conceſſio generalis, quæ importet.

C. In

De toto & parte.

C. In toto partem non eſt dubiũ contineri. *Eſt Regula LXXX. & intelligi poteſt de utroq; Toto; actuali & poteſtativo.*

Argumentum à maiori ad minus.

Cui licet, quod eſt plus (*ſi cætera ſint paria*) licet utique quod eſt minus (*modò alterius pars aut attributum ſit*) *Eſt Regula LIII.*

Qui poteſt maius, poteſt & minus, *Eſt axioma Iuridicum, & verum, ſi intelligatur eodem ſenſu.*

Qui poteſt totum poteſt & partem, ſi illud totum indiviſibile non ſit.

De genere & ſpecie.

Generi per ſpeciem (*hoc eſt, toti per partem, univerſali per particulare*) derogatur (*niſi in genere aliquis adquiſierit jus.*) *Eſt Regula XXXIV. Ait Pomponius.* In toto Jure, generi per ſpeciem (*hoc eſt, toti per partẽ, univerſali per particulare*) derogatur (*nec intereſt An ſpecies, an genus ſubſequatur, modò jus nulli fuerit adquiſitum.*)

D. Sub genere comprehenduntur ſpecies, & ſub ſpecie individua.

De lege obſcura.

DD. Contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda. *Eſt Regula* LVII.

De conſequentibus.

E. Acceſſorium (*niſi violenter impediatur*) naturam ſequi congruit Principalis. *Eſt Regula* XLII.

Cùm aliquid licet, etiam licent omnia quæ ſequuntur ex illo.

Datur prohibitio inhibens, & prohibitio annullans.

Cùm quid prohibetur (*nimirum prohibitione dirimente, & annullante*) prohibentur annullanturq; omnia, quæ (*neceſſariò*) ſequuntur ex illo. *Eſt Regula* XXXIX.

An aliqua Regula Iuris ſit falſa

Cùm aliquid unâ via prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti. *Eſt Regula LXXXIV. nec vera, niſi æquipolleat huic,* Cum aliquid abſolutè & univerſaliter prohibetur lege bene intellectâ, tametſi verba videantur unam viam ſonare, omnes viæ clauſæ ſunt; nec permittendus unâ viâ excluſus, aliâ ad id ipſum aſpirare.

Aliquando prohibetur res ipſa, aliquando via: Indocto enim prohibetur Epiſcopatus; docto via ſimoniaca ad Epiſcopatum.

An probabiliora neceſſariò admittenda?

F. Inſpicimus in obſcuris quod eſt vero ſimilius (*adeoq; ſtamus conſuetudini, facimusq; aut credimus*) quod plerumque fieri conſuevit. *Eſt Regula* VL.

Pluralis numerus quantus?

FF. Pluralis loquutio (*ubi non conſtat clarè de quo numero intelligenda ſit*) duorũ numero eſt contenta (*nimirùm in lingua latina.*) *Eſt Regula* XL. *In lingua Hebræa & Græca datur dualis numerus à ſingulari, & plurali diſtinctus.* Pluralis etiam loquutio uno ſingulari eſt contenta, ubi tertio non præjudicatur *Axioma XIX.*

Odia & favores quomodo intelligendi?

G. Odia reſtringi, favores convenit ampliari. *Eſt Regula Iuris XV. Ampliandi ſunt inquam favores pro illo, cui conceduntur; eſt enim Regula* LVII. Contra eum, qui potuit legem dicere apertiùs (*adde & privilegium concedere limitatius*) eſt interpretatio facienda.

An Ius cõmune limitandũ?

H. Privilegium non debet limitari à Jure Communi, ſed Jus Commune potiùs à Privilegio, modo non præjudicet alteri.

I. In privilegio quod non eſt contra tertii jus, tametſi ſit contra tertii commoditatem, latiſſima admittitur interpretatio. *Layman. l.1.tr.4.c.23.n.5.*

An privilegia ſint perpetua?

Decet conceſſum à Principe beneficiũn (privilegium) eſſe manſurum. *Eſt Regula XVI. Layman lib.1.tract.4.c.22.n.6.*

An realia aut perſonalia?

K. Si dubitetur, an privilegium ſit reale aut perſonale, reale poteſt cenſeri.

An revocata?

L. Si dubitetur, an revocatum privilegium ſit, cenſ[illegible]r non revocatum.

Conceſſiones perpetua quomodo intelligẽda?

Hæc Propoſi[illegible]o, *Hanc immunitatem in perpetuũ concedimus:* æquivalet huic. *Hanc volumus æternùm valere, niſi fortè aliquando per accidens contingat illius valorem eſſe in deſtructionem & pernitiem Reipublicæ.*

De cõſenſu tacito.

M. Is, qui tacet, non fatetur, ſed neq; negare videtur. *Eſt Regula XLIV. & quid illa*

 regulari

regulari poſſit non video; rem enim dubiam, dubiam etiam relinquit.

Qui tacet (*ſi materia favorabilis ſit*) conſentire videtur. *Eſt Regula* XLIII.

Favor non fit invito, nec iniuria permittenti.

N. Quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum. *Eſt Regula* LXI.

Favor invito non fit. Si invito fiat, favor non eſt. Scienti & renuenti non fit favor, nec ſcienti & conſentienti injuria. *Ago de conſentiente, qui & conſentire poſſit; ſunt enim multa in quibus conſenſum præbere non poſſimus.*

Paritas rationis in Moralibus non valet.

O. Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. *Eſt Regula* LXXIV.

Quod conceditur uni conceditur omnibus illis ſine quibus ille ſui privilegio honeſtè & congruè nequit. *Nota hoc bene.*

P. Odia ſunt reſtringēda, *ex Regula* XV.

Q. In pœnis benignior interpretatio eſt facienda & *eſt Regula* IL.

In obſcuris (*ſi agatur de peccato contra Deum, aut injuria contra proximum*) minimum eſt ſequendum. *Eſt Regula* XXX.

De reſponſione virtuali.

R. Qui tacet (*ubi tenetur loqui, & poteſt*) conſentire videtur. *Eſt Regula Iuris* XLIII. Scienti & volenti (*realiter aut virtualiter*) *hoc eſt, liberè conſentienti*, non fit injuria. *Eſt Regula* XXVII. Si plures res tangat, plurium requiretur conſenſus. *Unde eſt Regula* XXIX. Quod omnes concernit debet ab omnibus approbari, *& quidem per modum unius corporis concedit approbationem ſuam Communitas.*

De rebus, quæ plures concernunt.

Si quæras rationem [illegible]m privilegia debeant latiſſimè explicari: [illegible]cet tibi Layman folio , 21. eſſe cauſam latè explicandi, nō, dari cauſam reſtringendi. *Sed quid ſi aliquis diceret eſſe cauſam ſtrictè explicandi, nō dari cauſam ampliandi? Impingeret in Regulam XV quam jam dedi.*

De præceptis.

Obligatione & præcepta ſtrictiſſime interpretanda ſunt. *Layman compendio de votis. ca. 3. n. 4. Reginaldus de prud. pag. 694. Naldus verb. Sacerdos num. 5.* Ita tamen ut cum effectu intelligantur. *Layman lib. 1. tr. 4. c. 18. n. 3. Nota bene hanc ultimam limitationem.*

Magnæ eſſe ſolent in exponendis Legibus & Juribus difficultates, & ne in obſcuro Labyrintho cœca premeremus veſtigia, conditæ fuerunt Regulæ, quibus dirigeremur. Et quidem meritò Poſſeſſionem ſequitur Expoſitio; Supponimus enim Jura haberi, cum modum, quo intelligi debeant indagamus. DCXXVI.

I.

An ſemper ſtandum ſit literæ?

Leges & Iura & Privilegia debere exponi ad mentem pronuntiantis. Regula LXXXVIII. *Certum eſt quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.* (Hoc eſt, contra Legiſlatoris mentem & verborum legitimam intelligentiam) Quam ob rem, ſi de mente Legiſlatoris conſtet, non eſt verborum rigori Scholaſtico ſtandum; Scire enim Leges, non eſt verba earum tenere, ſed earum cognoſcere poteſtatem, aſſerente poſt Acurſium, & quidem doctiſſimè, Bartolo *ad l. contra 29. ff. cod.* quod ſi aliunde Legiſlatoris mens non conſtet, adhærendum eſt Verbis, *per legem, adigere. 6. §. quamvis ff. de jure patron. & l. non aliter ff. de legat. 3.*

Quid ſit ſcire leges.

Quid ſignificet vox Clericus, Hiſp. Clerigo?

Hinc multos caſus reſolvi poſſunt, ſolentque: Unum vel alterum proponam. Xetafæ (oppidum eſt prope Madritum) legavit Clericis centum aureos Franciſcus, dives ruſticus & ſtatus Eccleſiaſtici amans. Erant bi Sacerdotes duo, unus Diaconus, tres ſubdiaconi, & ali-

& aliqui ad ordines minores promoti. Cumq; ſtando Vocabuli rigori e n.ver ſi ſint Clerici, primo intuitu illa ſumma videretur in octo vel plures dividenda; At Sacerdotes inſtant totam ſibi ſolis deberi. Agunt coram Nuntio Apoſtolico, aſſeruntque dialecto ruſticâ imò & aulicâ apud Hiſpanos ſolos Sacerdotes vocari *Clericos*. Hæret ille, curat ad ſe vocari primos ruſticos obvios, & interrogat de quodam illis noto Diacono, an eſſet Clericus? Negant illi, aſſeruntque non eſſe Clericum, ſed Evangeliſterum, hoc eſt, Diaconum, adeoq; teſtamentum ruſtici dialecto ruſticâ fuiſſe conditum prudenter ſupponens, centum illos aureos (pono determinatum numerum pro indeterminato) ſolis Sacerdotibus adjudicavit.

Evangeliſterus apud Hiſpanos quis?

DCXXVII. Et quidem ut huius vocis Hiſpanicam ſignificationem meliùs percalleas; & ut ſcias quo debeas modo intelligere linguas peregrinas; volo unam aut alteram periodum exſcribere ex Benedicto Hæfzeno, qui vitam S. Benedict. Commentario illuſtravit, & ad caput XVI. *num.*2. ſic inquit [Mirum eſt Antonium de Yepez appellare hunc Clericum Presbyterum, cui, ait, à S. Benedicto vetitum ne Miſſæ celebraret ſacrificium, quod & contra prohibitionem fecerit, cùm tamen tam ex Gregorij hac narratione, quàm Græcâ interpretatione, planè conſtet hunc tantùm Clericum fuiſſe, prohibitumque illi ne ad ſacros ordines accederet. Quod manifeſtè etiam innuit Petrus colloquutor] & quidem mirari deſineret Hæfzenus Belga, ſi ſciret apud Hiſpanos omnes & ſolos Sacerdotes *Clericos* nominari. Et hinc æquivocationi Occaſio, verbo Latino aut Græco in Hiſpanicâ ſignificatione deſumpto.

Antonij de Yepez æquivocatio.

II.

DCXXVIII. OBiit Bruxellæ Doctor Paz, Principum Belgij Protomedicus, & ſuam Bibliothecam legavit Religioſis hac lege, quod Carmelitani excalceati primùm ducenta librorum corpora eligerent, poſt eos totidem Jeſuitæ, tot Dominicani, tot alii. Et dubitatum quid *corpus librorum* ſignificet? nimirùm An Oceanus Juris ſit unum librorum corpus? An etiam opera omnia Suarezii, omnia Abulenſis &c. an libri ſinguli? & quidem erant multi, qui illud prius aſſerebant, nec ratione videbantur deſtitui; at hæc dubitatio hac fuit regula Juris eliſa. Nam ſupponendum eſt Doctorem illum voluiſſe aliquos libros Jeſuitis, Dominicanis, & etiam aliis Religioſis legare, ut conſtat ex eius teſtamento; At ſi omnia Opera unius Authoris nomine *corporis librorum* intelligerentur, vix pauci manerent libri pro Jeſuitis, nulli pro Dominicanis, Auguſtinianis, aliiſque. Ergo certum eſt nomine *corporis* intellexiſſe unum librum compactum, ſive multos complectatur Authores, ſive partem unius. Steterunt huic expoſitioni, & reperti ſunt ſufficientes in Bibliothecâ libri, ut ſatisfieret univerſis.

Teſtamentum Doctoris Paz.

Quid ſignificet In cuerpo de libros?

III.

DCXXIX. HInc patet ſimul pientiſſimè & doctiſſimè Theodoſium & Valentinianum Imperatores pronuntiaſſe, *Nec tera rigore pœnas legibus inſertas evitabit, qui ſe contra contra Iuris ſententiam ſavâ prærogativâ verborum excuſat*. Ita *in l. non dubium. 7. c. de legib.* Conſonant Divo Paulo Apoſtolo & Ciceroni hanc doctrinam accuratè expendentibus. Paulus divinitùs illuminatus primo capite primæ epiſto-

An quis legislatoris mentem juvari poſſit?

epiſtolæ ad Timotheum ſic ait. *Bona eſt lex, ſi quis ea legitimè utatur.* Et quidem legitimè utitur, qui bene intelligit: ergo ad mentem Apoſtoli Lex, ſi malè exponatur, non eſt bona. Et veterum Rhetoricorum libr. 2. Cicero, *Nulla eſt lex,* ait, *quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit. Omnia ſupplicia, quæ à legibus proficiſcuntur, culpæ aut malitiæ vindicandæ cauſa conſtituta ſunt. Nullæ res, neque legibus, neque Scripturâ ullâ denique, neque in ſermone quotidiano atque imperiis domeſticis poſſunt adminiſtrari, ſi unuſquiſque velit verba exſpectare, & non voluntatem eius, quæ ea verba habuerit, accedere.* Accedere debet ad verba Imperantis mens & voluntas, imò accendere, quoniam Lex videtur dicta quaſi *Lux,* & lux non eſt ſi conſtet in obſcuritate verborum, & non potiùs verâ intelligentiâ accendatur. Unde in Pſalmo 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & Lumen ſemitis meis.* Hoc ſenſu videtur dici *Littera occidere, Spiritus vivificare.* Neminem enim nuda legis littera à legis ſententia etiam capitali liberabit, niſi accedat legis Spiritus, hoc eſt, verus ſenſus & intelligentia.

Legum neceſſitas.

Lex quaſi Lux.

Litera legis occidit: ſpiritus legis vivificat.

IV.

De expoſitione contractuum.

SIcut Legum verba ſic & contractuum exponi debent. Ipſi enim ſunt privatæ quædam leges, quas ſibi contrahentes imponunt. Et in ipſis verba interpretanda ſunt juxta contrahentium mentem, intra terminos juſtitiæ, prudentiæ, & poteſtatis. Unde Regula LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere* (in legem tranſire) *dignoſcuntur.* Exempla obvia ſunt, & frequentia. Operarius ultra horas duodecim laborare non tenetur, quod ſi pactus fuerit de labore ſedecim horarum, contractus erit illi lex. Depoſitarius nón tenetur rem reſtituere, ſi citra gravem ſuam negligentiam perdatur; quod ſi tecum conveniam, ut ſi res pereat etiam ſine tua culpa, mihi debeas valorem conſignare, fortè imprudenter onus iſtud admittes, at ſi admittas, teneberis ſtare legi privatæ ſeu contractui, *l. 1. §. convenit. l. contractus ff. hoc tit. c. 2.*

Cõtractus ſunt leges privatæ.

Operarius.

Depoſitarius.

V.

De iis, quæ in maioribus clauſulis ſubintellecta.

IN *generali conceſſione, non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Eſt Regula LXXXI. Sed quid ſignificat illud veroſimiliter? Reſpondeo te poſſe dubitare, probabiliter opinari, aut etiam certò ſcire Titium non cogitaſſe talem in ſpecie rem verbis illis generalibus ſignificari, & aliàs contractiùs pronuntiaturum fuiſſe. Si dubitas, ſta litteræ; ſi certò ſcias ſta menti; Si probabiliter opineris alterutri ſubſcribe parti, & hoc ſtando juri naturæ. At ſtando iſti Regulæ & foro externo in veroſimilibus, hoc eſt, probabilibus ſta pro poſſeſſione, pro conceſſore, dicaſque in generali conceſſione non comprehendi, quæ probabiliter fuiſſent negata, ſi ſpecialiter poſtularentur. Sed quomodo in generalioribus clauſulis res particulariores comprehenduntur? Dabunt ſequentes Juris Regulæ:

DCXXX. *De generali conceſſione.*

Nota ſingula.

VI.

IN *toto partem non eſt dubium contineri.* Sed quia datur totum actuale & potentiale, Regulam hanc LXXX. intellige de utroque. Hæc eſt certiſſima & cla-

DCXXXI. *De toto & parte.*

& clariſſima; quoniam qui dat arietem, etiam pellem & oſſa dediſſe judicandus eſt. Excipe, ſi antequam jus alicui adquiratur in totum, partem alteri dederit, juxta Regulam XXXIV. *Generi per ſpeciem derogatur.* Vel ut explicatiùs *l. in toto jure. ff. eod. titul.* ait Pompejus, *In toto jure generi per ſpeciem* (hoc eſt toti per partem, & univerſali per particulare) *derogatur; & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt.* Neque intereſt, an ſpecies, an genus ſubſequatur, *c. Abbatem. 40. extr. de reſcript. l. uxorem. 41. § codicillis cum §. ſequent. ff. de leg. 3. tex. elegans in l. ſanctio 41. ff. de pœnis.* Modò inter primum ultimumque nemini ſit jus adquiſitum. Hinc fit, ut ſi penus Petro legata ſit, Paulo vinum, hoc ab illa extrahendum & dandum Paulo ſit, tametſi vinum in penu contineatur; nam limitatio illa fuit facta antequam Petro jus adquiſitum ſit. *l. 3. ff. de tritico vino. &c l. 3. ff. de penu. legat.* Quòd ſi eadem penus aut vendita aut donata fuiſſet, & poſt traditionem & finem contractûs vinum daretur aut venderetur, hæc vini donatio aut venditio eſſet invalida, nec in ipſa per ſpeciem generi derogaretur. Hinc fit, quòd, ſi eadem penus loco pignoris fuiſſet Petro tradita non poſſet vinum Paulo loco pignoris, dari; nam jam Petrus adquiſierat jus in penum, nec poſſet jure adquiſito privari. *l. generaliter. 6. c. qui potior in pign.* Huic ſimilis eſt alia Juris *Regula*; videlicet XXXV. *plus ſemper in ſe continet quod eſt minus.* Debet intelligi cæteris paribus, ita ut coincidat cum præcedente, aut vix ullam diſtinctionem admittat; nam ubi eſt rationis diſparitas, hæc Regula locum non habet.

Nota hoc.

Plus & minus.

VII.

QVi licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus licebit. aut aliis etiam verbis. *Qui poteſt maius, poteſt & minus.* Regula LIII. Videlicet in eodem genere, & cæteris paribus. Poteſt quidem abſolvere à venialibus; qui à mortalibus; non autem à contracto pecuniario debito, qui à peccatis, tametſi hoc ipſum maius ſit. Pono clariùs. *Qui poteſt totum, poteſt & partem, ſi illud totum indiviſibile non ſit.* Hinc patet in bonis vinculatis, quæ ſeparari non poſſunt, debere hæredem aut totum adire hæreditatem, aut totam relinquere, nec poſſe partẽ; illa enim indiviſibilia jam ſunt. Videntur ſuo modo omnia bona, quæ ad hæreditatem pertinent eſſe vinculata. Henricus Caniſius ſummæ Juris Canonici lib. VI. Regula XXXV. *Permiſſa eſt hæredi tota hæreditatis aditio vel repudiatio, non autem huius aut alterius partis hæreditariæ. l. 1. & l. 2. ff. de ac. vel omitt. hæred. idque facit ſuccedendi jus, quod pro parte agnoſci vel refutari non poteſt, præcipuè ex teſtamento, ne defunctus pro parte teſtatus & pro parte inteſtatus deceſſiſſe dicatur contra Iuris regulas; l. jus noſtrum ff. hoc tit. & §. non autem. Inſt. de hæred. inſtituend.*

DCXXXII. *Sæpe poteſt majora, qui minora non poteſt.*

De bonis vinculatis & indiviſibilibus.

Sed ex Iure Bohemicæ videmus ſæpe hominem obire partim teſtatum & partim ab inteſtato.

VIII.

AN, qui occidere poteſt Adulterum, poterit illum jure contumeliâ afficere? Aſſerit Papinianus aliique *l. nec in ea 22. verſ. Sed qui. ff. ad legem Iul. de adult.* quod plus ſit illum occidere, quàm afficere contumeliâ. Negant alii; tum quia plus putant eſſe contumeliam morte: tum quia ſunt in diverſis generibus.

DCXXXIII *De contumelia & morte.*

IX.

AN mulier, quæ poteſt ſua bona donare vel diſtrahere. *l. 4. ff. ad Sc. Velle.*

An ſe mulier poſſit obligare pro alie:

l.7.c.eodem poteſt bona obligare pro alio? Reſpondeo negativè, *ex dicta lege 4. ſub finem* Nec urgebor, ſi dicas, plus eſſe dare, quàm obligare; quia in diverſis generibus eſt. Quamobrem hæc eſt bona conſequentia, *Quæ poteſt donare mille, poteſt centum*, non autem hæc, *Quæ poteſt donare domum illam poteſt pro alio obligare*; illa enim prior eſt intra terminos donationis, & in poſteriore materia permutatur.

X.

DCXXXIV. *Non ſatisfit toti per partem.* AN qui tenetur dare plus, poſſit dare minus? hoc eſt, An qui tenetur, dare centum, ſatisfaciat dando quinquaginta? An qui tenetur dare totum, faciat ſatis, ſi dederit partem? Reſpondeo negativè juxta *c.cui 17.de præb.lib.6.* Obligationes enim non ſunt poteſtates, ſed vincula; at qui poteſt recipere totum, poteſt eſſe contentus parte, nam penes ipſum arbitrium & poteſtas eſt.

XI.

De principali & acceſſorio. ACceſſorium *naturam ſequi congruit principalis.* Subintellig., *niſi violenter impediatur* [conſonat huic Axiomati phyſico, *Modus ſapit naturam rei.*] Eſt Regula XLII. Nomine *acceſſorij* aliqui partes rei ipſius intelligunt, nec tamen caſtè loquuntur; tametſi falſam concluſionem non doceant, *partes enim ſequi congruit totum*, at acceſſorii nomine intelligenda ſunt omnia privilegia & gravamina realia, quæ rem ipſam afficiunt, non perſonam. Sic, cùm alicui Juriſdictio data eſt, ea quoque omnia concesſa eſſe cenſentur, ſine quibus Juriſdictio ſtare non poteſt. Sic etiam cùm diſpenſatio conceditur, favor ille extenditur ad neceſſariò connexa. Layman *libr.1.tr.4.c.23. num.7.* & ſic cui conceſſum eſt principale, non conſectaria modò, ſed & præparatoria conceduntur. Layman *libr.3. tr.1.ſect.7.cap.6.n.8.* Et ſic tandem cùm venditur domus, in emptorem non ſolùm illa tranſit, ſed omnia ipſius realia privilegia & gravamina. Quam Regulam expoſitionemque confirmant duæ aliæ Juris eiuſdē Regulæ; quarum prior eſt, LV. *Qui ſentit onus ſentire debet commodum, & è contra.* Et poſterior eſt LXXVII. *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore*, quas inferiùs dilucidabo. Sed bene examinandū ubique eſt, an fortè principale ſit, id quod acceſſorium; ſæpe enim contingit, ut videatur accidens aut attributū, quod ad rei ſubſtantiam ſpectat; & in tali caſu aliâ re, quæ principalis vocabatur excidente; poſſet acceſſorium ſubſiſtere nec illam ſequi, quod tametſi dicatur acceſſorium, ſit principale. Rem illuſtro & aliquos caſus expono.

Acceſſoria aliquando præcedunt aliquando ſequūtur, & aliquādo concomitantur.

Principale interdum videtur acceſſoriū.

XII.

DCXXXV. *De Vſuris.* AN teneor ſolvere uſuras uſurario? Minimè, quia illas non debeo. Quod ſi illas dem & ille recipiat, ad reſtitutionem tenebitur; ut conſtat ex Regula LIX. *Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem.* An tenebor, ſi me ſoluturum juramento firmaverim? Reſpondēt communiter Viri docti hîc dari duos titulos, nimirùm, contractum, & juramentum. Contractum eſſe invalidum, & quia acceſſorium ſequitur ſuū principale, etiam uſuras eſſe invalidas & non obligatorias. At juramentum eſſe validum, & reſpectu juramenti uſuras eſſe principales, & me ratione juramenti teneri; quia ex juramento ſpecialis naſcitur obligatio. *cap. debitores. in verb.domino reddere juramen.c.ſi peccatum. 22.q.1.Matth 5.paulo poſt med.c. cum contingat 28.extraord. de jurejur.cap.2. de pactis*

An poſſint juramēta honeſtari?

An ſemper ſit juramentum obſervandum?

ctis lib. 6. Unde generaliter à ſacris Canonibus ſervari jubetur juramentum, quod non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, nec redundat in alterius detrimentum. *in c. cùm contingat in fin. & in c. 2 in fi. adde c. 2. de jurejur. in 6.* At contra hoc ipſum juramentum aliqua excipi poſſent. PRIMÒ LIBERTAS; fortè enim, qui uſuras promittit, eſt metu cadente in Virum conſtantem perculſus, ſi nimirum ita pecuniis illis egeat, ut debeat aliàs ſummam rerum jacturam aut periculum perſonæ incurrere. Sed hic metus naturalem non tollit libertatem, tametſi illam diminuere videatur. Conſultò *naturalem* dixi; quia eiuſmodi metus tollit civilem, quam ex benignitate Eccleſiæ profeſſio ſolennis ſupponit; quam ob rem metus, qui in conſtantem caderet virum, vota ſolennia dirimit, non verò vota ſimplicia aut juramenta: hæc enim ſolummodò diminuntur timore, qui naturalem auferat libertatem. SECUNDÒ *Politica verborum ſignificatio:* aliud enim eſt donare, aliud ſolvere; qui contraheret iis verbis. *Ego recipio mille aureos, & poſt annum ſolvam hos mille, & gratus donabo quingentos*, poſſet urgeri juramento; At qui juramento firmaret hunc contractum, *Recipio mille aureos & poſt annum ſolvam mille quingentos.* Subintelligi vult; *Si debuero:* Solvuntur enim quæ debentur, & quæ non debentur, non ſolvuntur, ſed dantur. Ut ſcias quo debeant modo exponi Juramenta Auſonij Noctinot ſecuriſſima verba ſubjicio. [*Pandectæ antiquæ taxantes ſtipendia Notariis, & Commiſſariis modo non obligant; quia latæ fuerunt tempore, quo pecunia carior erat, & res viliores. Nec refert, quod tales jurent ſervare taxas, nam juramentum exponitur, quatenus juſtæ ſunt.* Ita Sanchez *Opuſc. tom. 1. lib. 3. c. 14. nu. 14.* Diana *part. 2. tract. 17. reſol. 60.*

Vt juramentum ſit validũ requiritur libertas,

non civilis, ſed naturalis.

& civilis verborum ſignificatio.

De Commiſſariorũ Notariorũ & Miniſtrorum aliorum ſtipendijs.

& ex eo Auſonius in ſumma verbo. Lex. *n. 16.*] Ergo ſimiliter non referet quod pauperes jurent ſe daturos uſuras; quia Juramentum exponetur, *quatenus juſta ſunt.* [Notari volo me, ut dixi, inter dare & ſolvere diſcrimen magnum reperire.]

Nota iſtã conſequẽtiam.

XIII.

AN contractus factus cum minore ſine tutoris licentiâ ſit validus, præcipuè ſi fidejuſſor aut pignus accedat? Videretur quod non, nam acceſſorium ſequitur naturam principalis; cùm igitur cõtractus ſit res principalis, & fidejuſſor aut etiam pignus ſit res acceſſoria, ſequi debebunt contractûs valorem & ingenium. At ille contractus aut non eſt validus, aut poteſt ad tutoris voluntatem reſcindi: Ergo nec valebit fidejuſſio, nec oppignoratio. *Sed contra eſt,* quoniam tutor poteſt reſcindere contractum pupilli, nõ tamen aut repetere pignus, *l. etſi is. 9. c. de præd. & aliis rebus minor.* aut reddere fidejuſſionem invalidam. *l. ſi pupillus 127. ff. de verb. oblig. junctâ l. quod pupillus 41. ff. de condict. indeb.* Sed cur? ſtante lege, quæ declaret viros ante vigeſimum quintum annum eſſe minores, hoc eſt, carere libero arbitrio politico in ordine ad alienandùm & contractus ſolennes & validos celebrandum, reſpondebo oppignorationem fore invalidam: non enim ego tutâ conſcientiâ retinere pignus poſſem, quod quinquẽnis puer traderet, & tamen eadem hîc ratio eſſet: quia cùm tutor ſit liberum arbitrium pupilli, quidquid & non per tutorem tradit, liberè non tradit, hoc eſt, libertate politicâ, qualis requiritur, ut poſſint dominia transferri. At in ſolamen eorum, qui cum pupillis agere debent aut ſolent, lege ſpeciali fuit expreſſum poſſe illos, ſi non verbi aut contractûs, ſaltem pignoris ratione

DCXXXVI. *De cõtractu pupilli.*

An tutor poſſit annullare cõtractus? An repetere pignora An dimittere fidejuſſionem?

Oo 2 obli-

Digitized by Google

DCXXXVII *De Fidejuſſione.*

obligari: etiam ratione huius legis tenet oppignoratio. *Cur tamen* tenet fidejuſſio? Henricus Caniſius ſummæ Juris Canonici libr.6. Decret.Reg.42. ait *Rationem verò ego hanc video, quòd minores ex ſuo contractu naturaliter obligentur (l.1.ff. de novatio.) & naturali obligationi fidejuſſor rectè accedit.* Sed ego hanc naturalem obligationem non intelligo. Qui enim dicunt poſſe pupillum conſiderari, ut minor eſt, & etiam ut homo eſt; cur nõ etiam docebunt fœminam poſſe conſiderari prout conjugata eſt, & prout mulier eſt, & monachum prout religioſus eſt, & prout homo eſt? Nam ſicut pupillus & ſervus in quantum homines ſunt, contractus dicuntur poſſe inire, quos ut pupilli aut ſervi non poſſent. Sic etiam uxor poſſet nubere, non quidem in quantum conjugata eſt, ſed in quantum fœmina eſt, & religioſus poſſet habere proprium, quà homo eſt. Sanè iſtæ omnes redaplicationes in mente manent; & effectus à cauſa ipſa prout eſt à parte rei oriuntur. Unde optimè animadverſum *textu in l. quod Pupillus 41 ff. de condict. indebiti* ubi dicitur, *Pupillum promittentem ſine tutoris authoritate, ne naturâ quidem debere.* Hunc ſibi non refragari ait Caniſius; at textus eſt expreſſus, cui non reſpondet, ſed ſuccumbit & novam ſolutionem apponit.

An minores naturaliter obligari poſſint?

Nota ſingula.

Fidejuſſio triplex.

Ego quidem in hac materia ſic diſcurro. Puto tres eſſe fidejuſſionum ſpecies: aliàs enim contrahimus cum concive, aliàs cum pupillo, aliàs cum Rege. Cùm contrahimus cum concive, non timemus, ne velit ſtare contractui; jure enim illum cogere poſſumus; ſed timemus an ſit ſatisfaciendo, volumusque compromiſſorem habere, ut ſi concivis ille ſolvendo non ſit, iſte ſolvat. Cùm contrahimus cũ Rege, non timemus, quòd ipſe non ſit ſatisfaciendo, ſed quòd ipſe fortè non volet ſatisfacere, adeoq; volumus compromiſſorem habere, ut ſi Rex non voluerit ſolvere, ille ſolvat. Tandem cum contrahimus cum pupillo, utrumque timere poſſumus, & inimus contractum cum compromiſſore, ut ſi pupillus non poſſit, aut non velit tutor ſtare contractui, ſtare debeat compromiſſor. Adeoq; fidejuſſor tranſit in perſonam principalem, in primo contractu, ſi concivis ſolvendo non ſit; in ſecundo, ſi Rex noluerit ſolvere; in tertio ſi tutor noluerit illum contractum approbare: & ſi approbet, ſi poſteà ſolvendo non ſit.

Contrahimus vel cũ viro privato,

vel cum Rege,

vel cum pupillo.

XIV.

DC-XXXVIII. *Regula ſecunda expoſitio.*

HOc Juris Principium *Acceſſorium ſequitur ſuum principale*, ſolet aliis verbis exponi, videlicet poſitivè ſic; *Cùm aliquid licet, etiam licent omnia illa, quæ neceſſariò ſequuntur ex illo*, & negativè, *Cùm quid prohibetur (nimirùm prohibitione dirimente, & annulante) prohibentur annullanturq; omnia quæ (neceſſariò) ſequuntur ex illo.* Et hoc ultimum eſt Regula XXXIX.

Prohibitio eſt duplex.

Ut rem intelligas adnotato duas dari prohibitiones; alteram interdicentem, alteram annullantem [hanc veritatem ſæpius debui notare, eſt enim valde neceſſaria; cuius ut video, ignorantiâ aut neglectu multi errores committuntur interdum.] Porrò ex actione interdictâ non ſemper quod ſequitur interdictum eſt; ex nulla tamen ſemper eſt nullum. Prioris generis ſunt multa matrimonia illicita, ſed validâ; poſterioris invalida & illicita. Imperatores Theodoſius Valentinianusq;. *Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſequutum, qui contrahant lege contrahere prohibente (ſubintellige) non ſolùm in-*

Decretum Theodoſij & Valentiniani Cæſarum.

terdi-

Digitized by Google

terdicendo, ſed annullando contractus.) Et poſt pauca. *Si quid fuerit ſubſequutum ex eo vel ob id quod interdicente,* (*annullante*) *lege factum eſt, illud quoq; caſſum ac inutile eſſe præcipimus.* & ad doctrinam ſpecialem deſcendens & ad praxin omnia applicans inquit; *Secundum itaq; prædictam Regulam, quâ ubicunq; non ſervari factum lege prohibente* (annullante) *cenſuimus, certum eſt, nec ſtipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum ullius eſſe momenti, nec ſacramentum admitti.* Henricus Caniſius rationem adjungit, *ex l. cum principalis. ff. hoc titulo in c. acceſſorium.* Vide *l. non dubium. S. C. de leg.* Vide *num. 11. b.*

XV.

DCXXXIX. *Objectio.* Contractus turpis eſt nullus, & tamen res in accipientem ita tranſit, ut eius repetitio ceſſet. *l. 2. c. de condict. ob turpit. cauſ. in leg. Si ob turpem. 8. ff. eodem.*

Caniſij mens. Huic obiectioni conatur reſpondere Henricus Caniſius & ſic inquit [Id accidit propter aliam Juris Regulam; Videlicet, *In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, adeoque turpitudo efficit, ne res data repeti poſſit. *c. in pari infra. eod. l in pari. & l. cum par. ff. hoc tit. l. 2. & l. 8. ff. de condict. ob turp. cauſ.*

An cōtractus de re illicitâ invalidus ſit Sed neque ſolutio, nec Juris Regula, quo ſenſu ab Henrico ponitur, placet. Puto enim hunc contractum, *dabo tibi centum aureos, ſi occideris Petrum*, eſſe illicitum ex natura rei, nec validum: quod ſi Petrum occidas, puto me dare illas pecunias teneri, nimirùm ex natura rei. Nec poſſem dicere in pari delicto, potiorem eſſe conditionem poſſidentis. Admitto tamen poſſe Rempublicam lege hunc contractum annullare, & in tali caſu exiſtimarem nihil tibi poſt illud homicidium deberi; quod ſi tu illo titulo auferres, debere reſtituere, nec poſſes tutâ conſcientiâ retinere. At Henrici Caniſij ſolutio ſtaret, ſi daretur lex, quæ his terminis pronuntiaretur, *Contractus, qui inter offerentem pecunias & occiſorem initur, eſt illicitus, & nullus etiam. Occiſori nihil alter debet; Quod ſi occiſor pretium recipiat aut ſubripiat, ad reſtitutionem ne tenetor.* Sed hoc modo Regulam illam eſſe intelligendam, multi docti Jurisperiti affirmant. Hoc aſſertum neceſſariò debet admitti, *ſub genere comprehenduntur ſpecies, ſub ſpecie individua, ſub univerſali ſingularia.* Unde Sacerdos, cui concederetur uxorem ducere, poſſet quamcunque. Et Carthuſianus, cui Pontifex indulgeret carnis comedendæ licentiam, quaſcunq; comedere poſſet. Hinc ſequitur valere argumentū etiam negativè; quia cui interdicitur uxorem ducere, nullam ducere poteſt; & cui præcipitur ne carnes comedat, non poteſt comedere bovinas; quia ratio ſuperior continet inferiorem, unde & *totum potentiale* vocatur; & cùm genus cōceditur, omnes ſpecies conceduntur; cùm prohibetur illud, etiam iſtæ prohibitæ cenſendæ ſunt. *De genere & ſpecie.*

XVI.

Anne hæc aſſerta ſunt vera? nimirùm. *Cui conceditur pars, conceditur totum, aut ſaltem alia compars? Cui conceditur ſpecies, conceditur genus, aut ſaltem alia conſpecies? Cui conceditur individuum, conceditur tota etiam ſpecies, aut ſaltem alıud individuum?* Et reſpondeo negativè; non enim cùm datur pars, datur totum; aliàs daretur totus mundus, ſingula enim ſunt mundi pars. DCXL. *Examinãtur aliquæ conſequẽtia.*

XVII.

Requiris, An ne hæc ſaltem aſſerta valeant negativè? hoc eſt, An admitti debeant hæc, Cui negatur pars

 nega-

Digitized by Google

negatur ſaltem alia compars. Cui unum individuum etiam reliqua individua? Et etiã negativè reſpondeo; quia poſſum unam veſtis partem pauperi aut amico concedere, alteram compartem negando.

XVIII.

DCXLI. SI hoc igitur verum, quî intelligi poteſt, illa LXXXIV. Regula Juris, *Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti?* Reſpondeo ſenſum eſſe, *Cùm aliquid abſolutè & univerſaliter prohibetur lege bene intellectâ, tametſi verba videantur unam viam ſonare, omnes viæ clauſæ ſunt, nec permittendus una via excluſus, alia ad id ipſum adſpirare.* Oſtendam enim evidenter eum, cui aliquid unâ viâ prohibetur, ad id ipſum aliâ poſſe & debere admitti. Petrus enim, cui prohibetur, ad Canonicatum viâ Simoniæ pervenire, viâ legitimæ collationis poterit & debet admitti. Et hæc quidem LXXXIV. Regula facilis eſt, & dicenda falſa, niſi torqueantur verba, ut reddant ſenſum, quem propoſui. Unde, ut verbo rem teneas, notandum eſt, aliàs rem interdici, aliàs viam hanc; Si res ipſa, nullâ viâ haberi poterit: Si non jam res ipſa ſed via, hac res viâ obtineri non poterit, aliâ poterit.

Nota bene

DCXLII. Hinc oritur dubium: An qui habet privilegium erigendi domi oratorium, poſſit illud erigere quocunque transferat domicilium? Reſpondeo poſſe, ſi domus non determinetur. Puta ſi non dicatur *Concedimus tibi licentiam erigendi Oratorium Panormi.* Sed quid ſi domûs taleitas exponatur? Non poſſe docet Merolla *tom. 3. diſp. 6. cap. 8. dub. 22. num. 126.* poſſe autem Gravetta *conſ. 87. num. 11.* & Zambellus *verb. miſſa num. 46.* afferentes illam taleitatem poſſe poni diſpoſitivè & exemplificativè, primo modo effectum ſortiri, non ſecundo; nec credendum diſpoſitivè poſitam, niſi detur ratio aliqua ſpecialis, quæ illam circumſtantiam poſitam ex conſilio convincat. Hinc patet quid dicendum fuit Friderico Abbati, qui indulgentias pro tali altari petijt, & poſteà decentiùs poſſe in alio altari poni judicavit; dictum nimirùm fuit, ad Septennium univerſis concedi, nec ſolere contra poſtulantis voluntatem limitari, adeoque illam altaris demonſtrationem eſſe exemplificationem, nec credendam diſpoſitionem, ni detur particularis ratio; nec videtur hanc dari, ſi totum altare ex una Eccleſiæ parte in aliam transferatur. Vide Dianam *part. 4. tract. 4. reſol. 210. & part. 6. tract. 8. reſol. 11.*

De Oratorio domeſtico.

Taleitas bifariam ſolet poni.

An indulgentiæ poſſint ex altari ad altare trãsferri?

XIX.

De amplificatione favorum.

DCXLIII. MAteriam eſſe dubiam, & leges intextas ſupponimus, ubi enim illa certa eſt, aut hæ claræ, non eſt locus interpretationi & ampliationi.

An ſemper habeat locum ampliatio?

Regula VI. eſt prudenter ſcripta & multas poterit controverſias ſedare, ſi ſemel intelligatur bene. *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veroſimilius, & quod plerumque fieri conſuevit.* Qui eſt optimus & probabiliſſimus diſcurrendi modus. Probabiliſſimum eum modum dico, non certum; eſt enim receptiſſimum Theologorum Axioma (mihi) LXI. *Non probat hoc eſſe, quod quandoque contingit abeſſe.* Ego puto has propoſitiones eſſe certas. I. *Reſolvimus probabilius in obſcuris, cùm id quod eſt veroſimilius, & quod plerumque fieri conſuevit.* II. *Reſolvimus certo moraliter in obſcuris, cùm id quod eſt indubitatum & moraliter evidens, aut quod ſemper fieri conſuevit.*

XX. Eſt

XX.

DCXLIV. Est apud Scriptores valde communis & celebris Regula XV. nimirum, *Odia reſtringi, favores convenit ampliari.* Sed quia ſuas ipſa patitur difficultates,

An favores ſint contra Ius commune?

Petis primò, An poſſint favores ampliari, contra Jus commune, aut etiam Religionum Regulas, aut contra Jus tertij? Henricus Caniſius negat, ait enim [cùm Jus commune adeò favorabile ſit, quod publicæ tranquillitatis cauſâ in commune ſit cõſtitutum, neceſſe eſt ut ſtatuta, quæ huic adverſatur, ſtrictè accipienda ſint, & redigenda quantũ fieri poſſit ad jus commune, *c. cum dilectus* 8. *circ. finem, extra. de conſuetud.* Nam & ſi quid in ſtatutis deſideratur, à Jure communi ſuppleri ſolet. *per text. in l. 2. c. de noxad. actio.* Idem in diſpenſationibus, quæ odioſæ ſunt, quod adverſus Jus cõmune concedantur; ac proinde ſtrictam quoque interpretationem recipiunt. *per text in c. 1. c. 2. de filijs presbyt. in 6. c. 3. ext. de conſang. & affin.*

An laici poßint decimas poſſidere?

Quâ ratione & decimæ in feudum olim Laicis conceſſæ ad decimas novalium non producuntur. *c. tua* 15. *§. fi. ext. de decimis.* Quippe Juri communi adverſum eſt, ut laici decimas poſſideant. *c. cauſam.* 7. *ext. de præſcriptio.*

Similiter omnia privilegia & reſcripta odioſa dicuntur, quæ tendunt in præjudicium alterius, atque idcirco hoc ſenſu accipienda ſunt, ut quàm minimum alteri noceant. *c. quamvis.* 8. *de reſcript. in 6. & l. 2 §. ſi quis à Principe. ff. ne quid in loco publico. l. reſcript. 7. c. de precibus Imperat. offerend.*] At ego rem debere exiſtimo ſpecialiùs decidi, materiam perſonasq; legum aut privilegiorum diſtinguendo.

An privilegium in favorem Principis, an verò in favorem privati ſit exponendum?

Conſiderando perſonas dico favores eſſe ampliandos reſpectu illius cui cõceditur favor, cui imponitur lex; prudentia enim poſtulat, ut credamus illum voluiſſe multum favere, qui aliàs expreſſiſſet, ſi voluiſſet favorem limitare: & voluiſſe parum gravare, qui aliàs clariùs fuiſſet locutus, ſi voluiſſet ſtrictiùs & ſeverius procedere: juxta Regulam LVII. *Contra eum, qui potuit legem dicere apertiùs (adde privilegium concedere limitatius) eſt interpretatio facienda.* Nimirùm juxta ſenſum verborum communẽ, qui enim laboravit æquivoco, id ipſum debebit probare.

Privilegia contra jus commune ſunt intelligenda.

Putat igitur Henricus Caniſius, ut vidimus Privilegiorum ſenſum, cùm militet contra Jus commune, eſſe coarctandum & ſtrictiſſimè accipiendum; ſed contrà Hieronymus à Sorbo Cappucinus in Compendio Privilegiorum Alfonſi Caſtrubios edito Coloniæ anno 1619. verbo *Privilegium.* pag. 285. ait. [Eſt etiam advertendum quod per illam clauſulam appon. nunc ſolitã in confirmatione Privilegiorum;

Quid Canonum nomine in Diplomatibus intelligendum?

Dummodo ſint in uſu & ſacris Canonibus & Decretis Concilij Tridentini non adverſentur, non eſt intelligendum, ut quidam malè opinari videntur, de ſacris Canonibus ſummorum Pontificum in Decretis & Decretalibus cõtentis; ſed de ſacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini, cùm clarè pateat Concilium ipſum & canonibus & decretis conſtare; & illud operatur illa *copula &* conjungendo canones decretis Concilii Tridentini. Adeò ut malè mihi ſentire videantur, qui aiunt, ſub illâ particulâ *Canonibus* intelligi decreta & decretali ſummorum Pontificum, & ſub illâ aliâ *Decretis Concilii Tridentini*, ea quæ ſunt in eodem Concilio Tridentino. Et quod proinde nulla aut pauciſſima remanerent mendicantibus privilegia, & ita eſſet equidem, ſi illorum valeret opinio. Sed quantũ ſit hoc abſurdiſſimum & à mente & à verbis ſupra dictorum ſummorũ Pontificum alieniſſimum, quis mente

com-

Digitized by Google

In dubio, An privilegium debeat limitari? compos non videt? &c.] Ecce Sorbo concludit, in caſu quo dubitemus, an Privilegium debeat limitari decretis ſolius Tridentini Concilii, an utriuſque, nimirum Concilii & Juris communis, ſtandum eſſe pro privilegio contra Jus commune, tenendumque non Privilegium Jure communi, ſed Jus potiùs commune eo privilegio limitari. Ergo à fortiore; cùm dubitatur an plus an minus deroget Juri communi, ſtandum eſt pro privilegio. In privilegio, quod non eſt contra tertium, latiſſima debet eſſe interpretatio: non enim ratio occurrit, ob quam debuerit Eccleſia aut Princeps favorem limitare. Filliucius *tract.* 8. *c.* 10. *n.* 261.

DCVL. *Alia ſunt, contra jus & alia contra cōmoditatē.* In privilegio quod eſt contra commoditatem tertii, non verò contra illius adquiſitum jus, debet eſſe latiſſima interpretatio in favorem illius, cui privilegium conceditur; non enim eſt credibile in materiâ meræ gratiæ voluiſſe Principem eſſe melioris conditionis illum cui privilegium non conceditur, altero cui conceditur. *Privilegia nunquam ſunt contra jus adquiſitum.* Cæterùm ſi privilegium vergat contra jus adquiſitum à tertio, ita debet interpretatio fieri, ut non dicatur Princeps vel Pontifex, aut alteri iniuriam feciſſe, aut ſuæ Juriſdictionis limites exceſſiſſe. Ergo vel ita eſt contrahendum & limitandum, ut cum æquitate conſiſtat; vel ſubreptitium nominandum, ne injuſtum & iniquum dicatur. Unde conſultò ſub initium aſſerui, *Leges & etiam privilegia debere exponi intra limites juſtitiæ prudentiæ & poteſtatis pronuntiantis.* Sed de hoc inferiùs.

NOTA.

De privilegiis conceſſis Ordini vel Communitati. Volo adhuc unam aut alteram periodum addere.

Privilegia, quæ toti Ordini vel Communitati in perpetuum conceduntur, licet aliis ſint odioſa, extendenda tamen ſunt, quia habent vim legis, ac ſi eſſent in Jure expreſſa, cum ſint Conſtitutiones perpetuæ, quæ non conceduntur uni vel alteri perſonæ, ſed Communitati, quæ eſt perpetua, Martinus Bonacina *tom.* 2. *d.* 1. *q.* 6. *pag.* 7. *num.* 4. An nihil eſt quod objiciatur Bonacinæ? An nobis conceſſa privilegia coacturi alios ſunt, ut dicant; *Favores eſſe reſtringendos, odia ampliandos?* Non credo: tu conſidera.

XXI.

DCXLVI. *De Privilegio dubio. An reale vel perſonale credendū ſit?* INquiris, An in dubio privilegium cenſendum reale vel perſonale. Henricus Caniſius *in ſumma Iuris libr. VI. Decretalium Regula* XV. ſtat pro Jure communi contra privilegium & judicat perſonale, Sanchez. *libr.* 8. *diſp.* 27. *numer.* 4. ſtat pro præſumptione contra privilegium; adeoque etiam perſonale eſſe exiſtimat. At placet Auſonius Noctinot, in ſummâ Dianæ, verbo *Privilegium, num.* 3. *qui ſic ait.* [Cum Pontio *libr.* 8. *cap.* 18. §. 1. *num* 7. dicendum eſt, quod cùm privilegium reale ſit magis extenſum, quàm perſonale, ſi privilegium eſt omnino favorabile, & nulli præjudicet, debet extendi & cenſeri reale; ſecùs reſtringi & cenſeri perſonale. Si autem dubium vinci non poſſit, & ex parte habentis privilegium ſtet poſſeſſio illius ut realis, ut tale cenſeri debet. Vide etiam Paulum *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *punit.* 2. §. 1. *num.* 6. & Dianam *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 51.] ubi non reſolutionem modò, ſed & rationem conſiderandam judico.

XXII.

Digitized by Google

XXII.

DCXLVII. INquiris etiam, utrùm qui dubitat, an ſit Privilegium revocatum, poſſit illo uti? Reſpondeo Privilegiũ eſſe in poſſeſſione, nec ab illâ deijci poſſe propter revocationem dubiam. Ita Pariſius *lib. 2 conſ.61.nu.ult.* ita Diana, & ex eo Auſonius Noctinot *in Summâ verb. Privileg. num.*4.

An & quãdo dicendũ ſit privilegium eſſe revocatũ?

XXIII.

An privilegio Domini frui poſſit familia?

INquiris tertiò, An Si Petro concedatur Privilegium celebrandi, aut audiend' divina officia tempore interdicti, cenſendum ſit id conceſſum toti eiuſdem familiæ? Reſpondeo affirmativè, favorem enim amplio & ſubſcribo Caniſio *in ſumma lib. 6. regul.* 15. id probanti *ex c. licet* 11. *de privil. lib. 6.* Sed qui *familiæ nomine intelligendi ſunt?* Maritus, uxor, filij, filiæ, nurus cohabitans, ſervi, ancillæ, commenſales. Diana *part. 4. tract. 4. reſol.* 208. *in fine.*

XXIV.

DCXLVIII. INquiris quartò, An ſi Pontifex aut etiam Epiſcopus habeat talis parrochiæ decimas, & tibi illas concedat, favor iſte ad novalium etiam decimas ſit ampliandus? Reſpondeo affirmativè. Ita Caniſius *ubi ſupra ex part. 27. ext. de decimis.* Ago de decimis, quas poſſidet qui Privilegium concedit; quoniam ſi poſſiderentur ab alio, deberet ita Privilegium exponi, ut nulla iniuria fieret alteri; ita reſtringi & contrahi, ut non cenſeretur Pontifex (aut quicumque conceſſor) imprudenter aut iniuſtè in conceſſione proceſſiſſe.

De novaliũ decimis.

XXV.

De Privilegio temporaneo.

INquiris quintò, An qui dubitat, utrũ Privilegium ad tempus vel perpetuũ ſit, teneatur illud temporaneum credere, an poſſit perpetuum iudicare? Reſpondeo ex communi Regula XV. Favorem ampliando & ex ſpeciali, nimirùm XVI. aſſerendo, *Decere conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.*

XXVI.

INquiris tandem, An conceſſum Privilegium, ſi littera anceps ſit, debeat iudicari perpetuum, an verò ſolũ temporaneum? Reſpondet Regula Iuris XVI. *eſſe manſurum.* & Layman. *libr. 1. tr. 4. c. 22. n. 6.* Cæterũ, ſi illud conceſſum in perpetuum ſit à Principe poterit revocari? Diſtinguũt communiter Authores, docentq; conceſſum ſubdito poſſe, conceſſum non ſubdito revocari non poſſe. Caniſio in ſummæ Iuris *lib. 6. reg. 16.* probabilius videtur, ne quidẽ ſubdito poſſe tollere Principem Privilegiũ ſine causâ. At ego rem puto clarioribus oculis intelligendam; exiſtimo n. non dari in Mundo authoritatem concedẽdi Privilegium perpetuum abſolutè, ſed univerſa Privilegia perpetua ſubiacere tranſcendentali morbo caduco, cui omnia humana. nec tamen puto poſſe Principem Privilegia revocare temere & pro arbitrio, ſed debere in eis manutenendis aut caſſandis ſecundum regulas iuſtitiæ & prudentiæ procedere. Ut igitur rem intelligas, & ego meam mentem exponã, ſic diſcurro. Rex Catholicus Toletano Archiepiſcopo talẽ e.g. immunitatem in perpetuum conceſſit; & inquiris, Si contingat, quod ſucceſſu temporis hæc ipſa immunitas ſeu Privilegium in pernitiẽ Reipublicæ vertat, voluerit aut potuerit Rex, etiam illud in hoc caſu concedere? Reſpondeo, quod non voluit, ita n. teneor interpretari Regis mentem, ut iuſta euadat, & eſſet omninò ille iniuſtus, ſi vellet ſuis Privilegiis Rempublicam ſæcularẽ deſtruere. Quod, ſi ipſe Rex dicat Se velle, reſpondebo eum non poſſe; quia nec à Deo, nec à populo habet authoritatem ad deſtructionem ſed ad ædificatio- DCIL.

De Privilegiorum revocatione.

An dentur Privilegia perpetua?

An Eccleſiaſtica perpetua ſint?

Digitized by Google

cationē. Sed quia hæc rarò contingũt, ne dicantur nunquam contingere, caſum propono [Theodoretus miles fortis & ſtrenuus erat Arcis N. Gubernator, cùm Civitas ab Hollando cincta ad ſummas fuit anguſtias redacta. Habebat argenti regij, notabilem vim, ſed hanc bellum paucis diebus exhauſit; cives ſpontanei dederunt ultra vires, malebantq; ad inopiam redigi, quàm in manus Hæreticorũ devenire. Eccleſiaſtici erant pauci, & pauperes, & ſolus unº Abbas Theſauros ſuos in urbē maioris ſecuritatis causâ invexerat. Poſtulat aſſiſtentiã Gubernator; clamat ille immunitates, Privilegia, cenſuras, & de facto divitias ſuas occultat, & pecuniarũ defectu pyriũ Sulphur nō emitur, & civitas in manus Hollandorũ venit.

Civitas, cuius hîc meminero, eſt Volduc, id eſt, Sylva Ducis. cætera nomina intermitto, ne Abbatē confundã, quē multi cognoſcimus.

Agitur de articulis, vult Abbas habere favorabiles, excluditur à civibus tanquã publicæ miſeriæ cauſa, & qui univerſos deſeruit, deſeritur ab univerſis. Ingreditur Auriacus Princeps: ad eius pedes Abbas provolvitur; an mori debeat conſulitur à clementiâ inimici; tãdem ſtatuum Princeps nomine. *Nō morieris*, ait, *Abba, gratias agimus tibi, quod nolueris paucos nummos dare Gubernatori: ecce iam nos habemus univerſa.* Habent hodie locũ inimici, & in ipſo Sutor manet Sutor, Sartor, Sartor, & unuſquiſq; ſæcularis artē ſuam exercet; at nec Epiſcopus manet Epiſcopus, nec Abbates abbates.

An in articulis concordiæ cōprehendi debeat, qui noluit ad civitatis defenſionē concurrere? Bella hodie hæreticorũ contra Eccleſiaſticos & Regulares.

Hîc tantiſper meũ morabor Lectorē & inquiram, An hoc Privilegiũ *Concedimus Abbati ne ſolvat contributionē aliquã*, reddat hunc ſenſum, *Volumus potius, quòd civitas veniat ad Hæreticos, Abbatia deſtruatur, & prædicantes ſacrilegia boent in Dei Eccleſiâ, religioſi ſint expoſiti gladio, Et volũtati inimici, & quod tota patria & fides Catholica periclitetur, quã quòd aliis, aut talis Eccleſiaſticus, ut defendatur ipſe, ut propugnetur patria, paucos nummos contribuat.* Aut amens ſum, aut hæ poſitiones non ſunt æquipollentes.

Quo ſenſu Anticaramuel & alij exponãt donationes perpetuas.

Hæc dicta ſint contra Eccleſiaſticos nimis auaros, non tamen in favorem aliquorũ Principum, qui Eccleſias titulo defenſionis exſpoliant: quàm n. certum eſt debere potiùs Eccleſiaſticos contribuere, quàm provincias hæreticis & inimicis cedere, & ipſoſmet Eccleſiaſticos perire; tam eſt certum Principem, qui indiget denis aureis, undenos extorquere non poſſe.

Aliqui Eccleſiaſtici nimis avari ſunt, & aliqui ſæculares nimis rapaces.

Stat igitur hanc Propoſitionem, *Hanc immunitatem in æternum concedimus* æquivalere huic, *Hãc volumus æternũ valere, niſi fortè aliquando per accidens contingat illius valorem eſſe in deſtructionē & perniciem Reipublicæ.* aliàs n. Princeps illicitè & invalidè concederet: illicitè, quia contra ſuum officium; ſua enim intereſt Rempublicã manutenere: & invalidè, quia excederet limites ſuæ iuriſdictionis & poteſtatis, omnis n. humana poteſtas ſive à Deo immediatè, ſive mediatè per populorum cōſenſum oriatur, ad ædificationē, & non ad deſtructionem eſt. Et hæc de privilegiis non ſubditis conceſſis ſint ſatis.

Verus ſenſus donationis perpetuæ.

Quid poſsit & non poſſit Princeps concederē.

PORRò ſi concedantur illa ſubditis, notandum ea poſſe bifariam concedi; ex iuſtitiâ, & ex gratiâ. Ex iuſtitiâ, cùm in ſtipendium & pretium præſentis laboris, aut præteriti præmiũ; & hæc revocari non poſſunt, niſi per accidens ſint pernicioſa bono publico. Cæterũ, quæ conceduntur ex gratia, debiliora ſunt, & videntur non habere maiorem perēnitatem, quã quã habuerint à perennãte cōcedentis decreto, & poſſunt duobus modis concedi. Nam cùm dicitur his aut æquivalentibus verbis, *Notũ ſit univerſis nos velle hanc gratiam æternũ perennare*, voluntas concedentis exponitur, ſed non ligatur; at cum dicitur, *Concedimus vobis ut hac immunitate in æternũ fruamini* iam privilegium habet dona-

De privilegio conceſſo ſubditis.

ex gratia, ſine promiſſione; aut cum promiſſione.

tionis

tionis virtutem, & donatio non poteſt revocari, niſi ex cauſis in Iure deſignatis. Ex favoribus & privilegiis venis ad pœnas & inquiris, An ſint reſtringendæ aut ampliandæ? Fortè huic decidẽdæ controverſiæ Regula XV. ſufficeret, nam ſi odia reſtringenda ſunt, reſtringendæ ſunt pœnæ. At quia poſſet ſtatim objicere aliquis illas eſſe inſtitutas in favorem Reipublicæ, & ideò ampliandas, addita fuit Regula IL. *In pœnis benignior interpretatio eſt facienda*, ut Iuris conſultus Paulus *l. factum cuiq; §. fin. ff. eod.* loquitur, *In pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt*. Cui æquipollet

De pœnis.

An ſint reſtringẽdæ?

XXVII.

DCL. REgula XXX. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* Puta ſi materia odioſa, pœnoſa, aut peccaminoſa ſit. Nam qui dubitas, An tenearis reum dãnare flagellis vel cruce, debes ſequi benigniorem ſententiam. Qui putas te peccaturum, ſi reum abſolvas, te æquè peccaturum ſi condemnes, debes abſolvere; quia cæteris paribus minimum odiũ ſequeris. At, qui putas te peccaturum, ſi condemnes & gravius peccaturum ſi abſolvas, ſi qui debes id quod minus peccatum iudicas, damnandus aliàs probabiliſſimâ Theologorum ſententiâ de exceſſu peccaminoſitatis. Adeoque in tali caſu teneris condemnare reum & quia omnia intra concatenata ſunt ex hac doctrina oritur Regula XL. *Pluralis locutio* (ubi non conſtat liquidò de quo numero intelligẽda ſit) *duorũ numero eſt contenta* Et ratio eſt, in obſcuritate numerorum pluralium minimus eſt ſequendus, & iſte complectitur duos. In linguâ Græcâ, in quâ inter ſingularem pluralemq; datur dualis numerus, pluralis locutio tres ut minimum poſtulat, ut diſtinguatur à ſingulari & à duali. An aliquando ſufficeret unus ut pluralis locutio ſalvaretur? vide axiomate XIX.

Quid reſolvendum ſit in rebus obſcuris?

Quid, quãdo putas utrumque contradictionis extremum eſſe peccatum?

De numero plurali.

De duali.

ubi *teſtium* nomine *teſtis* abſolutè intelligitur.

XXVIII.

De Silentio, quod conſenſui æquivalet.

INquiris. an-ne in privilegiis concedi dicantur omnia, quæ non interdicuntur? An in iudiciis dicendus ſit conſenſum præbuiſſe, qui tacuit? Et reſpõdeo argumentum, quod ſumitur à negativâ authoritate eſſe nullũ, aut debile; multa enim hominibus non occurrunt. Cæterùm, cùm taciturnitas ipſa conniventia nonnunquam ſit, & quidã moralis aſſenſus; dandæ ſunt Regulæ, quæ tempus à tempore diſtinguant. DCLI.

Hæc conſequentia, Non interdicuntur: Ergo conceduntur: non eſt bona.

XXIX.

IS, *qui tacet non fatetur, ſed neque negare videtur.* Lego clariùs, *Is qui tacet non ſemper fatetur, ſed neq; negare videtur.* Aut aliter, *Qui tacet, tacendo aliquando fatetur, & aliquando etiam negare videtur.* Et hæc Regula XXIV. non tam reſpondet controverſiæ, quàm eamdẽ proponit. Sit igitur Regula XLIII. *Qui tacet conſentire videtur.* Hãc ego dilucido *in Curſu Philoſ.* & nunc illi alteram æquipollẽtem adiungo, *Qui, cum tenetur loqui tacet; & in ſibi favorabilibus, etiam qui non tenetur loqui; conſentire virtualiter, dicendus eſt.* Hinc eſt, quòd non videatur cõſentire, qui tacet interrogatus extra iudicium, aut in iudicio ſed non à Iudice; iſte enim reſpondere non tenetur. *c. 2. verſ. verum ſi de confeſſ. l. 6.* contrà tamẽ, ſi interrogetur à Iudice, tunc enim reſpondere tenetur. Sic intelligimus hãc Regulam in materiâ civili cuius valor humanæ voluntati ſubeſt. Sed quid ſi agamus de iure divino aut naturali? Ponamus caſum, qui ante menſes paucos accidit, de quo multi fuerunt Viri docti conſulti. [Maria accuſat Antonium de impotentiâ; vult nubere alteri; ille vocatus non comparet; interrogatus non reſpondet. Anne condemnari po- DCLII.

Regula viceſima-quarta non eſt Regula.

Quando ſilentium confeſſionẽ æquivaleat?

Quando tacet, qui loqui tenetur.

An ſilentiũ habeat vim confeſſionis in materiâ Iuris naturalis?

terit ex Regulâ *Qui tacet, conſentire videtur?* & maximè, quia habet obligationem reſpondendi. Quid ſi & reſpondere nolit, & in contumaciâ condemnetur? An ne ideò matrimonium Mariæ & Antonij erit nullum, & poterit illi alteri nubere? Quid ergo? Hîc ego, ſicut & ſæpe alibi, iuvari ab amicorum ingenio & doctrinâ deſidero.]

XXX.

DCLIII. *Multa ſolent à Canoniſtis dici hîc, quæ docti reijciunt.*

SEd quo intelligenda modo Regula LXIII. *Exceptionem objiciens, non videtur in intentione adverſarij confiteri?* Hæc regula debet limari, nec videtur conſentanea rationi, ſi ut ſonat & iacet admittatur. Ut illam explicet Caniſius húc caſum frequentem proponit. Paulus poſtulat ab Antonio debitum, quod nunquam contraxit; & Antonius, ut facilius ſe expediat, objicit ſolutionem, vel pactum de non petendo, vel aliam exceptionem ſimilem, & inquiris, An cẽſendus ſit Antonius debitum confiteri?

Caniſius utitur regulâ, quæ non eſt omninò directa.

Reſpondet negativè Caniſius, & ſuam reſolutionem probat ex hac regulâ, quã nos laborare morbo gravi aſſeruimus; & ne ratione carere dicatur, ſic inquit [Porrò in eo conſiſtit quod exceptio non aliâ mente objicitur à Reo, quàm ad excludendam Actoris intentionem, non ad eam fundandam: non igitur contrarium effectum operari debet exceptio; actus enim noſtri (dici ſolet) nõ operantur ultra intentionem noſtram. *l. non omnis 19. in princ. ff. ſi cert. pet.*

Sed veritatem quærit Iudex, & non intentionẽ accuſati.

Neq; in dubio credendus eſt reus eam viam ſibi eligere voluiſſe, ut ſeipſum impugnaret & adverſarium iuvaret *l. 3. ff. de milit. teſtam.*] & tamen hæc ratio nulla eſt; quia qui fatetur aliquid non poteſt credi negare id, ſine quo non eſſet verũ, quod fatetur; aliàs aut fateretur falſũ, aut duas ſimul contradictorias admitteret. Fatetur ergo debitũ, qui ſe ſoluiſſe teſtatur; aut ſimilem aliam exceptionem objicit, quæ ſine debito ſtare non poteſt.

Caniſius reiectus.

Nec habet unde Caniſius ſic diſcurrat, niſi textũ Regulæ crudæ, quam deberet lumine rationis concoquere.

XXXI.

DCLIV. *An damnandus, qui crimen fatetur, & nequit probare excuſaturam circumſtãtiam?*

POnit alterum caſum, & inquirit, An qui hominem defendendi ſui cauſa ſe occidiſſe fatetur, homicidiũ eo ipſo confiteatur, & tanquam homicida plectendus ſit, ſi defenſionem non probat? & reſpondet non videri, ſi æquitatem Regulæ iſtius ſequamur, vultq; videri Decium, aliosq; *ad c. 6. extr. de excep.* At ego reſpondeo non videri ſi Regulæ corticem & literam crudam ſequamur: at videri, ſi Regulæ æquitatem & ſenſum.

Confeſſio conditionalis: an admittetur?

Subiungit ille, *Omnium tamen tutiſſimum erit, ſi reus exceptionem ſuam conditionaliter objiciat, dicendo. Nego me tibi debere; ſed ſi debui ſolvi tibi* (Nego me occidiſſe Titium; ſed ſi occidi, cũ inculpatæ tutelæ moderamine & ex defenſionis merâ neceſſitate occidi) *& ita in cæteris. ut hac ratione oneretur adverſarius ad probandam intentionem ſuam l. ſiquidẽ. 9. C. de except.* Ergo ex hac doctrinâ exponatur illa Regula Iuris, & eſſe dicatur *Exceptionem conditionalem objiciens, non videtur in intentione adverſarij confiteri.*

Caniſiana interpretatio.

Suaderem tamen reo, ut potius homicidium negaret; quouſq; convinceretur. Si ſemel eſſet de homicidio convictus, tunc demum exciperet dicens, *ſi occidi cum moderamine inculpatæ tutelæ proceſſi,* & ſic in alijs.

XXXII.

DCLV. *De privilegio, ſi præiudiciale reddatur?*

HIc obiter notandum eſt, mutatis temporibus & circumſtantiis aliquando contingere privilegia in præiudicia permutari; & tunc ita reſtringẽda ſunt, ut non maneant præiudicialia, iuxta Regulam *LXI. Quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* quæ conſonat legi. *quod favore. 6. C. de legibus.* Proſtant exempla in

cap.

Digitized by Google

cap. adapoſtolicam. 16. extr. de regularibus. in l. non eo minus. 14 c. de procuratoribus in l. ſi iudex 42. ff. de minoribus.

Nemo uti privilegio tenetur. Hinc patet neminem invitum debere uti privilegio, non enim eſſet favor, ſi obſtringeret etiam invitos, Layman *fol. 134. & 650. n. 27.*

De extenſione favorum ad alios. Petis. An favores ita ampliandi ſint, ut ad alias perſonas extendantur? Reſpondeo eſſe Regulam *LXXIV. Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum*: Puto tamen alijs tantùm concedi indirectè, quantũ eſt neceſſarium, ut ſuo ille privilegio fruatur, cui directè conceditur; nam quod conceditur uni, conceditur ſuo modo alteri relativo; nam ſi ſacerdoti conceditur ut ducat uxorem, fœminis conceditur ut poſſint eidem nubere: ſi Carthuſiano conceditur ut poſſit ad alium ordinem tranſire, aliis etiam ordinibus concedetur ut eum poſſint admittere. *Privilegia alijs conceduntur directè, & alijs indirectè.*

XXXIII.

DCLVI. *De reverentiâ in omni Iuris interpretatione ſervandâ.*

Aliqua huc concernentia tetigi ſuperiùs, plura inferiùs ſubijciam; pauca interim hîc, ſed valde neceſſaria, propono. Dico igitur, ſi lex habeat duos ſenſus, alterum proprium, & regulis grammaticalibus conſonũ, alterum verò improprium & ſi velis coactum; ſi tamen iſte ſecundus nec iuſtitiæ, nec prudentiæ opponatur, nec ultra Legiſlatoris poteſtatem aut iuriſdictionem vagetur, & ille prior ſit talis, ut inde neceſſariò ſequatur Legiſlatorẽ aut fuiſſe iniquum, aut ſtultum, aut exceſſiſſe limites ſuæ poteſtatis; in tali caſu reverentiam debitam Legiſlatori poſtulare ut ſenſus honori & integritati Legiſlatoris congruens, vel invitâ grammaticâ, accipiatur. Tunc enim tantũ propriè intelligenda ſcriptura aliqua eſt, cùm ſine abſurdo poteſt. Reginaldus *li. 27. n. 10.* Quam doctrinam eſſe valde neceſſariam ſcimus, qui Pontificum & Regum Diplomata, à Secretariis interdum imperitis ſcripta, examinamus. *Decentia poſtulat ut plurima aliter exponantur. Sed quo modo? Quando ad ſenſum rigoroſum ſit recurrendum?*

****

FUNDAMENTUM XXXIX.

De Commiſſiva Iuſtitiâ.

DCLVII. *Perſonales actiones.* Actiones A perſonales alteri committi non poſſunt. Tales ſunt naturales, ſupernaturales, fere omnes ſacramentales, miſſæ auditio, horarum recitatio, teſtamenti conditio, corporales pœnæ, paſſivum examen, & alia id genus. Privilegia A A perſonalia non communicantur. *Actiones communicabiles;*

Reales. Committi alteri (capaci tamen) poſſunt B omnes actiones reales. Potes enim tantum ac tale ius in alium transferre, quantum & quale tibi competit; non aliud C diverſum, non D maius, non diuturnius; & hoc delegatione, ſucceſſione, & E alienatione. Commiſſio eſt duplex realis F & virtualis, expreſſa & implicita; utraq; eundem effectum parit; at virtualis poſtulat G ratihabitionem. *& incommunicabiles.*

Digitized by Google

Hic multæ Leges, multæ Regulæ pertinent; præcipuas dabimus.

DCLVIII. *Obligationes & privilegia perſonalia.*

A. Obligationi perſonali nemo poteſt per procuratorem ſatisfacere. *pleraſque actiones perſonales enumeravimus in textu.*

B. Privilegium (*ſeu Ius*) perſonale perſonam ſequitur,& extinguitur cum perſonâ. *Eſt Regula VII.* Obligationi reali poteſt quicunque per procuratorem ſatisfacere. *Sunt evidenter vera & in ipſâ verborum ſignificatione fundantur.*

& realia.

Poteſt quis (*ſi opus ſit reale & non perſonale*) per alium (*capacem*) quod poteſt facere per ſe ipſum. *Eſt Regula LVIII.*

Cur Procuratores admiſſi?

Uſus Procuratorum perquam neceſſarius eſt,ut qui rebus ſuis ſupereſſe (*intereſſe*) vel nolunt, vel non poſſunt, ſaltem per alios poſſint agere vel conveniri.

Actio realis & virtualis in Iure coincidũt.

Qui facit (*realem actionem*) per aliũ, perinde ac ſi faciat per ſe ipſum. *Eſt Regula LXXII.*

Qui crimen Committit per alium, perinde ac ſi committeret per ſe ipſum. *Infertur ex antecedente.*

C. Quod alicui ſuo non licebit nomine,nec alieno licebit.*Eſt Regula LXVII. & vix vera Admitti poterit,ſi dicatur æquipollere huic,* Quod non poteſt aliquis licitè facere per ſe & ſuo nomine, frequentiùs non poterit interpoſito procuratore: multa tamen licitè & validè facimus nomine alieno, quæ proprio non poſſumus.

De iure tranſlato.

Is qui in Ius ſuccedit alterius,eo iure quo ille,uti debet.(*non enim aut alio,aut maiore*) *Eſt Regula XLVI.*

Qui in ius dominiumve alterius ſuccedit,iure eius (*reali*) uti debet.

D. Nemo plus iuris poteſt transferre in alium,quàm ſibi competere dignoſcatur. *Eſt Regula LXXIX.*

Vlpianus. Non debeo melioris Conditionis eſſe,quàm author meus, à quo ius in me tranſit,&c.

E *Pomponius.* Alienatio cum fit, cum ſuâ cauſa dominium ad alium transferimus,quæ eſſet futura, ſi apud nos ea manſiſſet.

F. Licentia aut commiſſio realis & actualis,& quæ verè & realiter conceditur;virtualis & implicita quæ præſumitur:videlicet evidenter, aut probabiliter ſaltem. *Commiſſio realis & virtualis.*

G. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari. *Eſt Regula X.* *Ratihabitio.*

Ratum quis habere nõ poteſt quod ipſius nomine geſtũ nõ eſt. *Eſt Regula IX.*

Poteſt quis rata habere gravamina.

Nemo dat,quod non habet. *Layman de Iuſtâ defenſ. fol.248.*

PErmittũt Leges ut homo vices ſuas alteri committat,& hoc bifariã, aut dignitatem cedendo,aut authoritatem delegando,& tametſi utrumq; permittant, múltas ipſæ & valde neceſſarias limitationes addunt,ita ut hæc Iuſtitiæ pars multis ſcateat ſalebris, & debeat accuratè explicari. DCLIX. *Ceſſio & delegatio.*

I.

De actionibus perſonalibus.

MUltæ ſunt actiones perſonales, in quibus illicitè & invalidè quis alteram perſonam ſubſtituat. *Actus perſonales.*

Primò enim actiones naturales elici per Vicarium non poſſunt. Tales ſunt comedere,bibere,lotium & reliqua excremẽta reddere,ſudare,expuere,pharma recipere, purgare,&c. Scio in monſtris, ſi duobus invicem ligatis aut inſertis corporib. unicus ſit ſtomachus, ſufficere ut altera perſona pro utraque comedat,aut egerat, ut viſum eſt in cõpacto illo perſonarum binario,qui Genuæ natus an.1617.an.1629. Madritum advenit,& fuit in cauſâ ut Ioannes Eu- *Naturales.* *Notanda de monſtris.*

ſebius

Digitized by Google

ſebius Nieranbergius ſuæ Philoſophię curioſæ librum III. adiungeret.

Supernaturales. *Secundò* nec actiones ſupernaturales committi alteri poſſunt: nõ enim licet, ut vel ego Deum amẽ per procuratorẽ, vel per alium credam, vel ſperẽ. nam & ruſtici, cùm credunt, ꝗ Sacra Romana Eccleſia, verè credunt, nec fide aliena, ſed propriâ, & ꝓpriâ charitate ſalvãtur.

DCLX. *Sacramentales.* *Tertiò* ferè omnes ſacramentales actiones perſonales ſunt, quoniã matrimoniũ per procuratorem poteſt contrahi, nihil aliud & diſcurrendo per ſingulas omninò debet aſſeri ſacramentũ baptiſmi neminẽ poſſe alterius nomine recipere; neminẽ alterius nomine conferre: quoniã tametſi certum ſit, illud à quocunq; viro vel fœminâ cõferri poſſe, nõ tamen ita debet conferri, ut unus ſubminiſter nomine alterius miniſtri aut aq̃ effundat, aut proferat formã ſacramentalẽ; aut alium liquorem loco aquæ naturalis ſubſtituat. Idem de ſacramento Confirmationis eſt dicendum; idem de reliquis. Non poteris nomine alterius confirmari; non dolere de peccatis, non confiteri, non abſolvi; nõ ſatisfacere communionis præcepto; non recipere ordinẽ, non extremã unctionẽ: ſicut nec poteris nomine Epiſcopi cõfirmare; aut nomine Confeſſarij abſolvere, aut nomine ſacerdotis miſſam legere, aut Laicus nomine Parochi matrimonio, ne ſit clandeſtinũ, intereſſe; aut illud nõe mariti conſũmare, aut debitũ petere; nec extremam unctionem conferre nomine miniſtri legitimi.

In Baptiſmo: In confirmatione: In Communione: Ordine: extremâ Vnctione: In Matrimonio.

Præcepti. *Quartò* de feſto nemo poteſt audire miſſam per procuratorem: hæc n. lex eſt perſonalis, nec procuratorem admittit. Idem dicito de officio divino, quod tenentur ſacerdotes aut alij Eccleſiaſtici recitare.

Teſtamentales. *Quintò* ut conſtat *ex l. illa inſtit. 32. l. ſi quis Sempronium. 68. ff. de hæred. inſtit.* & ex iis quæ tradunt Doctores *ad c. cũ tibi* 13. *extr. de teſt.* teſtamentũ per procuratorẽ fieri nequit; non n. poteſt moribundus concedere, ut Ioannes eius nomine cõdat teſtamentum: põt tamen ex naturâ rei, ſi non impediretur his legibus. *Nota bene.*

DCLXI. *Pœnales.* *Sextò* pœnas corporeas debet quis ſubire perſonaliter, nõ n. damnatus flagellis aut capite, poſſet interpoſito tertio ſententiæ ſatisfacere. Scio aliquãdo concedi ut damnati ad triremes, alios mittant, ſed tunc damnatio ipſa realis, non verò perſonalis fuit. *Nota hoc.*

Doctrinales. *Septimò* non poteſt in examine doctrinæ unus alterius loco reſpondere; diſputationes n. academicæ & quæcũq; aliæ actiones litterariæ omninò perſonales ſunt. At in multis caſib. iudicatur eſſe ſatis doctus, qui ſcit regi ſapientũ conſilio, ſed hæc ipſa doctrina (hoc eſt, ſcire regi) omnino perſonalis eſt.

An ſententia poſſit per alium pronunciari? *Octavo* dantur aliæ actiones, quæ in iure perſonales habentur, & poſſunt creſcere & diminui, iuxta legislatorum voluntatẽ. Nam ſententia debet perſonaliter proferri à Iudice, *l. 1. 2. & 3. C. de ſentent. ex brevic. recit.* tametſi receptum iam ſit illuſtriores perſonas ſentẽtiam per alios pronuntiare, &c.

II.

De actionibus realibus.

DCLXII. SIc intelligenda eſt illa Iuris Canonici Regula *LXVIII. Poteſt quis* (ſubintellige, *ſi opus ſit reale & non perſonale*) *per alium* (*capacem tamen*) *quod poteſt facere per ſe ipſum.* Quò ſpectat titulus utriuſque Iuris de procuratoribus. *Vſus procuratorum*, inquit l. C. *per quam neceſſarius eſt; ut qui rebus ſuis ſupereſſe (intereſſe) vel nolunt, vel non poſſunt, ſaltem per alios poſſint agere vel conveniri. libr. 1. §. penult. de procurator.* Conſultò poſui illud *capacem* quia tametſi gubernare ſit quid reale

Cur procuratores introducti?

Digitized by Google

Debent eſſe capaces. reale quod poteſt delegari & committi, nunquam admittam validè proceſſiſſe Gunnarum & Attilum, qui regiam authoritatem Canibus delegarunt; canes enim authoritatis incapaces ſunt.

Conſonat Regula LXXII. *Qui facit per alium* (*capacem intelligo*) *perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum.* Quæ primò habet locum in contractibus, & in iis omnibus, in quibus iure permittitur interponere procuratorem. Secundò in nocumentis illatis proximo; perinde enim eſt, ſi domum Petri manu propriâ incendas, an manu famuli; ſi Ioannem manu occidas propriâ, an per Sicarium. Alexander III. *ad caput Poteſt quis,* ſic ait, *Qui non per ſe ipſos, ſed eorum authoritate, vel mandato alij violenter injiciunt manus in Clericos, ad ſedem Apoſtolicam ſunt mittendi, cùm is committat verè* (non tamen realiter, ſed moraliter & virtualiter) *cuius authoritate vel mandato delictum committi probatur.* Nota iſtud *probatur*, ut diſcas verè à Bernardo *libr. de præcept. & diſpenſ.* dictum, *Quod probari non poteſt, mihi* (civiliter & politicè) *infectum* (ſeu non commiſſum) eſt. Conſonat *lib.1.par. deieciſſe. ff. de vi & vi ann.* Ulpianus, qui ſic ait, *deieciſſe* (Si non realiter ſaltem virtualiter moraliterque) *etiam is videtur, qui mandavit vel iuſſit, ut aliquis deijceretur; parvi enim* (& ſtando iuri, *nihili*) *referre viſum eſt, ſuis manibus quis deijciat an verò per alium.* Et iterum *l. non ſolum 11. ff. de iniur.* idem Iuris peritus, *Non ſolùm autem is iniuriarum tenetur, qui* (perſonaliter) *fecit iniuriam, hoc eſt qui percuſſit; verum ille quoque continetur qui dolo* (moraliter & virtualiter) *fecit, vel qui curavit, vt cui mala (gena) pugno percuteretur.* & etiam conſonanter *l non ideo. 5. C. de accuſ.* Gordianus *Non ideo minus criminę ſive atrocium iniuriarum iudicio tenetur is, qui in iuſtam accuſationem incidit, quia dicit alium ſe huiusmodi mandatorem habuiſſe; namque hoc caſu præter principalem reum, mandatorem quoque ex ſuâ perſonâ conveniri poſſe ignotum non eſt.* Vocat *principalem reum* occiſorem, phyſicum; & *minùs principalem reum*, occiſorem moralem; non quod iſte leviùs altero peccet, ſed quod alterius crimen faciliùs & clariùs poſſit convinci & vindicari.

Quod probari non poteſt politicè commiſſum nō fuit.

Nemo excuſatur iniquo alius mandato.

III. DCLXIII.

Torquetur tantiſper Regula, ut vera evadat.

HInc intelligenda eſt Iuris Regula LXVII. *Quod alicui ſuo non licebit nomine, nec alieno licebit*, quæ reddit hunc ſenſum, *Quod non poteſt aliquis licitè facere per ſe & ſuo nomine, nec poterit interpoſito procuratore.* Privatus enim, qui non poteſt Petrum occidere manu propriâ, non poterit delegare authoritatem Antonio ut eum occidat. Religioſus, qui non poteſt perſonaliter ducere uxorem, non poterit per procuratorem. Cæterùm id quod ego non poſſum facere nomine meo, non prohibeor facere nomine alterius, niſi mihi ſit ſpecialiter interdictum, ut ſubeam vices procuratoris. Sic igitur Religioſus, qui nomine proprio non poteſt res emere aut vendere, poteſt nomine ſuæ communitatis; ego qui non poſſum ducere in uxorem meam ſororem aut conſanguineam, potero illam alterius nomine. Vir non poteſt viro nubere; at Ferrariæ in ſumma Pôtificis præſentiâ Dux Albanus nomine Philippi III. Hiſpaniæ Regis duxit in uxorem Margaretham Archiducis Caroli filiam; & Iſabellæ Hiſpaniarum Infantis, nomine etiam nupſit Alberto Belgarum Principi.

An Vir Virum in uxorem ducere poſſit.

IV. Huic

Digitized by Google

IV.

DCLXIV. De iure translato.

HVic eſt ſimilis Regula XLVI. *Is, qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille uti debet* (non autem, aut alio, aut maiore) cui conſonat alia Iuris Civilis Regula, *Qui in ius dominiumve alterius ſuccedit, iure eius uti debet.* & exſtat *in l. qui in ius. ff. eodem.* Differt à delegatione ſucceſſio; quòd in delegatione unum & idem ius ſive authoritas in legante ac legato maneat; in illo propriè & primariò; in hoc impropriè & ſecundariò; in illo principaliter, in iſto inſtrumentaliter: at in ſucceſſione totum ius, tota authoritas tranſit ab uno in alterum, ita ut iam non ſit in priore, ſed in poſteriore, eodem ſit omninò modo, quo in priore fuerat. Porrò ſuccedere dicitur Hæres, *l. hæres. 37. ff. de adquir. vel om. hæred.* Fiſcus, quoad bona confiſcata, *l. 2. c. ad l. Iul. de vi publ.* & in dominium rerum particularium Donatarius, Legatarius, Emptor, & ſimiles. *l. hæres.* Hic tamen notandum eſt in iura perſonalia non ſuccedi. nam ſi defunctus habebat aliqua perſonalia privilegia, quæcumque illa ſint, ad hæredem non tranſeunt. Unde tametſi ſacerdos poſſit miſſas dicere, eius hæres non ſuccedit illi in iſtud ius, quoniam perſonale eſt: nam ut habet Regula Iuris ſeptima, *Privilegium* (ſeu ius) *perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.* Unde appoſitiſſimè, *l. in omnibus 68. ff. hoc tit.* Paulus Iuris Conſultus *In omnibus cauſis obſervatur,* ait, *ut ubi perſonæ conditio locum facit beneficio* (ſeu privilegio) *uti deficiente ea beneficium quoque deficiat.* Caniſius hanc ſeptimam Regulam his exemplis & verbis illuſtrat [Maritus dotis nomine vel aliter conventus ab uxore, & è contrà uxor à marito conuenta, item ſocius univerſorum bonorum, vel etiam unius rei; parens, patronus, patrona, liberique eorum & parentes, donator, miles (*adde ſtudioſum in nobilioribus academiis*) eatenus condemnantur, quatenus facere poſſunt; ſcilicet, ne egeant. *l. ſunt qui 16. cum aliquot ll. ſequentibus ff. de re iudic. l. maritus 74. ff. ſolu. matrim. l. in condemnatione 173. ff. hoc tit. §. præterea inſtitut. de action.* at hoc beneficium, cùm perſonale ſit, non producitur ad fideiuſſores ipſorum vel hæredes. *l. maritum. 12. cum l. ſeq. ff. ſol. matrimon. leg. verum. 63. circ. princip. ff. pro Soc. l. ſi fideiuſſor. 24. cum l. ſeq. de re iudic.* Exceptis tamen filiis mulieris, qui patri hæredes exſtiterunt, quibus idem beneficium à iure communicatur, ut ſcilicet & hi non niſi in id quod facere poſſunt, condemnentur *l. etiam. 18. ff. ſol. matrim.* Nec mirum, ſi id receptum eſt inter ſocios, propter ius quoddam fraternitatis, quod inter ſocios intercedit; profectò multò magis recipiendum eſt inter matrem & filios propter ius neceſſitudinis naturale. Sic privilegium immunitatis perſonæ conceſſum, cum eâdem exſpirat. *l. 3. in fin. ff. de cenſibus.* & de non ſolvendo vectigali in rebus ſuis, ad emptorem earundem rerum non porrigitur, *l. licitatio 9. §. fin. ff. de publica.*] Sic ille. Cæterum ſucceſſoris Ius non eſſe Iure Anteceſſoris maius probat

Succeſſionis & delegationis differentia.

Succedunt Hæres; Fiſcus.

Donatarius. Legatarius. Emptor.

Iura perſonalia ad hæredes nõ tranſeunt.

An ſupra vires aliquis condemnari poſſit?

Sociorum & fratrũ iura.

V.

DCLXV. Quo modo res & iura tranſeant ad alios?

REgula LXXIX. *Nemo plus iuris poteſt transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.* & conſonat legi, *Nemo plus iuris. ff. hoc tit.* Hinc eſt, quod res tranſeat ad hæredem, ad emptorem,

Digitized by Google

rem, ad donatarium affectâ omnibus oneribus quibus fuerat apud priorem poſſeſſorem.

Subijciam aliquas periodos, quæ dilucident doctrinam præcedentem. *l. in ijs. 175. §. 1. ff. hoc titul.* ait Vlpianus *Non debeo melioris conditionis eſſe, quàm auctor meus, à quo ius in me tranſit.* Excipe tamen, ſi ille auctor habuerit aliquod perſonale gravamen, aut ego aliquod perſonale privilegium; iam enim non de perſonalibus, ſed de realibus agitur. Et iterum *l. traditio 20. ff. de adquis. rer. domin.* idem Iuris Conſultus, *Traditio nihil aliud transferre debet vel poteſt ad eum qui accipit, quàm quod eſt apud eum qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert. Si non habuit, ad eum qui accepit, nihil transfert: quoties autem dominium transfertur ad eum qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum qui tradidit. Si ſervus fuit fundus, cum ſervitutibus tranſit; Si liber, uti fuit &c.* Conſonatque *in l. alienatio 67. ff. de contrah. emp* Pomponius ſic inquiens; *Alienatio, cùm ſit, cum ſuâ causâ dominium ad alium transferimus, quæ eſſet futura ſi apud nos ea res manſiſſet.* Hinc ortum fuit illud Iuridicum Principium, quod poſteà ad Phyſicam feliciter tranſlatum eſt, nimirùm *Nemo dat* (ſubintellige, *proprio nomine ut quod, & ut principalis cauſa*) *quod non habet*; nam ſi ego fundum alienum & non meum dare poſſem; aut ſi poſſiderem fundum ſervum & tamen liberum vendere poſſem; aut fundum quem non habebam, aut ſaltem libertatem quâ in ipſo carebam; illud omnino, quod non haberem, darem.

Quæ & qualia transferri poßint?

Nemo dat quod non habet.

Obiectio.

SED OBIICIT legem. *Non eſt novum. 46. ff. de adquir. rer. domin.* in qua Vlpianus ſic ait, *Non eſt novum ut qui dominium non habeat, alij dominium præbeat; nam & creditor pignus vendendo, cauſam dominij præſtat quam ipſe non habet.* Sed non urgeor, nam cùm pignus venditur, à creditore venditur *ut quo* à debitore *ut quod*; ab illo ut causâ inſtrumentali, ab iſto ut principali; ab illo debitoris nomine, ab iſto proprio. Quod ſi pacti fuerint ut debitore in talem diem trahente moras, pignus fiat creditoris, tunc iſte eſſet verus pignoris dominus, poſſetque illud proprio nomine vendere aut retinere.

Quo pignora modo vendantur?

VI.

PRocuratorium reale & actuale eſt delegata poteſtas, vi cuius Procurator eſt virtualiter dominus principalis; virtualiter quidem, quoniam tametſi non ſit verè & realiter principalis dominus, ita ſe habet, ac ſi verè & realiter principalis Dominus eſſet. Huius procuratorij virtute æquè poteſt Antonius Franciſci procurator domum & hortos Franciſci vendere, ac poteſt ipſemet Franciſcus. At procuratorium ſeu delegata poteſtas eſt duplex, expreſſa & implicita, certa & probabilis, data & præſumpta, aut, ut omnia colligam (hi enim termini impræſentiarum ſunt ſimiles) actualis & virtualis. Dico igitur expreſſam certam datam realem actualemque delegationem, ſeu domus vendendæ poteſtatem, non indigere ratihabitione, niſi fortè limitata ſit, & uſque ad ratihabitionem conceſſa.

DCLXVI. *Quid ſit procuratorium?*

& quotuplex?

Addo implicitam, probabilem, præſumptam & virtualem æquè fortem & potentem eſſe, modò civiliter probari poſſit; & quia non aliter quàm ratihabitione poteſt, ab hac, ut à con-

An requirat ratihabitionē?

Digitized by Google

à conditionẽ *ſine quâ non* habere (non verò tanquam à ratione formali) quod ſit valida.

Probatur hoc Regulâ X. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Si enim vi procuratorii virtualis Antonius (iuvat retinere idem exemplum) domum hortos & vineas Franciſci Calendis Ianuarij donaverit Eliphonſo, & poſteà Calendis Novembris Franciſcus (præſens fuerit aut abſens nam ad ratihabitionem præſentia realis non requiritur *Bartolus ad l. Pomponius. num. 1. ff. de negot. geſt.*) hanc eandem donationem ratam habuerit; hæc ratihabitio non erit donatio, vi cuius Eliphonſus à Novembris Calendis incipiat eſſe domus hortorum & vinearum dominus ; ſed erit conditio *ſine qua non* donatio illa facta per Antonium ſubſiſteret, & poſita faciet, ut retrotrahatur effectus, & Eliphonſus inceperit à Calendis Ianuariis eſſe domûs hortorum & vinearum dominus, adeoque poſſit fructus toto anno perceptos retinere. Conſonant hæc omnia capiti *penult. de ſentent. excommun. libr. 6. cap. fin. de iureiurand. eodem lib. & c. ſi tibi. 17. de præ 6. eodem. Et etiam legi. hoc iure. 195. ff. hoc titul. & l. vero. 12. in fin. ff. de ſolutionibus. l. ſi fundus. §. 1. l. fin. C. ad Senatus Conſult. Macedo. l. donationes 27. C. de donat. inter vir. & uxor. l. 3. §. hac autem actio. ff. de negot. geſtis.* Circa ratihabitionem adnotato, eam fieri debere politicè, hoc eſt, ita, ut probari poſſit; nec tamen referre, an fiat ſcriptis, an verbis, an factis. Quî fieri in ſcriptis aut verbis poſſet non ignoras; quî factis intelligere vis. Iubeo legi Paulum Iure-Conſultum, *l. Paulus 7. ff. rem ratam hab. l. Paulus §. 1.* Et ſic diſcurro. Reipſâ inquam, ille quod ſuo nomine geſtum ratum habet, qui facit aliquid quod ſubſiſtere nequit omninò, ſi illud quod geſtum ſuo nomine dicitur, eſſet invalidum. Sic igitur, ſi Fridericus inchoaverit litem tuo nomine, & tu illam perſequaris, quod Fridericus fecit ratum habes, non enim perſequi poſſes, ſi illud eſſet invalidum. Si domum implicitâ licentiâ tuâ venditam loces; aut equum tuo venditum nomine pretio conducas, videris ratihabere venditionem domus, & equi. Si etiam acceptis à filio tuo literis ratione pecuniæ mutuò acceptæ, continuò conteſtationem non interponas contrariæ voluntatis, ratihabere videberis, qui enim tacet, cùm tenetur loqui, conſentire videtur iuxta Regulam XLIII. Et tu ex lege, *Si filius familias 18. ff. ad Senatus Conſultum Macedo.* In hoc caſu loqui omninò teneris, ne tuo ſilentio creditor decipiatur.

Ratihabitio vel eſt realis,

vel virtualis.

DCLXVII. *De procuratore.*

Circa Procuratoris præſumpti perſonam etiam notari oportet, non referre, an ille poſt traditionem rei venditæ vel donatæ, mortuus fuerit, furere aut delirare inceperit, aut etiam actionem ipſam retractarit, & facti omninò pœnituerit.

De tempore.

Circa tempus notandum illud, aut à lege publicâ, aut in ipſo præſumpti Procuratoris contractu potuiſſe limitari: quod ſi intra præſcriptum tempus ratihabitio non ſequatur, priora omnia erunt nulla, nec poterunt ſerotinâ & intempeſtâ ratihabitione. (*l. penult. & ultim. §. 1. ff. rem ratihabit.*) confirmari.

Nota obiter ratihabitionem non habere locum, ſi lege publicâ excludatur, aut reſpublica ſolennitatem aliquam poſtulet ad valorem contractûs,

Digitized by Google

quamponere præſumptus procurator non poteſt.

Videndi ſunt aliquot textus, & præcipuè *c. nonnulli 28. ext. de reſcrip. §. tutor autem Inſtit. de auct. l. quid ergo 13. ff. de his qui notâ infam.*

VII.

DCLXVIII. *Quid ad ratihabitionem requiratur?*

Ex Hac doctrinâ infertur Regula IX. *Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine geſtum non eſt.* quæ deſumpta fuit ex c. *penultim. de ſentent. excommun. libr. 6.* & conſonat legi, *ſi pupilli 6. §. ſed ſi ego. ff. de negotijs geſtis.* Ut res intelligatur aliquot caſus breviter deciſos ſubiungo.

Ambroſius emit ædes à Petro, non meo ſed ſuo nomine: & petitur, quòd ratum ego contractum illum habeam; & reſpondeo meam ratihabitionem fore nullam, hoc eſt, nullius valoris; non enim pendere à mea voluntate poterit contractus illius initi independenter à me, valor; nec illum potero firmare conſentiendo neque diſſentiendo reſcindere; quoniam ille nec me nec mea concernit. *l. ſi pupilli. 6. §. 1. ff. de neg. geſt. l. ſi ſervus. 12. ff. de precario iuncta. l. non omnis 19. ff. ſi cert. pet.*

DCLXIX. Cæterùm ſi vel Ambroſius meo illas ædes nomine emeret, aut ædes ipſæ quos emit proprio nomine, eſſent meæ, & à Petro meo nomine venditæ, contractus ille me tangeret, & ratum poſſem habere, ſi vellem. Nota tamen in omni contractu, qui non vergit in damnum meum implicitum, meum conſenſum ſubintelligi, illumque ratihabitione firmari: quia tametſi contractus nomine meo factus non ſit, nomine meo conceſſa eſt hoc modo contrahendi poteſtas, & requiritur ratihabitio ut conſiſtat. Quod expenditur *l. 3. C. de rei vin. c. l. alien. 20. in princ. ff. de pignor. act. l. 1. §. fin. ff. depoſiti l. fin. C. ad Senatus Conſult. Maced. l. ſi c. ſervum. 21 ff. ſi cert. petat.* Nam ſi Petri fundus mihi ſervus ſit, & tamen Petrus illum Paulo immunem ab omni ſervitute vendiderit, cenſendus eſt fundum nomine ſuo, immunitatem nomine meo vendidiſſe. Adeoque ego potero aut non habere ratam venditionem, ſed velle mihi fundum eſſe ſervilem; aut etiamſi placeat, ratam illam habere & fundo libertatem donare, vel gratis condeſcendendo Petro, aut cum ipſo conveniendo de aliquo pretio, ne damnum patiar. *l. 3. l. ſi c. de negot. geſt. & l. ſi c. ſervum. 21. ff. ſi cert. petat.* Si ego ratam habeam illam venditionem, tametſi ſervitutem illam mihi prius debitam amittam non potero conqueri, aut me læſum clamare; hîc enim habet locum Regula XXVII. *Scienti & conſentienti* (nimirùm, potenti conſentire, & tamen liberum aſſenſum præbenti) *non fit iniuria, neque dolus.* Conſonatque hæc Iuris Canonici Regula Legi, *Nemo videtur fraudare ff. eod.* Sed quia hæc Regula ab aliquibus impugnari ſolet, obiectiones nonnullas videamus.

Notanda.

Si fundus venditur, etiam ad emptorem tranſit fundi ſervitus.

Permittenti non fit iniuria.

DCLXX. *An qui ſacerdotem volentem percutit, ſit excommunicatus? An qui provocantem?*

Primò arguis ſic. Qui Clericum volentem (puta ſi provocaretur à clerico) percutit, excommunicatur. ergo ſcienti & conſentienti fit iniuria. & probas antecedens ex ca. *contingit. ext. de ſentent. excommun.* Et reſpondeo non ſufficere conſenſum quemcunq;, ſed perſonæ, quæ illum poſſit præbere. Hinc eſt, quod te volentem & petentem occidi, nemo occidere poſſit; quia tu non potes dare licentiam ut occidaris: hinc etiam, quòd adulter marito etiam ſcienti & conſentienti ſit iniurius,

Digitized by Google

rius, quia ille non poteſt licentiam mœcho concedere ut ad ſuam uxorem accedat: & doctrinæ paritate Clerico volenti percuti fiet iniuria, non enim poteſt ipſe licentiam concedere ut percutiatur.

In adulterio fit etiã ſacramento iniuria: in percuſſione clerici etiã ſtatui Eccleſiaſtico.

Accedit, quod ſicut in adulterio ab aliquibus dicitur iniuria fieri, non ſolùm marito, ſed & ſacramento; poſſet dici in Clerici percuſſione iniuriam non ſolùm fieri percuſſo, ſed Eccleſiæ, & toti ſtatui Clericali; qui enim percutit filium, patrem & totam familiam dehoneſtat.

DCLXXI.

An furioſus aut pupillus poſſint aliquid donare?

Secundò Qui aufert rem à furioſo aut pupillo ſciente & conſentiente, facit iniuriam, & tenetur ad reſtitutionem, *l.1.in §. impuberes C.de falſa moneta.* Ergo non ſubſiſtit data Regula. Reſpondeo iuxta ſenſum Regulæ à me traditum, requiri conſenſum liberum; & furioſum carere libero arbitrio phyſico, & pupillum morali, adeoque nec illius conſenſum valere, nec huius aliter quàm per tutorem (hic enim eſt pupilli politicum liberum arbitrium.)

Tutor pupilli eſt voluntas.

De raptu fœminæ volentis.

Tertiò arguis, Qui rapiunt fœminam honeſtam etiam volentem, puniuntur. *l unica c. de rapt. virg.* ergo raptæ ſcienti & volenti fit iniuria. Reſpondeo, eos ſi ex domo paternâ extrahant, iniurias parentibus eſſe, adeoque reos; & præſumi eſſe iniurios raptæ, non enim credi poteſt honeſtam fœminam aliter voluiſſe rapi, quàm coactam deceptamve. Cùm certum ſit in coactione aut etiam deceptione non dari liberum conſenſum. nam nimiis perſuaſionibus maiorem vim tribuit Ulpianus *l.1.§ perſuadere. ff.de ſervo corrupt.* quàm coactioni. Et quidem leges ita maleſuada hominum verba deteſtantur, ut etiam ob illa homines puniant, etiamſi non ſubſequatur effectus. Conſtat ex lege. *Si quis ſervo, 20. C. de furt. & ſervo corrupt.* nam ſi aliquis ſuadeat ſervo tuo, ut furtum committat, licèt poſteà iſtud non committatur, imò licèt ille non aſſentiatur, peccatum ſcãdali in materiâ furti commiſit, & debet puniri ob peccatum.

Verba etiã cogere poſſunt.

Mala conſilia etiam pœnâ ſunt digna.

Exponitur Pontificis mens.

Hæc poſita, ut intelligatur, quo ſenſu dictum à Bonifacio ſit, *ſcienti & conſentienti non fieri iniuriam*: addo modò, non ſufficere, ut unus conſentiat, ut legitima & valida ſit actio; quæ in multorum iniuriam & detrimentum vertit; quod optimè animadvertens doctus Pontifex Regulam XXIX. ſubiunxit, videlicet, *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* (*adeoque quod duos, à duobus; quod plures à pluribus.*) eandem omnino Regulam admittit Iuſtinianus *in l.fin. C. de authoritate.* Pulchra ſunt verba Ulpiani, *qui l. in concedendo 8.ff.hoc titulo,* ſic inquit, *In concedendo iure aquæ ducendæ, non tantùm eorum ad quos eius aquæ uſus pertinet, voluntas exquiritur, id eſt, eorum quibus ſervitus aquæ debeatur; nec immeritò; cùm enim imminuatur ius eorum, conſequens fuit exquiri, an conſentiant.* Non enim debet eſſe voluntas aliena ſufficiens, ut ego priver iure meo. Unde, ſi duo ſtudioſi cohabitent in eodem cubiculo, non licebit alteri fœminam illuc inhoneſtam conducere, ſine alterius conſenſu, ut optimè notat Acurſius *ad leg. non aliter. 7. ff. de uſu & habitu.* Si in eãdem domo duæ familiæ cohabitent, ſi in alterâ adulteria aut ſimilia crimina committantur, alteri familiæ iniuria fit: qui enim ſcandaloſos homines ingredi & egredi vident, non ſciunt

De cohabitantibus in eodem cubiculo.

Aut in eadem domo.

Digitized by Google

ſtatim cuius reatu tales exorbitantiæ committantur. Si in rhedâ duæ aut plures honeſtæ fœminæ per plateas conferantur, non erit liberum uni ex ipſis, fœminam ſuſpectæ caſtitatis, aut virum aliquem in rhedam inducere, quoniam hæc actio in omnium detrimentum vergeret, nec poteſt pendere ab unius voluntate.

De vectis eodem curru.

VIII.

DCLXXII. INquiris, An hæc Regula univerſaliter vera ſit, an verò exceptiones patiatur? Univerſaliter veram reſpondeo; & ne æquivocationi ſit locus, me præparo & tuis obiectionibus occurro.

Obiectio. Arguis ſic, Ubi res Capituli vel Collegij tractantur, ſufficit maiorem partem conſentire, reliquis licèt diſſentientibus. *c. quia propter.* 42. *cap. quod ſint.* 28. *in fin. ext. de elect.* non ergo, quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

Senſit vim huius obiectionis Caniſius, & ſic ait [*Eſt una limitatio huius Regulæ noſtræ, ut ſcilicet non obtineat in rebus Collegij, ſed quæ ad ſingulos privatim pertinent*] at ego limitationem exceptionemque non video, ſed dico mei monaſterij Religioſos bifariam poſſe conſiderari, vel ut unum corpus myſticum, vel ut plures privatas & independentes perſonas. Primo modo non pertinere ad hanc regulam XXIX. ſed ad XXVII. Et poſteriore modo non pertinere ad XXVII. ſed ad XXIX. Sunt unum ſecundum Regulam D. Benedicti: ergo quotieſcunque tractentur aliqua, quæ ſunt ſecundum Benedictinam Regulam, non ſunt plures, ſed unum corpus myſticum, habens unum intellectum, & unam voluntatem, cui ſcienti & conſentienti non fit iniuria. Congregamur igitur in Capitulo, & quia compromiſimus omnes, ſtaturos nos fore plurium conſilio, ubi deciſivæ ſunt voces, quid omnes per modum unius facturi ſint, hoc eſt, quid Communitas ſit factura, quæritur; præſtò eſt prima ſolutio, nimirum illam eſſe facturam, quod plures conſulant; ſed examinandum ſolùm eſt, quid ſit illud, quod plures conſulunt. Pono Exemplum. Ante annos aliquot in territorio monaſterij N. Patres Brigittini Eccleſiam & Monaſterium ſuum ædificabât; congregamur omnes filij Monaſterij quod damnum patitur; non ut videatur quid unuſquiſque velit (non enim in illâ communitate dantur multæ voluntates ſed ſimplex) ſed ut communi conſilio illud fiat quod plures iudicent. Nos relinquendos iudicamus, tu eijciendos, & quia numero Vocum prævaluimus, manſuri & manutenendi declarantur. An contra voluntatem tuâ? minimè. tu enim nihil aliud vis fieri, aut velle potes, quàm quod velit communitas; ſed manent contra conſilium tuum; bene enim ſtat unum & eundem hominem phyſicum poſt variarum aut etiam oppoſitarum rationum conſiderationem & ponderationem, habere unicam reſolutionem & volitionem: adeoque idipſum myſtico homini negari non poterit.

Monaſterij Religioſi bifariam debent cõſiderari.

Communitas eſt unũ corpus.

Modus dãdi ſuffragia in cõmunitate.

Sicut Religioſi in rebus, quæ ſunt ſecundum regulam, conſtituunt unum corpus myſticum; ſic ipſi in rebus præterregularibus ſunt plures, nec unitatem habent, adeoque in rebus huiuſcemodi locum habet hæc XXIX. Regula,

In quibus rebus non componãt

Digitized by Google

corpus omnes ſimul? gula? *Quod omnes ſeorſim tangit, debere ab omnibus & ſingulis ſeorſim approbari.* nec erit valde facilè reperire aliquod exemplum omnino præterregulare. Pono hoc. Proponitur in communitate ordinis S. Benedicti, an debeant emittere votum de abſtinentia à vino; in Regulâ enim vinum permittitur, nec huiuſmodi votum ſuadetur, diſſuadeturve. Dicam in hac materiâ Religioſos eſſe plures privatas perſonas, nec teneri pauciores ſtare plurium conſilio, ſed quia hæc abſtinentia omnes tangit, deberi approbari non ſolùm à pluribus, ſed ab omnibus etiam & ſingulis. Cùm homo moritur, ſicut non relinquit hæreditates, ſed hæreditatem; ſic nec relinquit debita, ſed debitum. Volunt enim Iura, ut omnes creditores per modum unius corporis agant cum hærede, & in contractu pauciores debere ſtare plurium iudicio & voluntati, & hoc tam rigidè, ut conventio maioris partis creditorum de remiſſione debiti hæredi faciendâ, paucioribus reliquis noceat. *l. ſuum. 8. §. Marcellus. cum tribus legibus ſeqq. ff. de pactis.* Hoc ipſum habet locum, ubi creditor ad tantam eſt paupertatem redactus, ut debeat bonis omnibus cedere, ni clementiam creditorum ſuorum experiatur *l. fin. C. Qui bonis ced. poſſ.* Sed hanc ipſam doctrinam ſolent temperare privatæ conſuetudines & provinciarum iura particularia. Si plures rem communem poſſideant, puta agrum, arcem, fluvium, & alter gravetur ære alieno, ut ſatisfiat fiſco, res communis venditur etiam condominis invitis. *l. unica C de vend. res fiſcal.* ut aliis autem ſatisfiat, non tam facilè: at æquitas ſemper poſtulat, ne creditor ob moras debitoris patiatur.

De abſtinentia à vino.

Hæc doctrina vera eſt, & contraria falſa adſingitur Caramueli à Dianâ part. 7. tr. 11 reſ. 23. Vide ſuperius n. 453.

Creditores ſunt unum corpus.

IX.

DCLXXIII. PRo coronide huius Capitis & maiori ſucceſſionum notitiâ ponenda eſt Regula I. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè (imò nec validè) ſine inſtitutione Canonicâ obtineri.* Nec eſt ſpecialis Regula in Eccleſiâ, nam nec officia ſecularia validè obtinentur aliter, quàm iuxta Inſtitutionis leges. *Nomine Beneficij Eccleſiaſtici*, non ſolùm intellige Pontificatum, Epiſcopatum, Abbatiam, Decanatum, Præpoſituram, Canonicatum, Parochiatum; ſed etiam quæcunque Eccleſiaſticorum inferiora & dependentia officia, qualia ſunt Prioratus, Supprioratus, Oeconomia, &c. quæ omnia non poſſunt aliter quã iuxta leges Eccleſiaſticas obtineri. Vnde Pontifex, qui denominaretur ab Imperatore, Epiſcopus qui à ſæcularibus eligeretur &c. Præpoſitus Monaſterij Benedictini, qui eligeretur deciſivis vocibus religioſorum non eſſent canonicè inſtituti, adeoque nec poſſent aliquid ex officio operari; quod enim moraliter nullum eſt, nullos effectus habet.

De inſtitutione Eccleſiaſtica.

Quid ſit Eccleſiaſticum beneficium?

FVNDA-

FUNDAMENTUM XL.

De præceptivâ & Obſervativa Iuſtitiâ.

DCLXXIV. *Quod ſit impoſſibile.* — *Nec Deus, nec Homines præcipere poſſunt impoſſibilia.*

AD impoſſibile A nemo tenetur. Impoſſibile dicitur, quod invincibiliter eſt B præter ſcientiam, ſupra potentiam, cõtra conſcientiam, contra prudentiam.

Inſuperabilis ignorãtia. — *Superabilis.* — *Quid ſinguli teneantur aut non teneantur ſcire.*

Ignorantiam C invincibilem ille habet, cui ſcientia humanitùs impoſſibilis eſt. Invincibilis Ignorantia D præſumitur, ubi ſcientia non probatur. Ignorantia invincibilis E excuſat. Invincibilem habere creditur, qui alienas privatas F actiones ignorat, qui in Ius G ſuccedit alterius; vincibilem, H qui ignorat Ius, qui I ſuas actiones, qui alienas K ſolenniter promulgatas, imò factas L privatim, ſi toti Reſpublicæ notæ.

Impotentia inſuperabilis. — *De potentia ad præteritum.* — *Impoſſibilis circumſtantia habetur pro non poſita? quando?*

Impotentiam invincibilem M habet cui res impoſſibilis, aut ſi poſſibilis, modo impoſſibili, iubetur. Ad neutram N poteſt homo præcepto, voto, iuramento, promiſſione, ſtipulatione, emptione venditione, aut quocumque alio contractu obligari. In ultimâ O voluntate, ſi ponenti fuit nota, in dubio habetur pro non poſita, & ex inadvertentiâ irrepſiſſe præſumitur. Ad præteritum non datur P phyſica & humana potentia.

Conſcientia tuta. — *In dubio.* — *Excuſatio ſincera.*

Conſcientiam habet bonam, adeoque legitimam excuſationem, Q qui ſine peccato *(etiam veniali)* ſtare præcepto aut contractui non poteſt. Excuſatur igitur, qui non obedit Iudici præcipienti contra Deum, contra Superiorum leges, extra limites ſuæ authoritatis: In dubio R excuſatur qui obedit; ſed vix ſuccurrit dubium in materia obedientiæ.

De imprudentia. — *De notitia.* — *De legum numero.*

Imprudentiæ notam nemo S tenetur incurrere; incurreret, qui inutilia T faceret. DEus & creatura V nihil fruſtra præcipiunt. Fruſtra ponuntur plures leges ſi pauciores ſufficiunt. Plenè certus W dicitur, qui quoties Iura ſtatuunt admonitus: qui plenè certus X eſt, certior reddi non debet.

Quænam carere conſequentijs dicantur?

In argumentum Y trahi non poſſunt, neceſſaria, hoc eſt, quæ priùs ob aliquas rationes non potuerunt non fieri: tolerata, quæ tametſi mala, non Z potuerunt proſcribi: inutilia, a hæc enim non debent

Digitized by Google

bent aut fructum aut damnum inferre, nec vitiare rem inutilem. Inſtrumentum *b* tametſi authenticum, inutile redditur non legalitatem, ſed fidelitatem impugnanti, niſi Curator aut tutor ſit, aut ante ſententiam reſipiſcat. Contractus *c* poſita concordia leges fiunt. *Leges privatæ.*

DCLXXV. *Impoſſibilia à Deo præcipi ſalvâ fide dici non poteſt.*

A. *Tam certum eſt neminem teneri ad impoſſibile, ut contrariâ ſententiâ, quæ ſaltem Deo conceſſit authoritatem præcipiendi impoſſibilia, fuerit à multis Pontificibus in Luthero, Calvino hæreticis, in Baio & Ianſenio Catholicis, damnata. Optimè Regulâ XLI. Bonifacius,* Imputari non debet, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum erat faciendum.

Nota bene hanc limitationem. Cum non ſtat per eum ad quem pertinet, quod conditio impleatur, haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet. (*nimirum, quoad culpam: non item quoad utilitatem*) *Eſt Regula LXVI.*

Impoſſibile quotuplex? Caſus in quibus impoſſibilitas excuſat.

B. *Quatuor præcipuè impoſſibilia cognoſcuntur in Iure ad quæ nemo tenetur. PRIMò enim ignorantia eſt radicalis impotentia; & quicumque ignorantiâ excuſatur, modò legem involuntariè ignoret: voluntaria enim ignorantia, vincibilis eſt, & nullum excuſat. SECVNDò excuſatur impotentiâ ille, cui præcipitur res ſupra vires, ſive impoſſibilitas in ſubſtantiâ, ſive in circumſtantia conſiſtat. TERTIò ille, qui vrgeretur ad actionem vel venialiter peccaminoſam. Comitolus libro tertio quæſt. quinta numero tertio & Rodriquez tom. 3. fol. 187. QVARTò excuſaretur prudentiâ, ſi deberet actionem ſtultam & inutilem facere. Vnde Hieronymus Platus lib. 1. cap. 4. §.* Verum Quod iure & legitimè non poſſumus, verè non poſſumus. *& tamen ſtultæ & imprudentes actiones legitimæ dici non poſſunt.* *Actus ſtulti.* *Nota tamen, non eſſe imprudentes omnes illas quæ tales videntur. Sæpe enim ſuperiores cautiſſimè & prudentiſſimè præcipiunt res, quæ primo intuitu dicerentur inutiles, quæ tamen ſunt utiles aut neceſſariæ ad ſubditos humiliandos & mortificandos.*

C. *Omnis ignorantia vincibilis eſt voluntaria. Craſſa, ſupina & affectata, videntur differre ſicut magis & minus.* *Ignorantia gradus.*

D. Præſumitur ignorantia (*invincibilis*) ubi ſcientia non probatur. (*nimirùm quo ad actum, aut quo ad debitum*) *idem enim apud Deum & Homines eſt, ſi Petrus peccet ſciens & volens, quàm ſi peccet ex ignorantiâ, quam cognoſcit & vult. Eſt Regula XLVII.* *Ignorantia præſumpta.*

E. Nemo peccat in hoc, quod invincibiliter ignorat. *aut eſt de fide, aut fidei proxima. & à nullo Catholico negari poteſt.* DCLXXVI.

F. Ignorantia facti (*ſi alieni nec ſolenniter promulgati, nec omnibus noti, præſumitur eſſe invincibilis*) non Iuris (*ignorantia*) excuſat. *Quia ignorantia Iuris ſemper præſumitur vincibilis, ni contrarium probetur. Eſt Regula XIII. Quando aliquis non eſt doctus, nec habet quem conſulat, etiam* Iuris ignorantiâ excuſatur, quia tum præſumitur habere invincibilem. *Facti & iuris.*

G. Cùm quis in Ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere. *poteſt enim pro honore ſui Anteceſſoris ſtare quamdiu Contrarium non probetur. Eſt Regula XIV.* *Succeſſoris.*

H. Omnis ignorantia in materiâ officij & profeſſionis propriæ eſt vincibilis. *In materia officij.*

Ignorantia legum & iuris, ubi datur copia doctorum, qui poſſint conſuli, eſt vincibilis.

Digitized by Google

I. Actiones proprias præſumitur unuſquiſque ſcire.

K. Præſumitur quis ſcire omnia quæ ſolennitate conſuetâ ſunt promulgata.

L. Præſumitur quis ſcire quod omnes ſciunt. *Vnde Chriſto diſcipuli*, Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & hæc ignoras? *ac ſi loco miraculi habendum ſit, unum illa ignorare, quæ univerſis ſunt nota. Vnde eſt Regula VI.* Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius (*adeoque ſtamus communi curſui rerum, & facimus credimusq;*) quod plerumque fieri conſuevit.

Impotentia involuntaria.

M. *Vide ea quæ notavimus littera* A. Omnis impotentia involuntaria à debito perſonali excuſat. imò etiam voluntaria, ſi cauſa impotentiæ ſit honeſta & ad utilitatem publicam aut privatam conducens. *Suarius* lib. 4 de hor. Can. cap. 25. num. 35. *exemplum ponit in docto, qui actum academicum totâ die habiturus eſt, quem tamen intermittere poteſt*; Scholaris, ſi velit, *ait*, publicam actionem litterariam per integrum diem habere, & recitare non poſſit, non tenetur actionem dimittere, etiamſi abſque peccato poſſit. *Vide ea quæ doceo in meâ Regulari Theologia, Comment. in Regulam S. Benedicti, n. 146.*

An qui habet actum academicũ, teneatur horas recitare?

DCLXXVII.

N. Nemo ſe poteſt ad impoſſibilia obligare.

Potentia ad præteritum, an concedenda Deo?

P. Non datur humana Phyſica potentia ad præteritum. *Poſui conſultò illud humana, quoniam exiſtimo dari divinam ut ad futurum.* Ratum quis habere non poteſt, quod ſuo nomine non eſt geſtum. *Aliter*. Non poteſt quis facere ut ſuo nomine & conſenſu geſtum ſit, quod nec ſuo nomine, nec ſuo ſaltem probabiliter præſumpto conſenſu factum eſt. *quia alias daretur potentia Phyſica ad præteritum. Regula IX.*

Q. Impoſſibile Chriſtiano Viro eſt, quidque tutâ conſcientiâ non poteſt.

Inobedientia ſancta, quæ?

Præcipienti contra Deum, aut contra leges ſuperiores, in quibus diſpenſare non poteſt, debes non obedire. *Nota tamen poſſe hominem ſe obligare ad obediendum etiam in materiâ probabiliter bonâ*

Obedientia in materiâ probabiliter dubia, aut indifferenti.

R. Si obediendo in materiâ dubiâ aut indifferenti deliqueris, obedientiâ excuſaris.

Quod quis mandato Iudicis facit (*ſi nec evidenter ſit contra Deum, nec contra indiſpenſabilia ſuperiorum mandata, nec evidenter extra iuriſdictionis limites*) dolo facere non videtur; cùm habeat parere neceſſe. *Eſt Regula XXIV.*

Inobedientia doloſa.

Non poteſt dolo carere, qui (*in materiâ poſſibili & honeſtâ*) imperio Magiſtratus (*legitime præcipientis*) non paruit.

Impoſſibilia moraliter.

Papinianus. Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram; & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt. *Ergo nobis hæc & ſimilia impoſſibilia ſunt.*

Iuramentũ non ſemper obligat.

Non eſt obligatorium (*de re quæ*) cõtra bonos mores præſtitum iuramentum. *Eſt Regula LVIII. Illud contra afficit materiam.*

DCLXXVIII.

In malis promiſſis fidem non expedit obſervari. *Eſt Regula LXIX. præcedenti æquipollens. Iſidorus.* In malis reſcinde fidem: in turpi voto muta decretũ: quod incautè voviſti, ne facias impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.

Votum ob malum finem emiſſum obligat.

Qui propter malum finem vovit rẽ bonam, tenetur voto; non tamen, qui vovit ſe propter malum finem rem illam bonam facturum. *Eſt veritas notatu digna; & hinc collige votum & iuramentũ eſſe obligatorium, tametſi ſit formaliter cõtra bonos mores; non tamen ſi obiectivè, hoc* [illegible]

eſt, de [illegible]

eſt, de re quæ cõtra bonos mores. Sed hæc valde ſubtilia ſunt nec poſſunt paucis verbis exponi.

Omnis virtus prudẽtia, & omne vitium imprudentia eſt. S. *In Philoſophia Morali oſtendo omnes virtutes eſſe vnam & ſimplicem prudentiam diverſimodè conſideratam. adeoq; conſequẽter omnia vitia eſſe vnicam imprudentiam. Euripides in Medeâ.* Maximum illorum quæ ſunt inter homines vitiorum omnium imprudentia eſt *adeoq; nec mirum, ſi dicamus, neminẽ teneri ſtulti ſtupidi aut imprudentis notam incurrere.*

DCLXXIX. *De fruſtraneis actionibus.* T. Inutilibus adlaborare imprudentia eſt.

V. Deus & natura nihil faciunt fruſtra, *Eſt axioma phyſicum; cui ſimile iſtud ethicum*, Deus & creatura nihil præcipiunt fruſtra.

Fruſtra fiunt per plura, quæ poſſent fieri per pauciora æq; bene; *Et hoc axioma tam in naturalibus, quàm in moralibus admitti debet. Ergo fruſtra præcipiuntur plura, cùm pauciora ſufficiunt.*

De excommunicatione. W. Excommunicationem eſſe ferẽdam, aut clericalia privilegia abroganda, nemo certò cognoſcere dicitur (*nimirùm certitudine plenâ iuridicè*) niſi tertiò admoneatur. *Nota tamen excommunicationem ſupponere culpam certò mortalem, adeoq; in materia dubia aut probabili fulminari non poſſe.*

De remſciente. X. Eum, qui (*plene*) certus eſt, certiorari ulterius non oportet. *Eſt Regula XXXI.*

Neceßitas caret conſequentijs. Y. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando conceſſa (*permiſſa*) ſunt *Eſt Regula LXXVIII. Sæpe enim impoßibile eſt aliqua negare, occurrunt enim circumſtantiæ, ut oporteat res indifferentes præter legem concedere, & malas, quæ ſunt contra legem permittere: ſed hi caſus non debent in conſequentiam trahi.*

De inutili. a Inutile & fruſtraneum non debet fructum neque damnum inferre.

Vtile non debet per inutile vitiari. *Eſt Regula XXXVII.*

b Ex eo non debet quis fructum cõſequi, quod niſus exſiſtit impugnare. *Eſt Regula XXXVIII.*

De donatione. Si, cùm tantum poſſet dare quingentos, dedit mille; valebit donatio quo ad quingentos.

De uſuris. Uſurario debetur ſors, & quantum dandum eſſet alteri ratione contractûs liciti.

De Inſtrumentorum impugnatione. Inſtrumenti impunè poteſt impugnari ſolennitas. hoc eſt poteſt dici non habere omnes teſtes & qualitates à Iure requiſitas.

Inſtrumenti impune non poteſt impugnari fidelitas: qui enim id falſum dixerit, non poterit illo uti, niſi ante ſententiam condeſcendat, aut curator tutorve ſit & agat in favorem pupilli.

De contractibus. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcũtur. *Eſt Regula LXXXV.*

****

I.

DCLXXX. MUlta de hac materiâ olim ſcripſimus, tum ut regulam D. Benedicti illuſtraremus, tũ ut impugnaremus Cornelium Ianſenium; ille enim cap. LXVIII. ſi fratri impoſſibilia iniungantur, ut ſe excuſet permittit; & ſi excuſatio non admittatur, præcepit ut obediat: & iſte docet teneri hominem ſub peccato mortali obedire Deo, etiamſi ſit materia impoſſibilis. Et oſtendimus D. Benedictum intelligi debere de arduis, & difficilibus; Ianſeniumque non eſſe audiẽdum, cùm definitum ſit à Tri- *An Impoßibilia poßint præcipi?*

Digitized by Google

dentinâ ſynodo contra Lutherum & Calvinum homini à Deo impoſſibilia non indici. Nunc quoniam eadem materia recurrit, ne olim ſcripta reſcribamus eandem doctrinam iuridico ſtilo perſequemur.

II.

Neminem teneri ad impoſſibile.

DCLXXXI. EST Iuris Canonici Regula VI. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari* cui ſimilis reperitur *in lege impoſſibilium* 185. *ff. eod. titul.* & videtur deſumpta eſſe *ex cap. fin. extr. de pact. & c. fin. extr. de condit. oppoſ. & ex cap.* 1. *de iure iurand. libro* 6. & dicimus neque præceptum, neque contractum, neque ullam omninò obligationem valere; non modò ſi ſit de re impoſſibili, ſed etiam ſi ſit infecta circumſtantiâ aut conditione impoſſibili. & quidem meritò contractum cum lege componimus, quoniam omnis contractus privata lex eſt iuxta Regulam LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.* Et ut rem exemplis illuſtremus, dicimus eſſe nulla hæc præcepta, *Iubeo tibi, ut unâ die vadas Madrito Romam; Polliceor tibi centum dare, ſi digito cœlum tetigeris; Polliceor tibi dare ſydus Iovis, ſi anno mihi ſervieris.* Dicimus igitur hos Contractus eſſe nullos, & leges non obligatorias, ſive impoſſibilitas nota ſit contrahentibus, ſive non. Unde *in l. non ſolum.*30. *ff. de actio. & obl.* legimus Martinianum Iuriſconſultum dixiſſe. *Non ſolùm ſtipulationes impoſſibili conditioni applicatæ nullius momenti ſunt; ſed etiam cæteri quoque contractus: veluti emptiones, locationes impoſſibili conditione interpoſitâ æquè nullius momenti ſunt.*

Contractus ſunt leges privatæ.

Quia in ea re, quæ ex duorum pluriumve eſſe conſenſu agitur, omnium voluntas ſpectatur; quorum proculdubio in huiuſmodi actu talis cogitatio eſt, ut nihil agi exiſtiment appoſita ea conditione (ſiquidem ponunt conditionem) *quam ſciant eſſe impoßibilem.* & clariùs *ſummæ Iuris Canon. libro* 6. *Regul.* 6. Henricus Caniſius: Appoſitâ conditione impoſſibili, videntur contrahentes non ſeriò, ſed iocosè egiſſe. Deus igitur ſi impoſſibilia præceperat, non ſerio ſed iocosè ageret.

Præceptum de re impoſſibili nõ eſt ſerium.

In ultimis voluntatibus (inſtitutione, legato, fidei commiſſo) circumſtantiæ impoſſibiles, ſi credantur fuiſſe illas ponenti notæ, habentur pro non adiectis. *l. in teſtamentis.* 11. *ff. de reg. iuris.* non quod impoſſibilia operētur, ſed quod æquitas poſtulat, ut ſic diſcurram. [Vel Teſtator ſcivit illam conditionem, quam appoſuit, eſſe impoſſibilem, vel non: ſi non, decretum ſuum errore fundatur; adeoque nec legatum, nec fidei commiſſum valebit iuxta Regulam VI. quam exponimus. Quod ſi impoſſibilem ſcivit, arguendus eſt de inadvertentiâ, credendumque illam circumſtantiam præter voluntatem irrepſiſſe, adeoque pro non poſitâ habendam. Quod oſtendo ex communi doctrinâ. Ita enim exponi debet teſtamentum, ut teſtator dicatur prudens; at eſſet imprudens, ſi talem conditionem poneret; unde legatum non valeret: ergo ſi talis circumſtantia inveniatur, dicenda omninò eſt ex inadvertentiâ irrepſiſſe.]

DCLXXXII. *De teſtamentis.* *In ipſis circumſtantia impoſſibilis habetur pro non adiecta.* *Et cur?*

Dices te poſſe idem argumentum contra me retorquere; quia ita exponenda eſt donatio, ut donator iudicetur prudens: at eſſet imprudens, ſi ſciens & volēs cõditionē talē poneret, unde non valeret con-

Obiectio. *Circumſtantia impoſſibilis in*

donationibus habetur pro adiecta. ret contractus. ergo ſi ſi talis inveniatur, credenda præter voluntatem & advertentiam irrepſiſſe. & quia hæc conſequentia falſa eſt; putas etiam eſſe falſam in ultima voluntate. At reſpondeo negando tui paralleli ſyllogiſmi minorem, & diſparitatem oſtendendo. *Solutio.* eſt enim imprudens homo, qui cùm rem ſibi retinere nequeat (talis eſt moribundus) non velit eam validè alicui donare; non tamen eſſet imprudens, qui nolit eam validè donare, ſi ſibi retinere poſſet. Unde inter teſtamentum & donationem inter vivos eſt differentia manifeſta.

Quod ſi conſtaret illam circumſtantiam impoſſibilem, ut talem à teſtatore cognitam, & non ex inadvertentiâ, ſed ex conſilio poſitam, dicendam eſſet omninò non habendam pro non-adiectâ, ſed voluntatem teſtatoris ante omnia conſiderandam. *Nota hoc bene.* *l. ſervo manumiſſo. 59. ff. de condict. indebit. l. fidei commiſſa. 11. §. item ſi quis. l. non aliter 69. ff. de legatis. 3.* non enim eſſet locus ſuſpicioni aut præſumptioni; in rebus enim certis, nullus locus coniecturæ relinquitur. *In rebus certis nulla datur ſuſpicio.* *l. Continuus. 137. §. 2. in fin. de verb. oblig.* nec in tali caſu arguendus eſſet de imprudentiâ, cum vero ſimiliter dicendus eſſet velle bona ſua ad hæredem ab inteſtato devenire, nec poſſe ob timores aliquos, aut rationes urgentes illum denominare. Et caſum pono. *Caſus.* Sum Coniugatus, & volo amicitiam meæ uxoris manutenere, & tamen mea bona meo fratri, qui eſt hæres ab inteſtato relinquere; ergo ne huius fœminæ indignationem incurram, illam hæredem exaſſe inſtituam, ita tamen procedam ut teſtamentum non ſit validum, & ſi ſupervixero eius gratiam ſervavero; ſi obiero, meus frater adeat hæreditatem.

In matrimonio, quod materia nimis delicata ſit, viſum legislatoribus, ut quæcumque impoſſibilis & turpis conditio, quæ non militet contra matrimonii ſubſtantiam, pro non adiectâ habeatur. *Nota tamẽ non ſubeſſe legislatoribus liberũ conſenſum.* Militant hæ, *Duco te, ſi velis generationem evitare; ſi volueris poſt annum, ut alteram ducam permittere; ſi velis mihi adhærere, quouſque opulentiorem invenero; ſi velis te Petro proſtituere.* & his ſimiles. *per text. in c. fin. extr. de condit. appoſ.* de quo aliter diſputat D. Peckius, hîc *n. 10. & 11.*

III.

DCLXXVIII. PRodierit recenſere Impoſſibilitatum ſpecies, quæ poſſunt in actibus humanis occurrere. Dico igitur, *Non dari humanam Phyſicam potentiam ad præteritum, adeoque Factum reddi infectum non poſſe.* *Potentiam ad præteritum homo non habet.* ſive tibi promiſero me facturum ut natus non fuerit Iulius Cæſar; ſive tibi præcepero ne heri dormiveris; ſive adſignavero mille aureos, ſi feceris quod nunquam hanc viderim Chartam, nugabor. *Exigere impoſſibilia eſt nugari.*

Hinc oritur Regula illa Iuris, IX. *Ratum quis habere non poteſt quod ſuo nomine non eſt geſtum.* Ratum enim habere contractum, eſt fateri quod factum eſt nomine ſuo; quo ergo modo fateri poterit ſuo factum non eſt. Mentiendo quidem; & inter iuridicas & ſanctas actiones mendacia nullum locum habent.

* * *

Digitized by Google

IV.

DCLXXXIV. *De ignorantia Iuris & facti,*

HInc oritur Regula XIII. *Ignorantia facti* (alieni) *non Iuris excuſat.* Cuius æquitas ſic oſtenditur. Ad impoſſibile nemo tenetur; ergo non tenetur ſcire, quæ invincibiliter ignorat: excuſatur igitur ignorantiâ invincibili: ergo iſta ſive ſit facti ſive ſit Iuris, modò inſuperabilis probetur, eſt homini excuſationi ſecuriſſimæ. At prudenter præſumitur ignorantia facti alieni eſſe invincibilis, quamdiu non probetur contrarium; ignorantia facti proprij, aut etiam iuris eſſe vincibilis: illa igitur in iudicio excuſat, hæc non excuſat. Porrò ignorantiam facti alieni dici invincibilem, ni contrarium probetur, ex eo liquet, quòd facta aliorum ſint innumerabilia, nec ego poſſum omnia vidiſſe aut omnia ſcire. at de unico actu poſſet probari contrarium, non enim illius ignorantia excuſabilis eſſet, qui diceret ſe omnino ignorare, quod publicè & ſolenniter denuntiatum eſſet, aut quod nemo in totâ Civitate neſciret. *l. tertia & l. ſextâ & l. penultima. §. ſed facti. ff. de iur. & fa. ignor. l. fin. in fin. ff. pro ſuo capite primo in fin. extr. de ordin. ab Epiſcop. & d. §. ſed facti. c. quant.* 8. *extr. de præſumpt. capite primo extr. de poſtul. prel. cap. fin. extr. qui matrimon. accuſat. poſſib. l. ſed. etſi pupillus. §. 1. ff. de inſtit. actio.*

alieni, *proprij,* *notorij & publici.*

DCLXXXV. *Cur Iuris Ignorantia ſit vincibilis?*

Cæterùm ignorantia Iuris nunquam eſt invincibilis, adeoque nunquam excuſare poteſt aut debet. tenetur enim homo ſcire quæ officium ſuum concernunt; & in aliis materijs, tenetur ſcire eſſe multa quæ ignorat; & hæc à doctoribus ſciri, adeoque tenetur eos conſulere, & iuxta eorum reſolutionem agere. Unde Iura procedunt, & debent à Iudice ſervari, ſive à litigantibus ignorata fuerint, ſive etiam de facto ignorentur; ipſique ſecúdum illa, ſive favorabilia, ſive adverſaria, Iudicandi.

Sed quid ſi probetur ignorantia Iuris fuiſſe invincibilis? Poterit excuſare. nam minores viginti quinque annis & etiam milites excuſat, *l. Regula. non. § primo de iur. & facti ignorant.* quod iſti armis intenti legibus vacare non poſſint, nec habent in caſtris Iuriſperitos, quos conſulant. *l. fin. C. de iur. de lib.* illi vero nondum habeant politicæ rationis uſum ob imbecillitatem ætatis. *l. quamvis. vigeſim. prim. C. de iur. & fact. ignorant.* ex hac doctrinâ Caniſius Regulam generalem educit, atque. *Adde & ignorantiam Iuris in compendijs, tunc demum obeſſe, ſi ignorans Iuriſconſulti copiam habuerit, quem potuerit conſulere, vel ſuâ prudentia ita inſtructus fuerit, ut facilè ſcire potuerit, ignorantiam Iuris ſibi detrimento futuram. l. regula. §. ſed iuris. l. in bonor.* 10. *ff. de bon. poſſ.* quæ limitatio priùs deberet examinari, quam admitti.

Milites, & iuvenes excuſantur.

V.

DCLXXXVI. *Ignorantia in delictis eſt duplex, pœnæ & legis.*

AT poſtulas, An Iuris ignorantia in delictis excuſet? Reſpondeo, vel prætendi ignorantiam legis, vel pœnæ. Apud Deum certum eſt ignorantiam legis invincibilem ab omni culpâ excuſare, adeoque delictum non eſſe, quod ex ignorantiâ invincibili legis com-

commiſſum eſt. Apud homines ſcientia ſolet præſumi legis ſolenniter promulgatæ, ni ignorantia probetur. Cæterùm ſi ſit notitia legis interdicentis, & tamen ignorantia pœnæ, etiamſi invincibilis, non excuſat à totâ pœnâ, ſed videtur facere, ut mitiùs puniatur. *per text. in §. ita tamen. inſtitut. de vi bon. raptor. l. quæ adulterium. 38. §. primo in verſ. nam ſi ſola. ff. ad leg. Iul. de adulter. l. divus. 15. §. penultim. ff. ad legem Cornel. de falſ.* vide quæ dixi ſuperiùs exponens illam Regulam, *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.*

Vtra excuſet?

VI.

DCL-XXXVII.

Alia eſt ignorantia rei faciendæ, & alia rei factæ. Aliud eſt ſcire rem facere, & aliud eam debere fieri?

NOtandum denique eſt præter ignorantiam Iuris & facti, dari etiam ignorantiam faciendi, & hanc in tyronibus præſumi, & à multis eos erroribus excuſare. *Legenda eſt lex, Qui commeatum. decim. quart. in fin. ff. de re militari* tenendumque militi tyroni, qui neſcis quid debeat facere, aut ſi ſciat quid debeat, nondum illud ſcit facere, ad tempus prudenter condeſcendi, quouſque did ciſſe credatur. Unde multa poteſt perorare Rationis paritas.

Succeſſoris ignorantia eſt legitima:

Et quia de ignorantiâ excuſante, & non excuſante, egimus, addenda eſt Regula XIV. *Cùm quis in ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.* Ego enim non teneor ſcire, an meus Pater bona legitimè lucratus fuerit; modo enim contrarium non viderim, debebo pro eius honore & æſtimatione iudicare; & ſi in bonis ſucceſſero, etſi ab eo iniuſtè adquiſitis, excuſor legitimâ ignorantiâ. Non aliter, Petrus ſit ſimoniacè, & ſi velis, invalidè ad Epiſcopatum promotus, hoc ego non vidi nec certo ſcio; ſi eius Vicarius denominer, bonâ fide procedo nec teneor contrarium iudicare, quouſque argumentum, quod à pacificâ poſſeſſione deſumitur, quod eſt fortiſſimum, elidatur. *l. Marcellus. vndecim. §. primo ff. rerum amotar. l. videamus. quart. in princip. ff. de in litem iurando. l. fin. c. de fidei commiſſis.*

etiam Vicarij.

Nota contra poſſeſſionem non ſufficere probabilitatem.

Huic decimæ-quartæ Canonici Iuris Regulæ ſimilis eſt illa quæ exſtat *in l. qui alterius ff. de hoc titul.*

VII.

DCL-XXXVIII.

Nec meritum nec demeritum in neceſſarijs.

EſT Iuris naturalis Regula *In neceſſarijs* (nimirum quæ omitti non poſſunt) *nec meremur, neque demeremur.* Et cùm neceſſaria etiam ſint, quæ moraliter & politicè omitti non poſſunt, eſt Iuris Canonici Regula XXIV. *Quod quis mandato Iudicis facit* (Si id nec ſit contra DEUM, nec contra Iura, nec Superiorum mandata, nec Iudex limites ſuæ iuriſdictionis transgrediatur) *dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe:* non quidem neceſſitate Phyſicâ, ſed morali.

Præcepta civiliter ſunt neceſſaria:

Porrò eſt res neceſſaria non obedire Iudici præcipienti contra Deum, aliàs & Suſanna olim debuiſſet ſenibus adquieſcere, Berſabæa Davidi, & Martyres Tyrannis illis, à quibus fuerunt condemnati. D. Benedictus capite ſecundo Sanctæ Regulæ. *Abbas nihil extra* (contra) *præceptum Domini* (*quod abſit*) *debet aut docere, aut conſtituere, vel iubere.* & Hieronymus *in Epiſtolam ad Epheſios* & habetur 11 *quæſt. 3. c. ſi dominus.*

Et, ſi contra Deum ſint Theologicè ſunt impoſſibilia.

Sic ait.

Digitized by Google

Sic ait. *Si dominus ea iubet, quæ non ſunt adverſa ſanctis ſcripturis, ſubijciatur Domino ſervus. Si verò contrarium præcipiat, magis obediat ſpiritûs quàm Corporis Domino.* nam ut dicitur Actuum Apoſtol. capite quinto *obedire oportet DEO magis quàm hominibus.* Quamobrem diſplicent verba Caniſij in expoſitione huiuſce Regulæ dicentis, *Ordinarius Iudex iuſſus à delegato Iudice, teneatur eius ſententiam exſequi, licet ſciat eſſe iniuſtam, quia neceſſe habet parere* : & citantis *text. in l. ſi prætor. 75. in princip. ff. de iudic.* diſplicent inquam, quia Iudex ille ſciens ſententiam eſſe iniuſtam, debet illam non exſequi. at dubitans tenetur exſequi : & probabiliter opinans poſſet exſequi, aut etiam fortè teneretur. Diſplicent iterum quia contradicunt ſequentibus ab eodem Caniſio allegatis.

Caniſius impugnatur.

DCLXXXIX. Præcepta Iudicis, ſi contra Iura, nulla ſunt.

Secundò etiam eſt neceſſarium non obedire Iudici contra Iura aut leges ſuperiorum iubenti. & quidem 11. 4. 3. *c. ita corporis §. qui reſiſtit.* habentur pulchra Auguſtini verba, quibus hæc doctrina firmatur.

S. Auguſtinus.

Qui reſiſtit Poteſtati, ait, *DEI Ordinationi reſiſtit. Sed quid, ſi illud iubeatur quod non debeas facere?* (fortiùs & clariùs, *quod debeas non facere?*) *Hîc ſanè contemne poteſtatem. Ipſos humanarum legum gradus adverte. Si aliquid iuſſerit Curator faciendum eſt; tamen ſi contra Proconſul iubeat, non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis maiori ſervire. nec hinc debet minor iraſci, ſi maior prælatus eſt. Rurſus ſi ipſe Conſul aliquid iubeat, & aliud iubeat Imperator : vel ſi aliud iubeat Imperator & aliud iubeat DEUS; quid iudicas? Maior Poteſtas DEUS.*

Da veniam tu Imperator, tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc iam tibi aſſumenda eſt fides tua, tanquam ſcutum in quo poſſis omnia ignea iacula inimici extinguere. & D. Benedictus cap. 71. Regulæ, *Præmiſſo ergo Abbatis, aut Præpoſitorum, qui ab eo conſtituuntur, imperio, cui non permittimus privata imperia præponi; de cætero omnes iuniores prioribus ſuis omni Charitate & ſollicitudine obediant.*

S. Benedictus.

DCXC.

Si Iudex excedat.

Tertiò nec tenemur obedire Iudici limites ſuæ authoritatis in illo præcepto transgredienti. *l. 1. in fin. princip. ff. de ferijs. l. nemo. 15. C. de ſent. & interlocut. l. fact. à iudic. 170. ff. hoc titul. cap. 11. quæ fiunt infra. eod. l fin. ff. de iuriſdictione omn. iu. &c.* Conſultò dixi *in illo præcepto*, nam ſi Iudex limites ſuæ authoritatis heri transgreſſus fuerit, non inde hodie illi potero negare obedientiam, ſi inter limites ſuæ authoritatis ſe continens, mihi legitima præcepta imponat.

Si rem indifferentē indicat.

At quartò, quando rem indifferentem Iudex præcipit, tenetur obedire ſubditus, nec hæc obedientia illi unquam nocere poterit, ut bene notavit Paulus Iuris-Conſultus *l. non videtur. §. primo ff. eodem titulo*, imò verò noceret ei inobedientia, quoniam *l. non poteſt dolo. ff. eod.* aſſignatur hæc Regula; *Non poteſt dolo carere, qui imperio Magiſtratûs non paruit.* Unde, ſi debitor compulſus à iudice ut minori, abſque Curatoris authoritate ſolvat, non tenetur amplius minori; nec contra hanc minor poteſt ſolutionem agere. *l. aut prætor. 7. §. præmittitur. ff. de minoribus.* Sed in tali caſu contra Iudicem poteſt procedere.

Corollarium.

In hac impoſſibilitate, quam expendo, fundatur quadrageſima prima

Regula

Regula *Imputari non debet ei, per quem nō ſtat, ſi non faciat, quod per eum (Perſonaliter) erat faciendum.* Quam illuſtrat doctrina quam ſuperiùs tradidimus, dicentes dari actus reales & perſonales, illos exigi quocumque modo tandem fiant, hos ita eſſe alligatos perſonis, ut non poſſit fieri per alias. Rem exemplis expono. Cùm cælatore conveniſti, ut ſtatuam incideret mille regalium pretio; incidit in morbum nec per eum ſtat, ſi non cœlet lapidem, qui erat cœlandus. An ipſe contractui ſatisfecerit? an poterit tutâ conſcientiâ regales illos extorquere? Nequaquam quia erat conventio realis; nec aliter eo obſtringeris, quàm tibi illam ſtatuam dederit. At in contractibus purè perſonalibus omnia aliter (conſultò illud *purè* poſuero, ſcio enim dari obligationes mixtas, quæ oneribus utriusque partis aſſeruntur gravari) Ponam caſus aliquos particulares.

Actus humani aut reales aut perſonales ſunt.

DCXCI. *An tempus morbi computatur in novitiatu?*

Petrus novitius factus in morbum incidit, & quia novitiat[9] eſt ut experiatur ille onera regularia, ut probetur à confratribus, inquiritur, an ſub anni finem poſſit profiteri; ſi nondum ſanus ſit? an ſi jam ſanus, debeant menſes illi, quibus ægrotus fuit, non numerari? Reſpondeo profiteri poſſe. *Ita omnes.* Ratio eſt, non enim imputari ei debet, quod in illius arbitrio non fuit. Eodem omninò modo philoſophabor, ſi ratione belli de Prælati licentiâ manens ſub Magiſtri obedientiâ veſtes ſæculares aſſumeret & ad loca ſecuriora tranſmitteretur; tunc enim bene probatur novitius, quando facit, quæ faceret, ſi eſſet profeſſus.

An tempus quo habet veſtes ſæculares ex Abbatis licentia?

De ſervo ægroto.

Petro ſervo meo conceſſi libertatem, ſi iſto anno fideliter ſerviat. Ipſe toto anno iſto æger eſt; anne ſub finem anni erit liber? Reſpondeo affirmativè Quia fideliter, ſervit, qui facit quod poteſt. Favet caſus huic ſimilis, quem eodem modo reſoluit Juriſconſultus Paulus *l.4.§.Stichus, ſi hæredi.ff.de ſtatu lib.*

Is, cui parrochialis Eccleſia collata eſt, tenetur intra annum adeptæ poſſeſſionis ad ſacerdotium promoveri; quod ſi non poſſit, impotentiâ excuſatur. *c.commiſſa.*35 *§.*1*.de elect.lib.*6. DCXCII. *Parrochus impotentia excuſatur.*

Et Eccleſia Cathedrali præfecti, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur; & ſi contra totidem menſes id facere neglexerint, Eccleſiis ipſo jure ſint privati, ait Tridentina Synodus *ſeſſ.* 7*.cap.*9*.&* 23*.de reform.cap.*2.conſonans Chalcedonenſi *act.*16*. cap.*25. Vormatienſi *cap.*76*.& cap.quoniam* 75*. diſt.* ubi tamen authores illud *neglexerint* cum advertentiâ legunt, & negligentiæ nomine, non quācumq; omiſſionem, ſed culpabilem intelligendā putant. Unde qui ex cauſâ rationabili benedictionis ſuſceptionem differret, vel qui illam ſuſcipere non poſſet, omninò excuſaretur. Navarrus *in Manuali cap.*25*. num.* 18*. verſ.* 8. Gonzalez *ad regul.*8*. Cancell.Gloſſa.*24*.num.*141. Reginald[9] *in praxi fori pœnit. libr.* 32*. tract.*2*. cap* 24*. num.*58.

Non omnis omiſſio eſt negligentia.

Sed quid, ſi quis impotentiæ excuſationem prætendit, impotentiæ ſit cauſa? *Excuſari non meretur*, ait Caniſius in hanc regulam. 41*.Qui ſibi neceſſitatem injecit.* Et probat *ex cap. unico. text. de commod.c.*2*.extr.de poſ. in verb. culpa.* adiq; jubet *gloſſam ad l.* 5*. §. ſed interdum ff. Commod.l.ſi fidei juſſor.* 7*. §.*1*. in fin.ff. qui ſatiſd. cog.& ſubjungit l.*1*. §. ſi quis tamen.ff.ſi quis cautio:* At ego minus confusè hæc tradenda eſſe exiſtimo; & puto diſtinguendum omninò eum, qui ſibi neceſſitatem injecit, ab eo qui inji- DCXCIII. *An excuſet procurata impotentia?* *Nota id bene.*

 cit,

Digitized by Google

Nota id bene.

cit; illi enim ſi culpabilis fuit neceſſitatis cauſa, non eſt jam culpabilis ipſa neceſſitas quam vitare non poteſt. Ille autem qui ſibi neceſſitatem iniicit, vitare neceſſitatem poteſt; & niſi illam ex cauſa honeſtâ iniiciat [nota hoc bene] excuſationem non meretur.

VIII.

DCXCIV. *De conditione impoſſibili.*

HÆc quadrageſima prima Regula eſt de re impoſſibili quoad ſubſtantiam, ſed quia datur etiam impoſſibiles quoad modum addita fuit Regula LXVI. *Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quod conditio impleatur, habei debet perinde ac ſi impleta fuiſſet.* S. Antoninus

Correctio Regulæ. Sed reiicitur.

ſic hanc Regulam explicat, ut illud *conditio* debeat deleri, & ſubſtitui indictio. Sed tunc hæc Regula LXVI. à Regulâ XLI. vix diſtingueretur. Idem enim eſt dicere, *Cùm non ſtat per te ut indictio* (juſſio, præceptum) *impleatur, haberi debet pro impleta*; ac dicere, *Imputari tibi non debet, ſi per te non ſtat, quo minus facias; quod facere debebas.* Quod ſi adhuc diſtinctionem intereſſe velis, dic Regulâ XLI. aſſeri omiſſionem rei impoſſibilis præceptæ non imputari ad culpam, & addi Regulâ LXVI. voluntatem obediendi, ſi tamen obedire non poſſis pro obedientiâ reputari. Et hoc

Obedientia virtualis: quæ?

probat ſolùm S. Antoninus exemplo illo Abrahami parati ſuum filium immolare, ſed ab extrinſeco impediti; cujus obediendi voluntas, virtualiter obedientia fuit, nam reputata illi fuit ad juſtitiam. Hinc eſt, quod ſi tibi aliquid concedatur ſub onere quod facias talem rem, videtur donationem ſtare, modò adhibueris omnem poſſibilem diligentiam, & fueris aliunde impeditus. Sed hoc non omnes admiſſuri ſunt. Nota tamen aliud eſſe concedere ſub conditione aut onere, & aliud cum onere: prior enim conceſſio eſt conditionata, & poſterior abſoluta.

DCVC. *Indulta ex neceſſitate nullas conſequentias ceſſante illa parturiunt.*

Sicut multa ratione neceſſitatis, ſive quod idem eſt, impoſſibilitatis, omittuntur (impoſſibile enim eſt illa fieri, quæ neceſſariò debent nõ fieri) ſic etiam multa ob neceſſitatem aut fiunt, aut conceduntur, quæ ceſſante illa neceſſitate non debent in conſequentiam trahi, juxta Regulam LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando conceſſa ſunt.* Quod vim habet in conceſſionibus publicis, privatiſque: Petrus enim, cui ægroto carnium uſus ob neceſſitatem conceſſus eſt, non debet in conſequentiam hanc ipſam conceſſionem traducere, & velle ut ceſſante morbo etiam ſextis feriis poſſit edere carnes.

An in Quadrageſima poſſit carnes comedere una integra civitas?

Nec Bavari, quibus ratione belli Suecici Anno M DC XXXI. in quadrageſimâ defectu piſcium carnes conceſſæ, poſſent hodie vi conſequentiæ carnibus uti, quoniam jam ceſſavit neceſſitas.

IX.

DCXCVI. *Impoſſibilitas theologica.*

PRæter impoſſibilitatem phyſicam & virtualem quas hucusque expoſuimus, datur impoſſibilitas theologica ſeu moralis legalis: omnia enim, quæ ſine peccato fieri nequeunt, *impoſſibilia* nominantur. Nam ut *l. filius. 16. ff. de condit. inſtitut.* Sanctiſſimè & veriſſimè ait Papinianus, *Quæ facta lædant pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Hinc oritur illa Regula LVIII.

Iuramentum de re mala non obligat.

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum, cui æquipollet Regula LXIX. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.* Quam illuſtrant verba Iſidori, quæ citat Bartho-

Digitized by Google

tholomæus à S. Fauſto *Theſauri libr. 1. quæſt. 37. num. 2.* Et habentur *in c. in malis 22. 4. 4.* nimirùm, *In malis reſcinde fidem; in turpi voto muta decretum, quod incautè voviſti ne facias; impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* Et videtur hanc doctrinam ignoraviſſe Herodes, qui propter juſiurandum dedit caput Joannis Baptiſtæ. *Herodis error.*

Sanè notandum eſt, non omne juramentum, quod ſit contra bonos mores, eſſe nullum; ſed, multa dari obligatoria, quæ peccaminosè ſunt emiſſa. *Primò* enim juramentum factum ſine neceſſitate, venialiter peccaminoſum eſt, & tamen in gravi materiâ mortaliter obligatorium. *Juramentum non neceſſarium obligat.* *Secundò* juramentum ob malum finem emiſſum (ita tamen ut malitia hæc finis non tangat objectum, ſeu rem juratam, ſed ipſammet actionem jurandi) eſt malum malitiâ finis, & nihilominus obligatorium. *Item ob malum finem emiſſum.* Unde, qui ob vanâ gloriam orphanæ promiſerit dotem, ſtare promiſſioni tenebitur. Qui ad Religionem venit & ligari votis vult, ut lautè vivat, largè potitet & opiperè edat, peccat quidem, ſed voto ſolenni tenetur. *Et alia multa.* *Tertiò* qui ſub juramento pollicetur ſeu daturum aliquid, quod ipſe quidem poteſt dare, at alter licite non poteſt recipere, fortè eſt alteri ſcandalo, & ſi ſit peccat; at ſemper juramento tenebitur. *De uſuris.* Unde qui ſe daturum uſuras juraverit, debet ſervare fidem, *c. debitores. 6. extr. de jur. jurand.* Quia tametſi recipere uſuras malum ſit, & qui illas recipit teneatur ad reſtitutionem, & qui dat fortè poſſit illas rurſus Condicere, qui dat illas non peccat. [Nota obiter, dari dona, & ſolvi debita: repugnareq; in terminis dona ſolvi: adeoque promiſſionem de ſolvendis uſuris, à promiſſione de dandis diſtinguendam juxta ea quæ ſuperiùs ſunt dicta.] *Dona non ſolvuntur, ſed dantur, & debita non donantur, ſed ſolvuntur.*

DCXCVII *Reſtat igitur* explicare, quando juramentum ſit ita contra bonos mores, ut impleri non debeat; & reſpondeo tunc omninò quâdo res jurata prout jurata eſt (nemo tenetur aliter rem implere, quàm promiſit) ſine peccato mortali aut venlali impleri non poteſt: Verbi causâ; *Iuro me occiſurum, me furaturum, me mentiturum eſſe. Iuro me manſurum in Religione Calviniana.* Et ſimilia. *Iuramentum contra bonos mores objectivè.* Cæterùm hoc juramentum obligat, *Ego propter vanam gloriam juro me daturum eſſe talem eleemoſynam*; non verò hoc, *Ego juro me illam daturum propter vanam gloriam.* *Iuramentum contra bonos mores formaliter.* Quia dare propter gloriam vanam malum eſt, nec ſine peccato poteſt fieri, nec obligatoriè promitti.

X.

Neminem teneri ad inutile.

DCXCVIII Eſt Pronuntiatum Philoſophicum, *Deus & natura nihil faciunt fruſtra*: unde oritur, *Fruſtra fieri per plura, quæ per pauciora poſſunt.* Hoc ipſum amplexa fuit Ethica, quâ judice, *Deus & Creatura nihil præcipiunt fruſtra*, unde oritur, *Fruſtra præcipi plura, cùm pauciora poſſunt.* *Nihil præcipitur, aſſeritur, aut efficitur fruſtra.*

Hanc doctrinam altè concipiens & ſupponens Bonifacius intulit nonnullas conſequentias.

Prima, *Eum qui* (politicè & plenè) *certus eſt, certiorari ulterius non oportet*: quia nihil debet fieri fruſtra, & eſſet fruſtranea illa certioratio ulterior. *Nihil dicitur fruſtra.* Hæc eſt Regula XXXI. Conſultò illud *politicè* addidi; non enim quæcunque certitudo phyſica, creditur civiliter eſſe certitudo plena, ſed quæ tanta eſt, ut ignorantiæ exceptionem non admittat. Unde reus abſens trib⁹ edictis, aut ſaltem uno peremptorio certiorari *De reo ſæculari.*

De reo eccleſiaſtico.

debet, vel aliàs, non erit civiliter certus, *l. contumacia. 53. ff. de re judic. juncta l. ad peremptorium. 68. cum aliquot. ll. ſeqq. ff. de judic.* Clericus delinquens antequam clericalibus privilegiis privari poſſit, tertiò monendus & certiorandus eſt, *c. contingit. 45. extr. & ſent. excomm. juncto c. conſtitutionem. 10. eodem tit. in 6.* ſic etiam, qui à Judice Eccleſiaſtico eſt examinandus, debet certò ſcire ferendam eſſe ſeriò illam excommunicationem, nec eccleſiaſticè id certò ſciat, niſi tertiò præmonitus. *c. ſacro. 48. extr. de ſent. excom. juncto c. conſtitutionem, citato.* Sic etiam in aliis caſibus: Jura enim ſpecialia decernunt, quæ debeant circumſtantiæ intereſſe, ut certitudo politica adeſſe credatur: Nam in judiciis nemo reus certò politicè crimen commiſit, niſi duorum conteſtium affirmatione convincatur; & ſic in reliquis.

De excommunicando. *Certitudo civilis.*

Ex inutili nihil ſequitur.

Secunda. *Inutile & fruſtaneum non debet fructum neque damnum inferre.* Patet, quia aliàs non eſſet inutile nec fruſtraneum. Quam conſequentiam expreſſit Bonifacius duabus Regulis videlicet, XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus exiſtit impugnare.* Et XXXVII. *Vtile non debet per inutile vitiari.*

inofficioſi crimen objecit; & cùm ſententiâ Judicis declararetur officioſum & verum, legatum ſaltem ſibi in eo relictum habere voluit. Sed hoc ipſum negatur, & applicatur fiſco. *l. Papinianꝰ. 8. §. meminiſſe. de inofficios. teſt. l. poteſt legatum. 5. §. 1. ff. de iis quibus ut indig. l. qui falſas. 6. c. ad l. Cornel. de falſ.* Et ratio eſt quòd eo ipſo quo quis valorem & fidem inſtrumenti impugnat, inutile in judicio pronuntiat, & jure utendi illo cedit. Et ſi illi renuntiavit, illud adlegare non poteſt. *d. c. cum olim ſub finem.*

Exceptio prima.

Ignoſcunt tamen Jura fatenti teſtamentum eſſe verum, officioſumq; nec voluntatem teſtatoris nec fidelitatem producentis oppugnanti, ſed invalidum defectu ſolennitatis alicujus jure requiſitæ contendenti; tametſi condemnato. *d. l. poſt legat. §. & penult. ff. de iis quibus indig.* Ignoſcunt curatori & tutori in favorem pupilli agere non potentis. *§. ſi inter. inſtit. de inoffic. teſtam. l. adverſus. 30. §. 1. ff. eod. de inofficios. teſt. l. cum quadam. 26. c. de adminis. tutor.* Ignoſcunt etiam cuicumque, qui ante ſententiam ab inſtrumenti impugnatione deſiſtit. *meminiſſe & l. alia. 8. c. de iis qui, l. ut indig.*

Secunda. *Tertia.*

XI.

DCIC. *Proponuntur exempla.* *Primum.*

REgulæ XXXVIII. exempla ſunt. Titius cùm urgeretur à Paulo quodam inſtrumento, illud falſum aſſeruit, ſed poſteà cùm condemnatus fuit, illud pro ſe adlegavit. Et reſpondetur non poſſe componi exceptionem, allegationemque: nam ſi adlegari poteſt, damnari non debet: & ſi damnari debet, adlegari non poteſt. *c. cum olim. 19. extr. de cenſib.* Franciſcus hæres ab inteſtato contra teſtamentum falſi aut

Secundum.

XII.

DCC. *Alius Regula exempla.* *Primum.*

REgulæ autem XXXVII. exempla ſunt. Ambroſius mille ſolidos ſine inſinuatione dedit, cum tamen tantùm quingẽtos poſſet. An-ne donatio eſt valida? Quo ad quingẽtos valida eſt inquit Juſtinianus, invalida quo ad exceſſũ. Nõ enim utile ab inutili aut poſſibile ab impoſſibili vitiari debet. Nec eſt dicẽdus noluiſſe dare quãtũ potuit quòd dederit plus quàm potuit. *l. ſancimus. 34. junct. l. penult. c. de donatiõ.* Anſelmus

Secundum.

Digitized by Google

mus mille ab uſurario recepit poſt annum mille ſexcenta redditurus. An quia contractus illicitus eſt, ad nihil uſurario tenebitur? Non aſſentiar. Primò enim tenebitur dare capitale; Secundò legitimum auctuarium, hoc eſt, mille & quinquaginta, hoc enim licitum & rationabile eſt; & licitum rationabilique ab illicito & irrationabili vitiari non poteſt. Porrò capitale dandum uſurario definivit Jure Conſultus Paulus, *l. uſuras. 20. ff. de uſuris.* addendum Commune auctuarium (hodie quinque in centum) reſpondit Papinianus. *l. pecunia 9. ff. de uſur.* & bene, tametſi contrarium judicet Caniſius *in hanc regulam*, omnes enim uſuras ex præcepto Canonum eſſe illicitas nego, ſi nomine uſurarum quinque in centum, quæ ſolent dari intelligamus. Sed latet æquivocatio, nam in Jure civili uſura dicitur quidquid ſupra ſortem additur, adeoque uſura in licitam & illicitam diſtinguitur. Et in Jure canonico ſolet uſura dici illud ſolùm quòd injuſtè exigitur ſupra ſortem.

Vſura bifariam accipitur.

Porrò inutilis circumſtantiæ adjectione totus contractus nullus redditur; Primò, ſi prudenter colligere poſsîmus ex illâ inutilis circumſtantiæ poſitione contrahentes non proceſſiſſe ſeriò; quia ſi conſtet illos contrahendi caruiſſe voluntate, nihil factum dicendum eſt. *Ita omnes.* Secundò ſi illud inutile ſit poſitivè, hoc eſt, lege interdictum, & ab utili ſeparari non valeat; ut bene notavit Ulpianus *l. 1. §. item quæritur. ff. de aqua quoti.* Tertiò ſi illud inutile ſit impedimentum dirimens; multa enim ſunt, quæ hoc modo irritantur.

An circumſtantia inutilis contractum vitiet?

De impedimento dirimenti.

Porrò dirimentia Matrimonii impedimenta nota ſunt; alia adjungo. In Emancipatione, Acceptilatione, hæreditatis Aditione, Tutoris datione, diei aut conditionis adjectio eſt impedimentum dirimens, ratione cujus univerſa inutiliter fiunt. *l. actus legitimi. 77. ff eod. tit.* Et etiam in Electione Epiſcopi erit impedimentum dirimens, ſi laici ad illam admittantur. *c. Maſſana. 56. extr. de election; &c.*

Egimus de poſſibilitate & impoſſibilitate præceptorum, ut Canonici Iuris Regulas aliquas exponeremus; addere volo incidentem hanc Diſputationem, quæ Caput LXVIII. Regulæ D. Benedicti dilucidat, & examinat, quo ſenſu ſanctus Pater juſſerit obedire, etſi impoſſibilia præcipiantur.

QUÆSTIO INCIDENS

An Patres Benedictini obedire Prælato debeant, quando præcipit impoſſibilia?

DCCI.

Hominum quantamcumq; potentiam pendere à Deo in controverſiam plauſibilem venire non poteſt: id habemus quod nobis conceſſum divinitùs, & nullam omnino perfectionem quâ Deus careat. Cùm igitur ipſe non habeat impoſſibilia jubendi poteſtatem, conſequens eſt illam homines habere non poſſe. Sanè iſtam poteſtatem Heterodoxi duntaxat Deo affingunt: primi ævi Patres negarunt, quorum ſenſa Romana Eccleſia cœlitus docta in fidei articulos tranſtulit. *Deus impoſſibilia non jubet* ait S. Auguſtinus; Quam ipſam ſynodus, Tridentina periodum inter Canones tenendos Religione propoſuit. Ergo Benedictus impoſſibilia non jubet, non enim ipſe major Deo, ſed jubendo admonet, ut faciamus quæ poſſumus, nos-

Omnis perfectio creata divinæ participatio eſt.

Deum poſſe & ſolere impoſſibilia præcipere aſſerunt Hæreſiarchæ, negant Patres, & Doctores Catholici.

Digitized by Google

noſque ipſe humanitùs regulari doctrinâ & cœlitus gratia perenni adjuvat ut poſſimus. Si hæc omnia vera, unde itreſ fit in Regulam ſexageſimum octavum caput? Eius ſane titulum ſine horrore non legas, ejus contextum ſine præſumtione non acceptes, ſine deſperatione non capeſſas. Ego in fronte *Si Fratri impoſſibilia injungantur*. Hæreo! Quid ſuaviſſimus Pater dicturus? Aut fallor, aut reſolvet ad impoſſibile neminem mortalem obſtringi. Sed nos miſeros! & impoſſibile poſſe à Prælato injungi ſtatuit, & eſſe impoſſibile quod hoc ab omnibus intelligi poſſit conſtituo, Sic ipſe ait, *ſi cui fratri aliqua fortè gravia aut impoſſibilia injunguntur, ſuſcipiat quidem jubentis imperium, cum omni manſuetudine & obedientia. Quodſi omnino virium ſuarum viderit pondus excedere, impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei qui ſibi præeſt patienter & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo aut reſiſtendo vel contradicendo. Quod ſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſua ſententia Prioris imperium perduravit, ſciat junior ita ſibi expedire, & ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.*. Ut obediam jubet etiam jubenti impoſſibilia! quî ergo faciam, quæ fieri non poſſunt? quidquid enim poſſum facere, fieri poteſt, & quod fieri poteſt, non debet appellari impoſſibile. Res ſanè difficilior eſt, quàm hucusque fuit credita; tanta ut ſecundo videatur calamo & novis ſtudiis indigere.

Caput LXVIII. Regul. Benedictinæ.

DCCII. *An ſemper bene exponatur Regula ſanct. Benedicti?*

Multæ equidem, ſi ſincerè loquamur, in Regulâ S. Benedicti periodi, quæ aut obſcuræ aut difficiles, juxta Legislatoris mentem explicari non ſolent. Obſcuras expoſitores non ſemper poſſunt bene exponere, nec difficiles volunt. Condonandum illud eſt debilitati humanæ mentis, id fragilitati voluntatis: quorum prius, quia nobis invitis accidit, imputari non poteſt; poſſet poſterius ſi fieret privatâ authoritate. Remiſſuri ſummum rigorem textus Caſſinenſes ſic inquiunt, *ſuffulti authoritate Apoſtolica, quædam Regulæ dubia declaravimus, modificando ea quæ aſpera videntur*. Et oſtendunt ſolius Eccleſiæ eſſe Monachis condeſcendere & Regulæ ſeveritatem mitigare. Cæterùm inter obſcura Regulæ Benedictinæ Capita nullum omninò poteſt cum hoc ſexageſimo-octavo cõponi: quod nullo illuſtrant Caſſinenſes ſcholio, quantumvis alia illuſtrent, fortè territi textûs difficultate. Hoc Ego caput olim juxta communem ſentiendi modum in Commentario expoſui; ſed quia ſemper nova dubia excitantur, operæ-pretium erit novâ idem relegere attẽtione, novis idem curis dilucidare.

Caſſinenſium in Regula exponenda libertas & facultas.

DCCIII. *Impoſſibilitas eſt triplex.*

Dico igitur impoſſibilitatem trifariam conſiderari poſſe; vel in fine, vel in re præceptâ, vel in præcepto ipſo. *Tenet ſe ex parte finis*, cùm res poſſibilis ſed in ordine ad impoſſibilẽ præcipitur, ut ſi Petro præciperetur condire cibos, ut ſtatua comederet; id enim quod in tali caſu præciperetur, omninò eſſet poſſibile, & tamẽ impoſſibilis finis, qui intẽderetur. Et tunc Petro inutilia abſolutè & impoſſibilia reſpectivè & finaliter præcipi crederentur. *Tenet ſe ex parte rei præceptæ impoſſibilitas*, cùm res præcepta tam ſit ardua, ut fieri non poſſit. Et hæc ipſa impotentia habet ſuos gradus. Primò enim impoſſibilia dicuntur, quæ difficilima; quia conſideratâ humanæ fragilitate naturæ videmur non poſſe nobis perſuadere ut velimus difficillima facere, tametſi certum ſit nos illa poſſe facere ſi velimus; & hæc ſunt quæ dicuntur politicè aut moraliter impoſſibilia. Secundò impoſſibilia dici ſolent

Finalis.

Objectiva.

lent, quæ tametſi communiter ab aliis hominibus fieri poſſint & ſoleant, Petri vires excedunt, qui eſt ita debilis, ut illa facere tametſi velit, nequeat; & hæc, perſonaliter & comparativè impoſſibilia nominantur. Tertiò dantur impoſſibilia humanitùs, quæ ab homine citra miraculum fieri non poſſunt. Et hæc omnia, de rebus bonis aut indifferentibus intelligenda: quia de malis & ſuperiore lege interdictis Articulis ſeptimo & octavo tractabo.

Impoſſibilitas ex parte præcepti:

Tenet ſe ex parte ipſius præcepti impoſſibilitas, cùm ea jubentur quæ licitè juberi non poſſunt. Et hoc accidit primò ſi excedat ſuæ terminos Authoritatis Superior, & hæc dicuntur, attentata. Secundò, ſi res ex ſe factibilis omninò ſit, ſed obediens extremo periculo vitæ ſe exponat. Tertiò, ſi rem Prælatus probabiliter malam præcipiat. Et tandem ſi certiſſimè malam.

Et parte conſcientiæ.

Hæc omnia veniunt impræſentiarùm diſcutienda.

ARTICULUS I.

De his, quibus impoſſibilia reſpectivè & finaliter, id eſt, inutilia iniunguntur.

DCCIV. *Vtiliter obedimus cùm præcipiuntur inutilia.*

SAnè inutilia utiliter injungi poſſunt; obedire enim Prælato præcipienti inutilia, utile eſt. In Patrum vitis *part. 2. libr. de obedient.* & in Caſſian. *4. lib. de inſtitut. Cœnob. cap. 24.* exſtat mirabile hujus doctrinæ teſtimonium; nam cùm ſenex cuidam Joanni juniori ſuo præciperet, ut lignum aridum, quod plantaverat, rigaret, donec faceret fructum; ſuſcepit ille præcipientis imperium cum ſummâ reſignatione & humilitate; & tametſi ita diſtaret aqua, ut deberet veſpere ire ut mane poſſet tempeſtivè reverti, per tres annos integros legem ſibi impoſitam obſervavit; cujus Deus ſibi gratam eſſe obedientiam miraculosè teſtatus eſt faciendo, ut tandem illud lignum vireſceret & fructum faceret.

Lignum ſiccum rigatur: & fructum dat.

Hujus Joannis meminit Turrecremata in comm. cap. 68 noſtræ Regulæ, ſed Perezius ibidem, citat Caſſiani librum quartum, & caput vigeſimum tertium, & paulò mitior poſt annum primum radices egiſſe baculum & viruiſſe teſtatur.

Sed tu, An Prælato inutilia præcipienti ſubditus teneatur obedire, inveſtigas? DCCV. *Ponitur quæſtio.*

Reſpondeo duas dari authorum opiniones; alteram, quæ docet ceſſare legis vim in particulari cùm & finis adæquatus in particulari; alteram, non ceſſare legis vim in particulari, cùm finis adæquatus in particulari, ceſſare tamen cùm finis adæquatus eſſet in communi. Et quidem in hac materiâ nō dabitur caſus, in quo finis adæquatus particulariter aut univerſaliter ceſſare poſſit. Et ne exempla mutentur, explanemus & illuſtremus poſitum. Senior tuus baculum illum ſuum, quo viginti annis ſolidis aridorum membrorum molē deciduam ſuſtentârat, plantavit in horto diligenter; jam tibi præcipit, ut diebus ſingulis hydriam effundas, illumq; quouſq; agat radices irriges. Sed tu ſapientior, quam deberes, hoc te cenſes præcepto non obſtringi, & ſic ais. [Quando finis legis ceſſat in particulari, ceſſat ipſa lex etiam in particulari: at finis hujus legis ceſſat; ergo & lex. Probas minorem. Quia quotidiana irrigatio non eſt medium, quo vegetativa vita baculo inanimi reſtitui poſſit.] At Ego, ut rem bene capiam ſingulas legis tibi impoſitæ circumſtantias expendo. Dico igitur primò laborem manuum eſſe ſecundum regulam, adeòque non poſſe religioſum Benedictinum à tali præcepto

An ceſſante fine ceſſet lex?

Labor manuū in Regula S. Benedicti præcipitur.

Digitized by Google

pto excuſari ratione materiæ; nam Cap.XLVIII. expreſsè jubetur, ut aliquibus horis Monachi laborent manibus. Sed quia ratione finis volebas eximi, illum conſiderabo; dicam-que ſecundò, tuam inſtantiam non habere ſummam vim, ſi negetur, quod probabiliter negari poteſt, ceſſare in particulari legis obligationem, cùm adæquatus legis finis ceſſat in eodem particulari. Cæterùm, cùm hoc ipſum quod probabiliter negari poſſe aſſero, teneam debere probabilius concedi, ne contra meam doctrinam quidpiam vel probabiliter admittam, dicam tertiò legis finem tunc in particulari non ceſſare: vel ſi me putes decipi, illum deſigna. An exiſtimas tuo quotidiano labori præſcribi in finem fructificationem arboris? minimè. Sic debet lex exponi, ut non incurrat ſtultitiæ notam legislator; & quidem, qui vellet adhibere laborem, ut aridus baculus reviреſceret, eſſet ſtultus. In alium omninò, eumque altiorem hæc actio regularis collimat. Sed in quem? Perezius *in expoſitione cap. 68. num. 2.* ſentit hujuſmodi ordinari præcepta in excelſam virtutis præſtantiam, quæ vel præſumitur, vel tentatur, vel procuratur: & quidem talis finis deficere non poteſt; quoniam aridi ligni irrigatio, non jam intendit finem illum, quem hucuſque putaveras: ſed tuam utilitatem ſolummodò; nimirùm, ut quanta ſit reſignatio tua magiſtro & ſpirituali medico innoteſcat, ut conſervetur, ſi magna; intendatur, ſi parva; procuretur, ſi nulla. Manuum labor à D. Benedicto inſtitutus, non quidem ut aliquid materiale lucrentur monachi laborando, ſed ut ſpiritualiter proficiant. Caput illud Regulæ XLVIII. ſic incipit. *Otioſitas inimica eſt animæ, & ideò certis temporibus occupari debent fratres in labore manuũ.* Et inferiùs, *injungatur ei opus quod faciat, ut non vacet.* Nota illud *Ideò*, nota illud *ut*, & diſce finem, qui manuum labori præfigitur, non eſſe lucrum pecuniarum, ſed otioſitatis proſcriptionem; quæ quidem otioſitas, etiam ſi rigetur baculus, adeſſe non poteſt. Et ſi fortè adhuc putes lucrum à D. Benedicto reſpectum, lege Caput LVII. & videbis ipſos Monaſterii Artifices juberi artes ſuas exercere ob charitatis augmentum, & ſi ſuperbeſcere videantur, ceſſare. Si rem bene conſideres manuum labori correſpondet ut finis, non lucrum, non commoditas, non valetudo, ſed mera ſanctitas; nec hoc eſt in eodem manuum labore peculiare, nam in Regula, multæ res materiales præcipiuntur, quæ non parturient fines materiales, ſed ſunt indictæ ob ſpiritualem profectum. Jejunia ſalutem frangunt, artus frigore reddi ſolent inertes, diſciplinæ & cilicia carnem macerant, & omnes pœnitentiæ proſternunt; quæ omnia tametſi valetudini non inutilia modò, ſed & contraria videantur, à Regula ſunt inſtituta, quoniam plurimùm Animæ proſunt in fines altiores aſſumpta.

Quo debeant modo exponi leges?

Virtutis præſtantia

Cur Monachi Benedictini laborent manibus?

Jejunia, incommoditates, diſciplinæ, cilicia.

ARTICULUS II.

De his, quibus politicè ſeu moraliter impoſſibilia, hoc eſt, difficillima iniuncta.

DCCVI.

TAlia fuerunt omninò, quæ *Gen.* 22. 2. Abrahamo præcepta, talia quæ *Act.* 10. 13. Petro, quorum ille & filium occidere poterat, & iſte reptilia comedere, tametſi in utroque concedenda

An Abrahamo impoſſibile tum impoſſibile? An etiam ſit D. Petro?

Digitized by Google

ſit animi renitentia & ſumma in operis executione difficultas. A quâ ſi Petrum eximere velis ob exſtaſin, (in mentis exceſſu vidiſſe illa reptilia legitur) negare fuiſſe impoſitum Abrahamo præceptum de re difficillimâ, & ſtando amori illi paterno, quo erga filios obſtringimur, moraliter impoſſibili, nequaquam poteris.

Carolus Imperator.

Hoc ſenſu videtur intelligendus Carolus Imperator 19.d.cap.19. præcipiens, *ut pia devotione toleremus jugum, etiamſi vix ferendum, quod à S. Romana ſede nobis impoſitum fuerit, & hoc pro reverentia & obſervantia, qua illam tenemur venerari.*

Gregorius.
An debeamus correctiones injuſtas tolerare?

Hoc etiam Gregorius *lib. 2. epiſt. 54.* (refertur 100 *diſt. cap contra morem*) qui docet *non tolerare patienter etiam correctionem injuſtam, eſſe contra morem Eccleſiæ.* Et tamen injuſtè corripi & ſuſtinere, non impoſſibile ſimpliciter, ſed politicè, hoc eſt juxta mores civiles & communes; vel clariùs, difficillimum eſt.

DCCVII.
Caſſianus.

De hac impoſſibilitate loquitur Caſſianus, qui apud Smaragdum *in cap. 68.* ſic inquit. *Illa eſt vera obedientia, quæ* (melius, *Ille eſt verus obediens, qui*) *quamvis aliquid difficile ei imperetur, nihil tamen diſcutiens, ſine aliqua hæſitatione perficere nititur, nihil de impoſſibilitate murmurans.*

Smaragdus.
Bertels.

De hac intelligendum eſſe D. Benedictum docet citatus Smaragdꝰ, cui conſonat Joannes Bertels in ſuis dialogis (nempe Dialogo XXVI.) ubi ſic inquit, *Non dubito, quin multi, dum hæc (quæ S. Benedictus cap. 68. ſcribit) audiunt, turbantur, argutantes, quod inſanum & ſtultum ſit homines ad impoſſibilia cogere; ad quod ego. Cui Domini jugum ſuave & onus leve, illi nihil arduũ & aſperum nihil, & ubi nulla ſupra nos ſunt mandata, ibi nulla impoſſibilia. Dicã clariùs, & exempli loco. Logici ſæpiſſimè utuntur illo termino* Impoſſibilia, *non quidẽ quod ſuperari ullo modo poſſint, ſed cum grandi difficultate.* Impoſſibile *ergo hic ſumitur pro eo quod difficile eſt factu, aut videtur.* Et confirmatur, quia cum S.P. *gravia aut impoſſibilia* dicit, videtur duobus verbis Synonymis uti, nec impoſſibilium vocabulo alia ſignificare, quàm graviſſima vel difficillima.

Impoſſibile apud Logicos quid?

DCCVIII
Paulus.
Antonius.
Ruffinus.

Hæc eſt illa obedientiæ via, quâ Paulo in cœlum cogitanti demonſtravit Antonius, & deſcripſit Ruffinus *lib. 2. cap. 31. de vitis Patrum* hiſce verbis. *Paulus, cum adiiſſet Antonium, ut iter ab eo ſalutis inquireret; ille intuens hominem ſimplicis naturæ eſſe, reſpondit ei, ita demum eum poſſe ſalvari, ſi his quæ à ſe dicerentur, obediret. Tunc ille, omnia quæcumque ſibi præciperet, facturum eſſe reſpondit. Vt ergo promiſſionem ejus probaret Antonius, ante fores cellulæ ſtanti, Hîc inquit, expecta me orans, donec egrediar. Et ingrediens Antonius manſit intrinſecùs per totum diem & per totam noctem, per feneſtram tamen ex occulto frequentiùs reſpiciens videbat eum indeſinenter orare, & nuſquam prorſus moveri, ſed ſtare in æſtu & rore noctis, & ita eſſe mandati memorem, ut ne parum quidem loco moveretur.* Et quidem multis videretur impoſſibile Antonii mandatum, omnibus difficillimum, ſed à Paulo religiosè obſervatum; nobis ad imitationem propoſitum, ſi ſimilia contingat à noſtris ſuperioribus præcipi.

Pauli obedientia.

ARTICULUS III.

De eo, cui reſpectivè impoſſibilia injuncta; hoc eſt poſſibilia quidem ſed in gradu impoſſibili. Vbi multa de impoſſibilitate Decalogi.

DCCIX.
Hominum

UNum hominem minùs altero poſſe certum omnino eſt; non ſunt omni-

Digitized by Google

vires inæquales.

omnium æquales vires, nec animus. Multi poſſunt, vbi unus ſuccumberet; & ubi hic cederet, ille vinceret ſine ſummâ moleſtiâ. Si fortè tibi aliquando præceptum, quod vires tuas ſuperet, poſitum; illius Religioſi memineris, cui injunctum, ut immane ſaxum, cui movendo vix cohors ſufficeret, verteret & evolveret. Hiſtoriam dat Caſſianus *inſtitut. lib.* 4 *cap.* 26. ubi aſſerit Abbati ſuo adquieviſſe illum, protinus applicuiſſe oneri & pectus & brachia, tantoque illud impetu & conatu volvere contendiſſe, ut non ipſe ſolùm ſudore, ſed & ſaxum ipſum perfunderetur. Qui tametſi in hoc opere oculis corporeis non videretur profeciſſe, non enim ſaxum movit; tamen conſideratus incorporeis, videtur profeciſſe & prodeſſe; profeciſſe quidem, quia ſummi meriti reſignatio & ſubmiſſio illa fuit; prodeſſe autem, quia in obedientiæ exemplum univerſis proponitur, ut ad reſolutionem illius generoſiſſimam univerſi operationes ſuas eliment.

De magnitudine obedientiæ.

Sanè ubi res tanta præcipitur, quanta fieri non poteſt, *Primò*, præcipitur ut in eo magnitudinis gradu, quo commodè poſſit ipſa fiat, *Secundò*, conſulitur ut meliùs fieri deſideretur: & ut fiat in altiori gradu quo poſſit. Multa habemus iſtius veritatis exempla quæ proderit relegere aut exponere.

DCCVIII. *Exponitur primum præceptum Decalogi.*

Lego apud Matth. 22. d. Marc. 12. Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omni mente tua.* Et iſtis verbis exiſtimo imbibi præceptum & conſilium. Quorum illud ſubſtantiam dilectionis reſpiciat, hoc intenſionem. Proderit audire meum Bernardum, vel quicumque ille ſit, qui librum de diligendo Deo compoſuit. Capitis enim II. numero. 9. ſic inquit. *Auguſtinus ait, Amor Dei non capit de impoſſibilitate ſolatium. Omne enim deſiderium tunc ſolet ratione mitigari, cùm deſideratum impoſſibile ſit haberi.*

An Amorem frænet impoſſibilitas?

Amoris tamen violentia nulla impoſſibilitate frænatur; nam etſi animam terrena habitatione preſſam (Sap. 9.) *immerſam luto, illa felicitate ex integro frui omninò impoſſibile omni homini conſtet, nullum tamen ſic amanti hæc impoſſibilitas præbet ſolatium, quo minùs ardeat & æſtuet habere quod optat.*

An offendatur Deus, cùm exceditur ratio?

Quo tamen deſiderio, etſi ratio excedatur, non offenditur Deus, qui ſimile quiddam videtur innuiſſe præcepto, [*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omni mente tua.*] *Quod tamen in hac vita mortali, vel potiùs morte vitali à nemine poſſe impleri* (nempe ſecundum omnem perfectionem conſultam) *tam rationibus, quàm authoritatibus conſtat.*

An primum Decalogi præceptum impleri poſſit?

Ab omni tamen homine debere optari, nemo eſt, qui ambigat. Vnde in Iuſti deſcriptione dicitur (Pſalm. 111.) *In mandatis tuis volet nimis.* [*Velle nimis eſt plus velle quàm poſſe.*

Velle nimis quid ſit?

Quo ſenſu & ego dictum puto (Cant. 1.) *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis*] *Quid enim* [*nimis*] *niſi ſupra poſſe & vires?*

Cur amor careat menſura?

Infinitus quippe & immenſus eſt Deus, in quem tendit amor eorum, ut nullus poſſit eſſe finis vel menſura amoris. Amat ergo ſic amans anima. Et ſi nimis poſſe ſuo, minus tamen velle ſuo; nec capit de hac impoſſibilitate ſolatium, ſed potiùs deſiderii incrementum.

Charitas inſuperabilis.

Vides igitur quemadmodum inſuperabilis eſt charitas, omnia ſuperans; ita eſt inſatiabilis, omnia vorans; & ex copia parit inopiam, dum ex prægustatis quidem delitiis ampliùs tamen in deſideriis exardeſcit, quæ etſi dentur ad plenitudinem, nunquam tamen ad ſatietatem.

Hac ideâ inſtructus legem ſimilem Benedictinam explicabo: & utendo paraphraſi, verbis etiam Bernardi, quæ mi-

Digitized by Google

mihi luci ſunt, ero luci. Sic diſcurro: Actus merè internos ſubiici Eccleſiaſticæ juriſdictioni (quod tametſi probabilius negetur, probabiliter à multis dicitur, & examinabitur inferiùs) ſupponens.

An actus interni Humanæ Iuriſdictioni ſubſint?

DCCIX. *De attentione in divino officio requiſita.*

[Pſallendi diſciplinam doceri à D. Benedicto deſiderans, aperio Regulã, & in Caput XIX. incidens lego hoc præceptum, *Semper memores ſimus quod ait Propheta* (Pſalm. 2.) *ſervite Domino in timore. Et iterum* (Pſalm. 46.) *Pſallite ſapienter. Et* (Pſalm. 137.) *In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Ergo conſideremus qualiter oporteat nos in conſpectu Divinitatis & Angelorum ejus eſſe. Et ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ.* Mihi ſemper meminiſſe præcipitur, & hoc impoſſibile eſt. homo ſum, naturâ fragilis, quem conſuetudo oblivioni mandandi ſuam ſalutem reddidit fragiliorem. Quî ergo potero Dei, Angelorum, reverentiæ, timoris, & circumſpectionis perpetuò meminiſſe? Sine ſomno & diſtractionibus multis hanc vitam agere impoſſibile eſt. Jubeor Deum laudare ſemper labio, habere mentem voci conſonam, & utrumque impoſſibile judico. Et inter duo impoſſibilia adhuc ultimum impoſſibilius. Quî mentem ego volucrem venari potero, & reducere ad retia, qui eâ ipſâ duce & conductrice per univerſa volito in omnium virtutum materiis hoſpes & peregrinus: in miſeriis domeſticus & familiaris: quin vel ſemel quieſcam aut tandem aliquandò patriam apprehendam in quam cogito? Me lege obſtrictum ſcio. Amo obedientiam, impoſſibilitatem operis perſentiſco. At amor meus non capit de impoſſibilitate ſolatium. Ut terrena deſideria, impoſſibilitatis notitiâ mitigētur, meum non poterit: ardet divinitus, & nullum ſic ardenti impoſſibilitas ſolatium præbet. Non poſſum facere quantum mihi eſt injunctum; faciam tamē, quæ potero; petam plus poſſe, & obtinere, quod poſtulo deſiderabo. Hoc enim deſiderio, etſi ratio videatur excedi, non offenditur ſed diligitur Deus: qui ſimile quiddam videtur indixiſſe Prælato, cui Cap. II. Regulæ abſolutè præcipitur, *ut omnia quæ eſſe Domino docuerit contraria, in ſuis factis indicet non agenda: ut non plus unus ametur quàm alius: ut ſemper cogitet, quod animas ſuſceperit regendas: ut ſemper timeat futuram diſcuſſionem & ſit de ſibi commiſſis animabus ſollicitus*, quæ tamen in vitâ hac moribundâ, in hac animam agente morte, ſuadebitur impleri non poſſe. *Primò* enim impoſſibile eſt omnia facere, quæ docemus: nam & omne veniale peccatum fugiendum dicimus, nec tamen omne cavere poſſumus. *Secundò* quî poterimus unum amare quantum alterum, qui quantum amemus neſcimus. Hac lege tenebatur Bernardus: Benedictinus erat; Abbas erat: & tamen fatetur ingenuè neſcire quantum proximum amet. Sic enim Epiſt. LXXXV. VVilhelmo loquitur. *Neſcio qua fiducia non ſolùm de tuo, ſed & de meo corde tam apertè declamas, ut plus amans, inquiens, minus diligar? Hæc quippe ſunt verba tua. O ſcrutans renes & corda Deus, qui unus ſol iuſtitiæ diverſa ſervorum tuorum corda diverſis gratiis velut radiis illuſtras, quod diligam illum ex dono tuo & ſuo merito, tu ſcis, & ego ſentio: Quatenus autem diligam tu ſcis, & ego neſcio.* Et tandem *tertiò*, quî poterimus ſemper cogitare, ſemper timere? O DEUS! impoten-

Prælatus præire exemplo debet:

Eſſe indifferens:

Et futurum judicium cogitare.

Nemo omnia quæ docet, poteſt facere.

Nemo ſcit quantum amet.

Deus Sol.

 tiam

Negatio favorum favor interdum eſt.

tiam ipſam cognoſco, & inde ſuperbus pavo pennas elationis dimitto, & te favente (negare favores, quibus poſſemus ſuperbire, favor eſt) corripior & humilior, qui fortè ſuperbeſcerem ſi plura poſſem. Meminiſſe tui divini ſervitii, legē tuam meditari, te linguâ collaudare, mentem captivam retinere, quod doceo facere, futurum timere judicium, poſſum quidem, ſed ſemper non poſſum. Poſſum amare ſubditos, ſed æqualiter amare non poſſum. Quid igitur facturus, ne offendaris. Faciam quæ potero, & deſiderabo quę non potero. In Regulâ, ſecundum quam te auſpice vivere profeſſus ſum, volam nimis. Nempe multò plura quàm potero. Si effectus deſit, affectus omnino ſatisfaciet, qui enim tui ſemper meminiſſe non poſſum, poſſum velle, & volo ſemper poſſe. Quæ ſemper fieri præcipiuntur, neſcio quam immenſitatem præ ſe ferunt, quæ tuæ infinitæ maieſtati conſonet, diſſonet meæ fragilitati. Et quidem cum amo ſatisfacere exactè, ſi poſſe meum examinem, nimis amo; ſi velle, minùs; amo enim facere plus quàm poſſum, & poſſum facere minus quàm volo; & tamen non capio de impoſſibilitate ſolatium, ſed incrementum deſiderii; & quidem ſolarii ipſa carentia ſine ſolatio eſſe non poteſt: ſi enim mihi ſolamini non eſt, non poſſe facere quæ deſidero, & teneor regulariter; ſummo eſt mihi ſolamini deſiderare facere plus quàm poſſum, & deficere à lege poteſtatis defectu, non verò culpâ voluntatis. Video igitur inſuperabilem eſſe charitatem. Non ipſa in manu, non in pede, non in mente, ſed conſiſtit in purâ voluntate. Sit illa manca ut eiiciatur ad aratrum, ille claudus ut viam mandatorum currat, ſit mens amēs aut immemor ut te præſentem contempletur, hæc omnia impoſſibilia ſuperat charitatis affectus. Deſiderabo affectuoſè manum pedem & mentem, quibus careo, & ſatiari non potero, quia ſi omnia oſſa & membra mea dixerint, *Domine quis ſimilis tibi*, plura deſiderabo habere, ut pluribus linguis & motibus tuam poſſim Majeſtatem laudare.] Sic ego.

Hic diſcurſus formari poterit verbis, quæ deſumam ex ſermone XIII. in Cœna Domini, qui adſcribitur D. Bernardo. Cuius Author, quicumque ipſe, pius eſt, & num. 102. ſic inquit, *Qualiter in ejus dilectione manere debeamus ſequitur, & dicit.* [*Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in mea dilectione, ſicut Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.*] *Qui habet aures audiendi, audiat; & qui habet cor intelligendi, intelligat. Menſurā noſtræ poſſibilitatis videtur excedere; vires animi & corporis, ac niſus ſupergreditur univerſos. Præceptum quod nobis Dominus imperat conſilium eſt noſtræ ſalutis.* Ecce eamdem ſanctionem præceptivam & conſultivam docet eſſe, & noſtram reſolutionem evidenter confirmat, id enim ipſum ſuppoſuimus ſub hujus articuli initium. Lex enim de dilectione Dei, eſt præceptiva quoad ſubſtantiam, conſultiva quoad modum ſeu menſuram, cujus ratione creditur impoſſibilis. Ecce inſtruimur, quî debeamus præcepta viribus maiora obſervare; talia enim non excludunt rationem conſilii, & obſtringūt quoad ſubſtantiam, & excitant & ſuadent quoad modum. Modus diligendi Deum, & omnes obſervantias regulares propter ipſum, eſt ſine modo diligere, ut doctiſſimè ſtatuit S. Bernardus *tract. de diligendo Deo, cap. 6. num. 16*, quod fruſtrà carpit Berengarius Abailardi diſcipulus, *in Epiſt. contra D. Bernardum*. Sed jam au-

DCCX.

Præceptum conſultivum.

Modus & menſura amoris humani erga Deum.

De præceptis impoſſibilibus, quæ in Regula.

audêtior, quia doctior, inquiris, Cur in Regulâ Benedictinâ poſitæ ſint ſanctiones impoſſibiles, cùm certum ſit impoſſibilia fieri non poſſe? Reſpondeo laxas eſſe ad augmentũ & lucrum charitatis, Addo hanc eſſe duplicem; aliàs enim in actu, aliàs conſiſtit in affectu.

Charitas duplex. Alterutra ſufficit.

Diſtinctionem me docuit meus Bernardus *ſerm. L. in cant. num. 1.* judicans alteram ſufficere, ut legi divinæ ſatisfiat, Agit de lege illâ, *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Et me erudit, ut ſentiam hanc Decalogi legem non eſſe intelligendam de affectu ſed de effectu. Hoc eſt, ut putem non præcipi ut intenſiſſimè Deum diligamus, ſed ut omnia illa faciamus, quæ faceret, qui intenſiſſimè eumdem diligeret. Sed cur ego balbutio, cum poſſum uti eloquentibus verbis mei Bernardi? *De illa, quæ operis eſt puto datam eſſe legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu, quis ita habeat, ut mandatur? ..... Mãdando nõ prævaricatores homines fecit ſed humiles; ut omne os obſtruatur & ſubditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro corã illo. Accipiẽtes quippe mãdatũ, ſentiẽtes defectũ, clamabimus in cœlum & miſerebitur noſtri Deus, & ſciemus in illa die, quia non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam* (2. Timoth. 1. c.) *ſalvos fecit. Atque hoc dixerim, ſiquidẽ conſenſerimus affectualem lege fuiſſe mandatam. Sed actuali id potiùs convenire inde vel maximè apparere videtur, quòd cùm* (Lucæ 6. c.) *dixiſſet Dominus* (*Diligite inimicos veſtros*) *mox de operibus infert,* (*Benefacite his qui oderunt vos.*)

Quo ſenſu Effectus & Affectus à D. Bernardo accipiantur.

DCCXI. *Multa indicuntur à Deo in primo præcepto Decalogi, ſed omnia poſſibilia.*

Hinc patet primum Decalogi præceptum, quod Heterodoxi impoſſibile dicunt, multa præcipere, ſed omnia poſſibilia. Præcipit enim *primò*, ut Deũ amemus effectivè, hoc eſt, ut nihil quod ipſe præcipiat omittamus; & hoc ſufficere judicat S. Bernardus; omnia enim quæ compræciuntur cum hoc effectivo amore ſunt eſſentialiter connexi. Conſulit *ſecundò*, ut Deum amemus in eo affectus gradu, quo poſſimus; ut perfectiùs & intenſiùs eum amare conemur: hoc eſt, ut intenſiùs amare Deum velimus, aut ſaltem deſideremus velle.

De Amore erga proximum.

Non aliter in ſecundâ tabulâ. Præcipitur *primò* ut proximum amemus effectivè; Obedimus, cum nulla illi negamus debita, nec aliquam inferimus injuriam. Conſulitur *ſecundò*, ut eum in aliquo intenſo gradu diligamus, & conemur intenſiùs.

De converſatione & obligatione regulari.

Non ſecùs in obſervantiâ regulari. Præcipitur *primò*, amemus Religionem practicè & effectivè; ſpeculativus enim ordinis amor virtutes exercere non poteſt. Conſulitur *ſecundò*; ut ejus præcepta in aliquo gradu perfecto diligamus, & perfectiùs conemur. Quod ejus mandata exſequamur præcipitur; ſuadetur ut altiori & excellentiori modo obedire curemus.

De Præſentia Dei.

Hinc ego, cui præcipitur ſemper Dei meminiſſe; ero Dei memor ubi congruè & commodè debuero, indiguero, potuero, & hoc ex vi præcepti; at ex vi conſilii conabor, ut frequenter Deum præſentem habeam, hoc eſt ferè ſemper. Deſidero ſemper habere Deum præſentẽ, & quia hoc ipſum deſiderium infinitè intenſum & perfectum non eſt, deſiderabo habere deſiderium immenſum. [*Nota tamen* hæc omnia quæ de actibus internis dicta, poſſe etiam applicari externis, ſi mecum ſentias de occultis non poſſe Eccleſiam judicare.]

*

ARTICULUS IIII.

De his, quibus præcipiuntur humanitùs impoſſibilia, quæ fieri ſine miraculo non poſſunt.

DCCXII *De miraculis.* HUmanitùs impoſſibilia illa ſunt, quæ humanâ virtute fieri nequeunt, nec tamen impoſſibilia abſolutè dicuntur, quia fieri miraculosè poſſunt. Multa huc pertinentia legimus in Severo Sulpicio, & præcipuè dialog. 1. in quo Monachorum Orientalium virtutes & prærogativas ediſſerit.

Hujuſcemodi impoſſibilia non injungi à Regulâ Benedictinâ opinatur Joannes Bertels in cap. 68. Reg. Bened. dialog. 16. mihi pag. 443. ubi ſic. *Stolidum eſſet imperium, ut Iubens ſubditũ quoquo modo compellat, ut Moſellam exhauriat, transferat montes aut colles, aut certè horas quis quadraginta maneat immobilis. Oportet ſanè in ſimilibus fungos & lapides eſſe auditores, ubi tam ſtupida* (nempe, Abbatum) *ingenia vigerent: quod profectò, minimè vult ut fiat S. Benedictus, commendans ut ſine fuco abſque ullo altercandi modò obedientiæ certamen in factilibus, etiam ſi impoſſibilia naturæ impoſſibilitati videantur, &c.*

DCCXIII Sanè me etiam judice Deus tentandus non eſt, nec illa præcipienda, quæ ſecluſo miraculo impoſſibilia judicantur. Quæ ſi prudenter præcipiantur, obligabunt pro parte poſſibili, ni probabiliter aſſeri poſſit, ita Superiorē velle inferiores obſtringere, ut ad totum, aut ad nihil teneantur, quod in multis contingit. Nam cùm finis præcipitur, compræcipiuntur omnia media neceſſaria vel nullum. Nam ſi iudicatur tibi ut Regem Galliarum conveniens, ut Pariſios adeas condicitur: ſi mediam itineris partem facere poſſis, totum nō poſſis, ad mediam viam excurrere nullo modo teneberis; quia res præcepta non pendet ab itinere partialiter, ſed omninò totaliter, Non inquam tota à toto itinere, pars à parte; ſed tota à toto, & pars etiam à toto. Qui enim totum illud peregit & Regi horâ integrâ loquutus fuit, non potuiſſet mediâ horâ Regi loqui, ſi itineris egiſſet dimidium; omnes enim & ſingulæ itineris partes, ſi non perveniatur ad finem, nihil proſunt.

ARTICULUS V.

De his, quibus res attentatæ, quæ validè præcipi non poſſunt, inducta.

ATtentatè præcipit ſuperior, cùm tranſgreditur terminos ſuæ authoritatis. Tranſgreditur *primò*, ſi certò ſit intruſus; *ſecundò*, ſi intruſus probabiliter; *tertiò*, ſi actus merè internos præcipiat; *quartò*, ſi externos leves graviter; *quintò*, ſi externos ſecretos ſub pœnâ correptionis publicæ; *ſextò*, ſi præter regulares. DCCXIV. *Quid ſit, præcipere attentatè?*

EXISTIMO PRIMÒ *nullum religioſum obſtringi lege lata à ſuperiore certò intruſo.* Cæterùm, ut aliquis certò intruſus dicatur, temeritas ſubditorum non ſufficit. Certò irregularem Abbatis ſui electionem putabant Carnotenſes Monachi, & Mellifluo meo Bernardo ſcribebant, adeò illam involutam intortamque fuiſſe, ut licèt de eâ coram Deo non dubitaretur, coram hominibus tamen aut vix aut nullatenus convinci poſſet. Et ipſis capite juxta meam diviſionem XLVII. Bernardus, *Venit nunc quoque in mentem ſapientis eloquium* *An præcepta intruſi Superioris obligent?* *Abbatis Carnotenſis Electio.*

(Pro-

(Proverb.18.1.) *occaſionem quærit, qui vult recedere ab amico. Quonam modo vos irregularem dicitis electionem, quæ caſſari regulariter non valet nec reprobari? Et quidem legitur, quod probari non poteſt, mihi infectum eſt.* Vide quæ in hunc ego locum commentatus Scholii num.398.

Quæ ſit regularis Electio.

Quæ probari nō poſſūt, non facta politicè ſunt.

DCCXV. *An teneatur quis obedire Superiori probabili?*

EXISTIMO ETIAM *monachum poſſe promittere quòd Superiori probabiliter intruſo obediturus erit,* Patet; quia nullâ ex parte relucet hujus voti iniquitas, imò aliquando præſtat monachum obedire ſuperiori probabili, quàm agere vitam exlegem. Ut hoc votum teneret, deberet his verbis emitti. *Promitto obedientiam regularem tibi & ſucceſſoribus tuis, non ſolùm legitimis ſed & probabilibus.* & ex vi promiſſionis iſtius deberet obedire Prælato, cujus authoritas diſputationi & examini intricato ſubeſſet.

Et quid, ſi duo ſint Superiores probabiles?

Sed inquiris, quid in tali caſu deberet facere privatus religioſus, ſi ſchiſma eſſet, & duo de Abbatiali dignitate contenderēt? Et ratio interrogādi eſt, quoniam, ſi deberet obedire ſuperiori probabili, utriuſq; videretur debitor. Cū uterque ante ſentētiam probabilis cenſendus ſit.

Reſpondeo debuiſſe hoc ipſum dubium ante profeſſionem decidi, & poſteà deciſionem ſervari. Potuit enim voluiſſe ſibi reſervare religioſus poteſtatem eligendi liberè partem alterutram; potuit ſe obſtringere probabiliori; aut etiam confratrum judicio. Et tunc hæc ipſa voluntas, ut pote expreſſa, eſſet profeſſionis circumſtantia, quæ propoſitum dubium proſcriberet.

DCCXVI *Reſolutio.*

EXISTIMO TERTIÒ, *Benedictinos Religioſos non promittere obedientiam Abbatis ſui ſucceſſori probabili.* Patet; quia moris eſt, ut cauſæ probabiles examinentur, quæ videantur vel probabiliter innuere Abbates illegitimè intruſos; quæ tamen deberent omitti, ſi ex vi profeſſionis illis obedientia eſſet debita; nam in legitimè electos tranſirent: quoniam ad nihil aliud electio canonica inſtituitur, quam ut detur, cui teneantur religioſi obedire. *Accedit,* quod hæc obligatio, ſi daretur, redderet vitam monaſticam ſummè difficilem, & ideò non debet fingi, niſi litera clariſſimè pateat: cumque nulla hujus ſervitutis in poſſeſſione mentio fiat, omninò illa neganda eſt. *Addo tamen juxta ea quæ in comment. numer.* 1582. *& ſeqq.* ſtatui, Præpoſitum, Suppriorem, Decanos, Oeconomum, univerſos communitatis Adminiſtros, omneſque illos, qui habent authoritatem ab Abbate delegatam, non poſſe illi non obedire; rationem ibi dedimus & reſumemus breviter. Nam poſſem dicere Præpoſito inobedienti; Aut es Monaſterii Prior, vel non; ergo ſi es Prior, Abbas eſt ille qui te elegit; non enim ab alio eligitur Prior, quàm ab Abbate. Ergo quamdiu te Priorem credis, non potes illum eſſe Abbatem decredere. Ergo nec negare obedientiam; illi enim quem eſſe abbatem credis, debes obtemperare.

DCCXVII *An Abbas actus internos præcipere poſſit?*

EXISTIMO QUARTÒ, *Abbatem non poſſe præcipere actus internos, ſi ſemel ponamus opinionem communem, quæ docet de occultis hoc eſt merè internis actionibus, homines non judicare.* Ut hoc intelligas, notare debes, tres eſſe authorum opiniones circa poteſtatem Antiſtitum. Alii dicunt ab eis non niſi actus purè externos præcipi; Alii poſſe & mixtos; Alii poſſe etiam directè purè internos. Prima igitur ſententiâ ſuppoſitâ, ceſſat quæſtio.

Dices; adhuc prima ſententiâ poſi-

Digitized by Google

poſitâ te poſſe promittere obedientiam in actuum internorum materiâ; nam tibi liberum illos elicere & non elicere; & tibi utile tales faciendos DEO promittere; & ſi hoc verum, cur non etiam poteris promittere Deo orationem mentalem quandocunque tibi illam Petrus præcipiat, ſive quod idem eſt, cur non poteris vovere Deo, quòd obedies Petro quotiescunque tibi indicat orationem mentalem?

Reſpondeo omnia eſſe vera, ſi agatur de ſimplici voto, falſa ſi de ſolenni: nam votū ſolenne, quod fit approbante Eccleſiâ, debet habere materiam, quam poſſit Eccleſia cognoſcere & dijudicare. Cùm igitur tota Abbatum authoritas emanet à voto ſolenni, cur poſſint actus purè internos præcipere poſitâ primâ opinione non intelligo.

DCCXVIII. *An Abbas præcipere poſſit actus mixtos?*

EXISTIMO QUINTÒ, *poſſe Abbatem, ſi ſecunda ſupponatur ſententia, præcipere actus mixtos directè non tamen merè internos.* Et oſtenditur; quia ſunt aliqua in Regulâ, quæ actus mixtos concernunt, & tunc viderentur habere præcepti naturam. Tale eſſet illud Cap.XIX. *Sic ſtemus ad pſallendum, ut mēs noſtra concordet voci noſtræ.* Ubi talem à D. Patre orationem indici, ex mentali & vocali coalitam, ſi admittatur hypotheſis, tam clarum eſt, ut probatione non indigeat.

Qualem orationem præceperit D. Benedictus?

De actibus purè internis.

EXISTIMO SEXTÒ *poſſe Abbatem; ſi tertiam opinionem ponamus, actus purè internos præcipere.* Multos quidem directè & abſolutè, alios reſpectivè & indirectè. Directè quidem Præpoſito, ut talem opinionem probabilem teneat etiam internè, quoniam Cap.LXIV. dicitur, *Dum contraria ſibi invicem Abbas Præpoſitusque ſentiunt, & ipſorum neceſſe eſt ſub hac diſſenſione animas periclitari.* Abbas ergo, ne Præpoſiti periclitetur anima, poſſet præire viam opinionum, & illi injungere quid deberet ſentire aut aſſerere. De reliquis non dantur textus tam expreſſi in Regulâ, adeòque non eſſet omninò aſſerendum poſſe Abbatem directè illis opiniones indicere, at indirectè poſſe videretur clariſſimè oſtendi. Abbas enim directè poteſt omnia & ſingula, quæ ſunt in Regulâ, & indirectè omnia quæ ordinantur ad eorundem obſervantiam perfectionemque; atqui non ſolum res externæ, ſed actus interni præcipuè poſſunt ad illam ordinari: ergo & illos poſſet indirectè præcipere. Probatur minor. Quia multæ ſunt opiniones probabiles, quæ poſſunt ad quietem animorum, pacem conſcientiæ, & puriorem votorum obſervantiam conducere: ergo illas poſſet Abbas indicere, interdicendo ne quis ſubditus audeat conſentire contrariis.

An Prior poſſit diſſentire ab Abbate?

DCCXIX. *An parvæ ſub mortali præcipi queant?*

EXISTIMO SEPTIMÒ, *impoſſibile eſſe præceptum validum & legitimum, quod rem levem ſub culpa gravi inhibeat.* Eſt enim communis ſententia, quæ ſummi rigoris & intolerabilis tyrannidis arguit univerſos Antiſtites, qui cruces & extremas ſententias corporaliter, excommunicationes & graves etiam culpas ſpiritualiter, in quâlibet levi materiâ minari & obiicere ſolent. Nota tamē poſſe rem intrinſecè levē, eſſe gravē extrinſecè, ratione periculi aut ſcādali.

Magnitudo extrinſeca.

EXISTIMO OCTAVÒ, *Eſſe probabilem ſententiam, quæ docet poſſe in materia gravi leviter obligare; probabiliorem quæ non poſſe.* Sed de hoc jam in Commentarii num.41.

De Iure ſecreti. *An cedere poſſit Religioſus?*

EXISTIMO NONÒ, *poſſe Religioſum ſecreti & fraternæ correptionis jure cedere, & talem eſſe poſſe ceſſionem, ex vi cujus ſecretæ culpæ habeant publicas pœnas.* Patet; quoniam hujuſmodi ceſſio apud

Pa-

Patres Jeſuitas in uſu eſt, & tametſi aliquas ipſa limitationes habeat, poſſet latiùs admitti.

DCCXX. *An ceſſerint Benedictini?*

Existimo decimò, *non dari talem ceſsionem apud Benedictinos, imò correptionem ipſam à Chriſto Domino inſtitutam, præcipi lege regulari.* Vide omnia, quæ de hac materiâ in meo Commentario à num. 1677. per multa folia pertractavi.

Sed obiicis verba Foreri S.J. qui in Theſibus de Abbatibus & aliis regularium Prælatis defenſis & impreſſis Dilingæ anno 1620. ſic inquit. Ad denuntiationem Evangelicam, ut vocant, Abbati, ut Patri faciendam, non neceſſariò prærequiritur admonitio ſecreta, ſive delinquens emendatus ſit, ſive non; quando per Prælatum commodiùs emendatur: etiamſi id in aliquâ Religione peculiariter ſtatutum non ſit. Unde licitum eſt cuivis Religioſo, in quem aut quorum quo, graviter aut leviter, etiam occultè, alius frater peccavit; crimen illud Abbati prudenti ac manſueto velut Patri deferre non præmiſſâ ſecretâ monitione.

DCCXXI. Confirmat ex S. Thomâ 22. *q.* 33 *a.* 7. *ad* 3. *& a.* 8. *ad* 4. *& qu.* 68. *art.* 1 *ad.* 3. & clarius *quodl.* 11 *a.* 13. & alibi ſæpè docente ordinem correctionis fraternæ à Chriſto Matth. 18. præſcriptum, *ſi peccaverit in te frater tuus, &c.* non habere locum, quando bono Communitatis periculum imminet, ut planè fit in peccatis Religioſorũ, quibus non tantùm in te, ſed etiam in alios peccat frater tuus, & ideò fas eſſe priùs dicere Prælato, ſecundum quod Prælatus eſt quædam ſingularis perſona, quæ magis poſſit prodeſſe, quàm alii.

Fraterna correctio non habet locum contra Communitatem.

An Religioſi ſint domini famæ?

Confirmas ſecundò. quia tametſi ſint Religioſi domini ſuæ famæ, cui per obedientiam non renuntient, præferendum tamen eſt bonum Religionis totius, bono famæ privatæ. Ut verò Religioſi hoc quaſi virtuale pactum per obedientiæ votum cum Religione ineunt, ut propter ejus bonum aliquod famæ ſuæ detrimentum patiantur non inviti, ſi id prudenti Superiori neceſſarium videbitur, cùm ei non tantum, ut Rectori ſæculari, incumbat facere bonum civem, ſed etiam bonum Religioſum, & virum perfectum; perfectionis autem ſtudio impedimentum magnum afferunt etiam leves defectus, ſi tolerentur; quibus tamen efficax remedium ſperari nequit, niſi à Prælato.

DCCXXII. *An in Societate admittatur correctio fraterna?*

Confirmas tertiò, Quoniam aliquæ Religiones (ut ſocietas JESU regul. 9. Summarii) ſtatuerunt, ut omnes errores alicuiꝰ extra confeſſionem cogniti manifeſtentur ſuperiori; & cenſendæ hoc ſtatuiſſe ob graviſſimas cauſas, & inter præcipuas, quòd clarè prævidierint, valde raro inter pares in Religione fructuoſè adhiberi ſecretas correctiones, & multas inde contentiones ac diſſidia oriri, longèq; dexteriùs id à prudenti & manſueto Prælato, (qui ut loquitur c. hoc videtur 22. *q.* 5. *tanquam Pater nolit obeſſe, & poſsit prodeſſe*, & quales omnes Religionum Prælatos eſſe præſumendum eſt) fieri poſſe, quàm ab alio. Plures rationes & autoritates pro hâc ſententiâ aſſeris inveniri apud Aloys. Turrianum 2. 2. D. 89. d. 4. quam & ipſe ſequitur. Et Statutis Præmonſtratenſis Ordinis valde conformem exiſtimas, ſubſcribiſque Layrvelſio in Optic. ſpec, 75. inſtit. 9.

DCCXXIII. *Fraterna correptio debet obſervari in Ordine D. Benedicti.*

Reſpondeo correctionem fraternam omninò ſervandam in Ordine Benedictino, nec contrarium à Forero probari, cui non eſt credendum ut Oraculo ſed ut Doctori; hoc eſt, non dicẽti, ſed fortibus argumẽtis probãti.

Digitized by Google

Ad primam confirmationem fateor fraternam correptionem non habere locum quando Communitati periculum imminet,& in tali caſu quemcumque religioſum in confratres peccare, adeo-que poſſe ante correctionem fraternam ad Prælatum quà Patrem deferri. Nego tamen ſemper imminere tale periculum: quia in peccatis omninò ſecretis nullum eſt periculum dedecoris; & in illis quæ ſine complice commiſſa, nullum eſt periculum infectionis. Accedit, quòd non ſemper correptio ipſa fraterna utiliùs fiat à Prælato, quàm à confratre; quia inter homines generoſos hæ delationes ingratiſſimæ ſunt, habentur delatores infames, & ignominioſis nominibus afficiuntur (dicuntur enim *Inſufflatores, Tebellarij*, &c.) ab univerſis caventur & vitantur, ſi timeri incipiant, & ſint de ſimilibus depoſitionibus ſuſpecti; unde intempeſtis delationibus aut traductionibus multam Monaſterii pacẽ perdi, totam periclitari, manifeſtũ eſt.

Ab utro utiliùs fiat correctio: à Prælato-ne an à Confratre?

Ad confirmationem ſecundam dico me non admittere omnia peccata eſſe contra bonum publicum, nec cognoſcere illud pactum implicitum & virtuale factum cum Religione, vi cujus poſſit Petrus cum honoris detrimento corripi, ſi poſſit ſine detrimento. Nec video cur Petrus non poſſit bonus religioſ⁹ fieri etiam Evangelicæ correptionis ordine diligenter ſervato: & hoc præcipuè in Ordine Benedictino, in quo ſervatur Regula, quæ ſæpe præcipit correctionem fraternam.

An omnia peccata ſint contra bonum publicum? An detur pactum implicitum de non ſervanda correctione fraterna? DCCXXIV.

Ad confirmationem tertiam dico me omninò ignorare Religiones aliquas dari, quæ correptionis fraternæ ordinem non obſervent, puto enim eſſe unam & ſolam ſocietatem; ſed hoc non urgeo, ſunto igitur aliquæ, ſi velis, modò inter ipſas non enumeres Benedictinam. Habuiſſe Societatem rationes graviſſimas, ut vel jure ſecreti cederet, vel quod in idem recidit, Statutum admitteret præcipiens omnia immediatè Rectori denuntiari, non nego, & ſuperſtitioſus dicar ſi illas inquiram. Patres Jeſuitæ ſuarum ſunt operationum domini, ſicut & nos noſtrarum; nec debent ſe regere rationibus noſtrâ ſententiâ gravibus, ſed ſuâ; ſicut nec nos gravibus ſuâ ſententiâ, ſed noſtrâ. At illos non habuiſſe illam rationem, quam adſumis videtur poſſe clarè oſtendi. Quia ſi valde rarò inter pares in Religione adhibentur fraternæ correptiones cum fructu; rariùs omninò adhibebũtur fructuosè inter pares homines ſæculares; inter quos frequentiùs contentiones & diſſidia oboriuntur: ac per conſequens dicendus eſt erraſſe Chriſtus, qui nocivam fraternam correctionem inſtituit, aut fortè à naturâ inſtitutam lege Evangelicâ, tametſi perniitioſam, confirmavit. Ne igitur hanc Chriſto inferamus injuriam, dicendum fraternam correptionem, ſi ordine evangelico fiat, bonam eſſe, nullis periculis obnoxiam, utilem augendæ charitati; potuiſſe tamen omitti apud Patres Jeſuitas ſpe majoris boni; non enim ſolùm laudantur, qui declinant à malo & faciunt bonum, ſed & illi qui declinant à bono ut melius faciant: & quidem à confratre corripi evangelicum & durum; at à confratre denuntiari & corripi à Prælato duriùs omninò, & ſupra evangelicas obligationes. Ad quam eminentiam virtutis nemo cogi debet invitus, & quidem Benedictini cedere ſecreti jure nolunt, cogi non poſſunt.

Nec

DCCXXV *An correctio fraterna ſervetur apud Præmonſtratenſes.* Nec Judico Layruelzii opinionem apud Præmonſtratenſes obtinere, nec ſi ſuo velint ipſi jure cedere, me habebunt remoram aut promotorem, res enim magni momenti eſt, nec debet temerè ſuaderi aut diſſuaderi. Et in omni dubio ſtandum religioſo pro libertate, Religioni pro avitis & præſcriptis moribus, in quibus nihil omninò, quod ſciam, fraternæ correptioni adverſarium.

Objectio. *Iam Benedictinarum* legum peritior inſtas, & omnia quæ de correctione fraternâ ex Regula afferuntur, te legiſſe teſtaris, & obſervaſſe omnes correctiones illas ab uno & ſolo Prælato regulariter fieri. Et ideò infers nulli particulari licere fraternè corripere juxta Regulam Benedictinam.

Confirmatio. Confirmas hanc rationem, quia datur in eâdem Regulâ expreſſum Caput, quod correptionem fraternam interdicat; & certum eſt, qui legem illam acceptarunt, non potuiſſe jure fraternæ correctionis non cedere. Aſſumptum probas, quia caput LXX. inſcribitur, *ut non præſumat quiſquam aliquem paſſim cedere aut excommunicare.*

DCCXXVI. *Reſpondeo.* *Reſpondeo* S. Benedictum noluiſſe, ut vel abbas publicè corriperet, quem poſſet ſecreta correptione emendare; adeò-que à fortiori credendum non voluiſſe duos habere peccati notitiam, ſi unus corrigendo ſufficeret.

Ad confirmationem dico illo capite non interdici correptionem fraternam, ſed juridicam, quæ fit cum juriſdictionis poteſtate; nam eſſet male gubernata civitas, in quâ cuicumque civi ſceleratos ſtrangulare aut decapitare liceret; adeòque & monaſterium, in quo unicuique licitum confratribus pœnitentias imponere ob negligentias regulares. *Non licet unicuique juridicè punire & caſtigare.*

Arguis iterum, quia ſinguli tenentur ſuas culpas etſi ſecretas Abbati renuntiare, ergo & confratrum. Patet conſequentia; quia durius eſt proprias miſerias, quam alienas detegere, & cui duriora injuncta, non debent minùs dura negari. Aſſumptum probas, quia Capite IV. S. Reg. legitur, *Cogitationes malas* (an ſecretiores actus eſſe poſſunt?) *cordi ſuo advenientes, mox ad Chriſtum allidere; & ſeniori ſpirituali patefacere.* Et ne dubitem, quid ſenioris nomine intelligendum ſit, producis Caput VII. & ex illo hanc periodum, *Quintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo advenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa, per humilem confeſſionem Abbati non celaverit ſuo.* Qui cùm ſoleret non eſſe ſacerdos, non poteſt intelligi de confeſſione ſacramentali. Et tandem, ut intentum confirmes, alias hinc inde ſparſas clauſulas in idem recidentes congeris. DCCXXVII. *Objectio altera à minori ad majus.* *Senior in Regula Benedictina quis?* *An Abbates fuerint ſacerdotes?*

Reſpondeo hæc Capita, quæ citas, non eſſe præceptiva ſed inſtructiva & doctrinalia; nam in Benedictina Regula dantur Hiſtorica, Doctrinalia, Conſultiva, & Præceptiva, non enim præcipiuntur, omnia quæ vel referuntur vel narrantur. DCCXXVIII. *In Regula S. Benedicti dantur Præcepta, Conſilia, & Doctrinæ.*

Ut eſſent Præceptiva omnia, conſequentiam negarem; ego enim ſum mei ſecreti dominus, non alieni: nec à duriori obligatione ad minùs duram valet conſequentia; durius enim eſt jejunare, legere horas, ignoſcere inimico, continentiam ſervare, quàm dare unum imperialem huic pauperi; ergo ſi tenetur facere minus dura qui duriora, ſacerdos qui duriora illa ſervare debet, tenebitur omninò illam eleemoſynā non negare; quod nemo admittet. *Nemo eſt ſecreti alieni dominus.* *Argumentum à minori ad majus ſæpe inefficax.*

Reſolutionem meam, quæ docuit non poſſe fraternam correptionem *Non poteſt omitti Cor-*

rectio fraterna in Ordine Benedictino. à Benedictinis intermitti, firmo Patrum Caſſinienſium decreto, quorum expoſitiones 13. Aprilis 1578. Gregorius XIII. ſpeciali diplomate approbavit; hi enim Caput XXV. Regulæ, quod *De gravioribus culpis* inſcribitur, illuſtrarũt his verbis. *Si delictum aut transgreſſio hujusmodi ſecreta fuerit, ſecretò quoque taxatam pœnitentiam facere non poſtponat; nec aliter à quoquam, etiam à Prælato diſpenſari valeat, niſi pœnitentia per ordinationes ſtatuta, eſſet publicè peragenda, ut puta in terra in refectorio comedere, quo in caſu in aliam ſecretam commutari poſſit. Si verò manifeſtum delictum aut transgreſſio ipſa fuerit, publicè etiam ſecundum taxatam pœnitentiam pœniteat.* Ubi clariſſimè conſpicitur, quàm tenaciter Benedictini jus ſecreti ſervandi à Natura Deo in nativitate conceſſum, & à Chriſto Domino ſpeciali lege firmatum, manutenant.

DCCXXIX. *Objectio.* ROGAS, quî intelligendi veniant Patres Benedictino-Ciſtercienſes Germani, qui in Provinciali Capitulo Furſtenveldiæ apud Bavaros anno 1595. celebrato, videntur ita ſecreti immemores, ut vix Sacramentale conſervent. Ipſi *enim §. de confeſſione* aliquas ſalutares leges inſcribunt, Caſus poſtea ſummo reſervatos Pontifici ſcrupuloſè enumerant, reſervatos Capitulo Generali adjungunt, & tandem Abbati ordinario reſervatos. Et poſt multa ponunt Paragraphum *De pœnis & cenſuris*, ubi ab initio hæc lego. *Qui ex fratribus, tam Officiariis, quam aliis Religioſis, & Monialibꝰ, commiſerit caſus reſervatos S. ſedi Apoſtolicæ, vel capitulo Generali vel nobis; maximè verò, qui hæreſis, homicidii voluntarii, Simoniæ realis, ſacrilegii, vel alicujꝰ enormiũ aliorũ criminũ rei fuerint, voce activa & paſſiva perpetuò privati ſint, ſtrictioribꝰ mãcipetur carceribꝰ, per hebdomadã in pane doloris & aqua triſtitiæ jejunet, &c.* Et ſic ulteriùs per alios caſus reſervatos diſcurrũt & publicas omnibus & ſingulis pœnitẽtias imponunt, & ſi opus fuerit brachii ſæcularis auxiliũ ut pœnitentias acceptare & facere cogantur, requirunt. Nulla igitur iſtis bonis Patribus, nulla Edmundo à Cruce Abbati Ciſtertienſi cura de ſigillo ſecreti, & quod mirabilius omninò eſt, nulla cura ſigilli Sacramentalis, quod in confeſſione & pœnitentiâ pro reſervatis caſibus imponendâ requiritur.

At ego ſincerè dico nihil me reperire in dictis, quod militet contra ſecreti religionem. Diſcurro ſic. Argumẽtum, quod nimium probat, nihil probat; atqui Ciſtertienſiũ lex, prout exponitur à te, nimium probat: ergo nihil probat. Suadetur minor. Probat enim non dari apud Ciſtertienſes in pœnitentiæ Sacramento ſecreti obſervandi obligationem, quod nimium eſt: nam ſi peccatis reſervatis ſecretis, quorum notitia non aliter quàm per confeſſionem haberi poteſt, pœnæ publicæ determinantur, ſigillum ſacramentale excidere neceſſarium eſt. Cùm igitur expoſitio illa tua ſuſtineri non poſſit, & tamen littera debeat admitti, neceſſarium eſt expoſitionem aliam dare. Dico igitur illud Provintiale capitulum non alios caſus, quàm publicos & notorios reſervaſſe, adeòque illis meritò pœnas publicas impoſuiſſe. Addo ſine Patrum injuriâ ſecretorum criminum reſervationem publicæ annexam pœnitentiæ defendi non poſſe. DCCXXX *Ratio, quæ nimium probat, nihil probat.* *Reſponſio.*

DCCXXXI. *Objectio altera.* *Dicet aliquis.* A Patribus caſus illos fuiſſe reſervatos ſeu publicè ſeu ſecretò commiſſos; poſteà pœnas publicas impoſitas non omnibus, ſed illis, qui publicos commiſerint; illos verò qui ſecretos, ad ſuos Confeſſarios & ſecre-

tæ

Reſponſio. tæ tribunal confeſſionis remitti. *Dicet hæc* quidem aliquis, ſed non probabit. Sane Patres non diſtinguunt; & ſiquidem de eiſdem omninò caſibus debent intelligi in utroque paragrapho (nempe §. De *Caſibus reſervatis*, & §. *De pœnis & cenſuris*) opus eſt, ut vel utrobique intelligantur de publicis, vel utrobiq; de ſecretis, vel tandem utrobique de omnibus: Atqui in poſteriori non poſſunt de ſecretis intelligi; ergo nec in priori. Igitur non fuit illis animus reſervandi caſus occultos & ſecretos, ſed notorios & ſcandaloſos, qui in damnum Communitatis vergerent.

De rebus præterregularibus, & contra regularibus EXISTIMO UNDECIMÒ *non poſſe Prælatum præcipere res præter-regulares propter ſe ipſas, bene propter regulares. Addo non poſſe contra-regulares, niſi omnino id charitas exigat, ut fuit ſuperiùs declaratum.* De hac materiâ multa in Commentario, multa etiam in Scholio, quæ non debent exſcribi, cùm ibi poſſint facili negotio reperiri.

ARTICULUS VI.

De his, quibus iniuncta impoſſibilia quæ ſine certiſſimo vitæ periculo tentari non poſſunt.

DCCXXXII *An Carthuſiani teneantur abſtinere à carnibus.* TAm ſtrictum obedientiæ vinculum, ut vitæ periculum multi non caveant. Qui dicunt carnes eſſe neceſſarias recurādæ periclitanti valetudini, non permittent, articulum iſtum aliter incipiamus, quàm proponendo ſeveram Carthuſianorum obſervantiam, qui non jam lege privatâ, ſed communi & publicâ (tacitâ vel expreſsâ) ad impoſſibile tenentur; coguntur enim abſtinere à carnibus etiam cum certiſſimo vitæ diſpendio. At quia carnes non eſſe neceſſarias, imò in caſu, quo quis longo tempore ab illis abſtinuerit, probabilius nocivas dijudico, non puto tam eſſe duram illam legem; ſed dabo alias, quæ non poſſint dulceſcere, non enim mortis periculum naturaliter poſſunt eliminare. *An carnes ſint ad vitæ conſervationem neceſſariæ?*

Proponam primò Abbatem Paulum, cujus fit mentio in vitis Patrum part. 2. §26. cui cùm Joannes Monachus miſſus ut fœnum quæreret, dixiſſet viam à Leænâ obſeſſam, & ſubinde præceptum impoſſibile indixit, ut ſi illa irrueret, apprehenderet, & in monaſterium adduceret. His auditis redit in montem Monachus, & intrepidus à leænâ invaditur, illam apprehenſurus expectat; colluctatur fortiter, ſed fruſtra. Tandem illa exſpes prædæ, ſibi conſulit, & in avia revertitur. Perſequitur fugientem ille, ſed quia velociorem, quam curſu non poterat adſequi, adliciebat his verbis, *Præcepit Abbas meus, ut alligatam perducam te ad eum.* Mira res! obliviſcitur ingeniti furoris ferociſſima animans, hæret, ligatur, & ducitur in Monaſterium. *Leæna ligatur, & in Monaſterium conducitur.*

DCCXXXIII An hoc ſenſu Regulæ Benedictinæ caput exponendum? Severa eſſet reſolutio, quæ aſſereret, & tamē poſſet bene probari. Vel attende. Maurus erat Monachus ſimilis nobis, eodem jure profeſſionis obſtrictus, eidem Regulæ obnoxius, & tamen cum puer Placidus malitiâ gurgitis obreptus periclitaretur, ſuſcepit præceptum extrahendi puerum periclitantem. Et tamen ſine extremo periculo ingredi undarum verticem non poterat, in quo Placidus periclitabatur. Obedit Maurus; ſanguinem pro Chriſto effuſurum liberavit ab undis, ſe periculo mortis expoſuit, ut ſatisfaceret præcepto Abbatis. Ergo poterat iſte etiam cum vitæ pe- *Maurus juſſus ſuper aquas deambulat.*

tæ periculo obligare. Sed his non obſtantibus ſit

DCCXXXIV. Reſolutio. CONCLUSIO. *Nemo tenetur Abbati ſuo obedire cum certiſſimo vitæ periculo.* Ratio eſt; quia omnes obſtringimur quinto Decalogi præcepto, cui obedire debemus, & peccaremus ſi vitam certiſſimo periculo exponeremus, hoc eſt, prodigeremus ſine causâ. [Certiſſimum dico quod evidens: nam periculum probabile non eſt certiſſimum.]

Periculum certiſſimũ quid?

Nec urgent allata in contrarium; quia Petrus dixit Domino, ut juberetur venire ſuper undas, & juſſus potuit licitè Chriſto confidere, cujus cognoverat Divinitatem, ergo & Maurus, qui benè exploratam habebat B. Benedicti prudentiam ſanctitatemque potuit ſupponere nihil illicitum præcipi à viro ſancto, nihil periculoſum à prudenti, & præſumere eſſe illuminationẽ & promiſſionẽ ſecuritatis revelatam divinitùs, & ex vi illius obedire Prælato. Idem de Joanne dico. Idem de noſtris ſubditis non dico, non enim Prælati ſumus hodie Benedicti vel Pauli. Accedit, multa interdum fieri ſincero animo & ex inadvertentiâ, aut ex inculpabili ignorantiâ, quæ non poſſint licitè ſi deliberatè. Et quia de S. Mauro agimus, ejus obedientiam expono verbis S. Gregorii Papæ. Et quidem libri II. Dialogorum capite VII. hæc lego. *Res mira; & poſt Petrum Apoſtolum inuſitata! Benedictione enim poſtulata atque percepta ad Patris ſui imperium concitus perrexit Maurus. Itaque usque ad eum locum, quo ab unda deducebatur puer, per terrã ſe ire exiſtimans* (N.B.) *ſuper aquam cucurrit, eumque per capillos tenens curſu rapido rediit. Qui mox ut terram tetigit, ad ſe reverſus* (N.B.) *poſt tergum reſpexit, & quia ſuper aquas cucurriſſet agnovit, & quod præſumere non potuiſſet, ut fieret* (N.B.) *miratus extremuit factum. Sic Gregorius.*

ARTICULUS VII.

De his, quibus iniunguntur probabiliter mala, hoc eſt, impoſſibilia, quæ ſine probabili peccato fieri non poſſunt.

NOn eſt inferioris & ſubditi affectare judicium, & cauſas legum diſcutere aut examinare. Res quę poſſunt eſſe malæ & bonæ, quæq; male & benè præcipi, debẽt bonæ & bene præceptæ cenſeri, quouſq; malę eſſe; aut ſi bonę, malè indictę videãtur. *Hujꝰ* fuit ſentẽtię noſter Mellifluus Doctor, qui Epiſtola VII ſic inquit, *ſi qui ſimpliciter, nihilque ſuſpicantes mali, male licet proficiſcentem ſequuti ſunt, putantes cum Epiſcopi Lingonenſis & Abbatis Ciſtertienſis (nam utrique debitor erat) licentia proficiſci (quod utique nõnullos de illo comitatu ſic crediſſe incredibile non eſt) noſtra illos non tangit reprebenſio, dummodò ubi compererint, ſine mora regrediantur. Igitur adverſus illos tantùm, imò pro illis ſermo eſt nobis, qui ſcientes & prudentes miſerunt manum in ignem, conſcij præſumptionis, &c.* Nota illas voces, *compererint, ſcientes, prudẽtes, conſcij,* omnes notitiam ſonant probabilitate majorem; poterant ergo religioſi illi, aſſerente Bernardo, obedire Prælato ſuo etſi probabiliter crederent malum ab illo præcipi, modo parati eſſent ab obedientiâ illâ deſiſtere, cum primum malum eſſe, quod præcipiebatur, conſtaret.

DCCXXXV. An ſubditus leges poſſit Superioris diſcutere & dijudicare? Abbati male præcipienti poteſt bene obedire, qui præcepti neſcit iniquitatem.

Poteſt etiam ſubditus obedire præcipienti probabiliter mala.

Quod non debeat ſubditus adhibere particulare ſtudium, ut Abbatis ſui leges periclitetur, conſtat ex eadem Epiſtolâ, nam num. 12. ſic infit. *Nec dico à ſubditis mandata Præpoſitorum eſſe dijudican-*

Digitized by Google

dicanda ubi nihil juberi deprehenditur divinis Inſtitutis contrarium: ſed neceſſariam aſſero, & prudentiam qua advertatur ſi quid adverſatur, & libertatem qua ingenuè contemnatur. Ut igitur conſonemus poſitæ Bernardi doctrinæ, Concluſiones nonnullas proponamus.

DCCXXXVI. *Obedientia in materia probabili.* Conclusio I. *Poteſt tuta conſcientia ſubditus obedire Prælato etiam in materia probabiliter peccaminoſa, & hoc in omni Religione.* Patet; quia, quæ probabiliter ſunt mala, etiam probabiliter ſunt non mala, & vnusquisque ſuam poteſt probabilitatem ſequi, & ampleсti non mala.

Stando uni & ſoli Regulæ Benedictinæ videri alicui poſſet ſubditus debere obedire Prælato etiam materia probabiliter mala. Quod & poſſet ſuaderi, quia de hac materiâ caput illud LXVIII. aptiſſimè exponitur; illa enim ſubditus impoſſibilia judicat, quæ putat ſe non poſſe facere; & ſanè ſe non poſſe facere exiſtimat, quæ probabiliter judicat peccaminoſa. Hoc ergo radio inſtructi, totũ illud caput reſcribẽdo, & pauca inſerẽdo, exponamꝰ. *Exponitur Regulæ Textus.* Sit titulꝰ: ***Si fratri impoſſibilia nimirùm, quæ facere ſine probabili culpa nõ poſſit, injungãtur.*** Et textus, *Si cui fratri aliqua fortè probabiliter gravia, mortifera, aut regulariter impoſſibilia, quæ probabiliter ſint talia, ut ſine peccato ſaltem materiali fieri non poſſint, injungantur; ſuſcipiat quidem jubentis imperium cum omni manſuetudine & obedientia. Quod ſi ita adhæreat ſeveriori ſententiæ, nempe actionem præceptam de peccato accuſanti, ut omninò ingenij ſui vires & menſuram excedat contraria ſententia nec ille valeat aſſentiri; impoſſibilitatis ſuæ cauſas rationes & fundamenta, ei qui ſibi præeſt, patienter & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo aut reſiſtendo, vel contradicendo. Quod ſi examinata rationum objectarum efficacia poſt ſuggeſtionem adhuc illam in priori ſententia Superioris imperium perduraverit, ſciat junior ita ſibi expedire, ſententiam mutet, ſubſcribat Superioris dictamini, & ex charitate & DEI adjutorio confidens diligenter obediat.*

Scio multas hodie in ſcholâ ſolere propugnari ſententias minoribus fundamentis ſubſtructas, quàm præcedens; iis tamen non obſtantibus ſit

Conclusio II. ***Stando uni & ſoli Regulæ, non tenetur privatus Religioſus obedire Prælato probabiliter mala præcipienti.*** DCCXXXVII Oſtenditur; quia tametſi hæc ipſa ſtante illo dictamine, quo reprobantur, fieri non poſſint, probabile eſt non claudi impoſſibilium nomine de quibus agitur à S. Benedicto; & ratio eſt, quia impoſſibilitas rerum probabiliter illicitarum conſiſtit in licentiâ & dictamine, quia ſtante hoc, negatâ illâ ipſæ fieri non poſſunt; at impoſſibilitas rerum, de quibus agit noſter Legislator, conſiſtit potiùs in gravitate ponderis & laboris phyſici & phyſicâ virium tenuitate; ut conſtabit cuicumque, qui litteram examinare velit. Ergo.

Conclusio III. *Nulla apud Benedictinos lege aut ſtatuto decretum, ut Abbati probabiliter mala præcipienti obediatur.* DCCXXXVIII Oſtenditur; quia nullum apud Ciſtertienſes reperimus, nec ſcimus dari aliquod in aliqua ſancti Ordinis Congregatione. Accedit quod hæc rigida obedientia videatur eſſe characterica Patrum S. I. ut qui ſaltem cum ſunt ſtudioſi Juniores in rigore paupertatis ab aliis Religioſis ex-

exceduntur,in obedientiâ, quæ ſolennium virtutum eſt neceſſariſſima, univerſos excedunt. Vide meam Libram num. 6. ubi de Religionum diſtinctione.

CONCLUSIO IV. *Abbati præcipienti probabiliter mala Prior, Supprior, & Miniſtri alij debent obtemperare.* Eſt clara, & probata ſuperiùs. Ubi potes omnia illa legere, quæ tæderet huc ſecundò ponere. Vide Comm. num. 1582.

ARTICULUS VIII.

De his, quibus evidenter mala, hoc eſt Theologicè impoſſibilia, quæ ſine certiſſimo peccato committi non poſſunt, præcepta.

DCCXXXIX. *Mala, etiã impoſſibilia dici debent.* IMpoſſibile eſt,ut quis evidenter mala aut licitè, aut validè præcipiat, & impoſſibile quod aliquis in talibus licitè obediat. Unde bene Cardinalis in Caput IV. Regulæ D.Benedicti tract. 45.ſic inquit. *Indiſcreta* (obedientia) *quando aliquis obedit in illis, quæ divinæ legis regulæ contrariantur, quam* (legem) *oportet inviolabiliter obſervari: vel etiam quæ contrariantur Regulæ, quam profeſſus eſt,* (ſed hoc ipſum) *in ijs dumtaxat, quæ diſpenſationi Prælati non ſubduntur. Et ad hanc obedientiam nemo tenetur: imò quilibet tenetur eam non habere; quia, ut dicit Gregorius, nullus unquam per obedientiam malum facere debet. Sed quid ſi ex mandato Abbatis tenetur ſequi peccatum aliquod aut ſcandalum? ſuperſedendum videtur ab obedientia.*

Mala non poſſunt præcipi. Et ſi præcipiantur, debent omitti.

DCCXL. Subſcribit Melliſluo meo Bernardo Cardinalis, qui Adamum Abbati ſuo inobedienti obedientem reprehendit, carpit-que quod evidenter mala faciat, & tamen obediens dici velit. Epiſtolâ V. ſic inquit. *Valde autem perverſum eſt profiteri te obedientem, in quo noſceris Superiorem propter inferiorem, id eſt, divinam propter humanam ſolvere obedientiam. Quid enim? quod jubet homo, prohibet Deus; & ego audiam hominem, ſurdus Deo? Non ſic Apoſtoli: clamant quippe* (Actor.5.c.) *dicentes, Melius eſt obedire Deo, quàm hominibus. Hinc Dominus in Evangelio Phariſæos increpans* (Matth.15.a.) *quare vos, inquit, transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram. Et per Iſaiam*(29.d.)*ſine cauſa, ait, colunt me, mandata & doctrinas hominum tenentes. Et item ad Protoplaſtum* (Gen. 3.c.)*Pro eo quod obediſti voci uxoris tuæ plus quam meæ, maledicta terra in opere tuo. Igitur facere malum, quolibet etiam jubente, conſtat non eſſe obedientiam, ſed potiùs inobedientiam.* Et paulò poſt. *Liquet tamen hujusmodi juſsioni non fuiſſe obtẽperandum, Deo quippe imperante contrarias. Item Majorum Inſtitutis minorum non eſſe præponenda, aut communibus privata non præjudicare imperia, quis dubitat? Nam ex Regula S.Benedicti*(Cap.LXXI.)*hoc habemus.* Quid periodos interlego? lege totam Epiſtolam; nulla enim linea, quæ non ſerviat huic veritati demonſtrandæ.

Debemus potiùs Deo obedire quàm Hominibus.

ARTICULUS IX.

An omnibus etiam & ſingulis, an ſolùm uni vel alteri impoſſibilia iniungi poſſint?

HUic quæſtioni Perezius in Reg. cap.68.num.2.reſpondet, & ait, *Aliud eſt loqui de præceptis & mandatis communibus, quæ concernunt omnes; aliud verò de particularibus & extraordinariis, quæ alia* DCCXLI.

Præcepta alia ſunt communia, alia particularia, extra-

extraordinariè particularibus imponuntur perſonis. Et licèt priora illa gravia eſſe non debeant, utpote quod lex communis omnium etiam debilium debet eſſe viribus attemperata: at poſteriora iſta duriſſima & acerbiſſima eſſe poſſunt, nimirùm pro excelſa virtutis præſtantia, quæ in privata perſona, vel præſumitur, vel tentatur, vel procuratur. Quibus verbis clariſſimè reſolvit impoſſibilia (id eſt ſummè difficilia) ex causâ privato Monacho injungi poſſe, ſed omnibus ſimul non poſſe.

Lex communis difficilis eſſe non debet: Particularis tamē poteſt.

ARTICULUS X.

An impoſſibilia iniungi debeant?

DCCXLII DEbent Monachi ſinguli ſecundum Regulam Benedictinam obedire, debent Prælati ſecundum eamdem jubere; adeoque prudenter poſſet aliquis examinare, An, non ſolùm inferior debeat obedire Superiori impoſſibilia præcipienti; ſed & Superior ipſe teneatur dura & impoſſibilia præcipere?

Reſolutio. Reſpondet huic dubio Antonius Perezius his verbis. *D. Pater non præcipit, ut alicui talia præcepta imponantur, hoc eſt, ut impoſſibilia imperentur, ſed tantùm conſtituit, quòd in caſu & data hypotheſi quòd imperentur, non repugnetur. Quaſi diceret, dato per poſſibile, vel impoſſibile, quòd Monacho impoſſibilia injūgantur, volumus & decernimus, ut Monachus non repugnet, neque procaciter abnuat, ſed quod demiſſè admodum & humiliter ſuam imbecillitatem aperiat Abbati, cui adhuc perſiſtenti in mandati tenore obediat, quoad ejus fieri poterit.*

ARTICULUS XI.

An impoſſibilia iniungi ſoleant?

QUinque inquis ſunt impoſſibilia, quæ tibi ſolent præcipi, ad quæ in conſcientiâ non ſolùm non teneris, ſed in quibus ſine peccato obedire non poſſis; & illa ſingulatim proponis. *Primò* enim tibi ſervire peſte infectis præcipitur, & in hoc te vitæ periculo exponi. *Secundò*, concionari, cùm inſuffiens ſis. *Tertiò*, eſſe Parrochum, cùm aliud omninò ſit vocari ad chorum, & aliud omninò diverſum vocari ad curam animarum; tu enim ad cœnobium veniſti, ut Deum noctu diuque laudares, non verò ut novis periculis implicareris. *Quartò* eſſe Monialium Patrem, cùm tamen tibi ſit neceſſarium omne fœmineum colloquium fugere, & lōgè abeſſe à periculo fragilitatis. *Quintò*, audire fœminarum confeſſiones; hoc eſt, verbis clarioribus, multiplicare tentationes, & tuam animam perdere, ut alias ſalves. *Et ego*, cum hæc audio, ſubrideo, & ad ſolamen tuum has reſolutiones appono. Sit

DCCXLIII *Impoſſibilia, quæ Monachis imponi ſolent.*

PRIMA. *Peſte graſſante in Monaſterio, infecti deſeri non poſſunt. Debet Abbas illis providere omnia neceſſaria, ad ſalutem corporis, omnia ad ſalutem animæ. Quodſi contingat nullum confeſſarium velle illos adire, tenetur Abbas illos adire perſonaliter & ſtu quanta adminiſtrare ſacramenta, etiam cum vita ſit manifeſto periculo. Quodſi nullus famulus tum pretio conductus velit eis miniſtrare, tenetur perſonaliter ipſis ſervire, & omnia neceſſaria, tam ad vitam, quàm ad ſolamen, quod tangat conſcientiam, miniſtrare.*

Tempore peſtis quanta Abbatis obligatio.

Digitized by Google

DCCXLIV Exponebat ſemel hanc obligationem Caicedus, Concionator eximius, ex ordine S. Dominici, in templo S. Stephani Salmanticenſi, & quia plurimis cenſura placuit, ut theſeos amaritudinem remittam, appoſitiſſimum hominis leporem adjungo. Sic ajebat. [Prælatus, peſte infecto ſervire debet, & ſi contagium timeat? cedat ergo Abbatiâ. At in tali occaſione non poteſt. Quid? neque hoc poteſt? hoc eſt eſſe Prælatum? Luego id a la horca, y buſcad un ladron que ſea Prelado. Ergo ite ad paribulum, & quærite qui fiat Prælatus.] Sanè ita eſt: pedum eſt patibulum, baculus crux: nec differunt rigore, ſed honore. Sanctum Inquiſitionis tribunal mitræ genus (*corozam* appellant Hiſpani) convicto & condemnato imponit: & quidem nobis jam convictis, jam morte damnatis mitra impoſita: qui tenemur vitam pro ovibus ponere, quin ad aliquod ſuperius tribunal poſſimus appellare, aut morari. Et obligationis indiſpenſabilem rigorem oſtendo.

Coroza apud Hiſpanos quid?

DCCVI. *Abbas eſt duplex perſona.* Prælatus in Monaſterio duas perſonas agit: eſt pater ſpiritualis, & politicus. Primo titulo tenetur affectivè per ſe aut per alium omnia animæ ſaluti neceſſaria ſuis ſubditis adminiſtrare. Secundo tenetur effectivè per ſe aut per alium corporalia. Quod ſi non detur alius per quem ſatisfacere poſſit, debet ipſemet ſatisfacere. Nec debet dicere ſibi præcipi rem impoſſibilem, nec poſſe invitum vitæ diſcrimini tam claro exponi. Non enim habet clamandi jus, qui conductus ſuam operam pretio locavit. Abbatialem ipſe dignitatem admiſit, onus honoremq; (Nota hoc bene) onus directè, honorem indirectè. Non enim creantur Abbates ut dentur qui habeant honorem ſplendoremque: ſed creantur, ut invigilent ſubditis, ut illis neceſſaria provideant, ut ſubeant parentum officium, & ne hoc onus nimis videatur grave, ut ſolet Saccharum amaræ pilulę, ita etiam oneri honor fuit additus.

An Prælatus teneatur per ſe ipſum ægrotis & aliis ſervire?

Pacto & contractui ſtandum.

Oneris & Honoris connexio.

Cur Oneri Honos additur?

SECUNDA. *Si Abbas perſonaliter occupatus ſit, in re quam differre non poteſt, nec per alium facere, poterit jubere alteri ut peſte infecto religioſo ſerviat, & in tali caſu ſi nullus ex devotione velit, is cui præcipitur, tenebitur omninò obedire.* Patet, quia confratres debent juvare Abbatem, nec æger debet deſeri propter unius ſubditi puſillanimitatem. Sed Abbas ſingulas poſitæ Theſeos circumſtantias conſideret. DCCXLVI.

An ſinguli teneantur ſervire ægrotis?

TERTIA. *Si in tali caſu nullum denominet, ex natura rei Prior in obligatione ſuccedit.* Et ratio eſt; quia ſicut honoris, ita etiam eſt oneris particeps. Nec tamen neceſſariò debet Abbas perſonaliter impeditus curam ægri Præpoſito committere, ſed poteſt alii; profeſſi enim ſumus ſecundum Regulam Benedictinam, quæ præcipit Præpoſito, ut nulli rei ſe intermiſceat ſine Abbatis licentiâ, & Abbati ut quod convenientius judicaverit, faciat.

An Prior?

QUARTA. *Poteſt Prælatus jubere cuicumque Religioſo, ut agat officium Paſtoris in Parrochia adnexa monaſterio.* Ego quidem inter Paſtoratus & Paſtoratus ſummam differentiam reperio; non poteſt Abbas ſuos Religioſos prodigere, poteſt impendere: hoc eſt, non poteſt invitos & ſine cauſa dare Epiſcopo, ut in paſtoratu, qui ad monaſterium non ſpectat, ſerviant; poteſt tamen illos etiam involuntarios in locis annexis monaſterio exponere. Debet enim ſua Abbas agere, & jura monaſterii con- DCCXLVII.

Duo dantur Parrochiarum genera.

Prælatus poteſt ſuos impendere & expendere non prodigere.

conſervare, & oneribus etiam ſatisfacere, nec in hunc finem Franciſcanos aut ſœculares quærere.

DCC-XLVIII. *An aliud ſit vocari ad chorum, & aliud ad curam Animarum?* Nec flocci eſt facienda illa ratio, quæ in dubitatione proponitur. Fateor enim aliud eſſe vocari ad monachatum, aliud ad paſtoratum; nego tamen te ad Monachatum tantùm vocatum; quia cùm dediſti nomen Communitati, quæ onerabatur choro & parrochiâ, voluiſti illi in alterutrâ functione ſervire: nam aliàs non fuiſſes ad profeſſionem admiſſus; illa enim non indigebat numero, ſed milite; non inquam homine, qui locum in refectorio occuparet, ſed qui pro rerum indigentiâ ſerviret. Hinc ſequitur

DCCIL. *Recenſentur nonnulla, quæ præcipi poſſunt Religioſis invitis.* Corollarium. *Poſſe nimirùm Prælatum jubere Religioſo etiam invito, ut ſit Pater Monialium in aceterio ſuo monaſterio adnexo. Vt concionetur, quando judicaverit congruum; ut audiat confeſſiones, cùm judicaverit rationi conſentaneum. Item, ut dicat tot aut tales miſſas pro tali, cui tenetur communitas. Vt doceat doctrinam Chriſtianam aut Grammaticam pueros, qui vel ſerviunt Monaſterio, vel ex liberalitate alicujus fundationis convivunt.* Et intra ſuum Monaſterium, *Vt iſte vel invitus ſit Prior, ille Supprior, alter Profeſſor Philoſophiæ, Theologiæ, aut in quocumque alio officio ſerviat.* Omnia unicâ ratione, eâque efficaciſſimâ probari poſſunt. Hæc enim & alia ſimilia ſunt onera Monaſterii, ad quæ plerumque illud ex juſtitiâ tenetur, quibus non poterit ſatisfieri, ſi unicuique ſit liberum ſe excuſare, & rem ſibi impoſſibilem dicere.

DCCL. *Nota hoc bene.* Si tibi videatur impoſſibile ſine conſcientiæ tuæ jacturâ audire Monialium, aut etiam aliarum Mulierum confeſſiones, Ego Prælatus tuus, exempli causâ, te decipi, cùm jubeo contrarium, perſuadeo. Igitur ſi hoc, grave quidem, & te judice impoſſibile injungitur, ſiquidem Deo & Hominibus ſatisfacere vis, ſuſcipe jubentis imperium cum omni manſuetudine, humilitate, reſignatione & obedientiâ. Quod ſi audire Mulierum confeſſiones virium tuarum pondus & robur excedere videatur, impotentiæ tuæ cauſam Mihi, qui loco Dei tibi præſum, expone, patienter opportunè, non ſuperbiendo, non reſiſtendo, non contradicendo. Sed jam feci, ais, nec proficio: urgeo, nec liberari poſſum. At repete quid dixeris, quid feceris; ut perſpicias te carere ratione. *Exponitur c.68. Reg.*

Suggeſſi, ais, meas miſerias, fragilitatem meam expoſui: nimirùm, me in ipſo confeſſionali turbari, excitari humores, & in miſerias incidere. Dixiſti fateor. Riſi ego. Si turbaris ſimilibus, arguis Deum, qui dedit tibi corpus carneum, cùm potuerit lapideum; qui tibi ad agonem majusque meritum concupiſcentiam reliquerit. Hęcne tua impoſſibilitas? Ego cõtrà definio nullum ibi peccandi periculum, ſummâ ſecuritatem eſſe, nõ enim apud Deum damnatur ſenſus ſed conſenſus. DEUS examinat renes & corda, non renes tantùm; & ſi illos, propter eorumdem & conſenſus concordiam. Concupiſcentiam, ait Synodus Tridentina, ad agonem (hoc eſt, ad majoris coronæ meritum) relictam, non conſentientibus, ſed per Dei gratiam reſiſtentibus nocere non poſſe. Adquieſce igitur dicenti Deo, nec ita velis caſtus eſſe, ut hæreticus ſis: ſentire DCCLI. *Non delinquitur ſenſu, ſed conſenſu.*

 enim

Digitized by Google

enim & non conſentire non eſt peccatum; quod ſi contrarium dicis, Heterodoxus es.

DCCLII. *An cogi, ut audiat confeſſiones poteſt, qui inde occaſione ſumpta in peccata conſentit?*

Sed addis, te aliquid omiſiſſe. Suggere confidenter. Scias enim me ad ſecretum teneri, nec poſſe ſine gravi peccato ſecreta in ſubditi damnum revelare. Illos carnis motus, quos patior, ais, non ſolùm ſentio, ſed illectus approbo, & conſentiendo pecco. Jam triumphas. Tibi impoſſibile præcipi oſtendis: peccas enim audiendo confeſſiones, nec tibi peccatum poteſt præcipi; nec tu teneris, ſi præcipiatur, obedire. Peccas, ut ais, & hic ego non jam video, ſed doleo. Credo tibi, tametſi decredere poſſem: non enim non timenti DEUM teneor credere: nam qui audes peccare in luxuriæ, etiam audebis in mendacii materiâ. Hoc non urgeo; mihi verax es, omnia credo. Sed cur peccas? quis te cogit? quis te inducit? quis te ſcandalizat? Quia obſcena audis, ideo obſcœna committis? hoc ſcandalum non jam datum, ſed receptum eſt. Conſequentia pulcherrima! Ideò tu debes peccare, quia tua pœnitens deteſtatur peccatum: ideò tu cadere, quia illa ſurgit: ideò inquinari, quia illa mundatur: & quia illa diſſentit, conſentire! Nonne vides te ex melle virus, ex alexipharmaco venenum, & ex alieno peccatorum dolore peccandi occaſionem exugere, non datam, non oblatam, ſed longè quæſitam, & contra ordinem rerum inventam? Corrige igitur laſcivientes potentias, corripe concupiſcentiam luxuriantem, caſtiga corpus tuum & in ſervitutem redige, ne cùm aliis prædicaveris, ipſe reprobus fias. Non niſi liberè committi poteſt culpa, non niſi voluntariò peccatum: & ſi noctua luce ſolis cœcutit, peſſimos habet oculos; & ſi tu contritione alienâ in peccatum induceris, & alienis lacrimis exſiccaris, habes aridiſſimam animam, peſſimam voluntatem. Interim indue te iſto cilicio; à vino quantum morbi permittant abſtine, hac diſciplinâ carnem ferocientem caſtiga, & ſiquidem in priori ſententiâ imperium meũ perdurat, ſcias ita tibi expedire, & ex charitate audentior, de Dei adjutoriò confidens humiliter & conſtanter obedias.

Scandalum eſt duplex receptum & datum.

DCCLIII *An cogi, ut audiat confeſſiones poteſt, qui ſe ignorantem judicat?*

Sed jam aliò recurris. Non fragilitatem, ſed ſolam ignorantiam cauſaris. Multa à te non intelligi dicis, & ſæpè neſcire quo te vertere debeas. Hoc non urget. Etiam Doctores eximii multa ignorant, ſæpè pœnitentes multa implicant. Quantum in hac materiâ poſſis examinavi; & non tu, ſed ego debeo Deo dare rationem inſufficientiæ tuæ; tu ſolius obedientiæ. Si ut juſſi diebus ſingulis unâ horâ Dianæ illam ſummam, quam doctiſſimo calamo ſcripſit Auſonius Noctinot, diligenter interlegas; ſi in confeſſione benè attendas; ſi pœnitentem per Decalogum dirigas; errare non poteris. Quod ſi reſtitutio aliqua facienda ſit, aut impedimentum aliquod examinandum, ſi ex tempore non poſſis reſolvere, ne ſententiam præcipites, ſed illi diem indicas, ut revertatur, & tu interim libros, aut aliquem doctiorem conſule.

An cogi ad concionandum poſſit, qui memoria laborat?

Jam adquieſcis, ſed ſuggeſtũ faſtîdis; & me tibi memoriâ laboranti conquereris onus contionandi injunxiſſe. Memoriæ defectum eſſe naturalem, nec ſubeſſe Superioris arbitrio. Hîc me habes; impoſſibilia injunxi, & ut putas, ad obedientiam non tenêris. At ego quantam memoriam habeas ſcio, quan-

Digitized by Google

quanta ſit opus non ignoro. Te fabulas eloquenter narrantem ſæpe audio, & ſicut nugas ex tempore, potes etiam aliquam hiſtoriam piam proponere & ornare in ſuggeſtu maximè cùm nec libri tibi deſint, nec tempus, ut poſſis hoc colore excuſari.

De valetudinis cura.

An in loco inſalubri habitare tuta conſcientia poſſim?

DCCLIV. Alius manet ſcrupulus? manet. Ergo illum evome, ut tibi ſatisfactum ſit, nec quidpiam inconcuſſum maneat. Sic inquis. Duas habet parrochias Monaſterium Arvenſem, Viridenſemque. Et morerer citò in alterutrâ; illa enim valde humida & paluſtris eſt, hæc ſingulis annis peſte infecta. An non ... quinto Decalogi præcepto vitam teneor defendere, & quantum poſſim prolongare? An tutâ conſcientiâ habitare potero in loco inſalubri, aut infecto? Et ſi cogar, An tenebor ſalutem meam exponere, & inviſere peſtiferâ lue laborantes? Et reſpondeo, te in circuitu agere, ſemper proficiſci, nunquam proficere, nunquam velle prodeſſe. Teneris inquam, & ſub mortifero teneris. Non fuit ſcripta Decalogi lex quinta, ut terrerentur homines, ſed ut docerentur non eſſe mortis & vitæ dominos, nec poſſe animas ſuas prodigere, ſed ſolummodò exponere, imò impendere poſſe. Teneris jubente ſuperiore, ire ad locum inſalubrem, imò infectum, ſi ibi negotia agenda, quæ monaſterium tangant. Si ſis Paſtor, peſtis tempore remanere teneris, & omnibus adminiſtrare, non tamen tam ſtrictè, quàm Abbas. Nam tibi peſte infecto tenebor ego aut per alium, & ſi non poſſim per alium, per me ipſum omnia adminiſtrare ſacramenta, quia pater tuus ſpiritualis ſum: adminiſtrare cibos & pharmaca, per me, ſi deſit alius qui velit hoc onus ſubire, quoniam pater politicus tuus ſum: at in parrochiâ tu ſpiritualis pater es, politicus pater non es; teneris infectis miniſtrare Sacramenta etiã cũ mortis manifeſto diſcrimine: at cibos & pharmaca miniſtrare non debes. Illos & iſta tenetur exhibere paterfamilias cui æger ſubeſt, hanc curam gerere debet Magiſtratus. Ego igitur pejoris conditionis ſum, & tamen in meâ vocatione ſine querimoniâ perſiſto; ergo & tu in tuâ ſine murmuratione permaneas. Scias tamen obiter ad majorem inſtructionem & lucem. *Si Paſtoratus non ſit monaſterij* (idem de Monialium aceterio ſit dictum) *te non teneri acceptare. Si acceptes, nec ab Epiſcopo abmoveri poſſis, in neceſſitatis tempore remanere debere. Quod ſi pro tempore determinato collatus tibi ſit, ita ut Epiſcopus ſpacio uniꝰ anni te abmovere nõ poſſit, poſtea poſſit: te acceptationis vi ejusdem anni ſpatio diſcedere non poſſe, poſteà poſſe, et ſi tempus iniquum ſit illud in quo Paſtoratum relinquis; nec ſecundo ab Epiſcopo oblatum te acceptare debere. Si poſſis abmoveri cùm Epiſcopus velit, te poſſe etiam cum volueris ad tuum monaſterium redire; nec debere tempore periculoſo manere, in oppido lue infecto. Belliq; tempore ſcias te obedire & ſervire debere eodem modo.*

Homo nec ſuæ vitæ eſt dominꝰ, nec ſervus: ſed uſufructuarius.

Strictiùs tenetur Abbas, quàm Parrochus.

De Parrochiis, quæ ad Monaſterium non pertinent.

Quicumq; Religioſus poteſt ab Epiſcopo rejici à Parrochia, poteſt à Prælato evocari.

DCCLV. Cùm igitur iſta omnia naſcantur ex ſolenni contractu & poſſint fieri, non ſunt phyſicè impoſſibilia, nec religioſo invito impoſita. Anno enim integro Novitius fuiſti, audiviſti conciones, vidiſti monaſterii confeſſionalia frequentari; eſſe Parrochias & Monialium monaſteria ſubdita non ignoraſti; Priorem, Suppriorem, & reliquos Communitatis Adminiſtros vidiſti: legiſti Regulam omnia hæc Abbatis prudentiæ committentem: Monialium Mona-

Onera omnia Communitatis in ſolenni Profeſſione acceptantur.

 na-

Digitized by Google

naſteriis ſœculares, aut Parrochiis aliorum ordinum Religioſos præfici non vidiſti: & tamen ſecundum Regulam, moribus hujus monaſterii expoſitam, profeſſus es: ergo omnia hæc in ſolenni profeſſione acceptaſti: Ergo ad omnia & ſingula ubi præcipiantur, teneris. *Obligatio Prælati.* Abbas autem viciſſim tenebitur bonum publicum & privatum reſpicere, nec exponere indignum, nec in promotione aut depoſitione alicujus humanis paſſionibus regi, ſed DEI unius cauſam agere, & charitatis conſervationem primariò, ſecundariò incrementum reſpicere.

HÆC

De Abbatum & ſubditorum obligationibus ſpecialiter dicta, facili negotio poterunt Epiſcopis & Pontificibus aptari: Hinc poterunt Prælati ſæculares ſuas etiam obligationes ſervata proportione metiri; nos, qui brevitati ſtudemus, ad ulteriora progredimur. *Notanda.*

*

FUNDAMENTUM XLI.

De Vindicativa Juſtitia.

DCCLVI. PEccat, Qui legem obligatoriam non ſervat; nimirum A in materia ſuæ ſubordinationis, nec contra Deum, nec prudentiam vergentem, poſſibilem, & ſibi notam. *Quid ſit peccatum? & quando committatur?* Non eſt innocens, qui B acceptat onus, cui ſe noſcit imparem. Damnum aut pœnam, quam quis ſua patitur culpa, ſibi C imputet: item ſuam C moram.

Pœna ſupponit culpam, & pœnalitas cauſam. Nemo ſine culpa luere debet D pœnam; nemo D ſine cauſa pœnalitatem; Humanitùs fieri non poteſt; ut ignorantia inſuperabilis ſit E culpa; aut juridicè perdere vitam, honoremve ſubſtantialem F pœnalitas. *An particularium actus noceant Communitati?* Non debet delictum unius particularis in detrimentum G alterius particularis, aut etiam Communitatis H redundare.

Venia I nulli pertinaci conceditur. Nemo debet cùm alterius K injuria creſcere. Nemo ob virtutem L propriam, aut malitiam G alienam puniri. *De pœna & præmio.* Nemo præmio ob propriam N malitiam donatur. Omnis, qui M ſubit laborem, debet frui commodis labori adnexis; *Æquitas.* omnis, qui fruitur commodis, debet ſubire M laborem eis adjunctum.

DCCLVII A. CLara peccati deſcriptio eſt, nec debet ad majores difficultates redigi. Ratio peccati nõ cõſiſtit in oppoſitione actus virtutisq; ſed actus & legis.

B. Non

Digitized by Google

De dignitate majore meritu.

B. Non eſt ſine culpâ, qui rei quæ ad eum (*ad ſe*) non pertinet, (*nimirum, officio, cui ſcientiæ aut potentiæ defectu non poteſt ſatisfacere*) ſe immiſcet. *Eſt Reg. XIX.*

Damnum voluntarium.

C. Damnum quod quis ſuâ culpâ (*cauſa mora aut etiam voluntate patitur*) ſibi debet non aliis imputare. *Eſt Reg. LXXXVI.*

Pomponius Quod quis ex ſua culpâ (*mora cauſa, aut etiam voluntate*) damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire.

Mora voluntaria.

Mora ſua (*culpa, voluntas*) cuique eſt nociva (*non alij.*) *Eſt Reg. XXV.*

D. Sine culpâ, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus. *Eſt Regula XXIII.* Diſtinguere oportet omninò inter pœnam & pœnalitatem. Si abeſt culpa non incurritur pœna pro culpâ.

Filliucius *fol.* 159. *n.* 161, ſed poſſet incurri pœnalitas. *Huic conſonat*, Pro culpâ nemo eſt præmio donandus.

Odium alienum.

G. Non debet aliquis alterius odio (*culpa mora, negligentia aut etiam voluntate*) prægravari. *Eſt Regul. XXII.*

Privatorū peccata.

H. Delictum Perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ (*Communitatis*) redundare. *Eſt Reg. LXXVI.*

Peccati venia.

I. Peccati venia non datur, niſi correcto. *Eſt Reg. V.*

Sincerum lucrum.

K. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuriâ vel jacturâ. (*Deleo illud*, vel jacturâ *& manet clar⁹ & verus ſenſus.*) *Eſt Reg. XLVIII.*

Damnum præter intentionem.

L. Nemo tenetur ad reſtitutionem ob damnum præter intentionem ſuam ex actu virtutis emergente. *Eſt communis ſententia.*

Conſilium nocivum.

Nullus ex conſilio (*etiam materialiter malo*) dummodò fraudulentum non ſit (*non eſt fraudulentum, quod ſecundum Conſcientiam & probabile dictamen datū*) obligatur. *Eſt Reg. LXII.*

Onera & commoda.

M. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum (*illi oneri adnexum*) & ē contrà *Eſt Reg. LV.*

Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. *Reg. LXXVII.*

Vtilitas ex delicto: damnum ex virtute.

N. *Vide Layman fol.* 128. *num.* 15. *ubi docet neminem ex proprio delicto commodum debere reportare, & exemplum ponit in eo, qui à catholica fide deficit, quem vult manere ſubjectum univerſis præceptis Eccleſiæ ut anteà, ne ex peccato utilitatem reportet.* Conſonat Bartholomæus à S. Fauſto Theſ. lib. 1. quæſt. 12. n. 3. Porrò, ſi ob delictum nemo utilitatem reportat, nemo ob virtutem damnum: & hoc poſtulat rationis conſequentia, aut nō dialecticamur bene.

Cum ſunt jura partium obſcura, reo favendum eſt potiùs, quàm actori. *Reg. XI. An non obſcura quæ merè probabilia? ſic puto.*

I.

A Ctum eſt de præceptis oſtenſum- DCCLVIII
que nec ignorantes invincibiliter, nec carentes viribus, nec ſcientes & phyſicè potentes, ſi materia contrà conſcientiam aut prudentiam ſit, obligari: unde neceſſario includitur, *Superioris præceptum, quod nec inutile nec ſuperfluum ſit, nec militet contra conſcientiam, nec ſuperet vires ſubditi, nec imponatur inſcio, ſed ſit in materia, in qua ille Superiori ſubordinatur, eſſe obligatorium.* [Conſultò illud *ſubordinatur* poſui, non enim omnis ſubditus in omni materia etiam licitâ & honeſtâ ſubeſt. Sed juxta leges & mores, & profeſſionis contractum. At poſtulat publica utilitas, ut detur in Republicâ authoritas quæ poſſit *parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos* & hæc eſt, quæ JUSTITIA VINDICATIVA nominatur.

Qualitates legis obligatoria.

An ſubditi debeant in omni obedire?

Pœ-

Quid ſit pœna?

Pœna eſt noxæ vindicta teſte Ulpiano. Et ipſius octo ſpecies recenſet Cicero nimirum, Damnum, Vincula, Verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, Servitutem, Mortem. Pœnitentia conſiſtit in actuali dolore; Vi cujus commiſſa mala cum emendationis propoſito plangimus, & plangenda ulteriùs committere nolumus. Sic Theologi *in 4 Sentent. diſt.* 14.

Quid venia?

Venia aſſerente Senecâ *lib. de Clementia*, eſt debitæ pœnæ remiſſio, quæ correctis & pœnitentibus concedi ſolet. Auguſtinus *de Agone Chriſtiano* ſic ait. *Debeat Eccleſia Catholica, correctis & firmatis filiis libenter ignoſcere. Cum ipſi Petro perſonam ejus* (Chriſti) *geſtanti, & eum in mari turbaſſet,* (*fortè & cum in mari titubaſſet,*) *& cum Deum carnaliter à paſſione revocaſſet, & cum aurem ſervi gladio præſcidiſſet, & ipſum Dominum etiã negaſſet, Et cum in ſimulationem poſteà ſuperſtitioſam lapſus eſſet; videamus veniam eſſe conceſſam, eumque correctum atque firmatum uſque ad Dominicæ paſſionis gloriam perveniſſe.*

An concecedenda ſit relapſis?

Igitur ne ſuperior aut nimis remiſſus aut ſeverus dicatur; & ut ſciat quando debeat condemnare & abſolvere, has Regulas ex Canonico Jure decerpſit, Bonifacius & ob oculos poſuit.

II.

DCCLIX. *An incorrecto?*

PEccati venia non datur niſi correcto. Et quia à Deo & ab hominibus veniam poſtulare ſolemus, hæc Regula V. ſi Theologicè ſumatur, æquipollebit huic. *Peccati venia non datur à Deo, niſi correcto & contrito, aut ſaltem attrito & confeſſo; & talibus ſemper ipſa datur.* Si ſumatur politicè, huic. *Peccati quoad pœnam venia non datur à Iudice, niſi jam ſe corrigenti & modeſtè agenti: at non poteſt à Iudice inferiore concedi, nec expedit frequenter concedi à ſupremo; niſi dentur rationes ſpeciales, quæ ad bonum publicum conducant.*

An expediat pœnam condonare?

Sed quia videtur Bonifacius agere de culpâ, notandum in omni civili peccato, dari injuriam factam Reipublicæ, pœnamque; ſicut etiam analogicè in omni peccato contra DEUM, quod quia non obſervavit Caniſius, hanc Regulam his verbis exponit. *Regula plena eſt, ſi per correctum accipiamus contritum, ad ſaniorem mentẽ reverſum; non verò punitum, ut quidam perperam interpretantur. Quæ enim delinquenti gratia fit, ſi is pœnam à Iure conſtitutam jam ſubijt?* Et Reſpondeo Caniſio non illos perperam, ſed ipſum potius perperàm regulam interpretari; illi enim qui pœnam ſubiit magna gratia fit, cum remittitur culpa, quæ à pœnâ diſtinguitur, & eſt prior ipsâ. Vel convertamus oculos ad Theologiam, in quâ celeber eſt Petri Abailardi error, qui culpam à pœnâ non diſtingui putavit, juxta quem omnia eſſent vera, quæ Caniſius adducit. At quia pœna à culpâ diſtinguitur; cùm aliquis moritur in peccato veniali, eſt reus culpæ & pœnæ; hanc poteſt expiare ſatiſpatiendo: at nõ eſt idẽ ſatiſpati ac ipſammet culpam delere. Quam ob rem tametſi ſit facile oſtendere, quo animæ defunctorum modo luant pœnas debitas, non eſt facile exponere quomodo liberentur à venialibus culpis, ſi fortè cum illis egrediantur. Hinc igitur iterum ad humana reduces, dicimus furem commiſiſſe delictum etiam in Rempublicam, & eſſe reum culpæ, & obnoxium pœnæ: at juxta leges punito culpam ignoſci, veniam dari, & poſteà tractandum ut Reipublicæ amicum.

Caniſius impugnatur.

Pœna diſtinguitur a Culpa.

III. Sine

Digitized by Google

III.

DCCLX. *Differt culpa à cauſa: & à pœna pœnalitas.*

SIne culpâ, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus. Eſt Regula XXIII. Hic Bonifacius culpam à cauſa diſtinguit, & pœnam à pœnalitate deberet: dicimus enim, dari pœnas pœnalitatesque; illæ ſunt demeritorum & peccatorum ſtipendia, hæ ex cauſa & poſſunt & ſolent imponi. Sic hodie apud Patres Jeſuitas dimiſſio ſolet eſſe pœnalitas: nam tametſi nemo poſſit ſine cauſa dimitti, dimitti poteſt ſine culpâ; nimirùm cum datur cauſa ipſi non peccaminoſa, fortè nec libera, quæ militet contra bonum publicum, & dimiſſione tollatur. Eadem autem apud Benedictinos dimiſſio, non eſt pœnalitas ſed pura pœna, quæ incorrigibilibus imponi poteſt (imo nonnunquam debet) ex præſcripto capitis XXVIII. ſed Prioris Cellerarii, & cuiuſcumque Aminiſtri depoſitio eſt pœnalitas; quia licet non poſſit deponi ſine cauſa, (non enim Antiſtes inſanire permittitur, in omnibus enim ſuis decretis debet Deum & publicum bonum reſpicere) poteſt tamen ſine cauſa Miniſtro deponendo imputabili, puta ſi ſanctus & bonus ſit, & tamen non placeat confratribus, deturque alius, quem ament, qui ſatisfacere poſſit æquè bene, vel meliùs.

Dimiſſio apud Ieſuitas, & ... apud nos.

Depoſitio.

DCCLXI. *Promotus per ſimoniam deponitur.*

Et veniendo ad Jura univerſalia, *c. de regularib. 2 5. cum ſeqq. extr. de ſimonia. c. quicunq.* 1. q. 5. qui per ſimoniam à ſe commiſſam, fuerit ad eccleſiaſticum beneficium promotus deponitur; item ille, qui per commiſſam ab alio ſe inſcio. & in priori caſu depoſitio eſt pœna, & in poſteriori pœnalitas; in illo datur culpa; quæ luatur: in hoc cauſa: intereſt enim boni publici, tam ſeverè contra ſimoniacos procedi, cùm videamus ne hanc quidem ſeveritatem ſufficere, ne hoc abominabile vitiũ multorum promotiones invadat.

Item leproſus, peſte infectus.

Sacerdos leproſus *c. 4. extr. de cleric. ægr.* ab Eccleſiæ adminiſtratione proſcribitur, non ſine cauſa, & tamen omnino ſine culpâ. Sic etiam in bene gubernatis urbibus domus peſte infectorum clauduntur, & ſignantur; ipſis non conceditur aditus ad alias domos, nec ſanis ad iſtas; & quidem homines miſeri præter peſtiferam luem alias pœnalitates patiuntur, non in pœnam peccati, ſed ad maiorem reliquorum ſecuritatem. leproſi ſolent ab humano commercio proſcribi, & ob eamdem cauſam, etiamſi careant culpâ, quotquot morbo contagioſo laborant.

Irregularitas etiã virtutes exercendo contrahitur.

Irregularitas etiam, non ſolum actu peccaminoſo, ſed etiam virtuoſo contrahitur; puta ſi Judex aliquem capite condemnaret; Medicus ex ignorantia occideret; Chirurgus ex præſcripto Medici excideret aliquod membrum.

IV.

DCCLXII. *Cauſæ ob quas homines puniri ſoleant?*

SEd ſiquidem nemo ſine culpâ vel cauſa puniri poteſt, quæ ſunt cauſæ, quæ ſunt culpæ, propter quas poteſt?

In ſæculo: In clauſtro

Reſpondeo, ſtandum communibus legibus & moribus cuiuſcunq; patriæ. Addo non videri dari cauſam, ob quam poſſit aliquis plecti capite, aut aliâ extremâ ſententiâ damnari ſine culpâ; imò nec infamari. At in religionibus datur cauſa manifeſtiſſima, ob quam poſſint regulares pœnitentiæ imponi ſine culpâ; & ea eſt, mortificationis ſtudium, & devotionis promotio.

Dantur culpæ civiles.

Subjungo eſſe culpam (Theologicam, politicam-ve) violare directè aliquam legem, moralem, aut pœnalem; & legirupiones eſſe omninò puniendos; nam tametſi in eâ ſententiâ ſim ut deſi-

Digitized by Google

Leges ſervandas.

derem leges faciles eſſe, vellem illas ſeverè & ſtrictè obſervari.

Corollarium. Pro culpâ nemo debet præmio donari. Oſtenditur, quia ſicut innocentem puniri, ſic etiam contra juſtitiam militat nocentem præmio & honore donari.

V.

DCCLXIII *De impertinentibus.*

NOn *eſt ſine culpâ, qui rei quæ ad eum* (ad ſe) *non pertinet* (nimirum, officio, cui ſcientiæ aut potentiæ defectu non poteſt ſatisfacere) *ſe immiſcet.* Eſt Regula XIX. Sic Regulæ tenorem expono ratione ductus, & juribus; præcipuèque *l. idem juris.* 8. *§. mulionem cum l. ſeq. ff. ad leg. Aquil. l. illicitas.* 6. *§. ſicuti ff. de offic. præſ.* Unde non eſt dicendus ſe intermiſcere negotiis alienis, & quæ ad ſe non pertinent. Ille qui ſcit poteſtque proximum hoc optantem juvare (nulli enim laudabiliter adſiſtimus invito) nam, ſi te phyſicè aut etiam moraliter poſitivè aut etiam negativè prohibente, tua negotia Fridericus fecerit, tametſi bene, nec ſtipendium, nec honorarium, imò nec ſumptus factos repetet, *l. ſi. c. de negot. geſti.* Sed quia alienas culpas dorſo aliorum nonnulli ſolebant imponere adjuncta fuit.

Favor non fit invito.

VI.

De alieno odio.

NOn *debet aliquis alterius odio* (etiam juſto) *prægravari.* Eſt Regula XXII. & firmatur *lege. ſi quis.* 33. *§. legu. c. de inoffic. teſt.* cui conſonant alia Juris Axiomata; nimirùm, [*Delicta ſuos tenent authores*] *l. ſancimus,* 22. *c. de pœnis.* [*Ratio non patitur, ut alteri ob alterum iniqua Conditio inferatur.*] *l. non debet alteri. &c.* Ubi nota duplex dari odium, juſtum injuſtumque: hoc habetur in perſonam, illud in vitia. Porrò ſicut & nobis, præceptum etiam fuerat Prophetæ Regi, ut diligeret proximos, & tamen iniquos odio habuit ſanctiſſimè, quia non deteſtabatur perſonas quâ perſonas ſed quâ iniquas. Docemur igitur hac Regulâ, iniquè illum procedere, qui quod injuſtè odio habeat Petrum, gravat eius cognatum; docemur etiam iniquè ſimiliter procedere, qui peccata quæ odio habet in Petro, nec tamen in ipſo punire vult aut poteſt, in eiuſdem cognato vindicat: nemo enim puniendus eſt ob aliena peccata.

Odium eſt duplex. *Pſal. 118.*

DCCLXIV. *An hac Regula habeat exceptiones? Peccata parentum.*

Solent Authores adſignare caſus in quibus locum Regula habere non poſſit; nullum tamen quem viderim, qui ſit eius exceptio, aut ad illam pertineat. Incontinentia Parentum, inquiunt, punitur in filijs; ij enim, ſi ſpurij aut illegitimi, arceantur ab ordinibus ſacris *tit. extr. in 6. de filijs Presbyt.* gravantur igitur ob aliena peccata. Et ego negato primo antecedente, nego conſequentiam illatam: gravatur enim aliquis, cùm vel illi adimitur bonum, vel imponitur malum, & tamen neutrum fit, cùm ſpurij à dignitatibus eccleſiaſticis, aut etiam ſæcularibus arceantur. Hæ enim conferendæ ſunt his, qui politicè homines ſunt, & ipſi ſunt nulli politicè. Sed *eſſe nullos* non habent ipſi in pœnam, non enim qui olim erant aliquid politicè, rediguntur in nihil politicè; ſed nunquam ipſi fuerunt in politicâ rerum naturâ, quoniam politicè nati non ſunt: & quia certum eſt, Non-entia non poſſe puniri nec gravari, ſic nec ipſos, qui ipſi in Republicâ non-entia virtualiter ſunt, nimirùm, quoad dignitates & eminentia officia, ita enim ſe habent, ac ſi nati non eſſent.

Spurij à dignitatibus arcentur. *Politicè nulli.*

DCCLXV *Nati ante parentum crimen nō ſunt infames.*

Non abſimili modo Philoſophare de filijs Parentum reorum criminis læſæ Maje-

Majeſtatis, qui nati ſunt poſt crimen; ſi enim ante crimen ſint nati, non tangi creduntur, licet in materiâ gratiæ ipſos videamus aliquando tametſi ſine culpâ, non tamen ſine cauſa repelli: Si nati fuerint poſt crimen, concepti ſunt in peccato civiliter originali, & tam habent quòd conquerantur contra Principem, quàm contra Deum ego, qui in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Naſcuntur filij iræ politicæ, rei non quidem pœnæ ſensûs (nemo enim Proditoris aut Monetarij filius igni ob culpam originalem apud Orthodoxos mandatur) ſed pœnæ damni; naſcuntur enim incapaces dignitatum & promotionum; & quia nunquam capacitatem hanc habuerunt, illam odio parentum perdidiſſe dicendi non ſunt, ſed illam à ſuis parentibus non accepiſſe.

Peccatum originale politicum.

Pœna ſenſus & damni.

VII.

DCCLXVI. Privatorũ Hominum ſcelera Cõmunitati nocere nõ poſſunt.

HÆc Regula XXII. univerſalior eſt; & ex illa ad ſpecialia deſcendendo multæ poſſent inferri; ſed à Bonifacio ob peculiares cauſas infertur ſola Regula LXXVI. videlicet *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.* Conſonarent iſtæ, *Delictum cuiuſcumque Chriſtiani, etiam ſummi Pontificis, non debet eſſe Eccleſia Romanæ detrimento. Non debet Epiſcopatus pati ob alicuius etiam Epiſcopi peccatum. Non debet Ordo religioſus puniri, condemnari, deleri, ob aliquorum etiam Propoſitorum exorbitantias. Non debet Monaſterium damnari ob Monachi aut etiam Abbatis flagitium.* Et convertendo oculos ad ſtatum ſæcularem, *Ob particularium hominum, etiam Imperatorum, Regum, Principum, Crimina, non debet puniri Orbis Chriſtianus.* Et, ut omnia ſimul comprehendam. *Ob unius membri, etiam Capitis exceſſus, non debet puniri Communitas.* Non enim peccat ipſa, cùm membrum privatâ authoritate peccat; nec debent innocentes puniri: peccaret, ſi ipſa vel juberet vel faceret, quod malum eſſet; ſed neque tunc per modum corporis unius, ſed per modum plurium particularium.

Placet addere verba Alexandri III. *c.2.extr.de donat.* dicentis, *Cùm enim Epiſcopus & quilibet Prælatus Eccleſiaſticarum rerum ſit Procurator, non Dominus, conditionem Eccleſiæ meliorare poteſt, facere verò deteriorem non debet*, imò nec poteſt. Unde bene Layman *libr.3.tr.2. c.11.n.5.* Eccleſia, ait, jure minoris debet ſemper illæſa ſervari additque *l.4.c.13.n.16.* Eccleſia pupillo comparatur cùm ſe ipſam defendere non poſſit.

Eccleſia jure pupilli gaudet.

VIII.

DCCLXVII. De Abbate prodigo.

REm à ſe alienatam poteſtne Prælatus repetere etiam allegando propriam turpitudinem? Reſpondet affirmative Henricus Canißius, *ex capite, ſi quis num.4.& num.12.extr.de rebus Eccleſ. alien. & ex l.1. c. de liberali cauſa.* Sed hic ego volo tantiſpere hærere. *Teneo primò* non poſſe repetere, quæ dedit ex conſenſu ſuæ communitatis. *Teneo ſecundò* non poſſe repetere, quæ dedit ſecundum Regulam, etſi ſit invita communitas, tunc enim illa donatio eſſet valida. Regulæ nomine intelligo Privilegiis & moribus temperatam, & ut melius rem capias, pono exempla domeſtica. D. Bernardus conſultis ſuis Religioſis (an & conſentientibus? neſcio; ſed maioris claritatis cauſâ diſſenſiſſe dicantur) fundum dedit B. Norberto, ut Præmon-

Hodie Monachi obſervãt Regulas moribus & privilegijs mitigatas.

ſtratum ædificaret, & ante paucos annos Fernellius Cœnobij Viritienſis Antiſtes unam arcem, ut Patres Franciſcani in cœnobium erigerent, & quidem etiam conſultis, invitis tamen Religioſis, & quæris, An hæ donationes ſint validæ? An Bernardus, Fernelliusque poſſint bona à ſe alienata Eccleſiarum ſuarum nomine repetere, etiam culpam ſuam adlegando? & reſpondeo Fernellium poſſe, & Bernardum non poſſe. Aio poſſe Fernellium, quia juxta mores noſtri ævi & conſtitutiones Pontificas nihil poteſt invitâ Communitate alienari. Addo tamen Bernardum non poſſe; nam ſtando Regulæ matri, ſi alienare fundum res magni momenti credatur, debet Abbas univerſos conſulere & audire; ſi res parvi momenti dicatur, debet ſaltem conſulere & audire ſeniores, in neutro tamen caſu tenetur illorum ſequi judicium, ſed poteſt quod melius judicaverit, facere. Cum igitur D. Bernardus profeſſus fuerit, ſervaritq; Regulam ad litteram, nullo uſu, nullo privilegio temperatam, validè illum fundum B. Norberto dedit, nec illum potuit nomine Communitatis repetere; quem enim regulariter dederat, dederat nomine ſuæ Communitati.

Quid dare olim Abbas potuerit, & quid hodie poſſit?

IX.

DCC-LXVIII. ANte annos quaſi viginti duos obiit Abbas N. vir ſanctus & pius; & à ſucceſſore ſedecim mille florenos, quos juſſu defuncti dederat alterius ordinis Cōmunitati, Mercator quidam poſtulavit. Negat ſucceſſor; Chirographum oſtendit ille; excipitur contra chirographum; multa hinc inde adlegata; & tandem condemnatur Monaſterium, ut Mercatori ſatisfaciat. Audivi variè de huiuſcemodi quæſtione loqui. Fortè non fuit adlegatum non poſſe Abbatem ſedecim mille florenos dare pauperibus, ſine ſpeciali communitatis ſuæ licentiâ. Quid ſcio? fortè fuerunt multæ donationes, & tandem in gravem ſummam coierunt. Fortè aliæ cauſæ latebant, quæ non publicantur. Ego autem non credo poſſe Abbatem gravare ſuum monaſterium erogando eleemoſynas; puto tamen eum habere bene adminiſtrandi abſolutam licentiam; & exiſtimo eum bene adminiſtrare, qui modeſtum victum amictumque dat ſuis religioſis; nihil profanum & inutile ædificat; comparat pro Eccleſiâ, non ſuperba & profana, ſed decentia ornamenta; & cætera, quæ ſuperſunt, dat pauperibus ſanctis (non ſemper Deo gratum dare otioſis mendicis, ſi in vitiis ipſi ſuis alienâ elementiâ foveantur) etiam ſi ſint multa. Et exiſtimo eum male adminiſtrare, qui quod Monaſterium ſit dives, plus vini, aut pretioſiores veſtes dat ſuis Monachis; quàm ſi eſſet pauper: eò enim res in multis locis devenerat, ut gratulandum ſit nonnullis Monaſteriis, quod à Guſtavo Adolpho Sueciæ Rege fuerint non tam exſpoliata, quàm reformata. Multa enim iſte Rex ad ſummam paupertatem reduxit, quæ demum violenter inducta paupertas reformavit. Placet Reformationis formula Carolo V. Imp. ſtatibus Eccleſiaſticis ad deliberandum propoſita Auguſtæ anno 1548. in quâ §. *De Monaſteriis* lego *Non debent Monachi, quamvis opulenti & regalibus dotati munificentiis* (lege bene) *otioſos & vanos facere ſumptus, nec familiam ſuperfluam, nec equos ad faſtum, & pompam potiùs quam ad neceſſitatem, Principum more, nutrire, magnque ſecularem, quam religioſam vitam ducere.* An non explorator domeſticus carpit exactè, quæ fieri vidit, & quæ vix hodie reformata videmus? Quid igitur facere debe-

Quales & quantas eleemoſynas poſſit Abbas facere?

Paupertas multorum monaſteriorum reformatrix

Decretum de Monachis.

debeant Religioſi, videamus. *Sed in humilitate vivere frugaliter.* Sed ſi hoc fiat, multa aureorum millia in opulentis monaſteriis ſupererunt. Quid fiet igitur de tantâ vi pecuniæ, ſi non comedatur & bibatur, & in uſus faſtuoſos diſpenſetur? Imperator, *quæ ultra neceßitatem* (nota bene, non dixit *luxum*, ſed *neceßitatem*) *ſuperſunt* (debent) *in pauperes & educationem ſtudioſorum, quo poßint Eccleſiæ Chriſti olim uſui eſſe, utiliter expendere.* Nec contra hoc curanda eſt unius aut alterius Viſitatoris avaritia; Cuius authoritate nunquam licebit me depauperare monaſterium ut ipſius ſuperfluitati ſatisfaciam, vel dare Religioſis ſuperflua, aut theſauros congerere; cùm omnia nō neceſſaria debeam in pauperes ſanctos erogare. Sed de hoc alibi uberiùs & aptiùs.

DCCLXIX. *An huic Regulæ obſtet præſcriptio?* *Objectio.* Multas ſtatim contra Regulas exceptiones ſolet invenire Caniſius, & contra hanc non vult militare præſcriptionem: at ſi res bene examinetur, non urget. Sic arguis. [Propter negligentiam ſuperioris contra Communitatem ſuam fluit præſcriptio *l. 1. ff. de uſurp. & uſucap.* ergo delictum perſonæ juridicè ſolet in detrimentum Eccleſiæ redundare.] & reſpondet Caniſius his verbis. *Solutio Caniſij.* *Neque obſtat huic Regulæ titulus decretal. de præſcriptionibus, quo propter negligentiam Prælati contra Eccleſiam ſuam currit præſcriptio: quia hoc publicæ utilitatis cauſa receptum eſt in præſcriptione, ne dominia rerum in incerto ſint.* Sed hæc ratio *impugnatur.* non ſufficit, præſcriptionem enim eſſe introductam ex hoc motivo aut ex alio, non tollit eſſe contra Communitatem & ex Abbatis negligentiâ percurrere. *Vera ponitur.* Ego autem teneo præſcriptionem currere, non tamen hoc detrimentum ob delictum perſonæ redundare: quod ſic oſtendo. Abbas eſt in tali caſu communitatis lingua; & ipſe cùm proteſtatur contrà, & ſuis verbis curſum præſcriptionis interrumpit, procedit, *ut quo*, non *ut quod*; nam ſicut linguâ homo, ſic Abbate loquitur in tali occaſione communitas. *Abbas Cōmunitatis lingua.* Ergo quando Abbas tacet, tacet *ut quo*, & Communitas *ut quod.* Ergo ob propriam negligentiam patitur detrimentum Communitas. Nec juvat dicere, eam non poſſe præcipere Prælato ut impediat curſum præſcriptionis; illum enim poteſt monere, & renuentem in viſitatione accuſare juxta leges & ſtatuta ordinum ſingulorum.

X.

DCCLXX. *De acceptatione.* Similis omninò difficultas in acceptationibus moveri poteſt; nam ſicut Abbas nihil dat nomine proprio, ſic nomine proprio nihil negat; nihil nomine proprio acceptat, nihil proprio recuſat: unde ſi in teſtamento centum Eccleſiæ meæ legaveris, non potero illos nomine proprio acceptare aut recuſare, ſed nomine eiuſdem Eccleſiæ: ergo, ſi ego illos aureos recuſo *ut quo*, mea Eccleſia *ut quod*, non eſt dicendum quod illis ipſa careat propter meam voluntatem, ſed propter ſuam. *Objectio.* *Sed dices.* legata ipſo jure adquiri meæ Eccleſiæ, nec requiri acceptationem imò nec agnitionem *l. fin. c. de SS. Eccleſ. l. à Titio. ff. de furto.* *Solutio.* Et nego, quoniam favor non fit invito, nec ullus acceptare tenetur, qui non obſtringatur præcepto valido acceptandi. Conſentit mihi Panormitanus *ad cap. 1. num. 9. extr. de integr. reſtit.* licet alibi aut obſcurè aut aliter loquatur. Profectò, An liceat acceptare munera ab amicis oblata, docui in Theologiæ Regularis *num.* 876. hinc oritur

Digitized by Google

XI.

DCCLXXI. *De voluntaria jactura.* D*Amnum quod quis ſua culpa* (aut cauſa aut voluntate) *ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.* Eſt Regula LXXXVI. adeoque, ſi vel currat præſcriptio, vel legata renuantur & putet damnum (ſaltem negativum) ſe eſſe paſſam Communitas, ſibi illud imputet, non alii; id enim ipſa moraliter fecit, quod nomine ſuo factum eſt.

In hunc ſenſum *l. quod quis ex ff. hoc tit.* inquit Pomponius, *Quod quis ex culpa ſua* (*vel cauſa*) *damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire.* Non enim habent Judices oculos, ut tale damnum videant; nec aures, ut in tali materiâ querelas audiant: adeoque à ſimilibus quæſtionibus abſtrahunt, & illas dicunt politicè inintelligibiles & incognoſcibiles.

XII.

DCCLXXII. *De mora. Moroſus quis?* M*Ora ſua cuique eſt nociva.* Eſt Regula XXV. Cui concordat altera Juris Regula *in l. in condemnat.* §. *unicuique ff. eodem tit.* Porrò *moroſus* ille in Jure dicitur, qui non facit, quod debet, quando debet. Et puto in omni contractu tempus tacitè vel expreſsè determinari; non enim, qui domum emi, ſi tempus ſolutionis non eſt determinatum, illam potero centum annis differre; omnia enim, quæ non ponuntur diebus determinatis, creduntur ſtatim facienda; & illud *ſtatim*, cùm politicum ſit, & non Phyſicum, latitudinem habet. *Quid ſit ſtatim?* Ut Regulam altiùs intelligas, unum aut alterum caſum ſubjungam.

Caſus primus. Madriti cum diceretur in Proximum diem monetæ valor diminuendus, Petrus qui debebat Franciſco mille florenos, illos ſolvere voluit. Renuit iſte, ille proteſtatur; & interim valor pecuniarius minuitur. Sed uttri? Petro-ne an Franciſco? Sententia publica decretum moram fuiſſe Franciſci, adeoq; ipſi ſoli nocere.

Alberico debebat centum imperiales Patroclus, & differebat ſolutionem. *Caſus ſecundus.* Proteſtatur ille damnum emergens, lucrum ceſſans. Et quæritur, ſi poſt Juridicam proteſtationem adhuc moras Patroclus trahat, & tamen reverà damnum illud emergat, aut lucrum ceſſet, cui emerſurum illud, cui ceſſaturum iſtud ſit? Verè Patroclo, ſi Judices integri ſint.

An ſit moroſus ſolutor, qui nō poteſt? Tenemus furem, latronem, & quemcumque rei alienæ detentorem, tunc eſſe moroſum ſolutorem, cùm poteſt ſolvere, & non vult: quod ſi velit, nec poſſit, adhuc diſtinctione opus eſt. Si juſtè contraxerit debitum, non tenetur: nemo enim ſub bono Deo ſi bonus ſit, gravatur. Si injuſtè contraxerit, ubi per confeſſionem ceſſet eſſe injuſtus detentor, videtur non eſſe damni cauſa, ſed fuiſſe; adeoque teneri ad damna præterita, quæ intulit; non ad futura, quæ improviſa contra eius voluntatem eveniunt. Sed hæc potiùs concernere videntur forum interius, nam, de occultis non judicant humanæ leges.

XIII.

L*Ocupletari non debet aliquis cum alterius injuriâ vel jacturâ.* Eſt Regula XLVIII. DCCLXXIII. *Corrigitur Regula 48.* Deleo illud *vel jacturâ*; nam ſi nihil minus ſignificat *jactura* quàm *injuria*, tunc eſt vox ſuperflua; ſi minus expungenda: omnia enim, quæ ſecundum jura fiunt, tametſi incommodum

&ja-

Aliud eſt jactura, aliud injuria.

& jacturam inferant, non inferunt injuriam proximo. Poſſumque alieno detrimento, modò ſine injuriâ ditari; ut optimè notavit Gloſſa *ad l. jure naturæ. ff. hoc tit.* cui conſonat *l. juſte 11. ff. de adquir. vel om. poſſ.* nam ſicut verbulum addidiſſe ſæpe eſt ſententiam commentario illuſtraſſe; ſic etiam aliquando, verbulum deleviſſe; ſi illud poterat ſenſum interturbare. Et quidem licet omnia Jura ſint æquitati & naturali rationi conſentanea, hanc ſpecialiter hac prærogativa inveſtit Pomponius *in L. nam hoc natura. 24. ff. de condict. indeb. in l. jure naturæ. ff. hoc tit.*

Aliquando delere verbulum eſt commentarium addere.

Cicero examinatur.

Solent huc poni Ciceronis verba, qui *libr. 3. officior.* ſic inquit. *Detrahere igitur alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſint aut corpori accidere, aut rebus externis.* & quia video & audio hæc Stoici Philoſophi verba fortiter urgeri à nonnullis. Ego etiam; ſed ut opinor veriùs tametſi ſeveriùs; eadem reducam ad limam.

An Cicero noverit naturam integram?

Quæro igitur, An agat Cicero de ſtatu naturæ integræ, cui erat contraria mors, cùm homines naſcerentur immortales, potius tranſituri in Cœlum, quàm morituri: Et reſpondes diſtinctionem naturæ integræ & lapſæ ignotam Ciceroni fuiſſe; illumque egiſſe de natura humana, qualem habebat, & qualem in reliquis experiebatur. At contra talem naturam nec eſt mors, nec paupertas, nec dolor nec cætera, quæ ſolent accidere: ergo nec erit contra naturam damno alieno diteſcere. Involvit igitur contradictorias Cicero, cùm contra naturam eſſe vult, quæ ſunt maximè ſecundum naturam; cùm potiùs eſſet contra curſum naturæ, hominem hac rerum tempeſtate non mori, nullius rei eſſe indigum, eſſe impoſſibilem, & inalterabilem. Præterea, ſi Cicero incommodum ab iniuria non diſtinguat, eſſet iterum arguendus; & dicendus multa dixiſſe oratorio ſtylo, qualia etiam hodie à noſtris concionatoribus dicuntur: quorum exclamationes, voces & non dictiones ſunt.

Incommodũ differt ab injuſtitia.

XIV.

DCCLXXIV. *De gravamine & commodo.*

Qui ſentit onus, ſentire debet Commodum (illi oneri adnexum) & è contrà. Eſt Regula LV. Illud *adnexum* majoris claritatis gratiâ addidi; illud enim inſinuat ratio, *& in L. unic. § pro ſecundo. in fin. c. de caduc. coll.* clarè exprimit Juſtinianus. *Nec enim ferendus eſt, ait qui lucrum quidem amplectitur; onus autem ei adnexum contemnit.* Et Regulam à contrario ſenſu. *l. ſecundum natur. ff. hoc tit.* Paulus Jureconſultus aſſumens, ait; *ſecundum naturam eſt, commoda cuiuſcunque rei eum ſequi, quem (eiuſdem rei) ſequuntur incommoda.* Hæc doctrina eſt contra omnes illos animarum Rectores, qui oves ſuas tondêre ſciunt, fovere neſciunt, nolunt-ve, utilitate contenti, cùm tamen honos & onus ita connexa ſint, ut hunc habere non debeat, qui illud renuit. Unde datur Regula LXXVII. quæ verbis differt à præſenti, nimirum, *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.* Omnia enim Officia habent utrumque inſeparabiliter, nec licet iſtum acceptare, illud regerere.

XV.

DCCLXXV *Qui violat legem, quâ ſe teneri invincibiliter ignorat, aut quâ ſe non teneri probabiliter putat, non peccat*; adeò nec poterit puniri. Eſt radio Regulæ illi XXIII. *Sine culpa non eſt aliquis puniendus*, quam ſuperiùs expoſui. Unde optimè Sancius *in ſelectis diſputat.* 33. Apud Auſonium Noctinot in ſummâ Dianæ, verbo, Opinio. *num.* 10 ait non poſſe ſuperiorem punire juſtè ſubditum ex probabili opinione non obedientem; quia non obediendo non peccavit, ac proinde nec promeretur pœnam. Excipe illum perpetuò, qui ſe obligaverit obedire ſuperiori in materiâ probabili ſed reſpectu huius non eſſet probabile ſe poſſe in materiâ probabili non obedire. Et quia, quæ poſſunt fieri, poſſunt conſuli; & quo poſſum modo operari, poſſum conſulere; oritur Juris Regula LXII. *Nullus ex conſilio, dummodò fraudulentum non ſit obligatur.* Et ſanè fraudulentum eſt, quod contra docentis conſcientiam. Anne ignorantia invincibilis excuſare eum poterit, qui dederit malum conſilium? Reſpondeo duas dari ignorantias invincibiles, quæ omninò veniunt diſtinguendæ. Petrus ruſticus in rebus arduis, & quæ jura ſubtiliora concernunt, ignorantiam invincibilem habet, ſic Credo, ſic ſupponis. At conſulitur à Friderico; & ille audacter conſulit quid ſit facturus. An-ne hoc eſt fraudulentum conſilium, ſi quidem invincibili & inſuperabili ignorantia fundatum? An ruſticus hoc conſilio obligabitur? Reſpondeo Petrum jura invincibiliter ignorare; at ſe illa ignorare non poſſe. Adeoque hanc ſecundam ignorantiam in ipſo, aut eſſe malitioſam & affectatam, aut ſaltem ſupinam & vincibilem; & concludo conſilium fuiſſe fraudulentum, & peccaminoſum; nam juxta Regulam XIX. *Non eſt ſine culpâ, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.* At obligari ob malum hoc conſilium non puto, quoniam juxta Regulam LV. *In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis.* Et quidem ſi præſumptio fuit Ruſticum dare conſilium; præſumptio etiam fuit Ruſtico credere, & ſtultitia eiuſdem conſilio gubernari. Hinc patet imperitum (quod ſolet) qui haberi doctus vellet, & ita arte & fraude procederet, ut etiam eſſe doctus à ruſticis judicaretur, ſi conſilio noceret ruſtico, ad reſtitutionem obligari. Ruſticus enim cum ſincerè & prudenter conſuleret; at ipſe fraudulenter & imprudenter reſponderet.

An puniri poſſit, qui ſequitur opinionem probabilē?

Neminem conſilio teneri.

Ignorantia invincibilis eſt duplex.

Nota id bene.

DCCLXXVI. Hic laudo legem *illicitas 6. §. ſicut ff. de officio Præſidis* & legem *idem 8. in Princ. ff. ad leg. Aquil.* quæ condemnant Medicum, qui ex ignorantia ægrum occiderit; condemno tamen eos, qui hanc non reducunt ad praxin; eſt enim magna ſeges imperitorum hominum, qui dicunt ſe ſcire Medicinam, & applicando dextrorſum ſiniſtrorſum, quæ occurrunt & ignorant, multos ægros occidunt.

An aliquādo Medici teneantur ad reſtitutionem?

Strictior & acceptior eſt lex 2. *ff. quod quiſque Iuris*, vi cuius Aſſeſſor, ſi per imperitiam aliter conſulat Magiſtratui, quàm oportet, ipſe omninò obligatur; dat enim fraudulentum Conſilium, qui in materia, quam vincibiliter ignorat: & ignorantia rerum, quæ concernunt officium, ſemper eſt vincibilis; quoniam ſi datur aliquis, qui illa addiſcere nequeat, poterit officium non admittere.

An etiam Aſſeſſores?

Quæ ad unuſcuiuſque officiū pertinent, craſſè ignorantur.

FVN-

FUNDAMENTUM XLII.

De Æquitate, ſeu de Æquali & perſonas non acceptante Juſtitia.

DCCLXXVII. ACCEPTIONEM Perſonarum committit, A qui rejecta perſona, quæ ſecundum Jura debet favorem ſentire, ob privatas rationes alii favet in materia Juſtitiæ. In materia gratiæ B non datur perſonarum acceptio: Hinc patet DEUM acceptorem perſonarum non eſſe. Contractus utrimque oneroſi, in abſolutos conditionatos & mixtos dividuntur. Purè abſoluti pauci aut nulli; ſed in ipſis debeo ſtare promiſſis, & ſi non C ſteteris. In purè conditionatis, non niſi ex C ſuppoſitione quòd ſteteris. In C mixtis, qua parte abſoluti ſunt, & ſi non ſteteris; qua autem parte conditionati, ſi ſteteris. Qui poteſt D agere, poteſt excipere; qui poteſt Titium domo eiicere, poteſt illum in domum non admittere; qui poteſt accuſare, poterit E denuntiare. Et univerſaliter loquendo, ſine perſonarum acceptione fieri non poteſt, ut ille, cui conceduntur plura, pauciora ſub illis F contenta interdicantur.

Ubi reperiatur acceptio.

Deus non acceptor perſonarum: & cur?

Contractus triplex.

DCCLXXVIII. A. QUid ſit acceptio perſonarum Text⁹ breviter ſufficienter tamen exponit.

In materia juſtitiæ, & gratiæ.

In judiciis *(hoc eſt in materia juſtitiæ)* non eſt acceptio perſonarum habenda. *Eſt Reg XII.*

B. In materiâ gratiæ ſtat pro ratione voluntas, adeoque non datur perſonarum acceptio.

C. *Vix reperitur contractus purè abſolutus; Et ut inveniam ad donationem converto oculos & talem crederem irrevocabilem. Et ut Theologis ſerviamus hic aliud exemplum adjungimus. Duas vitas æternas homini primo dedit Deus, nimirum, corporis & animi. Illam conditionatè, hanc abſolutè: illam, ſi non peccaret: hanc verò, ſive peccaret ſive non. Peccavit Adam, Deusque in pœnam privavit eum Corporis immortalitate. At immortalitate animæ ob ingratitudinem non ſpoliavit, illam enim abſolutè conceſſerat nec cum dependentia ab omiſſione peccati.*

Vita æterna duplex.

Animæ immortalitas.

D. Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus. *Eſt. Reg. LXXI.*

E. Videtur omnis accuſatio eſſe expoſita magnis inconvenientibus, ſuaviùsque eadem poſſe fieri per viam denuntiationis.

An præſtet accuſare, an denuntiare?

Z z F. Plus

Digitized by Google

F. Plus in ſe ſemper continet quod eſt minus. *Eſt Regula XXXV. nimirum ſi illud plus ſit totum, & illud minus ſit pars.*

Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit. *Eſt Reg.* XXXII.

I.

DCCLXXIX. *Quid ſit perſonarum acceptio?*

NOn ab omnibus rectè intelligitur, quid ſit acceptio perſonarum, prout vitium eſt, & à Sacris Litteris, Jure Canonico, & Civili interdicta. Non enim ſemper eſt perſonarum acceptor, qui perſonas diſtinguit; ſed qui ratione qualitatum, quæ juxta leges nihil faciunt ad rem, & hoc in materiâ Juſtitiæ; eſt enim acceptio vitium, & in materiâ gratiæ perſonam diſtinguere à perſona non eſt culpa. Ita hoc vitium explicant S. Thomas. 2. 2 *quæſt.* 83 *art.* 4. Alexander de Ales 2. 2 *tr. de acceptione perſon.* ita & alii.

Acceptio eſt diſtinctio iniqua.

Non eſſe omnem perſonarum diſtinctionem, acceptionem, hoc eſt diſtinctionem iniquam, conſtat omninò, quia ubi leges & ratio illas diſtinguunt, non poſſunt non diſtingui â Judice. *Iura diſtingui volunt Minores à majoribus;* Jus enim diſtinguit PRIMÒ minores à non-minoribus; vultque illos ante vigeſimum quintum ætatis annum, contractibus ſine Licentiâ tutoris, aut curatoris initis teneri, non tamen minores teneri. *tit. inſtit. de actor. tut. in princ. l.* 3 *c.* 5. *de integr. reſtit.* imo ſi curatoris aut tutoris authoritate, contrahẽdo ſint læſi, reſtituẽdos pronũtiat, *d. l.* 3. *& toto tit. ff. de minor* Et etiã Juriſdictione juvantur filii familias, qui in ſpecie numeratam pecuniam mutuam acceperint, *tit. ff. C. ad SC. Macedon.* Favendum enim eſt ætati debili, nec permittendum juvenili ignorantiâ & calore fieri contractus, qui juxta prudentiæ regulas non deberent. *Et cur?* SECUNDÒ ſexûs habetur ratio, in muliere quæ pro alio interceſſerit *tit. ff. & C. ad SC. Velleian.* *Sexum à ſexu;* TERTIÒ in criminibus Jura perſonas prudenter diſtinguunt; aliter enim punitur ſervus aliter famulus, aliter filius; aliter liber. *Servum à libero, Herum à famulo; Patrem à Filio;* *l. aut facta* 16. §. *perſonæ ff. de pœn.* Videatur Tiraquellus *tractatu de pœnis*, qui luculenter hanc materiam tractat. Et QUARTÒ tametſi furioſis leges faveant, nec puniendos velint, circa ebrios duræ ſunt, & rigor ipſe in ratione fundatur; *Prudentẽ à furioſo & ebrio;* nam libera & voluntaria eſt ebrietas, & delirium eſt morbus, nec ab humano arbitrio dependens.

DCCLXXX.

In Religionibus etiam leges fundamentales (conſtitutiones & Statuta) perſonas à perſonis diſtinguũt; multa enim jubẽtur, permittũtur, interdicũtur Sacerdotibus, quę nõ Junioribus, multa Communitatis Adminiſtris, quæ nõ privatis Religioſis, multa Choriſtis, quæ non Converſis. *Seniores à junioribus; ſacerdotes a non ſacerdotibus; Officiales à privatis; Choriſtas à laicis.* Imò in eodem crimine aliter judicatur juvenis & aliter judicatur ſenex; aliter frater Laicus, & aliter omnino ſacerdos. Et ratio diſtinctionis in hoc ſita eſt, quod ſi crimẽ ſit publicum (juridicè non puniuntur ſecreta) gravius eſt in majori; ob ſcandalum, cum Junioribus ſenes propoſiti ſint, ut Communis Monaſterii Regula, debeantque minores facere quod Majorum hortantur exempla. *Majorum peccata ſunt majora.*

Conſtat igitur ex dictis Acceptionem perſonarum eſſe, earum diſtinctionem non quamcumq; ſed illegitimã; eam nimirum quæ non fit lege publica, ſed

Digitized by Google

S.Hieronymus. ſed affectu privato. Rem pulchrè exponit D.Hieronymus *ſuper Amos* cujus verba habentur in Jure, *c. 79. quicumque. 11.q. 3. in Nani* Mirabelli Polyanthea, *verb.Acceptio.* in Henrico Caniſio *ſumma Iur. Canon. libr. 6.Reg.12.* Ait igitur D. Hieronymus *Quicunque aut conſanguinitate aut amicitia; & è contrario hoſtili odio vel inimicitiis in judicando ducitur pervertit judicium Chriſti, qui eſt Iuſtitia & fructum illius vertit in amaritudinem.* Et ad Fabiolam. *Multa nos facere cogit affectus, dum propinquitatem reſpicimus corporum, & corporis & animæ offendimus Creatorem.* Et clariùs omninò ad Pamachium, *Nec bonis adverſariorum, ſi honeſtum quid habuerint, detrahendum; nec amicorum laudanda ſunt vitia; at unumquodque non perſonarum, ſed rerum pondere judicandum eſt.*

II.

DCC-LXXXI. *Perſonarum acceptio condemnatur.* HInc orta Juris Reg. XII *In Iudiciis* (hoc eſt in Materiâ Juſtitiæ) *non eſt acceptio perſonarum habenda.* Conſonans *c. 1. de ſent. & re iudicata in 6. c. quatuor. 78. c. quiſquis* §. 1. 11. q. 3. Nota illud *in judiciis*, nam extra materiam juſtitiæ, aut non datur Acceptio, ſi nomen ſumatur pro vitio: aut ſi ſumatur illud largius, acceptio non eſt mala.

Objectio ex S. Gregorio. Obiicis D.Gregorium, quem perſonarum acceptatorem credis, nec tamen ab aliquo reprehenſum. Nimirum durum in Apoſtatas, qui tamen (ut conſtat ex D.Bernardo *lib. de præcep. & diſp. cap. 21.*) Venantium, qui Monachalem habitum piè ſuſceperat, & impiè rejecerat, non ſolùm reſumere non coëgit, ſed omnem etiam indulſit communionem Apoſtatæ perduranti.

An Apoſtata debeant per vim reduci?

Et reſpondeo duas poſſe dari congruentes ſolutiones; nam vel dicendum vanam ſine viribus iram, Divumque, hominem quem vi coercere non poterat, toleraſſe correctionis intuitu, ut plus illi proficeret; vel diſpenſaſſe, cum illo ſuprema authoritate. *E quibus ſolutionibus* illa prior adriſit meo Bernardo. Sed hæc poſterior prodeſt intelligentiæ capitis, *Clerico. diſt. 50.* & capitis 3. *ext. de offi. legati.* quibus locis Pontifex, non ob jus aliquod aut rationem legitimam, ſed ob privatum amorem juſtam pœnam remittit delinguenti, diſpenſando nimirùm in lege humanâ ſibi ſubditâ quod Judex inferior nullatenus facere poſſet. *l. ſi qua pœna. 244 ff. de verb. ſignif.* tametſi negãdum non ſit tales poſſe rationes intervenire, ut etiam inferior Judex æquitatem reſpiciens, poſſit aut debeat, ſententiam ferendam remittere aut intendere, quod & Jura, ſi poſtulet ratio, permittunt. *§. Oportet Novell. de Iudicibus. l. 1. §. 1. in fine ff. ad SC. Turpil. c. 1. & c. 5 ext. de conſtitutio. l. 3. & l. 4. C. ex quibus Cauſis infam. irrog. l. quid ergo. 13. §. pœna gravior. ff. de his qui not. infam. l. hodie. 12. l. in metallum. 124. ff. de pœnis.*

Solutio prior. *Poſterior.* *An ob privatum amorem pœna remitti poſſit?* *An ob rationem?*

III.

OCcurrit quæſtio utilis & ſubtilis; videlicet, An ex hac doctrina oriatur Regula Juris LXXV. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.* Et videretur quod ſic. Habemus enim Deum communem non privatum; non perſonarum acceptorem, & qui affectibus privatis moveatur. Igitur ſi tibi placuit fidem mihi præſtitam frangere; mihi licebit violare tibi præſti- DCC-LXXXII. *An fides ſervanda ſit non ſervanti?*

 tam.

tam. Sed non admitto conſequentiam, nam ſubinferre eodem modo & artificio poſſem, Ergo ſi tibi placuit meum fratrem occidere, meam uxorem violare; mihi omninò licebit interimere tuum, & tuam opprimere, quod nemo admittet. Aliunde igitur oritur hæc Regula LXXV. quæ proponitur. Videlicet, ex Fundamento illo, quod docet, leges etiam privatas, quales ſunt contractus debere exponi ad contrahentium mentem, quam eſſe conditionatam certum eſt, licet abſolutis ſit verbis expreſſa. Rem clariſſimis verbis expono. Conduxiſti pictorem & iniiſti contractum firmatum etiam juramento, vi cujus tenetur ille tabulam pingere, tu centum aureos dare, negas cras te daturum illam pecuniam, & aſſero te periurum, & pictorem liberum à juramento; at vis ſtare contractui, pictor non vult; & definio illum eſſe perjurum, & te liberum à dandi illas pecunias obligatione. Attende obſecro, nunquam dicturus ſum, tibi, licere frangere contractum aut juramentum, ſi pictor frangat; nec dicturus ſum licere pictori, ſi periurus ſis, etiam eſſe periuro, id enim omninò abſurdum eſt. Sed dicam contractu fracto ab illo te non teneri: non enim fractis catenis homo poterit manere ligatus. At dicam, peccare fractorem debereque mutare dictamen, & contractum in integrum reſtituere. Addam: Adjuramenta eſſe conditionata, & quibuscunque verbis efferantur tacitam conditionem involvere, & ne mutemus exemplum, Te, inquam juraſſe pictori, te daturum centum aureos, ſi illam picturam pingeret; Illum, ſe tibi eamdem picturum, ſi centum illos aureos dederis. Et concludo vi conditionati juramenti te teneri ſi pictor ſtet promiſſioni, non aliàs: & teneri pictorem, ſi promiſſioni tuæ ſtes, aliter non.

Contrahentium mens conditionata.

Nunquam licet violare contractum.

Omnes adjurationes ſunt conditionatæ.

Similis eſt in feudo, ratio. Vaſallus tenetur Domino, Dominus Vaſallo. Quod ſi Dominus improbè contra Vaſallum procedat, & ob odium, favorem protectionem & aſſiſtentiam neget, non poteſt à Vaſallo tutâ conſcientiâ extorquere ſervitia feudalia; &, ſi extorqueat, extorquet ſine titulo aut jure, & tenetur ad reſtitutionẽ. Et in tali caſu Vaſallus licitè negare illi poterit ſervitia feudalia, nam in feudo eſt mutua reciproca & conditionata Domini & Vaſalli obligatio. *Vnico §. Domino committente. Si de feudo defuncti contentio c. unico. in fide form. fidel. in lib. feud.* Quid ſi Dominus Vaſallum non potuerit defendere. Reſpondet Caniſius ſummæ *Iuris can. lib. 6. Reg. 75.* his verbis. *Si caſu vel neceſſitate quis impeditus ſit majoris quæſtionis eſt. Et puto nihilo magis illi ſidem ſervari oportere, Per text. in l. ex conducto. 16. alias incipit. l. ſi uno §. item cum quidam locati.*

Feudorum obligatio eſt conditionata.

Quid dicendum, cùm Dominus feudi vaſallum defendere non poteſt?

Hinc patet (ſi verum ſit fructus dari in ſtipendium oneris) Beneficiarium, qui non ſatisfacit horis Canonicis & aliis ſui muneris obligationibus, ante omnem ſententiam Judicis, & etiam præſcindendo, à lege Pontificiâ, quæ id præcipit, teneri ad reſtitutionem. Aliter tamen vi Pontificiæ legis. Dico igitur Beneficiarium, qui uno menſe non legiſſet Divinum officium non poſſe tutâ conſcientiâ recipere fructus illius menſis, pro labore illius menſis conſignatos; at non videri, cur non poſſet menſe ſequenti legere, ſingulis diebus bina officia, & ſic fundationi ſatisfacere: Imo videretur poſſe ſatisfacere, ſi cu-

De Beneficiario, qui non legit Canonicas horas. An teneatur ad reſtitutionem? & cur?

cu-

Digitized by Google

curaret horas legi per alium. [Satiſfaceret inquam, non ſacerdotio, ſed beneficio: de hoc enim loquimur.] contractus enim inter Fundatorē & Beneficiariū initꝰ præciſus à lege Pontificiâ, non poſſet majorem rigorem inducere, ut videre eſt in dicendi miſſas obligatione; cui communiter ſatisfaciunt, aut transferendo in ſequentem diem, aut curando ut legantur ab aliis. At Eccleſia juſtis ex cauſis contractum priorem oneravit, jubendo ut lectio divini officii transferri non poſſet nec tertiæ perſonæ committi.

IV.

DCC-LXXXIII.

Et quid dicendum, ſi omittat horas ob morbum, aut aliam legitimam cauſam? Contractus, qui initur in feudo. Contractus, qui in beneficio.

QUÆRIS, An beneficiarius qui morbo impeditus non poteſt legere, teneatur ad reſtitutionem? & ſi non. Cur non debeamus, eodem modo philoſophari, de Feudatario? *Reſpondeo* differentiam ex contrahentium oriri voluntate. Dico homini potentiori, *Pendam annua talia & talia ſervitia, modò me defendas effectivè; quod ſi contingat me non defendi, nolo me ad ſervitia teneri.* Dico ſacerdoti, *Dabo tot annuos aureos, ſub onere ut ſingulis diebus, ni morbo aut legitima cauſa impediaris, canonicum officium legas.* Et quia contractus ſunt diverſi, diverſæ ſunt etiam obligationes ab eis natæ. At ſi mutaretur contrahendi formula, etiam obligationes enatæ mutarentur.

An fides ſit frangenti frangenda?

Hinc patet ineptiſſimè ab aliquibus dici, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*; quoniam cum frangenti fidē fides nō ſervatur; nō eſt dicenda aut violari, aut frāgi, ſed eſſe indebita, nec conſcientiam obſtringere; unde Bonifacius Papa, non dixit, *Poteſt illi fides violari, qui fidem violare recuſat*, ſed potiùs, *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat, ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.* Hoc eſt, *Non habet quis Ius, ut poſtulet ſibi ab eo ſervari fidem, cui ipſe fidem non ſervat.* Vel clariùs, *Nemo tenetur ſervare fidem illi, qui ſibi fidem non ſervavit.* Et ratio eſt unica; nimirùm, contrahentium voluntas, & natura contractus conditionalis.

De contractu abſoluto.

Quod ſi contractus eſſet abſolutus & non conditionalis, omnia dicta corruerent: poſſet enim quis alteri abſolutè obligari, ſive alter ſatisfaciat obligationibus reciprocis, ſive non ſatisfaciat. Talis contractus, videtur eſſe Donatio in quâ quis cedat juri eam ob ingratitudinem, revocandi: in tali enim caſu, ſtaret ipſa nec à fidelitate Donatarii penderet. At facilius aſſignare poterimus contractus mixtos, partim abſolutos partim conditionatos. Talis aſſeritur matrimonialis, in quo non fruſtra ſed legitimè fidem poſtulat, conjux ſervari à conjuge, cui fidem, à ſe præſtitam, ſervare recuſat; jure enim adulter poſtulat, ne uxor adultera ſit, tametſi in materiâ reddendi debitum jus cogendi non habeat: hâc enim parte contractus conditionalis fuit. Talis etiam aſſeritur eſſe contractus ſolennis Profeſſionis, nam tametſi reciproca ſit, ſuperioris & inferioris obligatio; non pendet unius immunitas ab alterius infidelitate, non enim inferior liberatur à votis, eò quòd ſuperior ſibi infidelis ſit; nec ſuperior liberatur ab obligatione corripiendi, conducendi, & formandi ſecundum Regulam Religioſum infidelem, qui violat promiſſam fidem, & votum temerè prævaricatur. Quod ſi incorrigibilis fuerit inferior, poterit non obſtante ſolenni profeſſione dimitti,

Donatio abſoluta.

Matrimonium eſt contractus mixtus.

Et etiam ſolennis Profeſſio.

hæc enim partim cõditionata fuit: nec compromiſit in acceptatione communitas, victum amictum domum & reliqua humana ſubſidia homini incorrigibili, & qui cæteros ſcandalizat.

Incorrigibilis poteſt dimitti.

V.

DCCLXXXIV. OCcurrit quæſtio altera. An eſſet acceptio perſonarum, aliquem ad agendum, non tamen ad excipiendum admittere?

Qui agit poteſt excipere.

Reſpondeo eſſe Juris Regul. LXXI. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.* Quæ cõſonat *Leg. invitus. §. 1. ff. eodem tit. & l. 1. §. quod autem ait Prætor. ff. de ſuperficieb.* eam tamen tum fundari acceptionis perſonarum odio; tum etiam Regulâ XXXV. videlicet, *Plus in ſe ſemper continet, quod eſt minus.* Et quidem in eodem genere plus eſt agere quàm excipere; plus domo eiicere, quàm non admittere venientem; quod non ſolum in juſtitiæ ſed etiam in gratiæ materiâ locum habet; unde dicitur, *Turpius eiicitur, quàm non admittitur hoſpes.* Hinc eſt quod maritus uxorem adulteram ad ſe redeuntem non teneatur admittere, quoniàm contra aſſerentem uxorem debere neceſſario admitti, adulterii exceptionem opponit; qui enim contrà nunquàm digreſſam agere poteſt, illamque ob adulterium dimittere: à fortiore habebit jus illam non recipiendi, & excipiendi contra matrimonii rationem, ſi ab eâ allegetur. *per text. in c. 4. extr. de divort. & etiam c. 5.* Hinc eſt quod Religioſus fugitivus, ſi ad ſuum cœnobium revertatur, poſſit non recipi, quando tale crimen commiſerit, ut potuerit eiici; adeòque ubi Religioſus ob ſcandaloſam fornicationem eiiceretur, poteſt non recipi qui poſt ſimile crimen ad ſuum monaſterium revertitur. Et ratio manifeſta eſt, quia nec uxor (nec Religioſus) fugiendo redditur melioris conditionis, ac eſſet ſi domi manſiſſet, *nemo enim debet peccando meliorem reddere ſuam cauſam.*

An adultera rediens debeat à marito recipi?

An fugitivus redux?

DCCLXXXV. Contra hanc Regulam duas exceptiones poni vult Henricus Caniſius, quas ego non libenter admittam, nam tametſi doctrina ab eo propoſita ſit quoad ſubſtantiam vera, quod ipſa militet contra hanc Regulam verum non eſt. Sic ille ait. [Singulare eſt in depoſito, quod etſi depoſitarius rei depoſitæ dominus ſit, ac proinde habeat actionem ad eam vendicandam; *l. officium. 9. ff. de rei vendicat.* non tamen exceptione ſe tueri poteſt contra deponentem, ſed ante omnia reſtituere tenetur depoſitum; idque ob bonam fidem, quæ uberior eſt in depoſito.] At ego nego abſolute depoſitarium eſſe rei depoſitæ Dominum, vel qui dominus dici poterit; qui nec habet proprietatem nec uſum, ut alibi oſtendo? adeoque hæc doctrina, non eſt exceptio Regulæ LXXI. Porro depoſitario contra furem datur actio, quoniam nomine deponentis poſſidet, & tenetur illam defendere, ſicut omnia ſua, clavibus, diligentiâ, lite; & forte gladio: ſed ſemper tanquam rem alienam, & deponentis nomine: unde Depoſitarius ſemper aget ut quo.

Impugnatur Caniſius.

An Depoſitarius ſit depoſiti dominus?

Eodem modo errat Caniſius agens de conductione, quam vult excipi à generalitate hujus Regulæ LXXI. Et idẽ Author ſic ait. [Idem eſt in re conductâ, cujus conductor prætendit ſe eſſe dominum: nam neque hic exceptione dominii juvatur contra locatorem. *l ſiquis conductæ*

Impugnatur iterum idẽ Author.

An Conductor rei de ſit domin⁹?

de condictionis. 25. *C. de locato.* Ratio; eſt, quia conductor negando reſtitutionem locatori, cenſetur ei intervertere poſſeſſionem, quæ hactenus apud locatorem remanſit. *l. colon.* 9. 12. *juncta l.* 1. §. *ſive autem ff. de vi & vi arm.* At ſpoliatus poſſeſſione ſuâ, licet prædo ante proprietatis quæſtionem reſtituendus eſt. *C. in literis.* 6. *extr. de reſtit. ſpol.* §. *recuperandæ. inſtitut. de interd.*] Sed conductor rei conductæ dominus non eſt; & ſi dominus non eſt; non poterit ſe eſſe dominum obiicere. Et obiter à Caniſio doceri velim, quî dici poſſit conductorem eſſe rei dominum, & locatorem eſſe in poſſeſſione rei conductæ; videre enim velim, in quo conſiſtat illud conductoris dominium; & præcipuè ſtante interruptâ locatoris poſſeſſione, ut ipſe aſſerit. Quod ſi agatur de dominio utili, ſeu dominio uſus, dico locatarium habere ius, ut domo pro anno locata, anno illo integro utatur, & poſſe excipere contra locatorem pro hoc tempore, quam diu enim contractus favet, tamdiu ipſe contra Dominum directum juvatur. Sed dari ſolent, leges & cauſæ, ob quas Dominus poſſit rem locatam reſumere.

Sibi contradicit Caniſius.

VI.

DCC-LXXXVI. *De Reo & Actore.*

VIderetur etiam perſonarum acceptio, ſi liceret actori, quæ reo non licent, unde prudentiſſime Bonifacius Regulam XXXII. poſuit, nimirum, *Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.* Sed de hoc jam alibi. Hinc patet hanc eſſe bonam conſequentiam, *Hoc licet Actori: ergo & Reo. Item hanc, Hoc non licet reo, ergo neque Actori licebit.*

VII.

UT melius cognoſcatur æquitas vel æqualitas, quæ obſervari ubique & ſemper debet, proponam unam aut alteram difficultatem, in qua Juniores videbuntur Theologi minus conſequenter locuti. Et quia

..............., Ruſticus agros,
Dum pius in templo Presbyter orat, arat.

aliquid de agrorum penſione & aliquid de Miſſarum ſtipendio dicturus ſum.

De Agricolarum Tributis.

DCC-LXXXVII. *An ſicut de ſterilitate fortuita, ſic etiam de fertilitate fortuita ſit philoſophandum?*

SOlet inquiri, *An ob ſterilitatem agri fortuitam, ſit aliquid remittendum agricolis de penſione agri?* Hanc quæſtionem tractat Diana *p.* 3. *tr.* 6. *reſol.* 17. & producit varias ſententias, & limitationes Authorum. Et ego aliam quęſtioné, quam apud neminem legi ſubjungo, *An ob fertilitatem agri fortuitam, aliquid ſuprà contractum, aut communem penſionem ab Agricolis ſit extorquendum?* Puto enim aut non eſſe Dialecticam in mundo, aut in his duobus caſibus, debere pariformiter philoſophari.

De ſtipendio Miſſarum.

De ſtipendio Miſſarum.

PEtit Diana *p.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 17. An ſi Petrus relinquit centum aureos pro centum miſſis, ſi augeatur ſtipendium præſtandum ſacerdotibus, teneatur

tur hæres data capacitate hæreditatis, ſupplere illam eleemoſynam? & reſpondet affirmativè; & allegat Homobonum de Bonis, Riccium Barboſam & alios.

An eodem modo philoſophandum ſit, cum augetur & cum minuitur taxa ſtipendij?

Audio, & ſubpeto, Quid facturus hæres ſit, ſi diminuatur ſtipendium? nimirum, an in hoc caſu poſſit hæres ſolvere ſacerdoti juxta taxam, & ſibi retinere reliquum? puto enim hos caſus ita connexos eſſe, ut debeant eodem modo reſolvi.

De reductione Miſſarum.

DCC-LXXXVIII. *An eodem modo philoſophandum, cum fundationis augentur fructus, ac quando diminuuntur?*

SOlet inquiri, *An Miſſæ, quas tenetur aliqua celebrare Communitas, poſſint ad numerum minorem reduci, eo nimirum caſu, quo proventus fundationis deficiant, & diminuti ſint?* Nolo quærere Quiſnam in tali caſu ejuſmodi reductionem facturus ſit? An ſummus Pontifex? An fortè Epiſcopus? An etiam Ordinum Generales? An poſſit quicumque ſuperior? &, ſi poſſit, an ordinariâ, an delegatâ authoritate? aut etiam an poſſit œconomicâ? omnia enim hæc doctè, & neceſſariò inquiruntur, & eruditiſſimè reſolvi ſolent. Sed inquiro ſolummodò, Annõ unus & idem Deus ſit Fundatori & Fundatariis? & ſi ſit, an non ratio, quæ ſuadet minui Miſſarum numerum, ubi fundationis reditus ſunt diminuti, non probet etiam illum augendum eſſe, ubi iſti dignoſcuntur creviſſe? videtur enim æquitas æqualitatem poſtulare.

****

THEOLOGORUM AXIOMATA.

DCC-LXXXIX. *Quid ſint Theologorum Axiomata?*

PRæter Bonifacii, Pontificis Maximi Regulas, quas expoſui, ſunt multa etiam Axiomata, quæ vocantur *Theologica*, quod ipſis Theologi utantur; aut etiam interdum abutantur; video enim ex eiſdem frequenter Axiomatibus diverſas, aut etiam adverſas conſequentias diduci, quæ non poſſent ſine Præmiſſarum abuſu. Sed hujus morbi medicina à Dialecticâ petenda eſt, fruſtra enim legitimus Axiomatum uſus ab aliâ Facultate ſperatur.

An Axiomata debeant probari?

Ut video, hæc Theologica Axiomata ſolent ſupponi, non probari: at nos, qui loquimur hominibus aure oculatâ præditis, nîl omnino ſupponimus, omnia omninò probamus. Tuum erit doctiſſime Lector tuâ nos adjuvare cenſurâ, & monere an etiam nos aliquo Axiomate abutamur.

FUN-

FUNDAMENTUM XLIII.

Varias Aſſertiones complectens.

Bona diſtinctio. Exceptio. Iura æqualia. Merces & pecuniæ ultroneæ & rogatæ. Poſſeſſio. Summa ratio. Mors violenta.

Servi. Ignorantia. Iniquum petitio, an ſit licita? Turpitudo allegata. Temporum diſtinctio. Neceſſitas ſinceritas. Bona ex malis.

BOna diſtinctio habet vim Commentarii. Servi Jure Humano ſunt nulli; non autem Iure naturali: ſervitus non eſt ſecundum neque contrà, ſed præter naturam. Omnis exceptio debet eſſe de contentis in regula: firmat Regulam in contrarium. Ignorantia invincibilis excuſat; vincibilis vero non excuſat. Ubi jura ſunt paria & inconditionata, ſi alter non ſatisfacit, nec alter tenebitur. Iniquum petimus interdum, ut juſtum aſſequamur. Ultroneæ merces & pecuniæ vileſcunt, rogatæ & extortæ valoreſcunt. Allegant ſuā turpitudinē in alterius præjudiciū non eſt credendū. Melior eſt conditio poſſidentis. Summa eſt ratio, quæ pro Religione. Diſtingue tempora & concordabis Iura. Neceſſitas facit licitum, quod Iure humano illicitum eſt. Non agit doloſè, qui ſuo utitur jure. Ubi nec leges nec jura diſtinguunt, nec nos debemus. Nullus Lethaliter vulneratus ultra quadraginta dies vivere poteſt. Non ſunt facienda mala, ut bona eveniant.

MUlta ex his axiomatibus ſuperiùs expoſita ſunt, quoniam multa cū Bonifacii Regulis, aut etiam aliis Fundamentis coïncidunt: interim ſingula breviter explicabuntur.

I.

DCCXC. De interpunctione.

BOna *diſtinctio habet vim Commentarii.* Eſt quidem veriſſima aſſertio; magnæ enim & graves quæſtiones ab interpunctione dependent. Primùm dicta à Liberto Houthemio, admiſſa à Boſquitro, citata ab Antonio Sandero in Bibliothecæ Belgicæ, manuſcriptæ pag. 9. ſub finem, & à me in ſcholio n. 362. Porrò multæ quæſtiones ſolâ diſpunctione deciduntur. Apud veteres celebris fuit teſtamenti illa clauſula. *Fiat ſtatua auri ſceptrum tenens*; nam ſi Legatur, *Fiat ſtatua auri, ſceptrum tenens*, tota ſtatua erit auri: ſi verò, *Fiat ſtatua, auri ſceptrum tenens* ſolum ſceptrum. Celebris apud Juniores etiam illa. *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Quæ ſi puncto claudatur, eſt catholica; hæretica, ſi interrogatione. Tibi enim Catholici dicimus, *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*; Quia in creatione ipſemet tuā merè paſſivè te habuiſti; at gloriam non aſſequeris aliter, quàm gratiæ & charitati cooperando. Calvinus autem & ejusdem Diſcipuli ingeminant.

Ab illa magnæ lites dependent. Deus & homo cooperantur.

Digitized by Google

Reiicitur d ſtrina Calvini.

nant: *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te?* ut inſinuent, non plus à libertate tua pendere ſalutem æternam, quàm creationem; unde concludunt, te ſicut olim ſine concurſu tuo libero creatus fuiſti, ſic etiam cras ſine cooperatione libera proceſſurum ad gloriam. Pulchræ nugæ! Gloria præmium eſt meritorum, unde Paulus inclamat, *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die Dominus juſtus judex &c.* aliàs enim venire ad cœlum, non eſſet actus virtutis, ſed fortunæ.

Gloria eſt premium. Cœlum adquiritur virtute, non fortuna.

II.

DCCXCI. *Servi civiliter ſunt nulli.*

QUod attinet ad Ius humanum ſervi pro nullis habentur; non tamen in Iure Naturali; quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales ſunt. Eſt regula Juris civilis 32. & exponitur à Reginaldo, *lib.* 25. *num* 61. ubi notari debet, ſervitutem quæ à Jure naturæ introducta non eſt, non eſſe contra Jus naturæ; conſiſtit enim in expreſſo aut implicito captoris & capti contractu, vi cujus uterque tenetur: ſemel enim inimicus ſervatus, occidi à victore non poteſt, at debet victori ſubeſſe juxta publicam; aut ſi hæc non ſit, juxta privatam conventionis legem. Vide ea, quæ uberiùs expendo in Theologia morali à *num.* 335. juxta editionem Lovanienſem.

Servitus eſt præter, ſed non contra naturam.

III.

DCCXCII *De exceptione.*

OMnis exceptio debet eſſe de contentis in Regula. Unde ipſamet exceptio probat conventionem in aliquo communi prædicato. Dicis omnem hominem excepto Æthiope eſſe album, & infero Æthiopem eſſe hominem, fruſtrà enim exciperetur ab hominum Regula, qui homo non eſſet. Lainas *pag.* 742. Videar in Theologiæ moralis *num.* 293.

IV.

EXceptio firmat Regulam in contrarium. Ita ego in Commentario *n.* 1634. 777. 782. 585. 269. 1060. 1359. 1587. 1634. 586. & in Scholio *num.* 141. 356. Joannes de la Cruz de voto paupert. lib. 1. cap. 3. pag. 21. *ſi obiicias*, ait, *communem Regulam Iuris quod caſus exceptus firmat Regulam in non exceptis, Intelligitur de caſibus non exceptis qui alias ſunt diſſimiles exceptis.* Cujus limitationem non admitto, quia mihi, *à ſimili ad ſimile in odioſa materia argumentatio non valet.* Valeret ſi materia non eſſet contingens aut libera. Recognoſce Filliucium *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 264. 265. Delrium *lib.* 6. *c.* 1. *ſec.* 3. *pag.* 921. *a.* Laymanum *lib.* 1. *trac.* 4. *cap.* 18. *num.* 2. & 23. & 16. *fol.* 101.

An à ſimili valeat conſequentia ad ſimile?

V.

DCCXCIII. *De ignorantia vincibili.*

IGnorantia, *ſi vincibilis ſit, non excuſat.* Non enim excuſatur Paſtor *ſi lupus rapiat ovem, & ipſe neſciat.* Ego in Commentario 1701. *Scire & ignorare vincibiliter, pro eodem habentur.* Navarr. prælud. 1. num. 10. circa finem. Decius Cyrillus & Joannes Antonius Geloſus de conſcien. pag. 187. num. 8. ubi ait, *Siquis faciat rem malam putans ex errore eſſe bonam, ſi ignorantia eſt invincibilis, non peccat; ſi autem eſt vincibilis & culpabilis peccat. Quia ignorantia culpabilis*

Digitized by Google

bilis æqui paratur ſcientiæ in ordine ad culpam. Et optimè; vincibilis enim ignorantia, ſcientia virtualis eſt. Ait Bernardus, *Qui ſcire non vult* (idem qui poſitivè vult neſcire) *non de ignorantia ſed de contemptu judicabitur* Emanuel Rodriguez qq. Regul. tom 3. pag.188.b.

VI.

Contractus à duobus dependent.

UBi *jura ſunt paria, & conditionata, ſi unus non vult facere quod debet, nec alter tenetur.* Pone famulum, ſi non vult miniſtrare, dare ſtipendium non teneris. Gottrau *de reſtitut. quæſt.*3. Maldonatus *cap.* 5. *verſ.* 32. *in Matth. fol.* 123. Reginaldus *de promiſſ.* Conſonat Juris Canonici Regulæ, LXXV. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat, ab eodem ſervari cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.*

VII.

DCCXCIV. *An liceat ultra debitum petere?*

INiquum *petimus, ut æquum habeamus* Rodriguez *part.* 1. *tract. de virtut. perfect.* Licet enim Mercatori petere ultra pretium juſtum, ut juſtum recipiat; non tamen recipere ſuprà juſtum liceret. Sed quid, ſi emptor non licitaretur, ſed ſtatim petitam pecuniam numeraret? Anne poſſet illam mercator recipere? Putarem ibi eſſe aliquam donationis ſpeciem; quia cùm omnes emptores ſciant, ſemper peti pro rebus plus quàm valeant, ſi non replicant, videntur exceſſum condonare. Secùs ſi cogerentur Venditoris importunitate, aliquid ſupra ſummum pretium ſolvere; tum nulla eſſet donationis interpretatio.

Pono caſum. Venio ad officinam, & poſtulo unius amici opera; exponuntur, & pretium notabile petitur. Solvo ſtatim. An decipior? minimè; Scio enim minoris illos libros venire, ſed volo miniſtro amici mei favere, illum animare, ut reliqua ejuſdem opera imprimat, & amico authoritatem conciliare; plus enim ipſe nominis lucratur, quando ego quocunque pretio, ejus libros comparo, quàm ego pecuniarum perdo. Et ut clarior reſolutio ſit, Opera Dianæ octodecim florenis Pragæ vænenunt, & ego ad Officinam veniens à Bibliopolâ poſtulo, quantum habere velit. Si reſpondet ſe velle habere 24. florenos, & revera ſic vult, non mentitur, vult tamen furari, illos enim libros 18. florenis tantummodò valere ſuppono. Si dicat, Numeret Dominatio Veſtra 24. florenos, nihil aſſerit, adeòque nec mentitur. Si tamen non habet intentionem accipiendi plus quam 18. florenos, intentionem fraudem committendi non habet. Sed poſtulat plus juſto, ut licitationi locus ſit, & tandem juſtum pretium recipiat.

VIII.

MErces *ultroneæ vileſcunt.* Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *dubio* 10. DCCXCV
num. 63. *in fine.* Sed quantum? *De Emptore rogata.*
probabiliter tertia parte: imò etiam

Digitized by Google

dimidia probabiliter. Merces ultronea, illa eſt, quæ ut Hiſpanus loquitur, *ſe compra en un lance*; quando venditor quærit emptores, Vide *num.* 844. *meæ Theol. Moral.* Ex hac ego Regula, hoc COROLLARIUM neceſſariò deducam; nimirum *Pecunia ultronea vileſcit.*

Comprar en Lance, Hiſp.

Caſus proponitur.

Et ſic diſcurro. Petrus habet adamantem, quem vult vendere, & quia emptorem non reperit, me rogat ut illum emam, & quia adamas ultroneus eſt, hoc eſt ultro offertur, illum emere potero mediâ pretii parte: [non quod aliquid poſſim emere minoris, quam valet (nota id bene) ſed quia merces ultroneæ vileſcunt, & adamas, qui quæſitus ab emptoribus valeret centum aureis, ſi ultroneus ſit, non jam centum aureis, ſed quinquaginta tantùm valet] ergo ſi ego habeã eundẽ adamantem, nec velim vendere, & tu me roges ut velim, potero illum tibi vendere ducentis aureis aut doctrinæ conſequentia non datur.

Adamas ultroneus.

Pecunia ultronea.

Alius Caſus proponitur.

Ut vim conſequentiæ bene intelligas, pone res rebus commutari, & in foro caprum dari pro ariete. Habes capros viginti, vis ſtatim illos vendere, nemo illos vult emere, venis ad me, me rogas ut emam. Vincor precibus tuis, & quia merces ultroneæ vileſcunt mediâ parte, capros viginti admitto, & do decem arietes. Cras ſupervenit Petrus vult habere viginti capros, arietes offert: ego capros retinere volo, vendere nolo, vorat ille, inſtat, urget; me vinci patior, & quia merces ultroneæ mediâ parte vileſcunt, arietis Petri eſſe ultroneos dico, nec aliter meos capros trado, quàm quadraginta receptis arietibus. Ergo ex modo vendendi & emendi factum fuit, ut quod decem emptum hodie, cras potuerit quadraginta vendi, quin aliter quam juſto pretio.

Capri ultronei.

Arietes ultronei.

Nota bene.

Cùm igitur pecunia quædam merx ſit generalis, communiſque, & *venditio* & *commutatio* duę voces ſint, quę purè materialiter differunt (quæ enim commutantur pecuniâ, dicuntur vendi, & quæ venduntur non pecuniâ, commutari) eodem omnino modo de pecuniâ ac de aliis eſt mercibus philoſophandum. Ponamus igitur in re pecuniariâ aliquod clarum exemplum.

Quid ſit pecunia.

Commutatio & Venditio in quo differant?

Accidit Bruxellæ anno 1638. ut DCCXCVI.
Marchio N. Vexaret quempiam nobilem, ut ſibi Pegaſum (nomen erat equi excellentis) venderet. Negat nobilis: ſe carere equo non poſſe, ait, illum ſibi commodum & notum, nec velle vendere. Urget Marchio, & equum ducentis aureis obtinet. Vix octo tranſiverant dies, & Marchio inopinatâ ſuperveniente causâ jubetur in Hiſpaniam ire equis citatis; vel ut loquitur Hiſpanus *per la poſta*, auro ille eget, & Pegaſo non eget. Vult equos ſtatim vendere, & inter alios Pegaſum, nec reperit, qui ſtatim emat. Remittit ad nobilem Pegaſum & ducentos aureos repoſcit. Quinquaginta offert ille, nec plures; & quia erat in morâ periculum indignabundus Pegaſum aureis quinquaginta revendit. Vocat Theologum & vociferatur ſibi illatam injuriam. Subridet iſte, & omnia juſtè & legitimè facta pronuntiat. Merces, ait, ultroneæ mediâ parte vileſcũt, & pecuniæ ſũt merces. Ille equus in ſabulonis foro, (in eo venduntur equi) centum aureis valeret, tu rogaſti & pecuniam ultroneam obtuliſti, ergo

Tertius Caſus ponitur, & exponitur.

ergo

Digitized by Google

ergo debuiſti duplam dare. Modò equus ipſe ultroneus eſt, ergo mediâ parte pretii veniet. quod ſi dicas pecunias nō eſſe merces, nec ultroneas vileſcere, aliquid dices, quod non perſuadeas: ſed eſto; in idem recidet, & ſic diſcurram. Si pretium mercium ultronearum vileſcit, hoc eſt, valor mercium venalium in foro, ſe habet ad valorem ultronearum, ut 4. ad 2. ergo valor mercium venalium, in foro ſe habebit ad valorem extortarum, ut 4. ad 8. ergo valor ultronearum ad valorem extortarum, ut 2. ad 8. [ultroneas voco, quando oratur emptor, extortas quando oratur venditor.] Et quidem ſecunda conſequentia naſcitur neceſſariò ex primâ; & prima videtur negari non poſſe: ſi enim ideò valor mearum mercium minuitur, quia ego rogo; etiam augebitur, ſi ego rogor.

Merces ultronea, & extorta.

DCCXCVII. *Quartus caſus.*

Petis, *An infra medium non deſcendat valor mercium ultronearum, nec extortarum ſupra duplum?* Reſpondeo, me hunc caſum vidiſſe ante aliquot annos Madriti. Obiit ſigillifer, qui in domo Regis Monetariâ ſerviebat, reliquitque ſuæ artis curioſiſſima & expeditiſſima inſtrumenta; vocatur Heliodorus, ut dicat quanti illa valeant: quanti velit emere, ſi velit. Reſpondet Heliodorus. Hæc ab homine facta ſunt inſtrumenta non ab angelo, & reperientur etiamnum homines, qui poſſint ſimilia cœlare. At qui ſimilia habere vellet, deberet ut minimum tria millia imperialium impendere: at ego facilitatem, quæ ex inſtrumentorum tantâ copiâ ſuboritur, tanti non emo. Si ſit, qui tria millia dare velit, habere poterit, at ego trecenta velim dare, non plura. Diſcedit Heliodorus: & inſtrumenta hæredes poni jubent ſub haſtâ. Multi ſunt, qui eadem videre velint, multi qui admirentur & laudent; nemo qui velit emere: menſis elabitur; auctio abſolvitur: & redeunt inſtrumenta ad hæredes. Et iſti tandem orant Heliodorum, ut eadem emere dignetur trecentis. An-ne ille tam vili pretio potuit? Cur non, ſi nemo erat in urbe, qui plus offerret. Ecce Lector amice, vel Heliodorum condemnas, vel commendas. Si primum debebis dicere, cur eum condemnes, & an melioris conditionis futuri eſſent hæredes illi, ſi nihil haberent, quàm ſi trecenta haberent. Si ſecundum, debebis dicere poſſe ultronearum mercium valorem minui, per novem partes decimas, quod videbitur multis mirabile.

IX.

DCCXCVIII.

ALleganti ſuam turpitudinem in alterius præjudicium, non eſt credendum, ait Gottrau *de Reſtit.* 85. An-ne poſſet judex turpitudinem credere? Cur non. Hinc ſolutio frequentiſſimo caſui? Catharina Parrochi ancilla, ſuum peccatum coram D. Officiali confeſſa, herum ſuum accuſat; & quæritur an debeat ipſi credi vel non? Quid vetat Judicem ſic reſpondere? Te eſſe fœminam ſacrilegè fornicariam fateris, & aſſentior, & tibi ſalutarem pœnitentiam imponam. At quia Parrochum virum integræ famæ, de fornicatione accuſas, rem

Caſus notandus.

Digitized by Google

probabis, vel talionem ſubibis. Credere enim uni vetulæ fortè & veneficæ, in præjudicium honeſti ſacerdotis injuſtum eſt. N.B. Nota tamen vel complicis depoſitionem non eſſe omnino contemnendam, quando alia indicia aut graves rationes concurrerent.

X.

DCCXCIX. *De poſſeſſione.* M*Elior eſt conditio poſſidentis* Ego ſæpe & præcipuè *in commentario* 1432. *& in ſcholio.* 82.83. Gottrau *de reſtitut.* 83.84. Lech. de Ren. *theſ.* 113. ſed de hac materia multa dicta ſunt ſuprà. & multa etiam dicemus ubi de conſcientia dubia & incerta differamus.

XI.

Summa ratio. S*Umma ratio eſt quæ pro Religione facit.* Layman *fol.* 95. *num.* 5. Lechner *de renuntiatione Novit. theſ.* 104. *fol.* 76. Nomine *Religionis* intelligi ſemper poterit Orthodoxa, & hoc ſenſu hæc poſitio univerſaliter eſt vera. Erat lis intricata inter Benedictinam Religionem & Salmaticenſem Eccleſiam, circa decimas aliquorum Pagorum. Clamabat Procurator noſter Eccleſiæ rationes ſerpere, & debere poſthaberi, rationibus quæ pro Religione ponebantur, quia ſumma ratio illa eſt, quæ pro Religione formatur. Et contra Procurator Eccleſiæ hæc duo nomina *Eccleſia & Religio* eſſe æquivoca, & malè intellecta mirabiles errores parere; nam ſi ſumuntur pro Catholiciſmo, multa inferent, quæ negari debebunt, ſi prius aut pro ſtatu Eccleſiaſtico, aut pro determinata aliqua Eccleſia; & poſterius pro aliquo ordine Regulari ponatur.

Nomina Eccleſia &Religio *ſunt æquivoca.*

XII.

D*Iſtingue tempora & concordabis ſcripturas*, ait Layman *fol.* 339. *num* 3. Perez *in cap.* 59. *Regula ſanct. Benedicti num.* 9. Dicunt alii *Et concordabis jura* ſed eodem ſenſu: & patet, quia DCCC. *Diſtinctio temporum.*

Temporibus medicina valet, data tempora proſunt:
Et data non apto tempore, vina nocent.

Ut conſtet, quàm abſurdè diſcurrant, qui non legunt hiſtorias, nec annum ab anno diſtinguunt, ponam ob oculos Angelici Doctoris æmulos, qui eum producunt, quod 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 7. ad 3. dixerit *Clericum etiam ſiſe defendendo interficiat aliquem irregularitatem incurrere, quamvis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere.*

An qui occidit alterum cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſit irregularis?

Hoc volui teſtimonium adducere, quod anno elapſo citaretur à multis. Venit Suecus, & citeriorem Pragam intercepit arte & fraude: ulteriorem defendimus Cives, Milites, Nobiles Eccleſiaſtici. Ex his fuerunt, qui domi ſuæ manſerint & tacuerint: quos benigniùs arguimus; non enim omnium eſt velle ſanguinem pro Eccleſiâ fundere. Fuerunt, qui domi ſuæ manſerint & militantes accuſaverint, & quia hoc intolerabile, debuimus ferro DEUM & Cæſarem, & nos linguâ & etiam ſtylo defendere.

Praga minor intercipitur. Major defenditur; etiam ab Eccleſiaſticis; non tamen ab omnibus.

Pro-

Digitized by Google

An qui pugnarunt, ſint irregulares? Citabatur Doctor Angelicus pro affirmativa.

Producebant Actores hoc Angelici Doctoris teſtimonium: videlicet. *Irregularitas conſequitur actum homicidij, etiam ſi ſit absque peccato, ut patet in Iudice, qui juſte aliquem condemnat ad mortem: & propter hac Clericus, etiamſi defendendo, interficiat aliquem, irregularis eſt, quamvis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere.* At ex noſtris nonnulli rotundè reſpondebant Angelicum Doctorem erraſſe: cùm contrarium ſit definitum Clementinâ unicâ de homicidio & ſæpè alibi.

Prima ſolutio, illum erraſſe.

At ego tametſi ſeverus eſſe nolim Thomiſta, & ſentiam eſſe certum, poſſe hominem ſe defendere ſine irregularitatis periculo ab Angelico Doctore fui, & diſtinguenda eſſe tempora, & ſtatim conſenſuros nos Thomæ, & ipſum nobis.

Secunda, eumdem ad mores ſui temporis loquutum fuiſſe.

Et ratio eſt quia tempore D. Thomæ homicidium patratum cum moderamine inculpatæ tutelæ inducebat irregularitatem & modo non. Olim induxiſſe irregularitatem oſtenditur; ſic enim diſpoſuerat Nicolaus IX, ut habetur in decreto *diſtinctione* 50. *can. de his Clericis* Stetit hæc lex annis aliquibus; at poſteà, ut benè notat Cajetanus *in fin. Comment.* Sotus *de Iuſtitia lib.*5.*quæſt.*1.*Articulo* 8.*ad* 3.*& in* 4 *ſentent. diſtinct.* 16. *quæſt.* 2. *Articulo* 3. & Navarrus *in Manual.cap.*27.*num.*211. viſus fuit rigor nimius & qui remitti ab Eccleſiâ deberet. Et ideò mortuo Doctore Angelico, Eccleſia poſuit, ut qui ſe defendendo, occideret, non incurreret irregularitatem: ut conſtat ex Clementinâ illa unica de homicidio, quæ contra Angelicum Doctorem citabatur.

Homicidium neceſſarium, etiam pro defenſione propria, inferebat irregularitatem.

Modo non.

Non ergo erravit D. Thomas, nec nos. Tenemus enim *primò* tempore D. Thomæ, irregularitatem fuiſſe annexam homicidio, & involuntario. *Secundò* leges humanas, ut ipſemet docet & benè 1. 2. *quæſtio.* 96. eſſe variabiles & ſecundum diverſa tempora & loca varias: & *tertiò* hanc ipſam de irregularitate ob homicidium ab Eccleſia poſt D. Thomæ mortem tantiſper mitigatam eſſe: *unde concludo* eum qui olim occidebat, ut ſe defenderet, fuiſſe irregularem; jam non eſſe. Ergo in rebus, quæ non à rei naturâ, quæ invariabilis eſt, ſed ab arbitrio hominum, qui quotidiè mutantur pendent; tempora ſunt conſideranda, & diſtinguenda, ne nos errandi periculo manifeſto exponamus.

XIII.

DCCCI. *De neceſſitate.*

Neceſſitas facit licitum, quod Iure (humano) *illicitum eſt.* Reginaldus *de prudentia pag.* 713. Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap. num.* 6. non enim humanæ leges obligant, cùm neceſſarium eſt, ut faciamus contrarium. Huc ſpectat totus ille liber, qui inſcribitur *Sacri Romani Imperii Pax*, in quo oſtenditur, quæ & quatenus poſſint tolerari, poſita gravi aut inevitabili neceſſitate: qui liber integer hujus axiomatis eſſe Commentarius videtur.

S.R. Imp. Pax. Liber Authorus.

XIV.

Digitized by Google

XIV.

Vnusquisq; uti ſuo jure poteſt. NVllus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur. Regul. LV. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 15. *num.* 10. *& lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 2. *p.* 2. *c.* 5. *num.*7. *& lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 12. *num.* 9. *& tract.* 6. *c.* 5. *num.* 4. Et quidem eſſet ditior unus opifex, ſi nullus alius illud opificium in toto oppido profiteretur: at verò quod Paulus etiam profiteatur, ſi id ſecundum leges fiat, incommodum ille hinc, non autem injuriam recipit. *Nemo enim fraudem, aut damnum facit, niſi qui facit id, ad quod jus non habet.* Layman *lib.*3. *tract.*1.*ſect*,5.*c*.5.*num*.16.

XV.

DCCII. *Generalia verba diſtinguenda non ſunt in materia Favorabili: at in odioſa poſſunt.* UBi leges (aut Jura) *non diſtinguunt nec nos diſtinguere debemus.* Ego *in Scholio num.* 348. Coriolanus *fol.* 244. *num.* 22. Cruz *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 3. *concl.* 4. *reg.* 2. *pag.* 123. Portel *verb. ſcrupulus. num.* 1. Layman *lib. tract.* 4. *c.* 18. *num.*7. & hæc quidem aſſertio, ſi materia ſit favorabilis certiſſima eſt: at in odioſâ etiam ſolemus diſtinguere, ubi jura non diſtinguunt: qui enim illa ſanxerunt fuerunt homines, & potuerunt aliquid obſcuriùs dixiſſe, aut etiam aliquid oblivioni mandaſſe.

XVI.

NVllus mortaliter vulneratus, *ultra quadraginta dies vivere poteſt.* Coriolanus *fol.* 371. Hæc aſſertio eſt valdè utilis, ut Judices diſcernere ſciant, an vulneratus obierit vi vulneris, an verò negligentiâ Chirurgi: ut Confeſſarii ſciant de irregularitate judicare. At hinc non licebit inferre, *Eum, qui ante quadrageſimum diem moritur, non obiiſſe negligentia chirurgi*; ſolent enim vulnerati negligi, & ſi primâ die negligantur, etiam primâ ipſi die ex parvo vulnere perire poterunt. Si vulneratus moriatur ex negligentiâ chirurgi, erit-ne vulnerans irregularis? Res eſt arbitraria, & tuam opinionem exſpecto. *De vulnere lethali.*

XVII.

NOn ſunt facienda mala ut eveniant bona. Apoſtolus *ad Rom. cap.* 3. *verſ.* 8. Ego *in Scholio num.* 76. Reginaldus *lib.* 27. *num.*17. Drexelius *Amuſſ lib.* 1. *c.* 6. *§.* 1. *in fine & pag.* 87. Nota tamen aliud eſſe facere, & aliud permittere: ſæpe enim mala licitè poſſunt permitti, nunquam fieri. *Mala propter bona pati poſſunt, fieri non poſſunt.*

FVN-

Digitized by Google

****

FUNDAMENTUM XLIV.

Axiomata varia dilucidans.

DCCCIII *Inadæquata cōceſsio.* *Teſtis unicus.* *Conſuetudo peccādi.* *Voti commutatio.* *Præcepti cōmutatio* *Privilegij abuſus.* *Materia magna.* *Agens & cōſentiens* *Famæ neglectus.* *Ex voluntate ad actum.* *Malitia & bonitas partiales.* *Actus liber.* *Auxilia ſufficiētia.* *Actus humani.* *Iudicis obligatio.* *Actus deliberati.*

QVi è duobus ſibi propoſitis alterum admittit, alterum negare videtur: & contrà. Unus teſtis, cum agitur de damno tertij, nullus teſtis. Conſuetudo peccandi contra legem Dei non præſcribit. Non frangit votum, qui in melius commutat. Præcepta non poſſunt in melius commutari à ſubdito. Meretur privilegium amittere qui illo abutitur. Roſario æquipollens materia magna eſt. Qui ſuæ ità confidit innocentiæ, ut famam negligat, crudelis eſt. Agentes & conſentientes pari pœna puniuntur. Dantur actus partim boni, & partim mali, imò etiam partim indifferentes. De voluntate utente ad actum nihil datur eſſentiale; ſed de voluntate proponente ad actum datur. Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam: imò nec deficienti. Actus intellectualium agentium, non operantur moraliter ultra eorum voluntatem. In omni dubio debet Iudex ſecundum allegata & probata judicare. Actus humani nec peiores nec meliores civiliter ſunt, quam probantur. Quod ſæpe fit videtur deliberatione plena fieri.

DCCCIV. ETiam hæc Theologorum Axiomata breviter illuſtraturus ſum. Singulis præfixi numerum; & ne frangatur ſeries progrediar, & Fundamenti præcedentis numerum ultimum promovendo explicabo axioma

XVIII.

Inadæquata cōfeſsio. QVi ex duobus propoſitis alterum affirmat alterum negare videtur. Reginaldus *in praxi confeſſ. fol.* 300. *ex c. nonne. de præſumpt.* Bartholomæus à S. Fauſto *Theſaur. lib.* 6. *quæſt.* 19. vide meam Philoſophiam moralem. Ubi hoc axioma expendo uberiùs.

CorollARIUM. *Qui ex duobus propoſitis alterum negat, alterum affirmare videtur.* Sequitur ex præcedente neceſſariò: & aſſumitur à D. Gregorio *Homil.* 18. *in Evang.* ubi ait. [Judæi dixerunt ei. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Acceptâ autem tantâ contumeliâ, quid Dominus reſpondeat, audiamus; *Ego Dæmonium non habeo, ſed glorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me.* Quia enim Samaritanus interpretatur *cuſtos*, & ipſe veraciter cuſtos eſt, de quo Pſalmiſta ait, *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem fruſtrà vigilant qui cuſtodiant eam.* & cui per Iſaiam dicitur, *Cuſtos quid de nocte?* reſpondere Dominus *S. Gregor.* *Ioan.* 8. *Samaritanus Latinè Cuſtos* *Pſal.* 126. 2.

Digitized by Google

minus noluit, *Ego Samaritanus non ſum:* Sed *Ego Dæmonium non habeo.* Duo quippe ei illata fuerant, unum negavit, & aliud tacendo conſenſit.]

XIX.

DCCCV. *Inadæquata probatio.* *Unicus teſtis ſufficit ad abſolutionem.*

UNus *teſtis nullus teſtis.* Nimirùm in præjudicium tertij. Layman *lib.3. tract.5. de teſtam. c.2. n.4.* Cæterùm, ubi non agitur de alterius præjudicio, unicus teſtis ſufficit. Comitolus *fol.3. num.5.7.* Lamas *pag.633.* & ut in ſpecie loquamur poteſt abſolvi, moribundus, ſi vel unus teſtis dicat, eum confeſſionem petiiſſe, & hoc in communi ſententiâ: Auſonius Noctinot *in Dianæ ſumm. verb. confeſſ. num.25.* ſic ait. [*Quot teſtes requiruntur ad teſtandum in tali caſu coram Sacerdote & moribundo de ſignis pœnitentiæ ab illo editis? & videntur requiri plures; quia S. Leo & Concilia loquuntur de teſtibus in plurali.* Sed Sancius *diſputat.44. numer.35. docet ſufficere unum. Nam Felinus* in C. veniens *& lib.1. numer.8.* de teſtibus, *ait ſtandum eſſe dicto unius; ubi non agitur de præjudicio alterius;*

Etiam non Chriſtianus.

nec oportere quod ſit Chriſtianus, ſed quemcunque ſufficere; nam præſumptio in Hæretico, &c. eſt quod deberet negare, ne fiat Sacramentum, & ſic in favorem. Debere tamen abſolvi, ſub conditione, ſi ſigna dediſti [*non ſub hac, quia fortè poſſet abſolvi, ſi ſigna non dederit; ſed ſub iſta,* ſi poſſum.] Diana *part.3. tract.3. reſol.5.* & *part.2. tract.13. in fin.*] At ubi agitur de præjudicio tertii in ore duorum vel trium ſtat omne verbum. Layman *lib.3. tr.6. c.4. n.5.*

XX.

DCCCVI *Conſuetudo mala nõ ſignanda bona.*

COnſuetudo *peccandi mala eſt, præſcribi non poteſt. Quâ homo addiſcendo mala ſua inducitur, bona non eſt.* Layman *lib.1 tract.4. c.24. num.4.* Unde P. Julius Priſicanenſis in quapiam graviſſimâ conſultatione ſcitè dixit. *Multitudinem peccantium, non eſſe patrocinium peccatorum.*

præſcribitur.

XXI.

NOn *infringit Ius, qui in melius commutat.* Layman *de juſta defenſ. fol.485. lib.4. tract. c.8. num.19.* Hinc oritur poſſe Religioſum ad Ordinem ſanctiorem & ſtrictiorem tranſire. At in præceptis non poteſt admitti ſine pluribus limitationibus: non enim obediret legi, qui rem juſſam omitteret, & aliam multò meliorem faceret. Nam tametſi confeſſio jejunii melior ſit, non ſatisfaceret jejunandi præcepto, qui non jejunaret, ſed ad pœnitentiæ Sacramentum accederet.

Commutatio obligationum. Admittitur in votis: non in præceptis.

XXII.

PRivilegium *meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* Reginaldus *lib.9. cap.26. nu.385. in fine.* Layman *fol.102. num.24.*

Poteſtatis abuſus.

XXIII.

COnſuetudo *eſt optima omnium legum interpres,* quia cùm illæ poſſint non acceptari, & ſic, aut aliter acceptari, nullibi unde meliùs qualis & quanta fuerit acceptatio, quàm à conſuetudine, cognoſci poteſt. Layman *fol.921. nu.7.* Vide axioma XX. & XL.

Conſuetudo.

XXIV.

ROſarium, *aut roſario æqualis materia, cenſetur in voto magna à Porſellio de* voti oblig. & ſanè in hâc omnes quæſtione cæcutimus, nec videtur poſſe dari in hac regula generalis, quæ ſolida ratione firmetur.

DCCCVII. *Materia magna.*

Qui

XXV.

Fama neglectus eſt crudelitas.

QVi ſuæ conſcientiæ fidens, famam negligit crudelis eſt. Sed cui? ſibi, quem moraliter occidit, aut moraliter ſaltem ſpoliat: *Amicis* quos juvare poterit, ſi famam tueatur, *Eccleſiæ*, cui ſervire poterit, ſi honeſto nomine præditus ſit. Reginaldus videri poterit, *lib.* 23. *numer.* 74. Et etiam legi S. Ignatij hiſtoria, qui multas miſerias & injurias ſummâ patientiâ tolerans, calumniam quæ honorem tangebat tolerare non voluit; debuit reus revocare calumniam, quia Ignatius ſervire animabus poterat claudus æger & nudus, at infamis non poterat. Congruit illud notiſſimum Diſtichon.

S. Ignatius omnia humana neglexit præter famã.

Ovidius.

Omnia ſi pereant, famam ſervare memento,
Quâ ſemel amiſſâ poſteà nullus eris.

Fama duplex.

Famam eſſe duplicem, ſubſtantialem & accidentalem; illam eſſe vitam moralem, hanc valetudinem aut etiam civilem opulentiam, ſæpe oſtendi.

XXVI.

DCCCVIII. *Peccantes & foventes.*

A*Gentes & conſentientes pari pœnâ puniuntur.* Reginaldus *de prudentiâ pagin.* 739. An-ne facere conſentireque eſt æquale peccatum? Non magnam differentiam reperio, modò non ponatur permiſſivus conſenſus, ſed inductivus, & moraliter cooperativus. Hinc benè Layman *libr. 3. tract. 2. cap. 6. numer. 6. & c. 8. numer.* 4. ait, *Receptores non minus delinquunt, quàm aggreſſores.*

XXVII.

An detur bonum inadequatũ

B*Onum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu.* Drexelius *Amuſſ. lib.* 1. *c. 6. §. 1. pag.* 40. Bartholomæus à S. Fauſto *Theſauri lib. 1. quæſt. 49. num.* 8. Studioſus Religioſus *pag.* 46. Perez *ad cap.* 64. *Reg. S. Benedicti. num.* 25. At ego *in Schol. num* 370. exiſtimo eodem modo de malo ac de bono eſſe philoſophandum; adeòque illud ipſum axioma ſic lego. *Bonum adæquatum ex integra cauſa, & malum inadæquatum ex quocumq; defectu.* Ego ſemper putavi bonitatem malitiamque eſſe quaſdam morales humanarum operationum veſtes, nec repugnare unũ, & eundem hominem multicolore togâ induui: adeoque poſſe dari actum, qui ſit bonus malus & indifferens ſimul. Pono exemplum. Vadit Petrus ad campum ut juvet Joannem, & noceat Friderico: & dico, hunc actum ſecundum ſuum objectum, eſſe *indifferentem*; & prout juvat, *bonum*; prout nocet, *malum*. Nec unquã, eleemoſynam intrinſecè malam fore, etſi ob malum finem erogetur. Exiſtimo igitur illud axioma, *Bonũ ex integra cauſa &c.* irrepſiſſe ex idiomate Græco, Patres enim veteres utuntur voce *Pantagathon*, & ut video interpretes transferunt *Bonum* cum deberent *Omnibonum*: & quidem omnibonum non erit, quod ex integra cauſa non erit.

Corrigitur axioma.

Actus ſimul bonus, malus, & indifferens.

παντάγαθον. *Omnibonum.*

XXVIII.

DCCCIX. *Voluntas fruſtrata.*

D*E voluntate ad actum nihil datur eſſentiale*, æquipollet huic, *Pro facto reputatur voluntas, ubi actum excludit neceſſitas.* Drexelius *Amuſſ. lib. 2. c. 6. q.* 7. Biderman. *de actibus human. fol.* 201. Azor. *lib. 2. c. 6. q.* 6. Bernardus *ſæpe*. Layman *frequenter*. Faber *p. 1. fol.* 298. Reginald. *l. 27. n.* 8. Ubi notandũ hanc doctrinam à quê intelligi de bona & mala voluntate. *Quod ſi actum non excludit neceſſitas, qui opus bonũ addit volũtati, bonitati addit bonitatem; & qui malum, iniquitatem addit iniquitati.* Ita Patres Hyberni Profeſſ. Theol. *ſecundò ſentent. Concl. IV. Prague. an.* 1647. & 1658.

Hiberni Profeſſores An Doctoribus aliy contrari

FORTÈ videretur alicui hi Theologi doctiſſimi, torrenti Theologorum opponi, cum tamen in hac materiâ mirabilis ſit omnium conſenſus, quem intelliges, ſi notes duos dari actus liberos in voluntate; alterũ decernentem, quid faciendum ſit; & alterum potentiis externis imperantem: prior vocatur *Propoſitum* poſterior *uſus*. Decernit hodiè Petrus ſe craſtinâ die occiſurum Antonium, quem ſi occidat cras, iniquitatem addet iniquitati; quia actus voluntatis, quem hodie habet, eſt propoſitum, & ex propoſito voluntatis, ad actum ipſum exteriorem, aliquid datur eſſentiale, ut Patres Hyberni docebant. At Petrus cras potentiæ executivæ, quæ libera nõ eſt, imperat ut Antonium occidat, illa obedit, & Antonius occiditur, & dico ex hoc actu voluntatis, (imperantis nimirum & ſervitio potentiæ executivæ utentis) ad actum, ad effectum nihil dari eſſentiale; quia nihil intercedit liberum: & hoc eſt, quod illud axioma ſignificat.

Actus liber duplex.

Propoſitũ & uſus.

Exponitur axioma.

Hinc patet multorum caſuum clariſſima & indubitata reſolutio: nonnullos propono & reſolvo.

Caſus primus.

Joannes Franciſcusque æquali conſilio, æquali animo, die Dominicâ, manè ſumunt jentaculum, eadem advertentiâ ſe inebriant, æquali ſe exponunt periculo, non audiendi miſſam: inebriantur inquam & dormiunt. Alter caſu vel ab amico, vel à ſtrepitu, vel à quacunque causâ, ſibi non liberâ excitatur & vadit ad Eccleſiam & miſſam audit, alter ſopore & vino preſſus domi remanet: & interrogas, An inæqualiter peccaverint? *Reſpondeo* me ſemel aut iterum vidiſſe Salmanticæ inæqualitatem defendi, male tamen; & quia illam nunquam intelligere potui, contrariam libenter elegi; quia ſi in utroque omnia quæ ſunt libera, ſunt æqualia etiam erunt æqualia omnia quæ ſunt peccaminoſa. *Sunt qui negent* omnia quæ libera in utroque eſſe æqualia, at iſti non jam caſum aſſertivè reſolvunt, ſed tollunt.

Caſus ſecundus.

Fridericus Anſelmusq; æquali conſilio, æquali animo, ſuos inimicos exſpectant (ille Cajum, & iſte Semphronium) ſclopeta ſua præparant, onerant, dirigunt; clavem uterque movet digito, qui eſt ultimus actus liber in hoc genere. Exploditur Friderici Sclopetum, & occiditur Cajus, at ſclopetum Anſelmi etiam moto digito non ſolvitur, aut ſolutum non concipit ignem; aut igne concepto, quod ſolet interdum accidere, non exploditur; aut exploſum Semphronium non vulnerat; aut ſi vulnerat, leviter tantùm, aut ſi graviter, Semphronius vel miraculosè à Deo, vel ſumma Chirurgi diligentiâ & induſtriâ recuratur; & qualitercumque non moritur. Caſum ſic ponis & inquiris? An Cajo occiſo & Semphronio non occiſo, aliter Fridericus & aliter Anſelmus peccaverit? *Reſpondeo* conſiderari debere culpam, & obligationem reſtituendi; Addo, utriusq; peccatum fuiſſe æquale, quia nihil liberum reperitur in uno, quod non reperiatur in altero: at Fridericum ad majorem reſtitutionem teneri, quia maioris damni cauſa fuit: quod ſi reſtituere nolint, tunc inæqualiter ſunt peccaturi, ob diverſitatem & inæqualitatem materiæ. Et eodem omninò modo in ſimilibus caſibus philoſophabor.

Nota hæc omnia.

Ubi eſt æqualis culpa, ſolet eſſe inæqualis reſtituendi obligatio.

XXIX.

DCCCX. *Auxilia ſufficientia.*

F*Acienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt: Deus non denegat gratiam.* Azor. *lib.* 1. *c.*13. *quæſt.*12. An ne gratia actibus naturalibus adquiritur, & naturaliter

benè

Digitized by Google

Gratiæ neceſsitas. benè vivens ſalvabitur? Eſſet hæreticus, qui vel doceret poſſe aliquem ſalvari ſine gratiâ, aut hanc poſſe de condigno, aut etiam de congruo actibus naturalibus promereri; non tamen qui diceret hominem, qui in Indiâ ſine gratiâ benè viveret, & quod in ſe eſt faceret, infallibiliter, ſed ſine ullo merito, gratiam aſſecuturum, ut fidem Chriſtianam ab homine aut angelo doceretur. *Infallibilitas nō dependet à merito.* At ego id non admitto; primò quia illa infallibilitas poni videtur leviter, nec firmâ ratione probari. Secundò quia purè naturaliter operans, non facit quantùm in ſe eſt; *Nota hoc.* quia cùm ſemper habeat auxilia ſupernaturalia, ſi illis abutitur, minus omninò facit, quàm poteſt; operatur enim purè naturaliter, cùm ſupernaturaliter poſſit.

XXX.

Summa Dei liberalitas. GRatia (hoc eſt auxilium ſufficiens, prout proximo & remoto præſcitur) *nulli debetur homini nuſquam, nunquàm: & tamen ex Dei miſericordia datur omni homini, ubique & ſemper*. Continuus eſt in hac ſententiâ meus Mellifluus Bernardus, cuius librum de Gratiâ, & libero arbitrio, & ſermones LXXXI. & LXXXII. in Cantica de eodem argumento compoſitos commentario illuſtravimus, edidimus, & per modum Theſeon Lovanii propugnavimus.

XXXI.

DCCCX. *Actus liberi.* A*Ctus rationalium agentium, non operantur moraliter ultra eorundem voluntatem.* Bartholomæus à S. Fauſto, *Theſauri lib. 6. quaſt.* 10. hoc axioma videtur in compendium reſolvere Juris Canonici Regulam LXXXI. & LXXXVIII. nimirùm, *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veroſimiliter non eſſet conceſſurus.* Et, *Certum eſt quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contrà legis nititur voluntatem.* Nemo enim concedit plus quàm vult, nec ſtrictiùs quam vult. Imò nec erga Deum peccare poterit, graviùs quàm vult: quam ob rem, qui invincibiliter putavit inobedientiam hanc eſſe venialē, nō peccavit mortaliter, eam committendo. Conſonat Layman *lib. 1 tract. 4. c. 14. n. 2.* Hinc oritur dubium curioſum. *Quæſtio incidens.* Peccatorum gravitas dependet à dictamine, inquis; Ergo qui putat ſe peccare mortaliter, peccabit mortaliter: & cras ſi aliter inſtructus eandem ipſam actionē faciat, putando ſincerè eſſe venialiter peccaminoſam, peccabit venialiter. Et omnia admitto.

Progrederis, & duo dubia proponis. *Primum*, An ſi Petrus putaret, furtum eſſe gravius perjurio, gravius eſſet peccaturus furando, quàm peierando? *Secundum*, An Thomiſta, qui putat peccatum mortale imbibere infinitam malitiam, ſi committat peccata mortalia, committat, quæ imbibant infinitam malitiam? An Scotiſta contra? Et quia altera opinio eſt vera, altera falſa; an ex hypotheſi, quod opinio D. Thomæ, ſit vera, ſint infinitæ malitiæ, mortalia Scotiſtarum crimina, ſi qua committant? & an ex hypotheſi, quod opinio D. Thomæ ſit falſa, ſint adhuc infinitæ malitiæ mortalia Thomiſtarum peccata, ſi qua committant? Hic ego libentiſſimè aliquid doctè aſſertum audiam: aliorum erit hanc facilem controverſiam reſolvere.

XXXII.

I*N omni dubio debet Iudex ſecundum allegata, & probata judicare.* Reginald. *de prudentia pag.* 668. Et ratio eſt; quia ſi ſemel concederetur Judicibus ex æqui- DCCCXI. *Officium Iudicis.*

 tate,

Digitized by Google

tate, ut dicunt, judicare; multis corruptionibus aditus aperiretur. Vide exceptionem, quam ipſe Author ponit *pag.* 669.

[*Actus nulli civiliter.*] Corollarium. *Actus agentium, nec peiores nec meliores civiliter ſunt, quàm probari poſſunt.* Imò ſi nequeunt probari in foro exteriori non ſunt; unde Bernard. de præcept. *Quod probari non poteſt mihi infectum eſt.*

XXXIII.

Q*Vod multoties fit, videtur deliberatione plena fieri.* Comitolus *lib.* 1. *quæſt.* 124. *n.* 2. & ratio eſt, quia ipſamet repetitio actuum, videtur advertentiam inferre.

****

FUNDAMENTUM VI.

Varias Poſitiones ediſſerens.

DCCCII. [*Cauſa cauſæ.*] [*Dei Iuſtitia eſt miſericors.*] DEus punit infra condignum, & præmia dat ſupra condignum; Cauſa Cauſæ eſt Cauſa Cauſati. Per quas cauſas aliquid naſcitur, per easdem diſſolvitur. Major eſt Orbis Urbe. Mus in pera, ignis in ſinu, ſerpens in gremio male [*Ingratitudo.*] ſuos remunerantur hoſpites. [*Leges debent intelligi.*] Leges talibus decent verbis concipi & pronuntiari, qualibus à ſubditis intelligi queant. Eædem inſtituuntur, cùm promulgantur; [*Qua modo firmetur?*] confirmantur, cùm moribus utentium comprobantur. [*Occulta non ſubſunt Eccleſiæ.*] De occultis non judicat Eccleſia. [*Quis eas poſſit interpretari?*] Ejuſdem eſt legem authenticè interpretari, cujus eſt condere. Extra territorium jus dicenti impunè non paretur. [*Pars Toti diſſona.*] Turpis eſt omninò pars ſuo Toti non congruens. [*Ætas & ſexus.*] In Iudiciis habenda eſt ratio ætatis & ſexûs. [*Legum correctio.*] Iura concordari debent, corrigi non debent. In æquivocis, ille ſenſus admitti debet, qui ſit aptus. Ejuſdem eſt ligare & ſolvere. Par non habet poteſtatem in parem. Taciti & expreſſi eadem eſt efficacia. [*Error communis.*] Error communis cum titulo dat Iuriſdictionem. Fortior eſt clauſula ſpecialis, quàm generalis. [*Religioſi correctio.*] Monachi correctio in prima inſtantia ad Abbatem ſpectat. [*Favor non cogit.*] Nemo favore uti cogitur. [*Fides ſervanda.*] Fides eſt ſervanda hoſti; etiam Hæretico. [*Quis condemnatur ad expenſas?*] Nemo ad expenſas condemnatur, niſi improbabilem partem tenuerit. Quod Iuris Divini eſt, nullius hominis eſt. [*Voluntas virtualis.*] Qui irrationabiliter inuitus eſt, virtualiter eſt non invitus. [*Boni inferioris reſtitutio.*] Bonum inferioris Ordinis, non debet reſtitui cum detrimento boni ſuperioris æque gravis. [*Reſtituendi obligatio.*] Qui reſtituere non poteſt, quantum debet, debet reſtituere quantum poteſt. Pro ſola iniuria præſcindendo à damno, nulla eſt reſtitutio facienda ante ſententiam Iudicis. [*Probationis vis.*] Non probat hoc eſſe, quod aliquando contingit non eſſe: [*Defenſio culpabilis.*] Non eſt permiſſa defendendi facultas, ubi offendendi eſt conceſſa libertas. Non debet à privato fieri, quod per Magiſtrat. poteſt. Vim vi repellere licet. In homine libero

Æſtimatio corporis liberi. *Donatio neceſſaria.* *Res judicata: lex.*

bero nulla condigna corporis æſtimatio poteſt. Volenti & potenti velle non fit injuria. In obligationibus, ſi dies non ponitur, præſens ſubintelligitur. Contractus ex parte pupilli ſæpe claudicat. Aliud eſt nocere, & aliud omninò diverſum non prodeſſe. Quæ neceſſariò dantur, ex liberalitate non dantur. Quod Communitati datur nulli datur. In Cauſa propria nemo Iudex, & nemo Teſtis eſſe poteſt. Res judicata pro veritate accipitur. Totus Mundus eſt Regularis Prælati territorium.

Cõtractus claudicans *Prælati territoriũ.*

DCCCXIII Multæ ſunt propoſitiones & variæ, & breviter explicabuntur: eo videlicet ſenſu quo à ſuis ſunt authoribus intellectæ, qui etiam alicubi rejicietur liberè, ſi videatur falſus aut illegitimus.

XXXIV.

Deus cùm iraſcitur, miſericordiæ recordatur. *Quid ſit prædeſtinatio? An gratuita?*

Deus punit citra condignum; Magnes Divini amoris pag. 136. addunt aliqui, *Deus dat præmia ultra condignum.* Hinc patet cur *Magna gratia* æterna vita nominetur. Primò enim prædeſtinatio, quæ eſt auxiliorum præparatio & infallibilis ad vitam æternam promotio gratioſa fuit; ſecundò gratis empti ſumus, Chriſti ſanguine, non enim Verbi incarnatio fuit homini debita, ſicut nec eiuſdem Verbi jam incarnati mors, auxilia omnia efficacia & inefficacia ideò, *gratia* dicuntur, quod ſub meritum humanum nõ cadant; omnibus adhuc iſtis poſitis nondum intelligimus gloriæ debitum, quoniã non ſunt condignæ paſſiones huius vitæ ad futurã gloriam. At poſitâ promiſſione & humanâ cooperatione, clamat Paulus *repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam dabit mihi juſtus Iudex.* Sed quia hæc vera ſunt, ut in ipſa etiam Juſtitia reluxerit gratia, dando præmia ſaltem accidentalia ſupra merita, fecit Deus, ut hæc ipſa corona Juſtitiæ, eſſet ſimul corona gratiæ. Conſono Fabro, *pag. 3. fol.* 407. 1092. 1093. Marchant. *fol. 42. col. 2.* Perezio *in c. 64. reg. S. Benedicti n.* 20. & aliis aſſeclis D. Thomæ 1. *p. q.* 21. *a. 3. ad 2.*

Auxilia, cur dicantur gratia

XXXV.

DCCCXIV. *Cauſa cauſæ.* *Cauſa habens duos effectus.*

Cauſa Cauſæ, eſt etiã cauſa cauſati, quæ aſſertio non ſolùm phyſicè ſed etiam moraliter admitti debet. Illa ſubſtruit Biderman. *theſin. XXII.* & ex illa Rodriquez *to. 4 fol.* 201. *n.* 13. affirmat, *eum, qui dedit cauſam damni, damnum etiam dediſſe.* Layman. *lib. 3. tr. 3. p. 3. c.* 10. *n.* 5. Nota tamen cauſam quæ habet duos effectus, etiã notos, poſſe adhiberi aliquando, in ordine ad unum præſcindendo ab altero. Et lege meam Theologiam Prætérintentionalẽ, ubi ſummâ cõſequentiâ doctrinæ hoc certiſſimum fundamentum exponitur, aſſumiturque.

XXXVI.

DCCCXV. *Generatio & corruptio ſunt analogæ.* *Sacramẽta tranſeunt.* *Præter Euchariſtiã, quæ remanet.*

Per quas cauſas aliquid naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. Layman *fol.* 103. *n.* 28. Reginaldus. *lib.* 25. *n.* 284. Et quidem eſt verũ hoc Axioma, ſive agatur de cauſa intrinſeca, ſive extrinſeca reali aut finali. Unde aliqua Corollaria ſubjungemus.

Primum. *In eaſdem omninò partes diſſolvitur, ex quibus cõponitur.* Unde Sacramentum quod intrinſecè conſtet materiâ & forma tranſeunte, etiam tranſit; & Euchariſtia quæ multorum Salmanticenſium opinione in facto eſſe (fieri à facto eſſe diſtinguunt) componitur ex ſpeciebus & Chriſto, cùm hæ partes ſeparantur, (h. e. non amplius penetrãtur) diſſolvitur. Hinc intelligẽdi illi ſunt

qui

Digitized by Google

qui dicunt, *actum redire in naturam ſuæ formæ.* Reginaldus *fol.* 605.*n.*18.

Ceſſatio cauſæ.

Secundum. *Ceſſante cauſa ceſſat effectus*, quod tam poteſt intelligi de efficiente, quam de finali. Ego *in Schol. num.* 23.24. Layman *fol.*102. *n.*24.& *fol.* 174.*n.*5. Reginald. *de prudentia, fol.* 141. & *lib.*15.*n.*88.

An Lex mortuo legiſlatore maneat?

Nota obiter legem, ſi à ſolo Superiore feratur, eſſe perſonalem nec obligare poſt eius mortem; & ſi feratur à communitate obligare poſt ſuperioris mortem, nō autem poſt diſſolutionem communitatis. Hinc authores intelligendi ſunt. Auſonius Noctinot. *in ſumm. Dian. verb. reſervata. n.*1. ſic inquit *Caſus reſervati ab Epiſcopo per ſtatutum eo mortuo adhuc manent: at ſi reſervatio eſt perſonalis, eo mortuo exſpirat, ut ex Piageſio retulimus verb. caſus n.*21. *Et tenet communis opinio.* Conſonant autem iterum Layman, *lib.* 1.*tr.*4.*c.*21.*n.*3.& *tr.*5.*p.*5.*c.*4.*n.*10. Coriolanus *p* 2.*caſ.*5. *n.*9. Et ego *Commentar. n.*50.

An caſus reſervati maneant mortuo Epiſcopo?

Legis ceſſatio?

Tertium *Ceſſante univerſaliter fine adæquato Legis ceſſat Lex univerſaliter; & ceſſante in particulari ceſſat Lex in illo particulari.* Quoad primam partem, omnium eſt; quoad ſecundam doctiorum. Sic enim ſentiunt Navarrus *tom.*4.*Comment. rubr. de Iudic. n.* 74. Mexia *in pragmat. taxæ panis. concl* 2. *num.* 19. *uſque ad* 36. Henriquez *lib.* 11 *cap.*17.*n.*2. & *lib.*10. *cap.*15. *num.* 8. Comitolus *in reſp. moral. lib* 7.*q.*1.*n.*10. Abbas *in c. Quia in inſulis. de Regul.* Angel. *verb. Lex n.*4.*caſ.*7. Soza *in Bulla Clementis VIII. de largitione munerum fund.*3. Sá *verb. Lex. num* 1. *& verb. ludus. num.*1. Megala. *in* 2. 2. *lib.* 2. *c.*7.*q.*2. *num.*55. Granadus *in p.*2. *contr.*7. *tract.*3. *part.* 1.*diſp.*15.*ſect.*2. Diana *tract.* 10. *de Legib. reſol.*28. Et ego *in Comment. in Regul. D. Benedicti num.*50. Quod videtur evidens: Lex enim naturalis aliquando ceſſat, & non alibi quàm in particulari, nec aliter quàm ceſſante fine in particulari, & humana naturali & divina potentior & ſeverior non eſt.

Lex humana non obligat ſtrictius quàm divina.

Conditionum ceſſatio.

Quartùm, *Ceſſante conditione ſine quâ non concederetur, diſpenſatio aut poneretur Lex, neutra ceſſat, at ceſſante conditione obligationis aut exemptionis ceſſant ipſæ.* Ut rem benè intelligas, conſidera diſpenſationem (eodem modo de prohibitione philoſophare) in ſtatu duplici nimirum in fieri, & in facto eſſe. Dantur enim conditiones ut res fiat, à quibus non dependet jam facta; & dantur etiam conditiones in facto eſſe. In donatione enim *in fieri* requiritur donantis libertas, ut conditio ſine quâ non donaret liberè, nam ſi ille eſſet delirus aut coactus, donatio eſſet invalida: at donatio jam facta non dependet amplius à libertate donatoris, ſed à gratitudine donatarii; volunt enim leges hunc re acceptâ exſpoliari, ſi ſe reddat ingratum. Unde ſi ego tibi his verbis diſpenſationem concederem. *Pro te interceſſit Petrus, cui tanta debeo beneficia, ut nihil ei negare poſſim, igitur concedo tibi licentiam eundi Monachium & manendi quousq; Princeps redeat.* In hoc caſu Petri interceſſio fuit conditio *ſine qua non* concederetur licentia, verum non afficit ipſam licentiam conceſſam, ſed conceſſionem; unde & manebit illa conceſſa, licet Petrus non intercedat ampliùs, imò etiā ille revocationem ſollicitet, & non revocabitur aliter, quàm ſi egò conſentiam. At abſentia Principis ipſiuſmet licentiæ valorem afficit, & illo Monachium redeunte, licentia deſinit.

Diſpenſatio dupliciter conſideratur.

Hic alia conditio afficit ipſummet actum cōceſſoriū & alia obiectum ſeu rem ipſam conceſſam.

XXXVII.

DCCCXVI. *An ſicut in Urbe omnia*

MAior eſt Orbis urbe. Claudius ſoleri ex D.Hieronym. *diſt.*93. *cap. legimus*

Digitized by Google

mus fol. 72. in edit. in 4. ſive de lege quaſtion.5. Prodeſt hoc Axioma, ut ſciamus multas leges, & conſuetudines, ſummâ cum laude in Urbe obſervari, quibus contrariæ alibi ſine reprehenſione tolerantur, aut obſervantur: prodeſt etiam ut doceamur, Urbi ſuam eſſe libertatem ut inter duas probabiles opiniones eligat, quam maluerit, nec inde ſequitur, contrariam non poſſe ab Orbe admitti, & etiam aliquãdo debere: nam in materiâ Politicâ quas Romæ opiniones probabiles Eccleſiaſtici admittunt, rejiciunt Galli, Hiſpani, qui Politicam propriam tuentur, nec volunt cum damno proprio opinioni probabili Romanorum Politicorum aſſentiri. At in materiâ Fidei & in materiâ morum demonſtratâ, debet eſſe idem labium Urbis & Orbis.

XXXVIII.

Ingratitudo condemnata. M*Us in pera, ignis in ſinu, ſerpens in gremio, male ſuos remunerant hoſpites.* Layman *lib.1.tr.3.c.6.n.8.* Docemurq; obiter eſſe *ingratis ſervire nefas.*

XXXIX.

DCCCXVII *An leges obligent non acceptatæ?* L*Eges inſtituuntur, cùm promulgantur,* (intelligo pacificè, non contradicẽte populo, ſed acceptante; leges enim ſi non acceptantur non obligant) *firmantur, cum moribus utentium comprobantur.* Layman *lib.1.tr.4.c.3.n.1.* Nec tamen ſtatim obligant; nam ut idem Author *lib.1.tr.4.c.2.n.4.* bene notat; *Iure etiam communi Cæſareo ſancitum eſt, ut conſtitutiones novæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant,* Vide Axioma XX. & XXIII.

XL.

Leges debent intelligi? L*Eges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas* (non ſolum ſciri, ſed &) *intelligi ab omnibus debent.* Layman *lib.1. tr.4.c.2.n.1.* Unde omnis Metaphora, omnis æquivocatio, omnis verborum ac ſenſuum obſcuritas, quantum fieri poſſit, debet à legum contextu ablegari.

XLI.

An occulta ſubdantur Eccleſiæ? D*E occultis non judicat Eccleſia. Meræ cogitationis apud homines pœnam nemo patitur. Sibi Deus actus internos reſervavit.* Layman *lib.1.tr.4.c.4.n.5.* Nota tamen ſummè hic allucinari plurimos, cum dicunt, de occultis illã indirectè poſſe judicare, *An ſaltem indirectè?* quod verum eſt, illa enim indirectè tanguntur, ſine quibus directè tacta tangi non poſſent, non alia. Concludo igitur Eccleſiam poſſe præcipere actum purè externum directè, non internum, non mixtum. At indirectè illos internos tantùm, ſine quibus ille purè externus ſtare non poteſt. Undè cum ſolùm *Attentio in officio divino.* teneat Horas Canonicas exempli gratiâ pronuntiare, tantam debebo indirectè attentionem habere, quanta ad pronuntiandum ſufficiat; quamobrem ſi benè pronuntiavi, etſi diſtractus, totam quam debui, attentionem impendi.

XLII.

DCCCXVIII. *Authentica legum expoſitio.* E*Iuſdem eſt legem authenticè interpretari, cuius eſt condere.* Layman *li.1.tr.4. c.18.n.1.* adeoq; in Sacrâ Scripturâ eiuſdem eſt illã infallibiliter exponere, cuius revelare & dictare. Stat igitur in interpretatione ſcripturarũ Spiritui ſancto per Eccleſiam loquenti, & non uni aut alteri Hæreſiarchæ credendum.

XLIII.

Iudicium extra territorium. E*Xtra territorium jus dicenti, impunè nõ paretur.* Layman. *li.1.tr.4.c.5.n.4.* & *c.11.n.1.* & inquiris, An Imperialis Camera, captâ Spirâ à Gallis, ſit extra Imperii territorium? An illi; ſi quid modo jubeter, poſſes parere impunè? Reſpondeo eſſe quæſtionem difficillimam, de quâ ſpecialem tractatum edidi.

Digitized by Google

XLIV.

Pars toti diſſona.

T*Urpis eſt omninò pars ſuo univerſo non congruens.* Deſumitur ex Auguſtino. Aſſumitur à Laymanno *lib.1.tract.4. c.9.n.3.* & *cap.13.n.1.* Bartholomæo, de ſancto Fauſto *lib.6.q.*120. *n.*6 Unde multi Theologi, qui tametſi judicent, principem non obſtringi, ſuis legibus, aſſerunt peccaturum venialiter, ſi illas violet, ratione conformitatis, quam debet accuratè ſervare.

An Pontifex, aut alius quicumque Princeps, peccet violando proprias leges

XLV.

Ætatum eſt habenda ratio.

F*Erè in omnibus judiciys pœnalibus, ætati & imprudentiæ ſuccurritur,* Layman. *lib.1.tract.4.c.10.num.*5. legum enim rigor debet ſubditorum fragilitati, quantum prudentia tolerat, attemperari. Hinc etiam eſt, quod fœminæ, & juvenes mitiùs puniantur, quoniam fragiliores creduntur.

XLVI.

Leges non ſunt corrigendæ, ſed concordãdæ.

I*Ura juribus concordari debent, eorumque correctio, quantum fieri poteſt, eſt vitanda.* Layman. *lib.1.tract.4.c.18.num.*12. & hoc Axioma eſt utile ad compeſcendos Criticos, qui reſtitutionis colore leges & antiquos Scriptores corrumpunt.

Criticorũ præſumptio.

XLVII.

Legum expoſitio.

Q*Voties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimum accipietur, quæ rei gerendæ aptior eſt.* Layman. *lib 1.tr.4. c.18.n.4.* Sed cur, quæ aptior? annon ſufficiet apta? Sic puto.

Nota bene

XLVIII.

DCCCXIX. *Perſonæ æquales.*

P*Ar in parem non habet imperium, eiuſdem eſt ligare ac ſolvere.* Layman. *lib.1. tract 4.cap.22.num.2.* Si objicias Regulam Benedictinam, quæ *cap.71.* præcipit, *ut obedientes ſint invicem fratres.* Reſpondeo non dari duos pares, in Benedictino Monaſterio: nam ex præſcripto Capitis LXIII. eiuſdem Regulæ. *Qui ſecunda diei horâ venerit, in monaſterio juniorem noverit ſe illius eſſe, qui prima horâ diei venerit, cuiuslibet ætatis aut dignitatis ſit.* & cap. LXXI. citato. *Præmiſſo igitur Abbatis aut Præpoſitorum, qui ab eo conſtituuntur, imperio; cui non permittimus privata imperia præponi; de cætero omnes juniores prioribus (ſenioribus) omni charitate & ſollicitudine obediant.*

Iuniores debent obedire ſenioribus.

XLIX.

Conſenſus tacitus.

T*Aciti & expreſſi eadem eſt virtus.* Layman. *lib.1. tract.4.cap.22. num.7.* & *lib.3 ſect.4.num.15.* Et ratio eſt; quia tacitum virtualiter eſt expreſſum; hoc eſt, realiter non eſt expreſſum, at prudentum judicio ita ſe habet, ac ſi realiter eſſet expreſſum.

Quid ſit jus tacitũ?

L.

DCCCXX. *Titulus coloratus.*

E*Rror communis cum titulo præſumpto (hoc eſt probabili) facit jus, juriſdictionemque tribuit, etſi occultum ſubſit impedimentum ex jure poſitivo.* Layman. *lib.1. tract.4. cap.22. num.9.* Hinc eſt quod Confeſſarius, qui probabiliter eſt approbatus, habeat non jam probabilem, ſed & certam juriſdictionem, abſolvatque non jam probabiliter, ſed certò. An & in matrimonio reſpectu dirimentium impedimentorum hæc regula habeat locum, tu videris.

Certa eſt abſolutio data a cõfeſſario probabili.

LI.

Clauſula ſpecialis.

C*Larior & fortior eſt clauſula ſpecialis quàm generalis.* Layman. *lib.1.tract. 4.c.23.n.7.* Patet quia generalis multas ſolet limitationes pati, quarum ſpecialis eſt incapax.

LII. Mo-

LII.

Religioſi correctio. MOnachi correctio in prima inſtantia ad Abbatem ſpectat. Layman. *lib.* 1. *tract.*5.*cap.*7.*num.*2. Hæc Regula proderit intellecturis Quæſtionem ante aliquot annos iterum iterumque inter Abbatem Montis-Sancti in Bavaria & Epiſcopum Principem ſubortam. Monaſterium enim illud exemptum non eſt & cùm Abbas interrogaretur à Principe; Quiſnam eſſet in illo Monaſterio ſuperior, *Ego*, ait, *& immediatè nullus alius. Nam Veſtra Celſitudo, eſt meus Viſitator, qui nihil poteſt meis Monachis extra viſitationem præcipere; ſed mihi; ego enim V. Celſitudini ſubdor, ſalvis tamen privilegiis meis, & Iure Ordinis; at Monachi ſubduntur mihi.* Et quidem univerſa veriſſimè & prudentiſſimè; non enim in Monaſteriis non exemptis habet maiorem authoritatem Epiſcopus, quàm haberet Ordo, ſi eſſent exempta; at apud Ciſtercienſes & reliquos Benedictinos Monachi non ſubduntur immediatè Provinciali aut alii cuicumque ſuperiori, ſed ſuo Abbati: Ergo nec immediatè ſubdentur Epiſcopo, in non exemptis. Stat igitur Monachi correctionem in primâ inſtantiâ pertinere ad Abbatem (ſive ipſe exemptus ſit, ſive non ſit) & in genere appellationis, ſi hæc licet (in multis enim congregationibus nulla permittitur; & in nullâ permittitur, de re, quæ non tangat honorem graviter) poſſe cauſam à Monaſterij Viſitatore recognoſci.

Monaſteriorum nō exemptorum immediatus Superior.

An Monachus poſſit appellare?

LIII.

DCCCXXI. *Favor non fit invito.* NEmo favore, privilegio, aut beneficio invitus uti cogitur. Layman. *lib.*1.*tract.*5*pag.*2 *cap.*4.*num.*4.*& lib.*4.*tract.*4.*cap.*8.*num.*27. An ne hoc Axioma eſt univerſaliter verum? An-ne aliquas habere limitationes debet? Non puto. Ergo multas inferet conſequẽtias, quas propriis locis adnotabimus.

LIV.

FIdes, quæ promittitur, eſt hoſti ſervanda, contra quem bellum geritur. Layman. *lib.*2.*tract.*3. *c.*12.*quæſt.*5. Unde non eſt cur calumnientur Hæretici, dicantque à nobis doceri contrarium: in ſuis enim libris legimus, fidem Catholicis ſervandam non eſſe; id ab ipſis in noſtris libris legi non patimur. *Fides hoſti ſervanda.*

LV.

IN judicio, qui cadit causâ ad expenſas condemnari non ſolet, niſi litigando, aut dolum aut culpam commiſerit. Layman. *lib.* 2.*tract.*3.*quæſt.*1. *in fin.* Hinc eſt, quod qui probabilem cauſam ſuſtinuit, ad expenſas condemnari non debeat. *Quisnam debeat ad expenſas damnari?*

LVI.

QVod Iuris Divini eſt, id in nullius hominis bonis eſt. Layman. *lib.*3. *tract.*1.*ſect.*5.*cap.*5.*num.*6. Conſonat Juris Canonici Regulæ LI. nimirum *ſemel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.* *Res Deo ſacra.*

LVII.

QVotieſcumque Creditor, aut Dominus rationabiliter contentus eſſe debet ut reſtitutio differatur, poteſt differri, tametſi invitus ille ſit. Layman. *lib.*3.*tract.*2.*c.*12.*num.*1. quoniam *irrationabiliter contradicens, Virtualiter conſenſum præbet.* Et quidem hæc aſſertio fundamentum eſſe poterit multarum reſolutionum gravium. *Conſenſus virtualis.* *Nota id bene.*

LVIII.

BOnum inferioris Ordinis reſtituendum non eſt, cum detrimento boni ſuperioris DCCCXXII *Reſtitutio.*

perioris in ſuo genere æquè gravis. Layman. *lib.3.tr.2.c.12.n.2.*

LIX.

An pauper teneatur partem reſtituere?

An æger partem Officij recitare?

Q*Vi reſtituere non poteſt quantum debet, reſtituere debet, quantum poteſt.* Layman. *lib.3.tr.3.p.2.c.7.n.3.* An & qui in Officii Divini materiâ non poteſt legere quantum debet legere, debebit, quantum poteſt? Auſonius Noct. not *in Dian. ſumm. verb. Hora Canon. num.64.* ſic ait, *Si Medicus judicat recitare poſſe maiorem partem, id eſt, Matutinum cum laudibus, tenetur ad illam. Rodriquez in ſumm. p.1. cap.145. Dian. p 2. tract. 12. reſolut. 29. ſi verò judicat recitare poſſe minorem, id eſt, reliquas horas non tenetur ad illas; Pallaus tom 2. punct.6 diſputat.2. numer.9. contra Leſanam, cap.12. numer.27. aſſerente Diana p.4.tr.4. reſolut.* 225. ubi, cum ſit materia odioſa, Rationis paritas neganda eſt.

LX.

Reſtitutio pro iniuriâ.

P*Ro ſolâ iniuriâ, ſecluſo damno, nulla eſt facienda reſtitutio ante Iudicis ſententiam,* Layman. *lib.3.tract.3.p.2.cap.7.num.6.*

LXI.

DCCCXXIII.

Ex aliquãdo ad nunc & ex alicubi ad hic non valet conſequẽtia.

N*On probat hoc eſſe, quod quandoque contingit abeſſe* Layman. *lib.3. tract. 3.p.3. cap.1. num.* 8. Ex albedine enim non benè probatur Humanitas, quoniam quàm multi homines non albi in variis provinciis reperiuntur; at benè probaretur ex rationalitate, non enim datur animal rationale, quod homo non ſit, & in Moralibus pariformiter eſt philoſophandum.

LXII.

Defenſio ſui nõ ſemper licita.

N*On eſt permiſſa defendendi facultas, ubi offendendi eſt conceſſa libertas.* Layman. *lib.3.tract.3.p.3. cap.2. numer 3.* Adeoque damnatus capite contra lictorem non poteſt ſuam vitam defendere. Sed quid dicam, ſi iniuſtè condemnatus ſit? Reſpondeo ob bonum publicum poſſe legem ſanciri, quâ inhibeatur, *ne quis ferro ſuam innocentiam tueatur, ſi à Iudicibus condemnari contingat*: quâ lege ſemel poſitâ & acceptatâ, nemo poterit armis ſe defendere contrà Lictores; ſed debebit unusquisque remediis Juris uti, & ſi hæc minùs ſufficiant, habere patientiam, etiamſi capite condemnaretur. At hodie eiusmodi legem latam neſcio; & puto neminem ceſſiſſe jure, quod natura univerſis concedit, adeoque innocenti qui armis ſe defendere poſſet, licere ſe contra quoscunque propugnare, etiam occidendo Lictorem, & alios quoscumque innocentes; illa enim homicidia, ſi fierent, ſervato moderamine debito, eſſent præterintentionalia, nec poſſent imputari illi, qui ſuo jure utitur, & vitam injuſtè damnatam defendit.

An iniuſtè damnatus ſe poſſit defendere?

Quid ſi innocens juſtè condemnaretur

Quid autem ſi innocens & tamen injuſtè condemnaretur? Caſus eſt omninò poſſibilis; qui enim occidit aggreſſorem, & tamen hanc circumſtantiam probare ne quidem ſemiplenè poteſt: Damnabitur omninò capite, & tamen quoad Deum erit innocens; & reſpondebo etiam in iſto caſu ſe poſſe ferro & armis defendere: quod ipſum exemplis dilucido.

Caſus primus.

Joannem Petrus invadit, & ut tuto ſe puello protegit, ne lædi poſſit. Prævidet periculum Joannes, & ſe non poſſe ſervari

Digitized by Google

ſervari aggreſſore ſervato: at quia hunc non aliter occidere poteſt, quàm puello innocente occiſo, quo ſe protegit, rogat, An iniqui aggreſſoris petere cor poſſit per medium puellum? *Et poſſe* abſolutè reſpondeo, puellique mortem Theologicè & civiliter coram Deo & Rege, imputandam fore ſoli Petro, qui ut hominem occidat, puello abuſus.

DCCCXXIV. *Caſus ſecundus.*

Te invadit Fridericus inſanus. Fugere nequis (nam ſi poſſes deberes; non enim honorem perdit, qui inſanum fugit) ergo vel occidere debes, vel occidi. Utrum facies? in ipſo non ipſe ſed morbi violentia operatur; & occidere innocentem res dura: an ne te occidi permittes? res eſt durior. *Reſpondebo*, te poſſe conſulere tuæ vitæ; etſi non poſſis aliter, etiam occidendo invaſorem delirum. *Sicut* de fatuo & deliro, ſic etiam de puero & innocente philoſophare.

Caſus tertius.

Qui enim in navi videt puellum, ignem ſulphureo theſauro adhibere, debebit ſi aliter impedire non poſſit, potius illum occidere, quàm permittere navem & in ipſa ſe puerum & omnes alios concremari.

Ebrius voluntario eſt delirus.

Eodem modo à fortiori philoſophandum eſt de ebrio; ipſe enim culpâ ſuâ delirus eſt.

LXIII.

Iuſtitia privata interdicitur.

An poſſit occidi filia & uxor in fornicatione deprehenſa?

N*On eſt ſingulis conceſſum, quod per Magiſtratum poteſt expediri.* Eſt Regula CXXXV. Layman. *lib.3. tract.3 p.3. cap.2. num.* 4. Suas tamen exceptiones patitur: Lege enim civili expreſſa conceditur Patri & Marito, ut filiam & uxorem in adulterio comprehenſam interimant; Quod tamen poſſet per Magiſtratum expediri. Addo etiam ex Auſonio Noctinot *in ſumm. Dian. Verb. occidere num.*20. hanc periodum. *Nota hic ex Strouersdorff. in 2. 2. quæſt.64. articul.7. concluſ.7. furem rapientem occidi poſſe, etiamſi furtum poſteà recuperari poſſit, ... Doctores alij tenent, tunc furem occidi poſſe, quando furtum aliter recuperari non poteſt.*

LXIV.

Vis repellitur vi.

V*Im vi repellere licet.* Layman. *lib.3. tr. 3. p.3. c.3. n.1. & 3.* ſic ait, *Iure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.* At in meâ præterintentionali Theologia, licere quidem aggreſſorem occidere, at hanc ipſam licentiam & occiſionem non eſſe directam, ſed ſolummodo præterintentionalem oſtendo.

Homicidiũ præterintentionale

LXV.

Corporis liberi æſtimatio.

I*N homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt.* Layman. *lib.3. tract.3. p.3. c.6. num.*2. at in benè gubernatis Rebuspublicis, jam obtinuit conſuetudo, ut ſi homicidæ venia concedatur, tantum aut tantum debeat ſolvere parti.

LXVI.

V*Olenti (& potenti velle) non fit iniuria.* Layman. *lib 3 tract.3. p.3. c.13. num.*1.

Objectio.

Sed objicitur ſtatim mors Chriſti, quæ illata fuit volenti & potenti permittere, erat enim Deus, & tamen ſine iniuria non fuit.

Satisfactio.

Reſpondeo Primò Chriſtum non aliter voluiſſe mortem, quàm omnes alii Martyres; nemini enim præcepit ſe occidi, nemini conceſſit licentiam, ſed mortem illatam iniuſtè ſanctè & patienter ſuſtinuit.

Chriſtus quà homo.

Addo eum quà hominem non potuiſſe ſe occidere, nec licentiam ſe occidendi concedere, adeoque illi fieri iniuriam, etiamſi quod impoſſibile fuit, quà homo ſe præciperet occidi, aut licentiam concederet.

Digitized by Google

LXVII.

Obligationum tempus.

IN *obligationibus, ſi dies non ponitur, præſens ſubintelligitur.* Layman. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 4. *num.* 1.

LXVIII.

Minorum contractus imperfecti

COntractus *ex parte pupilli ſæpe eſt claudus.* Monemur hoc Axiomate, ne cum pupillis contrahamus. Aſſumitur à Layman. *libr.* 3. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 6.

LXIX.

Invidia.

ALiud *eſt nocere, & aliud diverſum non prodeſſe.* Layman. *libr.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 6. Notari deberet ab impatientibus & ambitioſis, qui tantum ſibi auferri putant quantum non datur.

LXX.

Neceſſitas.

NEmo *in neceſſitate liberalis exiſtit, qui dat aliquid in neceſſitate, non tam dicitur donare, quam ſolvere.* Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *numer.* 4. Et ratio eſt, quia omnia, quæ humanitùs diviſa ſunt, in extremâ ſunt neceſſitate communia; nec donatio fit, cum datur pauperi extremè indigenti, quod ſuum eſt. Sed hoc ipſum aliquas patitur difficultates.

An omnia in neceſſitate ſint cõmunia?

LXXI.

Donatio facta communitati.

QVod *collegio datur, nulli datur*; Et ratio eſt, quia nullius in particulari eſt; id quod communitati datur. Quo debeat modo hæc intelligi Aſſertio, docet Layman. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 3. Hæc veritas à favoribus faciendis communitati univerſos retardat; nemo enim gratias agit pro collato toti Communitati beneficio.

LXXII.

An aliquis poſſit in cauſis proprius judicare, aut ſaltem teſtimonium dicere? Bohemi & Aragones in cauſis propriis ſolent eſſe judices:

NEmo *in ſua Cauſa Iudex eſt, nemo teſtis.* Layman. *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 12. Interim aliquibus viris exceptione maioribus, aliquando, alterutrum concedi ſolet. Habet Bohemia, habet Aragonia, & Navarra aliquos Vaſallorum Dominos, quibus, quoniam de ipſis nihil male præſumit Reſpublica, conceditur, ut cauſas ſubditorum dijudicent, etiam alicubi ſententiâ ultimâ, ſine appellatione, injuriis propriis non exceptis. Sed & hanc eandem authoritatem eſſe multis abuſibus expoſitam experientia nos docuit, & hodie circumquaque decircinatur. Sed prudentiùs videtur conceſſum ab Urbano III. Pontifice Maximo Anno 1186. ut Ciſtercienſes ob vitæ puritatem tantæ veracitatis debeant dici, qui in cauſis propriis tam civilibus, quàm criminalibus, ſuorum poſſint Religioſorum teſtimoniis uti. Sed ſi alicubi contingat ab antiqua ſanctitate deficere, timendum eſt, ne poſſint etiam abuti hoc privilegio.

& Ciſtercienſes teſtes.

LXXIII.

REs *judicata pro veritate accipitur.* Regula CCVII. Layman. *lib.* 3. *tract.* 6. *c.* 6. *n.* 4. Quoniam ipſa bene fuiſſe examinata & diſcuſſa ſupponitur.

LXXIV.

Prælatorũ authoritas

TOtus *Mundus eſt Prælato Regulari pro territorio.* Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 2. Quia, cùm habeat authoritatem in perſonam, & hanc independenter à loco, ubique terrarum Religioſus ſit, Superioris ille eſt.

Ex

LXXV.

EX *delicto nemo utilitatem debet conſequi.* Eſt certiſſima: Sed quia mirabilis mihi videtur cuiuſdam Junioris ſcriptoris doctrina; illam prò coronide Capitis præſentis ſubjungo.

Fuit ſepties impreſſus in Hiſpaniâ: & translatus in linguam Latinam à R.P. Nicolao Ianſenio Boy Ordinis Prædicatorum.

R. P. D. Antonius de Molinâ Monachus Carthuſienſis in Inſtructione Sacerdotum *tract.* 2. *cap.* 14. §. 2. Sic ait. [Hæc licet ita ſint, amplianda tamen aliquo modo videntur, ut fragilitatis & communium temporum calamitati ſubveniamus. Etenim, ſi Eccleſiæ Principes, & qui opulentis beneficiis fruuntur ea virtutis laude excellerent, quam honoris exigit amplitudo; exiſtimem illos in paupertate ſpiritus, animique ſubmiſſione, ſine minimo authoritatis diſpendio, optimè victuros. Nam in dignitate conſtituti, licet frugaliter & modeſtè viverent, in honore tamen haberentur ob ſpectatas virtutes quæ ſolidam & veram merentur laudem. Sic SS. Martinus, Nicolaus, Ambroſius, Baſilius, & ſexcenti alii, quia hac ratione vitam inſtituerunt, Imperatorum ac Principum honore digni facti ſunt: imò hac ætate, ut ſuprà diximus, eiuſmodi exempla præclariſſima non defuerunt, nec dubium eſſe poteſt, quin & nunc viris ſanctitate præditis eadem nominis exiſtimatio oriretur. Sed quia pleroſque hæc Religio deficit, unde & eis debita reverentia non præſtatur; juſtâ ratione permitti videtur, ut aliquo ſe efferant ſplendore & apparatu: mundus enim exteriora illa demiratur, & ad deferendos honores ſic quodam modo impellitur: quod magni faciendum non facile quis neget,] ſic Molina. Quia tamen hanc doctrinam pernitioſam & improbabilem eſſe videbat, eamdem remiſit, & obſervatione duplici limitavit. Addit enim [Hæc appendix, ſive ampliatio dupliciter limitanda eſt: *Primò*, adverte naturam noſtram maximè pronam eſſe in rerum omnium abundantiam & ſuperfluitatem: unde huic inordinato appetitui non ſtatim indulgendum, quamvis ad id juſto titulo moveatur: præſertim, ubi maius damnum exemplo luxuriæ timetur, quàm foret bonum, cuius gratiâ aliquantulùm excedimus in apparatu. Nec enim in hac noſtra ampliatione perſuadeat ſibi aliquis permitti profanos inutileſque ſumptus, convivia ſplendida, decoctiones, & eiuſmodi: nec licere in parentes Eccleſiæ Theſauros erogare, ac iiſdem ad ſublimiorem illos evehere dignitatem, multò minùs primogenituras, cenſuſque perpetuos conſtituere. Quod ut ſatis docuit experientia, peſſimum ſæpe finem ſortitum eſt, & fumi inſtar, quod ſtabile putabatur, huc illuc diſſipatum: quia Chriſti patrimonio vis illata & pauperum calamitatibus auxilia ſubtracta ſunt. *Secundò*, hoc titulo, nullus exiſtimet licitum plus aliquid à ſe poſſe abſumi, quàm ad victum amictumque honeſtum ſufficiat, & quod ſatis videatur eſſe, ut temperatâ ac Religioſâ, moderatione vivat. Non idcirco ſuperbiant Clerici aut ſeſe exaltent, ſed potiùs cum gratiarum actione Deo proſternantur, confeſſi hoc eſſe medium, quo virtus quæ deficit ſuppleatur: quod ſi & illam compararint, habent quo minoribus poſſint vivere expenſis: eas tamen à ſe fieri, ut autoritatem, quam ex ſe non merentur, à Deo con-

Vera laus ex virtute.

Ecce irreligioſi Homines ex vitiis & delictis utilitatem conſequerentur.

Limitationes Molinæ.

Prima: ne peccetur in exceſſu.

Convivia, decoctiones, cognatorum promotiones, &c.

Secunda, ne peccetur profanitate.

An virtus famulatu & veſtiũ ſplendore ſuppleatur?

conceſſis opibus mereantur.] Sic priorem doctrinam limitat & remittit Molina. Sed, ut video, aut limitationes univerſam priorem doctrinam delent, aut ſunt omninò inſufficientes. *Primò*, quia ſi mali poſſunt plus expendere quàm boni, *ut hoc medio, virtus quæ deſuit, ſuppleatur*, (verbis utor Molinæ) peiores poterunt plus expendere quàm mali, ut hoc medio plures virtutes, quæ deſunt, ſuppleantur. Et quis hoc toleret? *Secundò*, quia non ſuppletur virtus famulatu & ornatu, ſed irritantur ſæculares omnes, & Eccleſiaſtici modeſti, cùm vident bona à ſanctis legata, ut ſancte Eccleſiaſtici vivant, inutiliter dilapidari. Maioris fit Eccleſiaſticus modeſtus, quàm vanus: & qui unicam habet virtutem, maioris fit illo, qui nullam. Ergo ſiquidem è duobus malis minus eligi debet, præſtat eſſe modeſtum & fragilem, quàm vanum & fragilem. Vel audiantur obſecro Calviniani, cùm Catholicus Hiſpaniæ Rex reſtituebat aliquas dignitates Eccleſiaſticas. Videbant nonnullos ignorantes & malemoratos promoveri, & tolerabant; nam & ipſi etiam ſunt malemorati & ignorantes; & ſimiles ſimilibus gaudent. At verò Fundatorum nepotes, qui ſpe vel uſu exſpoliabantur, ut videbant ſuorum Avorum bona ab Ebrioſis in comeſſationibus concoqui, ad cœlum & Deum exclamabant.

Præſtat ornari unicâ virtute, quã nullâ.

Calviniſta quales?

Sed inquis: Etiam ibi exclamaret Molina, qui luxum, ebrietatem, & comeſſationes condemnat. Sed ego, aut illum non intelligo, aut ampliationem ipſe delet (quod paulò ante ſubmonui) cùm limitationes adducit. Has admitto; illam deteſtor: & ſi illæ tales ſint, ut omnem illam ampliationem non abradant, abſtergantque, quidquid ex ampliatione remaneat, è cenſu probabilium opinionum rejicio.

HÆc ſunt Candide Lector, præcipua Theologorum Axiomata, quibus ſolent reſolutiones ſuas in conſcientiæ materiâ fundare, & tametſi plura ad manum eſſent, quæ poſſent præmiſſis adjungi, nolui certa incertis & ambiguis confundere, ſed illa omittere paucis iſtis contentus. Porro circa eorundem intelligentiam, non eſt cur multum hæreas, cùm ita ſint tradita, ut & ſenſus ſit additus. Fruere & Vale & ab his inſtructus clavibus ad Canonicum curſum accingere & ad Decretorum Lectionem expeditior & inſtructior accede.

SYNTHESES REGULARES.

DCCCXXV. *Cur Fundamenta præmittantur?*

CURSUM Moralem apparo, & tenuitatis propriæ conſcius FUNDAMENTA præmitto, ex parvis enim erroribus graves & intolerabiles inferuntur interdum, & expedit præmiſſas ab Hominibus doctiſſimis examinari, ne ſub probabilitatis ſpecie improbabiles aut ſaltem non comprobabiles aliquæ Conſequentiæ ſubrepant, quæ aut expungi debeant omninò, aut ſaltem remitti aut alterari. Eadem conſcientiâ & mente ante annos

Digitized by Google

Commentarius in Regulam D. Benedicti, qui Regularem Theologiã complectitur, editus fuit anno 1639. Brugis, & iterum Francofurti an. 1646.

annos decem REGULAREM THEOLOGIAM ſcripturus Fundamenta præmiſi, quæ à Viris doctiſſimis examinarentur, quibus approbatis & magnâ authoritate confirmatis ſubſtruxi Reſolutiones illas, quas amplectuntur omnes docti & pij Antiſtites, qui modeſtè vivunt, & D. Benedictum amant: quas contrà, ſed vano & irrito conamine carpunt nonnulli, quibus omnia falſa, quæ neſciunt; omnia dura, quæ mores corrigunt, & ad Regulam ſanctam eliminant. Quicumque ſuperior, voluerit eſſe Dominus & Monachos habere ſervos, libros illos non adeat, in quibus demonſtratur æquè Abbatem & Monachum Regulæ Magiſtræ ſubeſſe; æquè illum & illum voto paupertatis obſtringi, & ſi bona Monaſterii dilapidet, peccare, & ad reſtitutionem teneri.

Abbates obſtringi ad Regularia, audire libertini nolũt.

Cruda aliquorum opinione ſententia, ſed vera, certa, & indubitata; quam nec doctus, nec bene moratus Antiſtes in diſputationis aleam vertat. At expediret, inquiunt, etſi hæc vera omnia, ignorari à privatis, ne ſuperiorum abuſibus ſcandalizentur. Hoc tamen nego. Oportet enim ſuperiorum obligationes ſciri à ſummis & infimis; ut ab his moneantur, & ab illis compeſcantur, cùm errant. Non creantur Antiſtites, ut habeat Eccleſiaſtica Res, qui comeſſentur, ſuperbibant (ut taceam cætera) ſed ut habeat, qui exemplo præeant, *Abbas enim*, ut jubet D. Benedictus, *ſemper meminiſſe debet, quod dicitur, & nomen Maioris* (hoc eſt, *Melioris*) *factis implere.* [Factis inquit, non verbis. *debet enim*, ut infit, *Omnia* (ergo non tantùm aliqua) *factis amplius, quam verbis oſtendere.*] Sed hæc nota in Regionibus, ubi obſervantia viget; at ubi bellorum injuriâ exulat illa, ignota omnia; & ſi vel dicta aut lecta, Homines irritant, qui volunt exleges dici & eſſe.

An ſubditi ignorare debeant obligationes ſuperiorum?

In Regul. ca. 2. Præſulis exemplo totus componitur Ordo.

Syntheſes quales?

Has ergo Syntheſes ſubjeci examini, ne mea ſenſa producerem, ſed grandium potiùs Theologorum ſententias, quas rejicere ſit temerarium; cùm impoſſibile ſit probabilem condemnare ſententiam; & impoſſibile eam non eſſe probabilem, cui multi Doctores ſubſcribunt: qui enim Propoſitioni à multis Viris doctis aſſertæ neget probabilitatem, hic negat lineæ longitudinem, ſuperficiei latitudinem, & corpori profunditatem; hic negat definitionem definito competere; nam Propoſitio probabilis (ſi agamus de authenticâ probabilitate, quâ Theologiam noſtram ſtabilimus) illa eſt, quæ ab aliquibus Viris magnis aſſerta.

Quid ſit probabilis opinio?

Probabilitas duplex: authentica, rationalis.

Error cuiuſdam Viri in authoritate conſtituti.

In hunc ſcopulum impegit quidam præcipuè Antiſtes, qui ſimul admittebat eaſdẽ Propoſitiones, eſt Doctorum plurium, & eaſdem improbabiles eſſe. Sed quid faciemus aut dicamus homini incapaci doctrinæ: qui enim hunc errorem non percipit, ut verum addiſcat eſt incapax? Eum literis, datis ad D. Franciſcum Penneman, ſi non docui, compeſcui; imò cum ipſo alios, quos ipſe ſecum in errorem ſeduxerat.

Invenientur hæ litera, in Theologia Regularis pag. ultim. & in Theologiâ Fundamentali num. 18. ſ.

Sed cur *Syntheſes* voco, quas vulgus *Theſes*? Quia Theſes à Syntheſibus differunt: quod ante me, à nemine, quem ſciam, fuit obſervatum. Dicebat Ariſtoteles, *Dialecticus ſyllogiſmus eſt, qui ex probabilibus eſt ſyllogizatus.* Deleo illud *probabilibus*, & repono *comprobabilibus*: dantur enim ſyllogiſmi, quorum Præmiſſæ ſunt probabiles, & conſequentia bona, & tamen improbabile conſequens. Cur alios quæ-

Quid ſint Theſes? quid Syntheſes?

Correctus Ariſtoteles.

An ex probabilibus improbabilia ſequi poſſint

ram? hunc olim poſuiſſe me memini: hunc repono.

Quotiescumque unum concipitur ſine altero, inter id quod concipitur, & id quod non concipitur, datur realis diſtinctio.

At in Deo Divinitas concipitur ſine Relationibus.

Ergo inter Divinitatem & Relationes datur realis diſtinctio.

An dentur præciſiones objectivæ? Syllogiſmus eſt bonus, & conceſſis præmiſſis non poteſt conſequentia negari. Maior eſt probabilis, & admittitur ab univerſis, qui præciſiones objectivas rejiciunt. Minor eſt probabilis etiam, & admittitur à Thomiſtis, Scotiſtis, & aliis. Et tamen conſequentia improbabilis & abſurda eſt. Sed cur hoc monſtrum oritur ex probabilibus præmiſſis? Quia tametſi illæ ſeorſim probabiles ſint, non tamen ſunt comprobabiles; non enim unus & idem Author utramque admittet: nam qui maiorem concedunt, minorem abſolutè negant; & qui minorem admittunt, non volunt audire maiorem.

An omnes poſitiones probabiles ſint comprobabiles.

Hinc jam colligi poterit Syntheſeon & Theſeon differentia. *Theſes* dicimus Probabiles Propoſitiones: *Syntheſes* verò, Comprobabiles, quæ videlicet omnes ab uno & eodem Theologo defendi poſſunt.

An ſint Theologi vivi citandi? Sed cur vivos allego; & multos, qui Libris vulgatis non clarent: maximè, cùm multis hodie Authoribus citare ſuperſtitem religio ſit? Quia, ſicut multi ſunt Scriptores indocti, ſic etiam ſunt Viri doctiſſimi, qui non libenter movent calamum. Reverendiſſimum Patrem Didacum de Quirogâ inter intimos habui, dum Viennæ viveret; & modo, dum triumphat inter Cœlites, (ſic ſpero) inter maximos Patronos veneror; ſubtiliſſimum, doctiſſimum, ingenioſiſſimum. In Philoſophiâ habebat multa præclarè cogitata: in Theologiâ multa magni momenti: & ut inſinuem aliquid, in materiâ de auxiliis rejectâ ſcientiâ mediâ, & phyſicis Prædeterminationibus, pulchrè & clarè exponebat, quæ Thomiſtæ, & quæ Moliniſtæ non clarè. In Politicis ſummus: totâ enim ille vitâ negotia publica tractaverat; & jam octogenarius aut fere, erat auxilio Regi, & directioni univerſis Legatis. At quia confidebat memoriæ, etiam in illa ætate prodigioſæ, nihil ſcribebat omninò. Obiit, & cum ipſo univerſa. Sunt etiam alij multi Quirogæ ſimiles, qui doctiſſimi ſunt, & tamen non ſcribunt libros: quorum mens, ſiquidem è libris non poteſt, è conſultationibus debet haberi.

Quiroga Vir Maximus nihil ſcripſit.

Sunt & alii Theologi ſubtiliſſimi, qui libros ſcribunt, ſed non Theologicos, vel quod aliis argumentis occupentur ſuaviùs, vel fortè impendantur utiliùs. Eiuſmodi fuit Reverendiſſimus Angelus Manrique, Salmanticenſis Doctor; Theologiæ Moralis, & demum Scholaſticæ multis annis Profeſſor; & non qualiſcumque, ſed primarius; & tamen Concionum multos tomos, & Ciſtertienſis Hiſtoriæ etiam multos, & nihil Scholaſticum edidit. Multi ad illius mentem actus ſuos elimabant, & quia illam in libris invenire non poterant, aut eumdem conveniebāt per literas, aut ſi ferret occaſio, coràm interrogabant.

Angelus Manrique Vir etiam Maximus multa Theologica dictavit Salmantica, ſed nulla edidit.

Hinc jam ſciri poſſet, cur ego Theologos adhuc vivos conſuluerim, & eorumdem ſententiis meas firmaverim; ſed adhuc altera occurrit ratio, quæ ſileri non poteſt. Quoniam Scriptores antiqui, pro utraque ſæpe opinione citantur; & eorumdem plurimis teſtimoniis oppoſitæ roborantur ſententiæ; tam enim ambiguè & obſcu-

Sententiæ ſcripta ab antiquis obſcura.

Digitized by Google

obſcurè nonnulli, ut niſi reviviſcant, eorum mentes non poterimus adſequi. Et ut loquamur ſpecialiùs, quis eſt in Orbe literario Theologus, qui non dicat ſe tenere doctrinam, quam Patres Veteres, & præcipuè Hipponenſis Epiſcopus? Illum allegant Recentiores Thomiſtæ, ut Phyſicas Prædeterminationes inducant, & Dei ſcientiam proſcribant, quam *Mediam* Moliniſtæ nominant: & tamen hi admiſſum iri ſcientiam Mediam, & negatum iri Phyſicas Prædeterminationes productis Auguſtini teſtimoniis contendunt; & tam claris & fortibus, ut ſi hæc legas, Thomiſtas; ſi iſta, Moliniſtas affirmes, ſub Auguſtini labaro militare. Imò ſi Moliniſtas relegas, ſubdubitare incipies, An D. Thomas habuerit illam opinionem, quam hodie propugnant Thomiſtæ? habemus enim Juniorum Philoſophicos, & Theologicos Libros, in quibus Thomiſtarum ſententiæ non eſſe D. Thomæ dicuntur, aut ſi velis, videntur: & in tantâ opinionum & aſſertionum varietate, verum ſciri non poterit, niſi ipſe Thomas (aut etiam Auguſtinus, & alij) excitentur à mortuis, redeant ad ſcholas, & iterum nobis loquantur.

An omnes Theologi doctrinam Auguſtini ſequantur? An ille docuerit ſcientiã mediam; aut Phyſicas Prædeterminationes?

An Molina reſtituat doctrinam D. Thomæ?

An Thomiſtæ ſequantur D. Thomã?

Eccleſia Dei interpres.

Hanc ob rem Jeſus Chriſtus, ne Evangelium, meritò citaretur pro ſententiis contrariis, reliquit in mundo Eccleſiam, viſibilem eiuſdem Interpretem, quæ ſpiritu ſancto conſulto poſſet de Sacræ Scripturæ intelligentia pronunciare.

Fruſtra igitur ad defunctos recurritur, ſi quid ſenſerint, quæritur: præſtat igitur adire vivos; qui poterunt ſuam mentem exponere; quam ad mortuos recurrere, qui nequeunt mentem ſuam explicare. Id hucusque feci: id ſemper me facturum ſtatuo: plus enim à vivis addiſco, quàm à mortuis. Scripturus Theologiam Regularem, Syntheſes nonnullas præmiſi, ut ijs examinatis faciliùs & ſecuriùs procederem: id jam dixi. Scripturus de Sacri Romani Imperij Pace, etiam præmiſi undecim Theologico-Politicas propoſitiones legendas & examinandas. Quas, ſi Schola reieciſſet, calamum non ſumpſiſſem; ita enim connexa ſunt omnia, quæ illo libro tractantur, ut debeant ſingula illis admiſſis admitti, & negatis negari. Et modò Theologiam Moralem editurus, hæc Principia præmitto, ut conſultis doctioribus ſciam, quo debeam modo in cæteris philoſophari. Interim, ne careas his Syntheſibus, huc illas reponi debere judicavi.

Vivi debẽt potiùs cõſuli, quàm defuncti.

Syntheſes Morales.

Theologico Politica Propoſitiones.

Fundamẽta Theologica.

De Legibus.

DCCCXXVI. Lex æterna eſt liberum Decretum Dei, circa creaturas gubernandas, phyſicè & naturaliter dirigit creaturas non intellectuales, & intellectuales; has verò etiam moraliter circà Articulos, ad quos voluit obligare Summus Legislator in conſcientia; malitia enim naturalis aut Phyſica ante prohibitionem reperitur, nunquàm verò moralis. Decalogus nec mutari nec diſpenſari poteſt humanâ authoritate, Jus particularium gentium pactum earundem eſt, aut expreſ-

Lex æterna. *Lex duplex phyſica & ethica.* *Decalogus.* *Ius Gentium.*

Digitized by Google

expreſſum aut tacitum; univerſale aut non datur, aut debet non diſtingui à Iure naturali. Lex humana triplex, Moralis, Pœnalis, & Mixta. Moralis obligat in conſcientiâ ex vi quarti præcepti Decalogi. Qui omnes leges pœnales conſcientiam obligare ſentiunt, debent conſequenter dicere, non dari leges merè pœnales. Merè pœnalis ſanctio nonnunquam infert obligationem moralem, nunquam imbibit. Lex pœnalis ſæpe eſt moralis diſiunctiva, nempe indicens aut actionem aut paſſionem; hoc eſt aut rem talem facere, aut ſubire talem pœnitentiam: ſed hoc etiam poteſt præcipi purè pœnaliter. Lex, ut cenſeatur legitima, debet acceptari liberè à ſubditis. Qui legem juſtam non admittunt, peccant quidem mortaliter; cæterum ante acceptationem Lex non obligat. Mancipiis & debellatis juſto bello, illis videlicet, qui occidi poſſent, etiam invitis poni poſſunt, validæ & legitimæ leges. Ceſſante fine adæquato legis in particulari ceſſat etiam tum eiuſdem legis obligatio. Actus purè interni humanæ legi non ſubſunt, directè. Ad hoc ut graviter lex obliget, requiritur gravis materia. Regula Benedictina non eſt Lex moraliter impoſita, ſed imponibilis ab Ordinario Antiſtite; non indiget nova acceptatione, eſt enim in ipſa profeſſione accepta, contemptor Regulæ peccat mortaliter.

Lex humana triplex.
Lex Moralis.
Lex merè pœnalis.
Lex disjunctiva.
Aliter liberis leges, & aliter imponuntur mancipiis.
Nota hoc.
Conditiones legitimæ legis.
Ceſſatio finis.
An de occultis judicet humana lex?
Materia legum.
Regula D. Benedicti.

Materia Quantitas.

MAteriam magnam in abſolutam & reſpectivam divido, placent enim in moralibus rebus termini magnitudinis & parvitatis. Res abſolutè leves videntur eſſe medius Regalis, ſedecim ſalutationes Angelicæ, levis aſpectus, aut quaſi inſenſibilis carnis contactus, ſemoto ulteriori periculo. Videntur abſolutè graves injuſta quatuor florenorum ablatio; pſalterii obligatorii omiſſio, completa ſenſualitas, & aliæ ſimiles. Quidquid intereſt termino magnitudinis & parvitatis, abſolutè materia eſt indifferens, cui uni accidit eſſe gravi & levi, proportionaliter & relativè. Gravis quidem ſi fuerit totum quod indicitur, aut pars immediata rei præceptæ, in materia obedientiæ, congruæ diurnæ in materia furti, & ſenſualitatis completæ in materiâ Venereâ: levis verò, ſi fuerit pars partis. In quot partes totum immediatè dividitur? apud Phyſicos in indeterminatas, quia ſive Ariſtoteli ſive Zenoni ſubſcribas, non eſt dabilis numerus, qui unus determinet, omnium rerum continuarum partes. Medici communiùs in quatuor gradus dividunt: Theologi in octo. Nonum

Duplex materia gravitas.
Materia levis, quæ?
Materia gravis, quæ?
Materia indifferens
Partes immediata & mediata: Illa autem quot?
Partes apud Phyſicos:
apud Medicos:

Digitized by Google

num gradum caloris nemo audivit, nemo dixit. Placet igitur Theologorum opinio, & totum morale in octo partes immediatas divido, & aſſero, quidquid minus octante fit, non eſſe partem immediatam totius, ſed partem partis, ac propterea ſi materia alias ſit abſolutè indifferens, eſſe ſolum relativè quantam & habere non niſi levem quantitatem.

apud Theologos.

De Opinione probabili.

Probabilitas, quid?

PRobabilem ſententiam dico illam, quæ habet aut rationes aut authores graves: Licet ſequi opinionem minus probabilem. Omnes probabiles ſecundum ſe conſideratæ, ſunt æquè ſecuræ & æquè tutæ, benigniores, licet minus probabiles ſint, ſolent eſſe faciliores ac propterea non rarò ſecuriores; Prælatus ex vi officii non poteſt præcipere ſimplici ſubdito, ut ſubſcribat potius huic, quàm alteri parti probabili. Si cauſæ graves ſubſint, poterit jubere, ne tales opiniones, doceantur, defendantur. Subditus poteſt promittere Superiori obedientiam in omnibus rebus, quæ non ſint certò & evidenter malæ; & ex vi huius voti tenetur obedire etiam in materia affectâ malitiâ probabili. Tale votum emiſit Prior Benedictinus, ut conſtat ex ipſamet Regulâ: tale Supprior: tale Communitatis adminiſtri. Qui pacto, voto aut juramento promiſerit defendere, aliquam opinionem probabilem conducentem ad utilitatem alterius, tenetur ſtare promiſſis.

An dentur opiniones tutiores, & minus tutæ?

Quid poſſit ſuperior in materia probabili?

An interdici queat doctrina probabilis?

Prioris & ſupprioris vota.

De Conſcientia Dubia.

In dubio beatus qui poſſidet.

CUm dubitas in Iure divino ſtandum eſt pro poſſeſſione ratâ rerum quæ fuerant ante dubium; imo & in Iure humano. Cæterùm ipſummet dubium, ſi ſit contra res humanâ authoritate indictas, Azorius benignè & probabiliter interpretatur.

De Novitiis.

Novitiorū admiſſio.

REcipere Novitios ille Prælatus poteſt, cuius Anteceſſores fecêre, modò ipſe non habeat legitimam limitationem. Prælatus, ni contrarium lege legitima indicatur, poterit Novitios veſtire & dimit-

Interim conſiderare oportet diverſas Religionū leges.

Digitized by Google

& dimiſſio. dimittere inconſulto conventu, admittere verò ad profeſſionem non poteſt, niſi ex plurium conſilio. Tempus eſt duplex, Civile & Eccleſiaſticum: illud dies Menſium reſpicit, hoc Eccleſiaſticas ſolennitates: pro interſtitiis uti Ordinum ita & profeſſionis probabilius tempus Eccleſiaſticum ſumeretur, ſunt enim res Eccleſiaſticæ, ac ideò tempore Eccleſiaſtico determinandæ; ſed pro profeſſione uſus eſt abſolutè contrarius. Annus probationis debet eſſe integer. Ante profeſſionem ne leviter quidem peccat, qui habitum relinquit. In dubio debet Novitius reprobari, approbare autem Novitios, aliàs habiles, eſt materia gratiæ. *Tempus duplex: Eccleſiaſticū, & ſeculare.* *Sed quid ſi ſtaretur rationi?* *Annus probationis.* *Novitij approbatio*

De Profeſſione.

Stabilitas duplex. STabilitas, quæ ſub promiſſionem cadit, duplex eſt, Ordinis & Monaſterii; & utraque ſecundum Regulam. Non eſt quartum votum Theologum factum Deo, ſed votum hoc eſt, promiſſio firmata juramento, facta ſanctæ Communitati. Omnes, qui inſtabilitatis pacto fuerunt requiſiti ſufficiunt, ut illud annülletur ſine cauſa: Si detur graviſſima; non ſolum ad alıud Monaſterium, ſed & ad alium Ordinem tranſire quis poteſt, & pactum reſcindere etiam invitâ parte: ſine causâ, non poteſt ſummus Pontifex, aut profeſſionis, aut alios legitimos contractus legitimè factos annullare. Qui ex Ordine ad Ordinem transfertur; debet probari: Sed quamdiu? non eſt expreſſo aliquo jure determinatum. Vota ſolemnia non eſt opus iterum profiteri; ſufficeret enim profiteri Taleitates votorum, & novi Ordinis pœnalitates; expediret tamen profiteri ut alii Religioſi. Converſio morum debet fieri per tres virtutes eſſentiales, nec addit novam circumſtantiam in confeſſione ipſa aperiendam. In profeſſione non promittit Benedictinus obedire Regulæ, ſed Prælato, cum juſſerit contenta in Regula; Religioſus tenetur in perfectionem tendere per virtutes ſubſtantiales, non aliter, nec poteſt dici non tendere in perfectionem, quamdiu non peccaverit mortaliter: qui mortaliter peccat, in perfectionem non tendit, ſed hanc circumſtantiam non tenetur in confeſſione exprimere. *Profeſſionis annullatio.* *Tranſitus ad aliam Religionē.* *Et in ſecunda probatio.* *An tenentur Benedictini quarto voto?* *Summi Pontificis poteſtas.* *Quo debeatmodo Religioſus in perfectionem tendere?* *Morum converſio qualis.* *Votum obedientiæ emiſſum à Benedictinis; quale?*

De

Digitized by Google

De Obedientia.

De Officio divino precepto.

ANtiſtiti præcipienti vel quæ ſunt in Regula, vel quæ ad illam conducunt, teneris obedire. Item præcipienti recitare Officium divinum, in choro. Præcipienti aliquid, quod vel ſit contra Deum, vel contra Regulam vel contra Eccleſiam, debes non obedire; præcipienti ultra Regulam, & non ſecundum illam, potes obedire & non obedire.

Teneris interdũ obedire, & interdũ non obedire.

De rebus propter alias præceptis.

Omnia quæ præcipiuntur propter finem, non habent ab obiecto intrinſeco, ſed à ſcopo ſpeciem. Poteſt res levis graviter obligare, ſi ad gravem graviter conducat.

An res levis poſsit graviter obligare?

Quando ſit inobedientia venialis?

Peccant venialiter, qui omittunt rem gravem præceptam ut medium, *primò* ſi finis ſit levis: *ſecundò*, ſi ad gravem leviter conducat. Præceptum impoſitum Benedictino Monacho, ſi ſe prudenter excuſaverit, non obligat, quouſque ſecundò imponatur, quia ſic diſpoſuit Legislator cap. LXVIII. Abbates poſſunt concedere in ſuis præceptis diſpenſationem ſine cauſa; ceſſante diſpenſationis cauſa, non ceſſat ipſa diſpenſatio, niſi fortè data fuerit pro tempore durationis ipſius cauſæ.

An replicare liceat ſubdito?

De diſpenſationis conceſſione, & ceſſatione.

De Paupertate.

Dominiũ in communi.

DOmini Benedictini habent dominium in communi, imò & in particulari habent, directum in manuſcripta, ita ut illa donare poſſint. Magiſteriale in diſcipulos. Naturale in actiones internas, externas & in filios, & in res unico actu conſumptibiles. Honoris ſui ſunt Domini: ni inde ſequatur damnum tertii, poſſunt illum expendere, nunquam prodigere, vitium eſt enim prodigalitas. Iure ſecreti & honoris non cedunt, poſſent tamen ubicunque non relucet proprietas, non violatur paupertas. Qui paulatim modica accipit, ſolet committere peccatum grave, vel cùm gravem materiam tandem capit, vel non vult captam, reſtituere. Religioſus eſt filius familias. Patres ergà furta filiorum creduntur ſub duplo involuntarii, quàm ergà furta peregrinorum. Hoſpites & amici videntur eſſe, quaſi medii inter peregrinos & filios.

Dominiũ in particulari.

Benedictini ſunt proprij honoris domini. iure ſuo non cedunt.

De furtis parvis.

De furtis filiorũ & amicorum.

Da

De Caſtitate.

Peccata contra naturam.

PEccata contrà naturam (nempe Beſtialitas, Sodomia, Mollities) ſunt contra devotam Caſtitatem, non tamen diſtinguuntur ſpecie, etſi ratione ſcandali in confeſſione ſint explicanda. Ita D. Thomas teſtibus Filiucio & Armillâ Tab. enâ & aliis, præter quos etiam Diana, huic parti probabiliter ſubſcribit. Intentio fornicandi formaliter eſt contra pudicitiam, & obiectivè contra Caſtitatem: in Religioſo non eſt ſacrilegium formaliter, ſed obiectivè, id eſt, intentio committendi ſacrilegium. Monachus non vovit Deo alienam caſtitatem ſed propriam. Votum implicitum & expreſſum, ſolenne & ſimplex, differunt ſolummodo modaliter. Delectationes moroſæ, ideò ſunt peccaminoſæ, quia ſunt principium mollitiei interdictæ. Somniorum non datur cauſa directa; Poteſt contingere quod actio levis intrinſecè, extrinſecè gravis evadat ratione periculi. Periculum proximum dicitur eſſe, cùm imprudens quis judicaret, ſe in tali occaſione non peccaturum eſſe: nemo ſe poteſt exponere proximo peccandi periculo: liberum homini cuicumque eſt, tollere proximum omne periculum: periculum probabile non eſt proximum.

Sacrilegiũ eſt duplex: formale & objectivũ.

Cur delectatio moroſa ſit peccatum?

Periculum duplex: proximum & remotum.

Nota illud ratione compli u, & vide quæ num. 973. dicuntur.

Aliena caſtitas.

Votorum diſcrimen.

De ſomnijs laſcivis.

Nota attente ſingula.

De Officio Divino.

An Choriſtæ quà tales, teneantur ad officium divinum?

CHoriſtæ ex vi Profeſſionis ſuæ, ſunt mancipati lectioni communi, ſed non privatæ; Abeſſe à choro, eſt contra legem purè pœnalem: eſſet contra legem moralem, ſi quis abeſſet contrà præceptum morale Antiſtitis. Non poteſt intelligi Petrum ſatisfeciſſe toti Officio publico, & non ſatisfeciſſe officii legendi privatæ obligationi.

An Sacerdotes?

Omnes Sacerdotes tenentur ſub mortifero ſingulis diebus divinum officium recitare. Ab hoc onere immunes ſunt Novitii Choriſtæ, & Converſi profeſſi.

Sunt in aliquibus Ordinibus ſpeciales conſtitutiones, quæ debent etiam conſiderari.

Regula Benedictina indicitne privatam Lectionem Iunioribus, nondum ad ordines promotis? Reſolvo affirmativè: negativè verò Eugenius in Privilegio 4to conceſſo Ciſtertienſibus, anno 1437. Illud igitur probabile à ratione eſt, hoc ab authoritate. Ex ſuppoſitione, quod Regula privatam ejus Lectionem indicat, non tenebuntur

Qualis eſſe debeat cõſuetudo, ut conſciẽtia obligare dicatur? buntur moraliter ante Abbatis præceptum. Ad hoc ut privatim legendi conſuetudo juniores obliget debet eſſe certa, & certo legitimè introducta: legitimè introducitur, cum à ſcientibus ſe non eſſe obligatos, volentibus & potentibus ſe obligare introducitur. In dubio ſtandum eſt pro libertate, quæ erat ante conſuetudinem dubiam, idem dico de reliquis conſuetudinibus. *An Iuniores teneãtur Horas legere ex conſuetudine? De conſuetudine dubiâ.* *De pronũciatione, attentione, & mutatione Officij.* In lectione officii divini requiritur directè & per ſe pronuntiatio actualis, & reverentia & attentio actuales extrinſecæ: intrinſecæ non niſi indirectè. Mutare officium ſine cauſa non eſt peccatum mortale, licet inconſultum; cum cauſa rationabili nec veniale.

De mutatione temporis. Non eſt peccatum grave legere privatim extrà tempus præſcriptum: fortè nec dantur, horæ præſcriptæ legentibus, privatim. Intentio ſatisfaciendi non requiritur. Horologia tametſi cum cura dirigantur, non diſtinguunt horas certò, ſed ſolum probabiliter, malè regulata nec probabiliter. *De horologiis fruſtra ab aliquibus defenſis vide num 205.*

De Ægrotis.

An, & quãdo ab horis excuſentur ægroti IN morbo gravis damni probabile & certum periculum, imò & dubium & graviſſimæ incommoditatis, non dubium, ſed aut certum aut probabile periculum excuſat à lectione horarum. Ægrotus poteſt tamdiu ſine ſcrupulo legere, jejunare, & aliis Eccleſiæ præceptis ſatisfacere, quamdiu non ſcit certò & evidenter, ſe illâ lectione aut perditurum eſſe vitam, aut paſſurum grave damnum, quod aliàs ſine culpa ſibi infligere non poſſet; Æger, qui non poteſt recitare totum, non tenetur recitare partem. *Nota hoc ad ſolamẽ ægrorum, qui volunt agere piã vitam.* *De diſpenſatione, quæ ſolet ægrotis concedi.* Diſpenſatio non facit, quod ægri legendo unum *Ave Maria* v.g. ſatisfaciant officio Divino, ſed quod non teneantur officium legere, modò illud *Ave Maria* recitaverint.

De occupationibus Labor, & occupationes ſi nimiæ ſint, etiam inter morbos ſunt recenſendæ. Suarius ab obligatione legendi excuſat eum, qui totâ die aliquam actionem literariam defendit; cùmque tales actiones in aliis Academiis ſint per tres horas matutinas & tres veſpertinas, in aliis per binas, videtur cenſuiſſe Suarius ſex horarum laborem eſſe ſufficientem, ut quis ab Officio excuſetur. Ergo probabiliùs excuſabit labor horarum duodecim: probabilius, ſi fuerit legitimè injunctus, & bonum proximi, aut publicum, aut privatum reſpiciens. *Nota hæc omnia.*

Digitized by Google

De parvitate materiæ in Officio Divino.

Canonici Officii ſyntaxis. OFficium conſtat partibus ſubſtantialibus & accidentalibus: ad harum lectionem teneris leviter: peccabiſque mortaliter, ſi omiſeris ex ſubſtantialibus materiam magnam. Omittens unam horam ex parvis, probabiliter excuſari poteſt à peccato mortali. *Parvæ horæ omiſſio.*

CENSURÆ.

HArum Syntheſium, quas *Commentarius meus in Regulam D. Benedicti* perſuadet, & *Scholion* teſtimoniis expreſſis Melliflui mei Doctoris corroborat, pleraſque certas, & reliquas verè probabiles, poſſeque omnes & ſingulas ſine conſcientiæ ſcrupulo defendi & practicari judico. Lovanij 20. April. 1639.

Ioannes Caramuel.

Idem ſenſit Lovanij die Exaltationi S. Crucis ſacro 1640.

Fr. Andreas à Turri S. Theol. Doctor & Profeſſ. Ord. Prædicatorum.

Idem ſentit Brugis 10. Julij 1640.

Fr. Petrus Damaſus de Coninck ord. D. Auguſtini S. Theolog. Doctor & Profeſſor. Lovanij.

Idem ſenſit Lovanij 14. Calend. Octob. 1640.

Henricus Loyens I.V.D. & in Acad. Lovanien. Decretor. Profeſſ. Regius.

Idem ſenſit Antverpiæ 14. Aprilis 1636.

Gaſpar Eſtrix S. Theol. Licent. Canon. & Plebanus, ac Librorum cenſor.

Omnes iſti ſapientiſſimi viri Commentario in Regulam, unde ipſæ Theſes ſunt extractæ approbarunt.

Sed anno 1636. idem ſenſit.

Adrianus Cromius Soc. IESV. Theol. Profeſſ Lovanij.

Idem de eiſdem propoſitionibus ſenſit *Ioannes de Ionghe Soc. Ieſu. L. Theol. Profeſſ. Lovanij.*

Idem de eiſdem judicavit.

Ignatius Der-kennis Soc. Ieſu. Sac. Theol. Profeſſ. Lovanij.

Anno autem 1642. Ego, ait, etiam ſentio ſalvo meliori judicio ſupradictas poſitiones propter authoritatem multorum eſſe probabiles, & in conſcientia tutas.

Fr. Patritius Brenanus Ord. Mino. ſtrict. obſerv. S. Theol. Lector Lovanij.

Idem cenſuit etiam

Fr. Auguſtinus Eganus eiuſdem ordinis S. Theol. Lector.

Idem etiam de eiſdem poſitionibus ſenſit

Fr. Raymundus Caronus eiuſdem Ord. S. Theol. Lector Lovanij.

Sub finem anni eiuſdem ſubſcripſit eiſdem aſſertionibus.

Ludovicus de Scildere Soc. Ieſu S. Theolog. Profeſſ. Lovanij.

Nec non etiam

Franciſcus de Cleyn Soc. Ieſu S. Theol. Profeſſ. Lovanij.

In Duacenâ Univerſitate has Theſes examinarunt, & probabiles judicarunt

D. Ioannes de Eſpieres S. Theologiæ Doctor & Monaſterij Aquicinctini Magnus Prior, & Librorum Cenſor.

D. Antonius du Gardin S. Theologiæ Licentiatus, eiuſdemq; Monaſterij Lector & tertius Prior.

In

Digitized by Google

In Univerſitate Colonienſi

Ioannes Blankenbergius, Abbas Veterismontis, Ciſtertienſis Ordinis Vicarius Generalis, &c. S. Theologiæ Doctor, &c. anno 1644.

P. Iacobus Emans Ordinis Carmelitarum S. Theolog. Doctor & Profeſſor Coloniæ, &c. ſubſcripſit dum eſſet Francofurti ad Mœnum 24. die Martij anno 1645.

Et cur plura teſtimonia ſubſcribam? Doctis ſufficerent pauciora: indoctis autem nec plura ſufficere poterunt. Qui voluerit videre has Syntheſes deductas & probatas, legat meam Moralem Theologiam & Scholion ubi ſingulas dilucido, & multis aliis Authoribus probo & firmo. Interim ad Regulas Iuris Cæſarij deveniamus.

REGULÆ JURIS CIVILIS.

DCCCXXVII. *Digeſtorum liber quinquageſimus (videlicet Titul. XVII.) eſt de diverſis Regulis Iuris antiqui, quibus Iuris-periti utuntur paſſim, nec tamen ſemper ſine errandi periculo. Hanc ob rem Ego volui illas recognoſcere, & in ſingulis aut plerisque ea notare, quæ digna ſcitu, ne in earum intelligentia & uſu poſſis hallucinari.*

I.

De Regula.

Quid ſit Regula? Regula eſt, quæ rem quæ eſt breviter enarrat, non ut ex Regula Jus ſumatur, ſed ut ex Jure, quod eſt, Regula fiat. Per Regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quaſi cauſæ conjectio eſt, quæ ſimul cùm in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum. *Ita Paulus libr. 16. ad Plautium.*

Cauſam conjicere, eſt argumentum rei breviter & ſummatim Iudici exponere. Cic. ad Her. lib. ſecund. Gell. libr. 17. c. 5. & l. 5. x. 10.

Nimis hîc multa Paulus, quæ poſſet omittere, ſi Regulam vellet exactiùs & meliùs definire. Imò videretur Regulam non debere definiri; nota enim hæc vox eſt; & quidquid addideris tenebras inferet.

Diſcrimen inter Legē & Regulā. Hæc eſt differentia inter Legem & Regulam: nam Lex eſt vitæ Regula, at Regula eſt Lex aliqua generalis ex multis Legibus particularibus deducta. In hoc enim libro Caſus ſeu Leges ſimiles reducuntur ad claſſes, & ad generaliores Leges, quæ ideò dicuntur *Regulæ*, reducuntur.

II.

De fœminis & impuberibus.

Foeminæ ab omnibus officijs civilibus vel publicis remotæ ſunt: & ideò nec Judices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratrices exiſtere. ITEM impubes omnibus officijs civilibus debet abſtinere. *Vlpianus libr. 1. ad Sabinum.* Conjunge l. 10. *de ſtatu hominum.* & l. 7. *de bon. poſſ.* DCCCXXVIII. *An poſſint fœminæ ad dignitates promoveri*

Meritò eadem lege fœminas & impuberes ab officiis publicis arcet Juriſconſultus, meritò ex illo Juſtinianus; quo-

Digitized by Google

De parvitate materiæ in Officio Divino.

Canonici Officii ſyntaxis. OFficium conſtat partibus ſubſtantialibus & accidentalibus: ad harum lectionem teneris leviter: peccabiſque mortaliter, ſi omiſeris ex ſubſtantialibus materiam magnam. Omittens unam horam ex parvis, probabiliter excuſari poteſt à peccato mortali. *Parvæ horæ omiſſio.*

CENSURÆ.

HArum Syntheſium, quas *Commentarius meus in Regulam D. Benedicti* perſuadet, & *Scholion* teſtimoniis expreſſis Mellifluі mei Doctoris corroborat, pleraſque certas, & reliquas verè probabiles, poſſeque omnes & ſingulas ſine conſcientiæ ſcrupulo defendi & practicari judico. Lovanij 20. April. 1639.

Ioannes Caramuel.

Idem ſenſit Lovanij die Exaltationi S. Crucis ſacro 1640.

Fr. Andreas à Turri S. Theol. Doctor & Profeſſ. Ord. Prædicatorum.

Idem ſentit Brugis 10. Julij 1640.

Fr. Petrus Damaſus de Coninck ord. D. Auguſtini S. Theolog. Doctor & Profeſſor Lovanij.

Idem ſenſit Lovanij 14. Calend. Octob. 1640.

Henricus Loyens I.V.D. & in Acad. Lovanien. Decretor. Profeſſ. Regius.

Idem ſenſit Antverpiæ 14. Aprilis 1636.

Gaſpar Eſtrix S. Theol. Licent. Canon. & Plebanus, ac Librorum cenſor.

Omnes iſti ſapientiſſimi viri Commentario in Regulam, unde ipſæ Theſes ſunt extractæ approbarunt.

Sed anno 1636. idem ſenſit.

Adrianus Cromius Soc. IESV. Theol. Profeſſ Lovanij.

Idem de eiſdem propoſitionibus ſenſit *Ioannes de Ionghe Soc. Ieſu. L. Theol. Profeſſ. Lovanij.*

Idem de eiſdem judicavit.

Ignatius Der-kennis Soc. Ieſu. Sac. Theol. Profeſſ. Lovanij.

Anno autem 1642. Ego, ait, etiam ſentio ſalvo meliori judicio ſupradictas poſitiones propter authoritatem multorum eſſe probabiles, & in conſcientia tutas.

Fr. Patritius Brenanus Ord. Mino. ſtrict. obſerv. S. Theol. Lector Lovanij.

Idem cenſuit etiam

Fr. Auguſtinus Eganus eiuſdem ordinis S. Theol. Lector.

Idem etiam de eiſdem poſitionibus ſenſit

Fr. Raymundus Caronus eiuſdem Ord. S. Theol. Lector Lovanij.

Sub finem anni eiuſdem ſubſcripſit eiſdem aſſertionibus.

Ludovicus de Scildere Soc. Ieſu S. Theolog. Profeſſ. Lovanij.

Nec non etiam

Franciſcus de Cleyn Soc. Ieſu S. Theol. Profeſſ. Lovanij.

In Duacenâ Univerſitate has Theſes examinarunt, & probabiles judicarunt

D. Ioannes de Eſpieres S. Theologiæ Doctor & Monaſterij Aquicinctini Magnus Prior, & Librorum Cenſor.

D. Antonius du Gardin S. Theologiæ Licentiatus, eiuſdemq; Monaſterij Lector & tertius Prior.

In

Digitized by Google

In Univerſitate Colonienſi

Ioannes Blankenbergius, Abbas Veteriſmontis, Ciſtertienſis Ordinis Vicarius Generalis, &c. S. Theologiæ Doctor, &c. anno 1644.

P. Iacobus Emans Ordinis Carmelitarum S. Theolog. Doctor & Profeſſor Coloniæ, &c. ſubſcripſit dum eſſet Francofurti ad Mœnum 24. die Martij anno 1645.

Et cur plura teſtimonia ſubſcribam? Doctis ſufficerent pauciora: indoctis autem nec plura ſufficere poterunt. Qui voluerit videre has Syntheſes deductas & probatas, legat meam Moralem Theologiam & Scholion ubi ſingulas dilucido, & multis aliis Authoribus probo & firmo. Interim ad Regulas Iuris Cæſarij deveniamus.

REGULÆ JURIS CIVILIS.

DCCC-XXVII. *Digeſtorum liber quinquageſimus (videlicet Titul. XVII.) eſt de diverſis Regulis Iuris antiqui, quibus Iuris-periti utuntur paſſim, nec tamen ſemper ſine errandi periculo. Hanc ob rem Ego volui illas recognoſcere, & in ſingulis aut pleriſque ea notare, quæ digna ſcitu, ne in earum intelligentia & uſu poſſis hallucinari.*

I.

De Regula.

Quid ſit Regula? Regula eſt, quæ rem quæ eſt breviter enarrat, non ut ex Regula Jus ſumatur, ſed ut ex Jure, quod eſt, Regula fiat. Per Regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quaſi cauſæ conjectio eſt, quæ ſimul cùm in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum. *Ita Paulus libr. 16. ad Plautium.*

Cauſam conjicere, eſt argumentum rei breviter & ſummatim Iudici exponere. Cic. ad Her. lib. ſecund. Gell. libr. 17. c. 5. & l. 5. c. 10.

Nimis hîc multa Paulus, quæ poſſet omittere, ſi Regulam vellet exactiùs & meliùs definire. Imò videretur Regulam non debere definiri; nota enim hæc vox eſt; & quidquid addideris tenebras inferet.

Diſcrimen inter Legē & Regulā. Hæc eſt differentia inter Legem & Regulam: nam Lex eſt vitæ Regula, at Regula eſt Lex aliqua generalis ex multis Legibus particularibus deducta. In hoc enim libro Caſus ſeu Leges ſimiles, reducuntur ad claſſes, & ad generaliores Leges, quæ ideò dicuntur *Regulæ*, reducuntur.

II.

De fœminis & impuberibus.

DCCC-XXVIII. Foeminæ ab omnibus officijs civilibus vel publicis remotæ ſunt: & ideò nec Judices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratrices exiſtere. ITEM impubes omnibus officijs civilibus debet abſtinere. *Vlpianus libr. 1. ad Sabinum.* Conjunge l. 10. *de ſtatu hominum.* & l. 7. *de bon. poſſ.*

An poſſint fœminæ ad dignitates promoveri

Meritò eadem lege fœminas & impuberes ab officiis publicis arcet Juriſconſultus, meritò ex illo Juſtinianus; quo-

An mulierum ſint fortia judicia? *Laborant inconſequentia Reſpublicæ.*

quoniam uterque rationis fortitudine caret, & ad officia publica ſumma prudentia & judicium requiritur.

Sed cur fœminis inferiores non ſolent dignitates conferri, ſummæ ſolent? Non ſunt Judices, non Advocatæ, non Senatrices, non Procuratrices, & tamen ſunt Imperatrices, Reginæ, &c. Quid ſcio? Ratio videtur dare manus potentiæ, quæ enim probat fœminam eſſe poſſe Reginam, à fortiore probabit, ſi cætera adſint, poſſe eſſe Judicem: & quæ hoc diſſuadeat, etiam prius diſſuadebit. Ergo vel fœminas ad mulla munia publica admitte (id Gallus facit) vel ad omnia: vel cur debeant ad ſumma, & non debeant ad inferiora promoveri, nos doce.

III.

Non-nolle. Velle.

DCCCXXIX. *Annon hic obluditur verbis?*

Ejus eſt non-nolle, qui poteſt velle. *Vlpianus lib.3. ad Sabinum.* [Conſonat legi 4. *de adquir. hæred.* Unde erui poteſt vera Regulæ lectio.]

Nolo examinare, An idem ſit *non-nolle* & *velle*? Nolo diſquirere, An *nolle* ſit *velle non*? hæc enim nimis ſubtilia ſunt, & ſupra neceſſitatem loci & temporis, & ſupra Juriſtarum cothurnum. Sic Regulam ſtilo meliore reſcribo. *Ejus eſt velle, qui poteſt velle.* Fruſtra enim poſtulatur conſenſus ab homine, qui non poteſt conſenſum præbere.

IV.

De Obedientia.

DCCCXXX. *Non eſt idem non creditur velle, & creditur non velle.* *Recognoſce leg. 6. de adquir. hær.*

Velle non creditur, qui obſequitur imperio Patris vel Domini. *Vlpianus libr.6. ad Sabinum.* [Loco *Patris* aliqui legunt *Partu*, ſed male]

Nota illud *non*, & vide quam particulam afficit. Non æquipollent hæ duæ phraſes, *Petrus creditur non velle*, & *Petrus non creditur velle*: & quidem primâ non utitur Juris-conſultus, ſed ſecunda. Et rem ipſam exemplis nonnullis dilucido. Thomas Sanchez ſuperiorum mandato obſtrictus aut prædeterminatus, nonnullas retractavit ſententias. Et ego quid dicturus ſum obſecro? unam ex his tribus propoſitionibus. *Ego ſcio, quod illas recantare non voluerit, ſed coactus & invitus retractarit.* *Ego ſcio, quòd illas retractare voluerit, & ex animo & ſententiâ in recantatione proceſſerit.* *Ego neutrum ſcio.* Sed quam? Non primam; non enim præcepta tollunt libertatem. Non ſecundam, non enim repugnat poſito hominem præcepto id facere, quod aliàs faceret, tametſi præceptum non eſſet: nam (ut video, videſque) te non occîdis, & hoc homicidium omittis ex duplici cauſa totali: omittis enim, quia te amas, & omittis etiam, quia vis ſatisfacere legi; quâ ablatâ tuam etiam conſervares ſalutem. Dicerem ergo tertiam, ut Ulpianus affirmat.

An Thomas Sanchez aliquas ſententias retractarit?

An citari hodie Theologi queāt in cauſa immaculatæ Conceptionis?

Hinc patet poſito præcepto, aut jurisjurandi ſtatuto, non poſſe Doctores pro immaculatâ Conceptione citari, non poſſe contra: errarem enim, ſi dicerem, *ſcio eos loqui ex dictamine*; errarem ſi dicerem, *ſcio eos loqui contra dictamen.* Et ne me exponam errandi periculo dicam, *Quamdiu illi liberè nequeunt loqui, quid ſentiant, aut non ſentiant, non ſcio.*

V.

De furioſo & pupillo.

In negotiis contrahendis alia cauſa (ratio) habita eſt furioſorum, & alia DCCCXXXI.

corum,

eorum, qui fari poſſunt, quamvis actum rei non intelligerent. Nam furioſus nullum negotium contrahere poteſt, pupillus tutore auctore agere poteſt. *Paulus lib. 2. ad Sabinum.* [Conjunge leg. 6. *de adquir. hæred.*]

An poſſit furioſo dari tutor?

Docet Juriſperitus aliam eſſe legem de pupillis, aliam de furioſis: ſed differentiam non probat in prudentiâ fundari; non enim video, cur non poſſit furioſo dari tutor? non video cur non poſſit manere dominus ſtante quocunque delirio? Si dicas infantem ſucceſſu temporis uſum rationis habiturum, de ſalute furioſi medici non deſperant, ſæpe enim ad ſe redeunt, & pharmacis ſuſceptis juvantur. Si furorem, morbum dicas immedicabilem, non ſtatim admittam eſſe bonam conſequentiam, *laborat morbo immedicabili: ergo perdet ſuarum rerum dominium.* Et ſi morbum ad phreneſin contrahas, non dabis rationem, quæ evincat, aut infantes, qui ante rationis uſum ſunt morituri; aut adultos, qui ante rationis recuperationem vitam ſunt deſerturi (eadem enim de utriſque ratio eſt ſtando naturali Juri) perdere rerum dominium, ſi quod habent.

VI.

De hærede.

DCCCXXXII. *Ulpianus correctus.*

NOn vult hæres eſſe, qui ad alium transferre voluit (*lego*, vult) hæreditatem. *Ulpian. lib. 7. ad Sabinum.* [Conjunge l. *fuit qu. de adq. hær.*]

Correxi illud *voluit*, & ſuperſcripſi *vult*; quoniam retentâ voce *voluit*, Ulpiani ſententia eſſet falſa. Nam ſi Petrus heri voluit transferre ad Joannem hæreditatem, & hodie non vult illam transferre, ſed retinere potiùs, erit verum antecedens, & falſum conſequens in hoc enthymemate, *Petrus heri voluit trãſferre hæreditatem ad Paulum. Ergo hodie non vult eſſe hæres.*

Præterea, illud verbum *transferre*, etiam debet expungi, quo nimirùm retento adhuc Ulpiani reſponſio falſa eſt. Nõ enim capio, quo transferre queam modo, quod non ſuſcipio & alteri condono aut cedo. Petrus igitur, ut transferat ad Paulum jus, debet illud priùs adquirere, & transferre poſteriùs. Ergo contrarium deberet Ulpianus inferre, nimirùm, ex eo quod Petrus transferre hæreditatem velit, duo colligi; primum acceptaviſſe hæreditatem Petrum: ſecundum, non velle eam retinere, ſed ad Paulum tranſmittere.

Quid ſit transferre

Cæterùm, ſi inter Jus in rem, & Jus in re velis diſtinguere, & dicere Petrum non habere Jus in re, ſed Jus in rem: & hoc transferre ad Paulum, ut iſte adquiſito Jure in rem, progrediatur, & adquirat etiam Jus in re; omnia admittam, ſed te loqui caſtigatiùs jubebo.

VII.

De teſtato & inteſtato.

DCCCXXXIII. *An unus & idem homo poſſit teſtatus & inteſtatus devivere?*

JUs noſtrum non patitur eumdem in Paganis & teſtato & inteſtato deceſſiſſe, earumque rerum naturaliter inter ſe pugna eſt: teſtatus & inteſtatus. *Pomponius lib. 3. ad Sabinum.*

Noto illud, *Ius noſtrum*: non ergo omne Jus, ſed Cæſareum. Noto & illud, *pugna eſt*; nam ſi Teſtatum & Inteſtatum ſunt repugnantes termini, non in Cæſareo ſolùm Jure, ſed in quocumque alio deberent repugnantes cenſeri.

At ego non video, cur non poſſit, aut etiam debeat homo, partim teſtatus, & partim inteſtatus devivere. Primò, quia ſunt multa de quibus æger non poteſt in teſtamento ſuo diſponere: nam ſæpe concurrunt

Digitized by Google

bona ſola & vinculata; quorum priora legari poſſunt, poſteriora non poſſunt. Si Comes aliquis omnia ſua bona libera filio ſecundo leget, an non (niſi velimus contendere de ſolis verbis) ſi nihil de Comitatu ſtatuat, dicendus erit mori teſtatus & etiam inteſtatus ex parte: ac propterea bona libera vi teſtamenti ad minorem, & bona vinculata jure maioratûs pertinere ad maiorem?

DCCCXXXIV. Scio in alijs provincijs non cenſeri hæredem, qui omnia, quæ ſolutis legatis, remanent, non ſit habiturus: at in Bohemiâ, contra ſunt caſus etiam & leges; & ut me exponam clariùs, ponam ob oculos teſtamentum, quod ante annos paucos ſub lite fuit. Erat Titius Vir dives, & habebat in Auſtriâ & Bohemiâ bona plurima; devivit Viennæ, & juxta leges Auſtriacas teſtamentum ſuum condit, omiſſis ſolennitatibus nonnullis, quas poſtulant Bohemorum Tabulæ. Judicatur in Auſtriâ illud, judicatur etiam in Bohemiâ; ibi validum, hîc invalidum. Objicitur, ſufficere, ut teſtamentum fiat juxta leges loci in quo ſit, ut ubique terrarum ſit validum. Negant Bohemi, voluntque ubique terrarum illud fiat, debere fieri juxta leges Bohemicas, aut in Bohemiâ cenſendum invalidum. Quid ergo poſt litem & contentionem moleſtiſſimam? Virtute teſtamenti hæres à Titio inſtitutus bona, quæ in Auſtriâ, habuit; & quæ in Bohemiâ, hæredi, qui ab inteſtato, hoc eſt, cognato proximo (cujus in teſtamento nulla mentio) fuerunt adjudicata. Hunc mihi caſum, & alios etiam de teſtamentis Civium, Nobiliumque, narrat mihi hîc Pragæ Ampliſſimus D. Kridelius.

Iuxta quas condi leges debeat teſtamentũ: an juxta leges loci in quo ſit: an juxta leges loci in quo ſunt bona, quæ legantur?

VIII.

De jure ſanguinis.

DCCCXXXV. Jura ſanguinis nullo Jure Civili dirimi poſſunt. *Pomponius ad Sabinum lib. 3.* [*l. 4. de ſuis & legit.*]

An cõſanguinitas lege politica perdi aut adquiri poſſit?

Moralitates & Virtualitates quæ actiones humanas afficiunt, rerum phyſicarum naturam & ſtatum non alterant. Nam tametſi ponamus hunc characterem A eſſe Petrum, & hunc B eſſe Paulum, neuter character erit phyſicè homo, neuter phyſicè, animal rationale. Hinc eſt quod, ſi Franciſcus genuerit Ferdinandum, & hoc declarato exhærede Felicianum adoptet, nunquam facturus ſit, quòd Ferdinandus, qui à ſe genitus, non ſit ſuus filius phyſicè: & nunquam facturus ſit etiam, quòd Felicianus, homo exter, & nullo ſibi vinculo cognationis devincto, ſit eius filius naturalis.

Nequeunt phyſicè:

Cæterùm hac doctrinâ, quæ eſt vera omninò, non obſtante, Jura ſanguinis dirimuntur moraliter & virtualiter; hoc eſt, ita ſe habent, ac ſi in rerum naturâ non eſſent. Nam exfilius, tametſi realiter filius ſit, ita ſe habet, ac ſi filius non eſſet. Expater, tametſi realiter pater ſit ita ſe habet, ac ſi pater non eſſet. Et adoptatus, tametſi filius naturalis non ſit, ita ſe habet intra adoptionis terminos, ac ſi filius naturalis eſſet.

Poſſunt tamen moraliter. *Exfilius.* *Expater.* *Adoptivus.*

IX.

De ambiguis.

DCCCXXXVI. Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur. *Vlpianus libr. 15. ad Sabinum.* [*Ex l. ſi ita ſcriptis 14. de legat. 1.*]

Nota bene expoſitionem huius Regulæ.

Sed

Sed in cuius favorem: ſæpe enim, quod reſpectu unius fuerit minimum, reſpectu alterius fuerit maximum? Exiſtimo id intelligendum in poſſeſſionis favorem, nimirùm, ſi res odioſa ſit. Si favorabilis reſpectu Principis, minimum eſt ſequendum, ut reſpectu ſubditi poſſint Privilegia ampliari.

Conſulendum eſt poſſeſſioni. Item Privilegio contra Principem.

X.

De æquitate ſeu æqualitate.

DCCC-XXXVII. *An ſemper ex incommodis ſequantur commoda.*

SEcundum naturam eſt, commoda cuiuſcumque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda. *Paulus lib. 3. ad Sabinum.*

Non video eſſe veram hanc Regulam; multa enim fortè dantur, quæ tibi ſint merè incommoda, multa quæ merè commoda; & in neutris poterimus ex incommodis ad commoda diſcurrere, vel contrà. Puto Juriſconſultos eſſe interdum negligentes verborum, & non peccare mente, ſed labio. Sic hanc Regulam ſcribo. *Æquum eſt, ut qui poſſeſſæ rei patitur incommoda, etiam fruatur commodis, ſiqua habet.* Et, ut exiſtimo, hoc ſolùm dicere voluit Paulus.

Converſio Regulæ.

Ex hac Regula, per converſionem, poteſt oriri altera. Nimirùm, *æquum eſt, ut qui poſſeſſæ rei fruitur commodis, etiam patiatur & toleret incommoda, ſiqua habet.* Conſonant utrique tam Juniores, quam Veteres, & præcipuè Terentius *in Hecyr. act. 5. ſcen. pen.*

XI.

De tranſlatione dominii.

DCCC-XXXVIII. *Rejicitur & impugnatur iſta Regula.*

ID, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt. *Pomponius lib. 5. ad Sabinum.*

Sed quid eſt illud *ſine facto noſtro?* An non ſæpe merâ negligentiâ & incuriâ transferuntur dominia? Ardet mea domus, aut famuli ignavi ſocordiâ, aut ſecretâ inimici malitiâ, & juxta multarum Provinciarum leges condemnor, ut damna refundam vicinis, & mulctam Civitati notabilem. Et in tali caſu, non obſtante iſtâ Regulâ, pecunia noſtra ſine facto ullo noſtro, ad fiſcum & vicinos transfertur.

Vel corrigitur potius.

Puto igitur verba illa, *ſine facto noſtro*, debere reſtitui, vel corrigi, ut ſint *ſine pacto noſtro*; dominia enim rerum non aliter mutantur, quàm ex pacto. Nam ſi dones, contractum donationis paciſceris. Et ſi authoritate publicâ ſpolieris, mutantur dominia vi pacti ſub initium initi cum Republicâ, cùm eius leges acceptaſti. Hinc eſt te poſſe ſine facto tuo, non verò ſine pacto tuo rerum dominium amittere & transducere ad alterum.

XII.

De teſtamentorum interpretatione.

DCCC-XXXIX.

IN teſtamentis pleniùs voluntates teſtantium interpretamur. *Paulus libr. 3. ad Sabinum.* [Conjunge leg. *fund. de uſu hab.*]

Si legatarij immediatè à defuncto dominium acciperet, eſſet multò maior & intricatior difficultas quam ſufficiat tetigiſſe & libaſſe.

Sed quid eſt interpretari pleniùs? An dubia exponenda ſunt in favorem hæredis, an in favorem legatarij? Examinandum, quid diceret teſtator ſi adhuc viveret; &, ſi hoc reſciri queat, hoc eſt tenendum. Et ſi non; videtur hæres in teſtatoris locum ſuccedere, & eſſe poſſeſſor, nec deberi hæreditate certâ ob legata dubia privari. Vide inferiùs Regulam XVII.

De

XIII.

De effectu exceptionis.

DCCCXL. NOn videtur cepiſſe, qui per exceptionem [à petitione] removetur. *Vlpianus lib.*10.*ad Sabinum.*

Moraliter incipere, quid ſit? Non cœpit ſcribere, qui ſiccum calamum & carentem atramento movit, quæ enim inutiliter aguntur, moraliter dicuntur infecta. Cùm igitur petitio ſit cauſæ initium, ubi ipſa per exceptionem removetur, initium ipſum removetur; & qui cauſæ initium non poſuit, non incepit.

XIV.

De die obligationis.

DCCCXLI. IN omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur. *Pomponius lib.*5. *ad Sabinum.*

Eſt certa, & praxi omnium populorum conſentiens.

XV.

De effectu actionis.

DCCCXLII. QVi actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur. *Paulus lib.*4.*ad Sabinum.* [Conjunge legem. *Eamdem.*73.*de leg.* 3.]

De jure in rem, & jure in re. Non patiar *Ius in rem & Ius in re* confundi: non enim qui habet illud, hoc habere videtur: & ſi cui hoc habere videatur, male videtur. An-ne actio ad rem recuperandam aliquod aliud eſt, quàm jus in rem? Fortè eiuſmodi actionis vocabulo non jam nudum jus in rem, ſed jus in rem examini & tribunali propoſitum: & ſi hoc, Pauli vera ſunt verba, & poſſunt ſic dilucidari. *Qui habet jus in rem, illudq; coram integerrimis Iudicibus propoſuit, ſperet ab eorumdem ſinceritate ſe citò adquiſiturum eſſe Ius in re; imò putet ſe habere hoc, quoniam qui parum diſtat, nihil diſtare videtur.*

XVI.

De imaginario contractu.

DCCCXLIII. IMaginaria venditio non eſt pretio accedente. *Vlpianus libr.*21.*ad Sabinum.*

Imaginariæ venditioni reſpondet ſolutio imaginaria. Contra imaginarios contractus multa à doctis ſcripta, quæ ad paucas paginas reduci nequeunt: eorumdem eſſentiam nos docet hîc Ulpianus, qualitates apud alios ſcriptores legemus.

XVII.

De tempore.

DCCCXLIV. CUm tempus in teſtamento adjicitur, credendum eſt pro hærede adiectum, niſi alia mens fuerit teſtatoris. Sicuti in ſtipulationibus promiſſoris gratia tempus adjicitur. *Vlpianus libr.*23. *ad Sabinum.* [Conjunge legem 10. & 13. *quando dies legat. cedit.*]

De imminutione valoris in nummis. Hæc Regula firmat duodecimam, & etiam ipsâ duodecimâ firmatur. Ut illam dilucidem duos caſus pono. [Petrus emit domum & convenit cum venditore hac lege, ut mediam partem pretij numeraret ſtatim, & anno ſequenti alteram mediam. Et Franciſcus antequam moreretur Anſelmum deſignavit hæredem, juſſitque ut poſt annum mille ducata Joanni daret. Interim ſubauditur minuendam valore monetam, & ſibi conſulentes Petrus Antoniusq; præveniunt terminos, & ante diem conſtitutum ſolvunt; ille venditori, hic legatario.] Caſibus ſic propoſitis, quæritur primò, An venditor poſſit non acceptare ſolutionẽ, ſed potiùs Petrum cogere ne ſolvat

An poſſit non acceptari ſolutio, aut legatum, ſi ante tempus detur?

vat ante diem deſignatum? & ſecundò, An Joannes poſſit non acceptare legatum, ſed potius Antonium compellere, ne ante diem ſatisfaciat? & ad utrumq; reſpondet negativè Ulpianus; niſi fortè aut ex venditionis contractu, aut ex teſtamento colligatur apertè terminos, non in favorem ſoluturi, ſed recepturi deſignatos.

XVIII.

De adquiſitione.

DCCCXLV. QUæ legata mortuis nobis ad hæredem noſtrum tranſeunt, eorum commodum per nos his, quorum in poteſtate ſumus, eodem caſu adquirimus: aliter atque ſtipulati ſumus: nam ſub conditione ſtipulantes, omnimodò eis adquirimus, etiamſi libertatis nobis poteſtate domini conditio exiſtat. *Pomponius libr. 6. ad Sabinum.* [Legunt alii, *libertate præſtita à Dominis.* Et firmari videtur lege 78. *de verb. oblig.*]

Si filius familias ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit, deinde exſtiterit conditio, patri actio competit; quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus. *Paulus.*

An eodem modo de ſtipulatione & teſtamento philoſophandum ſit?

Conſtat ex his inter Teſtamentum & Stipulationem differentia; nam tametſi contractus ſint conditionati, diverſimodè valere incipiunt. Quoniam teſtamentum eſt contractus donationis ultimâ voluntate initus, in quo mors eſt conditio, ſine quâ non valet nec obligat: & poteſt revocari quouſque mortis conditio purificetur; & hac poſitâ incipit inde valere; non enim à die ſcriptionis, ſed à die mortis incipit valere teſtamentum. At ſtipulatio incipit à die quo facta, habere valorem & vim, ſi tamen ponatur conditio. Hinc multorum caſuum diſſolutio; unum aut alterum propono.

DCCCXLVI *Quando incipiat teſtamentũ valere?*

Joannes graviſſimo morbo laborabat menſe Julio anni 1640. habebat domum, agroſque; illa erat vacua, hi ſegetibus pleni: & legavit in teſtamento agros prout erant Petro, domum ut erat Paulo. Interim meliùs habens, demetit ſegetes, & grana domum ſuam importat, & antequàm agri ſeminarentur, obiit. Quæſitum fuit à multis, an grana ad Petrum pertinerent? & ratio dubitandi erat, quod illâ die quâ teſtamentum conditum, illa non erant in granario, ſed in agro, & ſi illa Joannes die devixiſſet, pertinuiſſent omninò ad Petrum, non ad Paulum. Interim reſponſum ex Pomponio fuit, teſtamenti valorem à morte teſtatoris incipere, & horam mortis ſolam, non autem ſcriptionis horam conſiderandam. Cùm igitur teſtator horâ, quâ moritur loquatur, & leget agros, & domum, prout ſunt, dicend9 eſt iſtam legaſſe plenam, iſtos vacuos.

Erat filius familias Fridericus, adhuc ſub curâ Patris; anno 1640. ſtipulatur illi Ambroſius mille aureos, ſi ſuæ naves feliciter ex Indiâ appellantur. Emancipatur Fridericus anno 1641. & naves appelluntur anno 1642. & quia ſentit ſe Ambroſius ſtipulatione teneri, inquirit, cui debeat illos aureos dare, Friderico an Parenti? & ſi non dederit, Utri actio in illos competat? Reſponſio eſt in favorem Parentis, & deſumitur ex Pomponio & Paulo. Poteſt igitur Friderici Pater agere contra Ambroſium, ſi ſit in ſolutione moroſus, & illâ uti pecuniâ, eo nimirum modo, quo uſus fuiſſet, ſi fuiſſet ſoluta anno 1640.

XIX.

De conditione contrahentis vel legatarii. Et de doli exceptione.

DCCC-XLVII. *In Iure conſulitur his, qui ineunt neceſſarios contractus.* QUi cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus: hæredi autem hoc imputari non poteſt, cùm non ſponte cum legatariis contrahit. NON SOLET exceptio doli nocere his, quibus voluntas teſtatoris non refragatur. *Vlpianus libr. 24. ad Sabinum.*

Ergo ex Regulâ & ratione Regulæ, poteſt alia multò clarior & univerſalior deduci. Videlicet. *Qui cum alio ſponte contrahit, cenſetur ejusdem conditionem cognoſcere. Hæc autem ſcientia illi imputari nequit, qui contrahit ex neceſſitate.*

Ignorantia præſumpta: Scientia præſumpta: Eſt Juris Regulà, *Ignorantia præſumitur, ubi ſcientia non probatur,* quæ videtur præſenti opponi; quoniam ſtando huic Regulæ, *ſcientia præſumitur omnino, ubi ignorantia non probatur.* Ulpianus utramque conciliat; quia quod affirmat de liberis hominis actib⁹, negat de neceſſariis, Non enim ſemper habet tempus deliberandi & conſulendi, qui ad agendum compellitur. *Vtriusque conciliatio.*

XX.

De favore libertatis.

DCCC-XLVIII. *De libertate.* QUoties dubia interpretatio eſt, ſecundum libertatem respondendum erit. *Pomponius lib. 7. ad Sabinum.*

Quid illa ſit? Et quo ſenſu debet nomen *libertas* accipi? An pro libertate operandi? Minimè. Eſſet enim falſa iſta Regula. Quoniam in lege naturali & eccleſiaſticâ non habent locum Cæſarum Sanctiones & Diſpenſationes. At fortè poſſet intelligi de libertate operandi contra leges civiles, ſed hoc non careret inconvenientibus. Dicendum ergo in præſentiarùm, opponi ſervituti libertatis vocabulum, & Juriſconſulti ſententiam reduci poſſe ad hanc, *Quotiescumque agitur de ſervitute alicujus hominis, ſi non ſint convincentes rationes, quæ illum eſſe ſervum ſuadent, eſt pro libertate judicandum.* Sed quid dicam de hac ſit? Regulâ, ſi ſic exponatur? *An homo in dubio liber dicendus*

DCCC-XLIX. Dicam, non eſſe Juri naturali conformem: nam ſtando huic radicali & certiſſimo Juri, beatus, qui poſſidet, judicandum enim eſt pro poſſeſſione certâ cõtra quaslibet rationes dubias. Undè, ſi aliquis capitur, & dubitatur, an legitimè & validè, judicandum pro poſſeſſione, quæ erat ante interceptionem dubiam. Ergo Pro libertate: quia ante captivitatem dubiam erat certa libertas. Præterea, ſi certum ſit Franciſcum fuiſſe ſervum, & manumiſſionis dubiæ prætextu velis illum eximere à poteſtate proprii domini, contra Te, Franciſcum, & libertatem pronunciabo, & contra ſupervenientẽ manumiſſionem dubiam, ſervitutem, quæ erat in poſſeſſione, propugnabo. *Libertas certa prævalet captivitati dubiæ. Et ſervitus certa manumiſſioni dubiæ.*

An-ne Cæſar ex Pomponio aliquid ſancit diſſonum Juri naturæ? non exiſtimo, ſed puto potiùs hanc Regulam ſic debere intelligi, & non aliter.

XXI.

De eo, quod eſt plus vel minus.

DCCCL. NOn debet, cui plus licet, quod minus eſt, non licere. *Vlpianus libr. 27. ad Sabinum.* [Conjunge legem, *Si legato. 11. de manum. teſta.*] *Hæc Regula generaliter intellecta* Sic *falſa eſt.*

Sic tamen Regulam intellige, ut illud minus ſit pars illius, quod majus eſt. Nam alias centum erunt caſus, in quibus non ſubſiſtat Regula: & ne omnes omittam, unum aut alterum ſubſcribam.

Plus eſt abſolvere à peccatis, quàm abſolvere à debitis: plus eſt ſolvere excommunicationis vinculum, quàm compedes & catenas carcerum: plus eſt animam mortuam ſuſcitare, quàm corpus. At Sacerdos poteſt abſolvere à peccatis, vincula cenſurarum diſrumpere, animam mortali culpa jacentem ad vitam ſupernaturalem revocare: nec tamen ideò poterit te abſolvere ab ære alieno, quo gravaris, nec liberare à vinculis, quæ te in carcere detinent, nec à morbo quo laboras, & ſi tandem moriaris, non poterit te reſtituere vitæ. Sacerdos igitur, tametſi præſtare magna illa queat, iſta, tametſi ſint minora, non poteſt.

XXII.

De ſervis. Et de eorumdem conditione in arbitrium collata.

DCCCLI. *An ſervi ſint nulli moraliter?* IN perſonam ſervilem nulla cadit obligatio. GENERALITER probandum (approbandum) eſt, ubicumque in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium Domini vel Procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum eſſe. *Vlpianus libr. 28. ad Sabinum.* [Conjunge legem 7. *de de vendit. de contrah. empt.*

Supponit dominos & procuratores eſſe viros bonos, & pro talibus habendos eſſe: & ſtatuit in ſervilem perſonam nullam obligationem cadere. Sed cur? Quia obligatio non niſi in aliquem cadere poteſt, & ſervus eſt nullus virtualiter. An ne omninò ille nullus?

XXIII.

De culpa, dolo, diligentia & caſu.

CONtractus quidam dolum malum dumtaxat recipiunt; quidam & dolum & culpam. Dolum tantùm Depoſitum & Precarium: dolum & culpam Mandatum, Commodatum, Venditum, Pignori-acceptum, Locatum: item Dotis-datio, Tutelæ, Negotia geſta, in his quidem & diligentiam. Societas & Rerum communio & dolum & culpam recipit. Sed hæc ita, niſi ſiquid nominatim convenit, vel plus, vel minus, in ſingulis contractibus: nam hoc ſervabitur, quod principio convenit. Legem enim contractus dedit, excepto eo, quod Celſus putat non valere, ſi convenerit, ne dolus præſtetur. Hoc enim bonæ fidei judicio contrarium eſt: & ita utimur. Animalium verò caſus, mortes, quæque ſine culpâ accedunt, fugæ ſervorum, qui cuſtodiri non ſolent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, &c. à nullo præſtantur. *Vlpianus libr. 29. ad Sabinum.* [Conjunge legem 11. depoſiti.] Pro illis verbis, *In hic quidem & diligentiam ſocietas, & rerum communio & dolum & culpam recipit*, legunt alii, *In his quidem diligentia, ſed & ſocietas & rerum communio & dolum & culpam recipit*: adverſo ſenſu. DCCCLII.

Digitized by Google

An negligentia levis obliget ad reſtitutionem? Hæc omnia pendent ab arbitrio potiùs, quàm à lege naturæ ſeu ratione. Puto, ſtando juri naturæ, rem ſibi concreditam debere cuſtodire hominem, quocumque titulo illius curam acceptet, & teneri ad reſtitutionem ſi in ejusdem cuſtodiâ tantam negligentiam habuerit, quæ ſufficeret ad culpā mortalem. Aſſero tamen poſſe ita duos paciſci, ut ad reſtitutionem alter etiam ex levi negligentiâ teneatur; etiam ex nullâ. Etiam ex infortunio extrinſeco. *Contractus Aſſecurationis.* Nam aſſecurationis contractus non à culpa, non à negligentiâ gravi aut levi, ſed ſolummodò ab infortunio pendet; qui enim Amſtelodami, Dunckercæ, aut etiam alibi, pro navium ſecuritate compromittunt, ſunt ut plurimum fidejuſſores venti, & in caſu, quo navis aut ventorum vi, aut nautarum negligentiâ aut temeritate pereat, tenentur ad ultimum nummum refundere, quæ aſſecurarunt.

XXIV.

De eo, quod intereſt.

DCCCLIII *An facta à Iure pendeant? An Iura à factis?* QUatenus cujus interſit, in facto, non in jure conſiſtit. *Paulus lib. 5. ad Sabinum.*

Sed hoc ipſum factum videtur à Jure pendere: multa enim ſunt moraliter nulla, in quibus conſiſtere non poteſt, hoc quod intereſt.

XXV.

De Cautione.

DCCCLIV PLus cautionis in re eſt, quàm in perſonâ. *Pomponius libr. 11. ad Sabinum.* Legunt aliqui *in rem & in perſonam*; ſed quo id ſenſu?

Eſt certa, nam res manent, & perſonæ, aut recedunt, aut moriuntur. *An re ſit perſona ſecurior?* Cæterùm, tametſi regulariter loquendo id verum ſit, aliquando contingit cautionem ſecuriorem eſſe in perſonâ, præcipuè ſincerâ & egregiâ: quod exemplo dilucido.

Defecit à vero Rege Luſitania, & acclamavit Joannem Bargantiæ Ducem, *Luſitaniæ rebellio.* & à cæteris regnis excisa incepit hoſtem agere & agi. Sub illud tempus florebat Ulyſſipone Guaſcus, Bibliopola ditiſſimus, qui habebat in libris Balthaſaris Moreti Antuerpienſis Typographi & Bibliopolæ multa nomina. Et quam quæſo cautionem habere poterat Balthaſar, ut nominibus illis deletis, ſuas pecunias reciperet? ſi reſpexiſſet rem, profectò nullam; magnam autem, quia reſpexit perſonam. Solvit omnia ante diem fideliſſimus Guaſcus; & oſtendit majoris debere fieri verbum hominis probi, quam pignora contentioſi & iniqui.

XXVI.

De conſcientia & conſenſu.

QUi poteſt invitis alienare, multò magis & ignorantibus & abſentibus poteſt. *Vlpianus libr. 30. ad Sabinum.* DCCCLV. *An dentur ſuffragia conſultiva?*

Sed non placet, niſi limitationem admittat. Videtur tollere omnia omninò conſultiva ſuffragia, quæ notiſſima ſunt, & in multis Ordinibus admiſſa. D. Benedictus ſic inquit, *Quoties aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio, convocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipſe unde agitur: & audiens conſilium Fratrum, tractet apud ſe, & quod utilius judicaverit, faciat.* *S. Benedictus in Reg. cap. 3.* Nota illud *omnem congregationem*: debet ergo Abbas omnes con-

Digitized by Google

Abbas tenetur ſuos conſulere: non tamen illos ſequi. convocare, omnibus negotia Monaſterii proponere, univerſos audire. Nota illud *judicaverit*: non enim præcipit Sanctus Pater, ut Abbas faciat, quod melius iudicaverint Fratres, ſed quod ipſe. Stando igitur rigori Regulæ, poteſt domos aut fundos Monaſterii Abbas iuvitis Fratribus alienare, nõ tamen ignorantibus & inconſultis. Conſultò dixi *ſtãdo rigori Regulæ* (*D. Benedicti* videlicet) quia in ſingulis Congregationibus dantur leges, juxta quas dantur etiam vota deciſiva. Sed quid dicendum erit de Ulpiano? Ejus Regulam habere locum, ubi vota conſultiva non dantur.

XXVII.

De pactis. De cauſis obligationum. De modo actionum.

DCCCLVI. NEc ex Prætorio, nec ex ſolenni Jure privatorum, conventione quidquam immutandum eſt; quamvis obligationum cauſæ pactione poſſint immutari & ipſo jure & per pacti conventi exceptionem; quia actionum modus vel lege, vel per Prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur: niſi tunc, cùm inchoatur actio inter eos convenit. *Pomponius libr. 16. ad Sabinum.* [Alii hanc Regulam adſcribunt Paulo.]

Legum finis. Movet Juriſconſultus quæſtionem graviſſimam & difficillimam, quæ inquirit, An-ne lex publica dependeat à contractu privato? Et reſpondeo, eſſe nonnullas leges latas ob bonum publicum tantùm: eſſe nonnullas latas ob bonum privatũ tantùm: & eſſe multas ob utrumque. Secundi ordinis leges pendent à contractu privato, & permittitur, ut cedat privilegio privatus ſi velit: & ſi ceſſerit, legis obligatio ceſſabit. At primi & ultimi ordinis leges à pacto privato non pendent: eſſet enim miſera Publica-Res, ſi poſſet privatis contractibus alterari aut mutari.

XXVIII.

De liberalitate.

DIvus Pius reſcripſit, Eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id quod facere poſſunt (*nimirum* commodè) condemnandos. *Ulpianus libr. 36. ad Sabinum.* DCCCLVII

Addidi illud *commodè*: in id enim, quæ facere non poſſunt, nulli damnantur. [Sumpta videtur iſta Regula ex leg. *Si extraneus de jure dot.* Cui conjunge leg. *Si quis crediderit. ff. de pac.* & leg. *Maritum. ff. ſol. matr.*]

Promiſſiones infirmæ. Hinc patet donationes, quæ ex liberalitate fiunt, eſſe infirmas, & præcipuè in Bohemiâ, quæ jubet, ut in cautionibus non ſolùm confiteamur debita, ſed & exponamus debiti rationem & cauſam.

XXIX.

De vitioſo principio.

QUod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere. *Paulus libr. 8. ad Sabinum.* [Conjunge legem. *Qui à quolibet. De contrahen. empt. ff.* & legem 5. *de author. tut. ff.* & leg. penult. hujus tit.] DCCCLVIII

De præſcriptione cum mala fide nude num. 595. Ubicumque habet locum præſcriptio cum poſſeſſione malæ fidei, hæc Regula locum non habet. Tunc enim poſſeſſio, quæ ſub initium ob malam fidem

ſidem vitioſa eſt, tractu temporis præſcribit, & in bonam & legitimam tranſit.

XXX.

De nuptiis.

DCCCLIX. NUptias non concubitus, ſed conſenſus facit. *Vlpianus libr. 36. ad Sabinum.* [Cujus verba roborantur ex lege 15. *de condit. & demonſt.*

An obliget promiſſio merè interna? Fortè ſtando Juri naturali conſenſu interno & occulto poteſt Matrimonium iniri; ſunt enim Authores illuſtres, qui putant hominem obſtringi promiſſione internâ, nullo actu extrinſeco ſignificatâ. Sacramentales verò nuptiæ ineuntur conſenſu interno per ſignum extrinſecum ſignificato; & concubitu perficiuntur & conſumantur.

XXXI.

De potentia ad præteritum. De impoſſibili.

DCCCLX *An detur potentia ad præteritum?* VErum eſt neque pacta, neque ſtipulationes factum poſſe tollere. [Tollere enim & auferre quod factum eſt; hoc eſt, facere ne fuerit, quod reverа fuit, impoſſibile eſt:] quod autem impoſſibile eſt, neque pacto, neque ſtipulatione poteſt comprehendi, ut utilem actionem aut factum (pactum) efficere poſſet. *Vlpianus libr. 42. ad Sabinum.* [Conjunge legem 50. *de pactis cum aliis.*]

Tota hæc Regula, ad hunc poteſt ſyllogiſmum reduci. *Nullo contractu poſſum obſtringi ad impoſſibile, At efficere, ut actio facta, facta non ſit, impoſſibile eſt: Ergo nullo contractu ad hoc poſſum obſtringi.* Et hujus ſyllogiſmi major, tametſi negetur ab hæreticis, vera eſt: ſed minor debebit diſtingui. Ad præteritum non eſſe potentiam DEO; nego: [quoniam DEO omnia ſemper ſunt integra, nec hodiè minus eſt potens, quam intelligitur fuiſſe ab æterno Sed de hoc alibi.] Non eſſe homini; ſubdiſtinguo. Non eſſe phyſicã concedo; non eſſe moralem ſeu virtualem nego. *An illam habeat homo? an Deus?* Exemplo diſtinctionem dilucido. *Et an illam phyſicè vel moraliter?* Non poteſt homo facere, ut ſpurius fuerit verè & realiter ex thoro legitimo natus: at poteſt facere, quòd fuerit moraliter & virtualiter. nam ſi illum legitimet, efficiet, ut ita ſe habeat, ac ſi ex matrimonio legitimo fuiſſet ſuſceptus.

XXXII.

De ſervis: & de hominum æqualitate.

QUod attinet ad Jus Civile, ſervi pro nullis habentur; non tamen & Jure Naturali. DCCCLXI. Quia, quod ad Jus Naturale attinet, omnes homines æquales ſunt. *Vlpianus libr. 43. ad Sabinum.* *An ſervi omnes ſint nulli?*

Servos in Jure Civili nullos eſſe, verum eſt; nam quod ad publica attinet, ita ſe habent, ac ſi in rerum naturâ non eſſent. Interim hæc ratio contra militat, & ſolutione indigeret. [Quod nõ eſt, non ſcitur, non diſtinguitur, non venditur, non emitur, non cuſtoditur, non condemnatur, non abſolvitur. At in Jure Civili dantur leges, ut ſervi cognoſcantur & diſtinguantur; ſervi venduntur, cuſtodiuntur, condemnantur, puniuntur, abſolvuntur: ſervi igitur in Jure Civili non ſunt nihil: ergo ſunt non-nihil, hoc eſt, aliquid.] Hanc objectionem dedi, tu tantùm ſubſcribe ſolutionem.

At

Digitized by Google

DCCC LXII. At quicquid dicat Ulpianus omnes homines ſtando Juri naturali eſſe æquales, eſt falſum. Quoniam ſtando Juri naturali, Pater & Filius, Avus & Nepos (etiam Maritus & Uxor) etiam ſapiens & Imperitus, Fortis & Debilis, Senex & Juvenis, Expertus & Inexpertus, &c. homines ſunt, & tamen æquales non ſunt.

An homines æquales ſint?

Eſt probabilis ſententia apud Phyſicos Virum Fœminamque differre ſpecie inadæquatâ, & tamen hæc differentia nec civilis nec moralis, ſed naturalis eſt. Et eâ poſitâ Viri ſubſtantialiter ſunt majores fœminis. Et eâ negata, adhuc manent illi accidentaliter meliores & majores, & hoc ab omni Jure humano & civili præciſi.

An Vir & fœmina diſtinguantur ſpecie?

Eſt etiam probabilis ſententia, quæ docet, Ecceitates non eſſe æqualis perfectionis; &, ſi admittatur ſemel, nec inter ſe Viri, nec inter ſe fœminæ erunt æquales.

An Ecceitates ſint æqualis perfectionis?

XXXIII.

De actore & reo.

DCCC LXIII. IN eo, quod vel is qui petit, vel is à quo petitur, lucro facturus eſt, durior cauſa eſt petitoris. *Pomponius libr. 22. ad Sabinum.*

Eſt evidenter vera: nam reus nihil aliud facit quàm negare: & actor intentum probaturus eſt, non qualitercumque ſed plenè. Nam actore ſemiplenè probante reus in poſſeſſione ſuâ manutenetur.

An Actor debeat plenè probare?

XXXIV.

De interpretatione contractuum.

DCCC LXIV. SEmper in ſtipulationibus & in cæteris contractibus id ſequimur, quod actum eſt. Aut ſi non appareat quid actum eſt, erit conſequens, ut id ſequamur, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur. Quid ergo, ſi neque regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt. *Ulpianus libr. 45. ad Sabinum.* [Varias hic lectiones in libris diverſis reperio, ſed quia ſenſum non alterant non eſt cur illas producamus.]

Conſuetudini ſtandum.

Omnia ſunt clara, & ab aliis Regulis dependentia. *Standum enim eſt contractuum litera, ubi non detur inconveniens*, ut omnes Juris periti affirmant. Mores Regionis meritò jubemur reſpicere, quia ut habet Canonici Juris Regula VI. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt vero-ſimilius; vel quod plerumque fieri conſuevit.* Nota illud, *plerumque.* Nam ſi regionis mos eſt varius, adhuc ſtandum eſt rebus, quæ fiunt plerumq; Quod ſi nihil ſit quod plerũque fiat, tunc minimum eſt faciendum; quia habemus in Jure Canonico Regulam XXX. jubentem *ut minimum in obſcuris ſequamur.* Sed reſpectu cujus debet minimum eſſe? Reſpectu poſſeſſoris omninò.

Favendum eſt ſemper poſſeſſori?

XXXV.

De modis, quibus tollitur obligatio.

NIhil tam naturale eſt, quàm eo genere quidq; diſſolvere, quo colligatum eſt. DCCCLXV. Ideò verborum obligatio verbis tollitur, nudi conſenſûs obligatio nudo conſenſu diſſolvitur. *Ulpianus libr. 48. ad Sabinum.* [Nimirùm ex lege, *An jus utilis. De acceptilation.*]

Ergo-

Digitized by Google

An quot generationis, tot ſint etiam corruptionis ſpecies?

Ergo-ne inſtrumenti privati obligagatio non niſi inſtrumento privato reſcindetur; & inſtrumenti publici obligatio, inſtrumento publico debebit tolli? Sic videretur dicendum ex analogiâ: at reſpondeo quamcumque obligationem undecumq; ortam tolli conſenſu partis, ita exteriùs expreſſo, ut poſſit adæquatè probari.

Omnium contractuū inceptio & deſitio ſubeſt humanis legibus.

Sed hoc ipſum poterit lege aliquâ humanâ limitari, & tunc illi ſtare deberent, qui ſub illâ agerent.

XXXVI.

De culpa.

DCCC. LXVI. CUlpa eſt, immiſcere ſe rei ad ſe nō pertinenti. *Pomponius libr. 27. ad Sabinum.*

Aliena univerſi tractamus, propria negligimus.

Et ſi hoc culpa, quam pauci hodie in Europâ culpā carent. Omnes aliena agimus, & propria negligimus, & dū miles Eccleſiaſtica tractat, militaria Eccleſiaſticus, ruſtica Aulicus, & paganus politica, tota Reſpublica periclitatur.

XXXVII.

De condemnatione & abſolutione.

DCCC. LXVII. NEmo, qui condemnare poteſt, abſolvere non poteſt. *Ulpianus libr. 51. ad Sabinum.* [Conjunge legem, *Eum qui de juriſdictione.* Legem, ſi Judex *de re Iudic.*

An ex condemnandi poteſtate poteſtas abſolvendi inferatur?

Et hæc Propoſitio ſtando Juri naturæ vera eſt; at ſtando poſitivo Morali, non video, cur non poſſit concedi alicui mera condemnandi facultas? Pagorum & minorum Communitatum Rectores in multis Provinciis, capere reos poſſunt, ſemel captos abſolvere aut dimittere nequeunt.

XXXVIII.

De hærede. An tantùm rerum, an etiam criminum & pœnarum ſit hæres? An etiam virtutum & præmiorum?

DCCC. LXVIII. SIcuti pœnâ ex delicto hæres teneri non debeat; ita nec lucrum facere, ſi quid ex eâ re (nempe, ex delicto) ad eum (nempe, defunctum) perveniſſet. *Pomponius libr. 29. ad Sabinum.* [Et conjunge legem 12 *de obl. & act.*]

An ſtipendia criminum debeant ſolvi in conſcientia? An non ſolum ſceleris patratori, ſed etiam ejuſdem hæredi?

Multa ſequerentur omninò, ſi hæc Regula univerſaliter admitteretur. Nam, ſi Petrus occidit hominem, ejus hæres non tenetur hoc crimine, nec debet realiter aut perſonaliter ob id puniri. Ergo, ſi ob illud homicidium Petrus aureos mille recepturus eſſet, ſi viveret, non poterit illos hæres ſuſcipere poſt Petri mortem, etiam poſitâ ſententiâ illâ, quæ docet pretia criminum debere ſolvi, & peccare mortaliter, qui meretrici aut aſſaſſino ſtipendia peccatorum non ſolverit.

An ſicut de crimine, ſic etiam de actu virtuoſo ſit philoſophandum?

Sed quid de Virtute dicemus? Rationis paritas poſtulare videtur, ut eadem virtutis ratio ſit. At nimium eſſet hoc, & tamen illatum legitimè.

XXXIX.

De omiſſione culpabili.

DCCCLXIX. IN omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo per alium mora ſit, quo minus fiat. *Pomponius libr. 32. ad Sabinum.*

Aliqui libri habent in hujus Regulæ margine,

Poſſet verbis magis dignis & quæ ſa-

Digitized by Google

Hæc ſola vitioſa eſt. Sed non intelligo, cur hac? & cur hac ſola? Operatio virtualis.

ſapiant Scholæ rigorem hæc ſententia reſcribi. Qui enim cum alterius injuriâ actum aliquem doloſè omittit, eumdem moraliter agere dicendus, atq; ideò ita ſe habere, ac ſi reverà actum eumdem ageret: quam ob rem illa ipſa omiſſio virtualiter eſt operatio.

XL.

De furioſo & prodigo.

DCCCLXX. FUrioſi, vel ejus, cui bonis interdictum ſit, nulla voluntas eſt. *Pomponius libr 34. ad Sabinum.* [Conjunge legem 20. *de aqua pluvial. arc.*]

An particula vel ſit conjunctiva?

Particula *vel* ſumitur conjunctivè pro &. Quod ſæpe apud veteres accidit.

Furioſum componit cum prodigo, quaſi bona prodigere ſit furor; & utrique voluntatem negat: priori, quia caret libertate: poſteriori, quia libertate, quâ non caret, abutitur; & illa videtur carere virtualiter.

Carentia libertatis virtualis.

XLI.

De actore & reo: & cauſa obſcura.

DCCCLXXI. *Beatus, qui poſſidet.*

NOn debet actori licere, quod reo non permittitur. IN RE obſcurâ melius eſt favere repetitioni, quàm adventitio lucro. *Vlpianus libr. 26. ad Sabinum.*

Utraque Regulæ pars doctrinâ poſſeſſionis fundatur: in omni enim dubio ſtandum pro poſſeſſione certâ eſt. Cum igitur reus ante accuſationem in poſſeſſione innocentiæ ſit, in omni dubio favendum illi eſt. Et cùm repetitio antiquæ poſſeſſioni faveat, adventitio cuicumque lucro anteponenda eſt.

XLII.

De ignorantia.

QUi in alterius locum ſuccedunt, juſtam habēt cauſam ignorantiæ, An id quod peteretur deberetur? Fidejuſſores quoque non minus quàm hæredes, juſtam ignorantiam poſſunt allegare. Hæc ita de hærede dicta ſunt, ſi cum eo agetur , non enim ſi agat: nam planè qui agit, certus eſſe debet, cum ſit in poteſtate ejus, quando velit experiri. Et ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. *Gajus libr. 6. ad Edictum Provinciale.* DCCCLXXII.

Ignorantia invincibilis.

Lege quando *& non* quomodo.

At ego hanc volorationem perpendi, videntur enim mihi hæc eſſe argumenta parallela.

Impugnatur hac Regula.

Primum. Actor ob inſuperabilem ignorantiam excuſari nō poteſt; quia, cùm ſit in poteſtate ipſius inſtituere accuſationem ſi velit, & quando velit, debet eſſe certus priuſquam ad agendum procedat. *De actore.*

Secundum. Hæres ob inſuperabilem ignorantiā excuſari non poteſt; quia, cùm ſit in poteſtate ipſiꝰ acceptare aut recuſare hereditatem ſi velit, aut quando velit, debet eſſe certus priuſquam hæreditatem adeat. [Quod ſi aliquis ſit hæres hodie neceſſariò, ita ut acceptare hæreditatem debeat, eamq; recuſare non poſſit, de illo non verificabitur rationis paritas.] *De hærede.*

Tertium. Fidejuſſor, ob inſuperabilem ignorantiam excuſari nō poteſt; quia, cùm ſit in poteſtate ipſius fidem ſuam interponere, aut non, debet eſſe certus, & bene explorata habere pericula, quibus ſe exponit, priuſquam fidejubeat. *De fidejuſſore.*

Ergo, vel hæc omnia tria ſimul debebunt aſſeri, vel ſimul negari; non er-

Digitized by Google

go Gajus aliter de hærede, & fidejuſſore, & aliter de actore potuit philoſophari. Ergo vel ille corrigendus erit, vel ego.

XLIII.

De concurrentibus defenſionibus: & de actionibus.

DCCC. LXXIII. NEmo, ex his, qui negant ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione uti, niſi lex impediat. QUOTIENS concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, unâ quis experiri debet. *Vlpianus libr. 28. ad Edictum.*

Alij, unâ tantùm.

Et meritò, nam qui multis ſimul actionibus experiretur, univerſa confunderet, & nunquam poſſit intentum ſuum probare.

XLIV.

De hærede.

DCCC LXXIII. TOtiens in hæredem damus actionem de eo quod ad eum pervenit, quotiens de dolo defuncti convenitur, non quotiens de ſuo. *Vlpianus libr. 29. ad Edictum.*

Vox actionem in aliquibus exemplaribus deeſt.

Nam, ſi poſtquam Petro in hæreditates ſucceſſeris, inveniatur eumdem Petrum mille aureos Friderico debere, dabitur in te actio, ut ſolvas nimirùm Friderico, non ex bonis tuis, ſed ex bonis à Petro ſuſceptis. At jam multis eſt legibus ſtatutum, ut ſi ſemel quis hæreditatem acceptet, creditoribus omnibus teneatur ſatisfacere.

An hæc ſit vera Regula?

***

VI.

De pignore, depoſito, precario, emptione, locatione; & de conventionibus.

NEque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt. PRIVATORUM conventio Juri publico non derogat. *Vlpianus libr. 30. ad Edictum.* DCCC LXXIV.

Suarum rerum nemo eſt Emtor, Depoſitarius, Locatarius, &c.

Ex hac doctrinâ multi caſus dilucidari poterunt: quorum reſolutiones confirmabit Titulus *de pign.*

XLVI.

De pœna.

QUod à quoquo pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur. *Gajus libr. 10. ad Edictum Provinciale.* [Ex Titul. *de pignor.*] DCCCLXXV.

Sed obiicis. Id teneris reſtituere, quod exactum ab invito domino: ſed quod pœnæ nomine à Petro exactum, ab invito eſt: Ergo teneris ad reſtitutionem.

An pœnæ exſolvantur ab invitis?

Reſpondeo concedendo majorem, & negando minorẽ: qui enim in noſtrâ republicâ degit, noſtras leges acceptat, & qui acceptat liberè, non eſt invitus. Quod ſi poſteà, cùm condemnatur, invitus ſit, & ad ſolutionem debeat cogi, virtualiter invitus non eſt: etſi enim phyſicè nolit, cenſebitur virtualiter velle, quia velle ſolvere & non replicare tenetur.

Qui apud nos habitare vult, noſtras leges acceptat.

XLVII.

De conſilio, & ſociis.

COnſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt. Cæterùm, ſi dolus & cal- DCCC LXXVI.

Prudentia

Digitized by Google

carere eſſectu ſolet. calliditas interceſſit, de dolo actio competit. SOCII mei ſocius, meus ſocius non eſt. *Vlpianus libr. 30. ad Edictum.* [Ex Titul. *de mand.* Vide legem 2.]

Aliud eſt conſulere malum, & aliud conſulere malè. Conſulunt homines mala & malè. Mala, cùm ſincerè & ex prudentia: malè, cùm fraudulenter & dolosè. Conſului te in materiâ graviſſimâ; dixiſti quod ſentiebas; & ut bene ſentires, adhibuiſti debitam diligentiam: & tamen res malè ſucceſſit. An contra te acturus ſum? minimè. Sed habiturus gratias potiùs, quia voluiſti favere, tametſi nocueris per accidens. Si verò malitiosè fraudulenter & inſidiosè proceſſiſſes, tunc meritò conqueri poſſem.

Axioma Philoſophicum. Illud Philoſophicum Axioma, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe,* demonſtravi eſſe falſum; ejusque ſoboles falſas eſſe convici loco aptiore: at quia inter ipſas eſt hæc aſſertio, *Qui ſũt ſocij uni tertio, nõ ſunt ſocij inter ſe*; *Axioma Civile.* gratias agam Ulpiano, quod meam doctrinam ſuo, adeoque magno teſtimonio confirmet.

XLVIII.

De calore iracundiæ.

DCCC LXXVII. *De inadvertentia.* QUicquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum eſt, quam ſi perſeverantiâ apparuit judicium animi fuiſſe. Ideoque brevi reverſa uxor, nec divertiſſe videtur. *Paulus libr. 35. ad Edictum.* [Ex Titul. *de divort.*]

Quomodo differant paſſiones & perturbationes? Sunt in homine paſſiones & perturbationes; illæ liberum arbitrium diminunt, iſtæ tollunt vel rapiunt: & quia deficiente libertate ratio malitiæ deficit, actus ejusmodi conſentur non eſſe morales. *Nulla ſine libertate arbitrii malitia eſt.* Actus primò primos, qui ante deliberationem ſubrepunt, à ſecundò primis, aut etiam à primò ſecundis diſtinguimus, ut nullo modo liberos, à ſemiliberis, & plenè liberis *Actus primò primi.* diſtinguamus. Et tamen, quia hæc ſpeculativè intelliguntur, & vix poſſunt in praxi per ſententiam tractari, ideò Cæſares conſilio Pauli & aliorum Juriſperitorum manuducti, ſtatuerunt, ut quidquid ex calore iracundiæ fit, ſi brevi retractetur, moraliter infectum dicatur. Moraliter inquam *Aliud eſt hominum tribunal, aliud Dei.* quoad homines: poteſt enim contingere in actu, brevi tempore elicito, fuiſſe deliberationem plenam, quam non præſumunt leges, quæ de occultis non judicant directè, ſed indirectè, & prout ab externis indicantur.

DCCC LXXVIII. *De paritate rationis.* An-ne ſicut de furore iracundiæ, ita etiam de metu & concupiſcentiâ, aut etiam ebrietate, poterimus philoſophari? Ratio par opitulatur, ſi leges ubique faverent. *De Metu.* Sanè metum cadentem in conſtantem verum reverâ tollere libertatem in multis caſibus Eccleſia Romana ſupponit; aut ſi reverâ non tollat, tolli moraliter libertatem concedit. *De Concupiſcentia.* De Concupiſcentiâ nihil legi in Eccleſiaſticis aut Civilibus tabulis, quod iſti doctrinæ ſuccurrat: non enim naturaliter accidit, aut humanitùs ſtatuitur, ut concupiſcentia, quæ in conſtantem caderet, mentem ita excæcet, ut liberum arbitrium proſcribat. *De Ebrietate.* Et de Ebrietate? Omnes illam condemnant, & meritò; unde ebriorum crimina bis punire præcipimur; iterum ob malitiam ſpecialem, quam habent; iterum ob generalem,

Digitized by Google

ralem, quam ab ipſâ ebrietate recipiunt.

IL.

De circumventione.

DCCCLXXIX. Alterius circumventio, alii non præbet actionem. *Vlpianus libr.* 35. *ad Edictum.* [At nota obiter non-nullos putare hanc Regulam non jam ex Ulpiano, ſed ex Cajo deſumptam.]

Multa facimus ob bonũ publicum, quæ omitteremus ob privatum.

Eam ſic intellige, ut nemo conqueri poſſit, quod Petrus alium circumvenerit, nimirùm, bonum privatum reſpiciendo: at verò reſpiciendo publicum bene poſſumus contra peccata in alios commiſſa procedere. Vide tract. *de tutel.*

L.

De permiſſione non libera.

DCCCLXXX. Culpâ caret, qui prohibere nõ poteſt. *Paulus* (vel ut alii volunt, *Vlpianus*) *libr.* 39. *ad Edictum.* [Ex Titul. de *noxal.*]

De Sacri Romani ImperijPace.

Et quidem hac unicâ Regulâ Germano-Suecica Pax, in quâ tam multa, & tam magna permittuntur Hæreticis, ſubſtruitur. Nam culpâ carent Catholici, cùm Heterodoxis permittunt, quæ prohibere non poſſunt. Sed quia de hac ego materiâ librum integrum ſcripſi, ad alia tranſeo.

LI.

De eo, qui capit.

DCCCLXXXI. Non videtur quiſquam id capere, quod ei neceſſe eſt alii reſtituere (hoc eſt. dare.) *Gajus libr.* 15. *ad edictum Provinciale.*

Aliud eſt recipere nomine proprio, aliud alieno.

Et eſt propoſitio veriſſima: ille enim in cujus manus conſignas, quę Anſelmo debent neceſſariò reſtitui, nihil videtur capere; quia proprio nomine nihil capit; & ideo ut ſcholaſticè loquar, nihil capit *ut quod*, ſed *ut quo*; quia nihil ſibi, nihil pro ſe, ſed pro Petro. [Confirmatur hæc Regula ex Titul. *de bon. poſſeſſ.*]

LII.

De non-defenſione.

Non defendere videtur, non tantùm qui latitat, ſed & is, qui præ- DCCCLXXXII.
ſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem. *Vlpianus libr.* 44. *ad Edictum.*

Homicidium morale.

Et qui non defendit, ſi habeat defendendi obligationem, offendit: unde illa Patrum veterum vox, *Si proximum non defendiſti, occidiſti.*

LIII.

De ſolutione indebiti.

Cujus, per errorem dati repetitio DCCCLXXXIII.
eſt, ejus conſultò dati donatio eſt. *Paulus libr* 42. *ad Edictum.* [Ex Titul. *Si quid in fraudem.*]

Explicatur primò.

Eſt obſcura & ambigua. Nam poſſet ſic exponi: *Ille, qui rem, quam per errorem dederat, poteſt repetere: hanc eamdem poterit eidem datario aut alij cuicumque donare.*

Explicatur ſecundò.

Poſſet & ſic: *Si quis aliquid per errorem dederit, non eſt cenſendus donaſſe, ſed poſſe aut debere repetere. Quod ſi illud conſultò dederit, cenſendus eſt donaſſe, & illud non poſſe repetere:*

Digitized by Google

LIV.

De iuris translatione.

DCCCLXXXIV. NEmo plus juris ad alium transferre poteſt, quàm ipſe habet. *Vlpianus libr. 46. ad Edictum.* [Ex Titul. *Vnde legit.*]

Nemo dat, quod non habet.

Sed obiicis. Blaſius devotus ruſticus colebat agrum, ex quo Parrocho pendebat decimas; moritur, & illum in teſtamento legat Monaſterio Diſenbergenſi, quod Ordinis Ciſtertienſis eſt. Hoc illum colit, & Parrocho non ſolvit decimas. Ergo falſa eſt Ulpiani Regula: falſum illud Axioma, *Nemo dat, quod non habet*; Blaſius enim immunem à decimis agrum dedit, & obnoxium decimis habuit.

An Ciſtertienſes ſolvant decimas?

Reſpondeo nihil concludi contra Ulpianum: quia Blaſius immunitatem illam nec habuit, nec tranſtulit, ſed meram conditionem appoſuit, quâ purificatâ haberet locum Privilegium à multis firmatum Pontificibus, quo conceditur, ut Ciſtertienſes ex agris ſuis donatione aut emptione adquiſitis decimas Eccleſiæ parrochiali non ſolvant.

DCCCLXXXV. Hic etiam nota ſæpe contingere quod donatio ſit plena, & tamen minus jus adquirat donatarius, quàm donator habebat; videlicet ſi incapax ſit. Nam ſi tali Arci annexi ſint tot pagi, & Judicis criminalis, aut Legionarii dignitas, & illa ſacerdoti donetur, hic erit Arcis & pagorum adnexorum dominus, non tamen Legionarius nec Judex; nam ſacerdos eſſe rerum dominus poteſt: at in criminalibus jus dicere, reos capite damnare, legionem ducere & militiam profiteri non poteſt.

An Sacerdos Iudex aut Miles eſſe queat?

LV.

De eo qui ſuo iure utitur.

NUllus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur. DCCCLXXXVI. *Gajus libr. 2. de teſtamẽt. ad Edictum Vrbicum.* [Et hic liber ab aliis *de legatis* vocatur: ſed eodem ſenſu.] Conſonat Titulus *ſi quis omiſſ. cauſa teſtam.*]

Injuriam multi cum incommoditate confundunt: & perperam; qui enim, quæ ſua ſunt, poſtulat, incommodus creditoribus eſt, & tamen injurius non eſt.

Injuria diſtinguitur ab incommoditate.

Nulli profectò injuriam facit, qui ſuo jure utitur; at peccat interdum, qui ſuo jure abutitur; unde ſumpſit exordium, illud Axioma, *ſummum Ius, ſumma injuria*. Suo jure utitur, qui negat oranti pecunias, quibus ipſe non eget, & ille eget: ſuo qui à mutuario elapſo tempore mutuum repetit, etſi non ſit illius elapſa neceſſitas, & ſibi perinde ſit remittere vel recuperare. Et ut verbo dicam: quoties habeo jus ad faciendum aliquod, quod mihi inutile, & proximo meo pernitioſum, ſi illud fecero, jure meo abutor, & pecco contra Charitatem.

Iuris abuſus. *Summum & nimium Ius.* *Peccata contra charitatem.*

LVI.

De dubiis.

SEmper in dubiis benigniora præferenda ſunt. DCCCLXXXVII *Gajus libr. 3. de Legatis ad Edictum Vrbicum.* [Alii citant *libr. 2. de Teſtamentis, &c.*]

Et hanc Regulam veram non dubito; puto enim in dubiis pro poſſeſſione

Corrigitur hæc Regula.

Digitized by Google

ne judicandū, ſive ſententia benignior, ſive ſeverior ſit. Nam cùm dubitatur de præcepto, ſtatur pro libertate, quæ prior præcepto: & cùm dubitatur de diſpenſatione, ſtatur pro præcepto, quod diſpenſatione prius. Sed hoc jam ſæpe monui, quod judico verum & certum.

In omni dubio ſtandum pro poſſeſſione eſt.

LVII.

De eo, quod bis exigitur.

DCCCLXXXVIII. Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. *Gajus libr. 18. ad Edictum Provinciale.*

Quid ſit bona fides?

Nomine *bonæ fidei* non Religionem Catholicam, ſed prudentiam, æquitatem, & ſinceritatem intelligimus: quæ non tolerat, ut idem debitum bis exigatur, aut eadem pœna bis luatur.

LVIII.

De peculio.

DCCCLXXXIX. Ex pœnalibus cauſis nō ſolet in patrem de peculio actio dari. *Vlpianus libr. 2. diſputationum.* [Et ſumitur ex Titulo de Peculio.]

LIX.

De hærede.

DCCCXC. Hæredem ejusdem poteſtatis juriſque eſſe, cujus fuit defunctus, conſtat. *Vlpianus libr. 3. diſputationum.*

Vnde hæres dicatur?

Hæres dicitur ab hærendo, quod defuncti omnia jura & bona moraliter hæreant, ergo mirum, ſi omnia poſſidere dicatur? Interim, quia ſæpe eædem aut ſimiles Poſitiones recurrunt, relege Regulam LIV.

LX.

De mandato.

Semper, qui non prohibet pro ſe intervenire, mandare creditur. Sed & ſi quis ratum habuerit, quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione. *Vlpianus libro 10. diſputationum.* DCCCXCI.

De ratihabitione.

Cooperari moraliter dicitur, qui poteſt prohibere, & non prohibet, (Vide Regulam L.) qui enim prohibere non poteſt, culpâ caret. At licèt actum prohibere non potueris, ſi poſteà ratum habeas, tuâ illum authoritate confirmas, & quaſi elicuiſſe cenſeris.

Cooperatio virtualis. *Nota id bene.*

LXI.

De refectione domus.

Domum ſuam reficere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quod jus non habet. [Sed quid ſi jus habeat? poterit officere illi etiam invito.] *Vlpianus libr. 3. opinionum.* [Conjunge l. 2. *de ope. publ.*] DCCCXCII.

LXII.

De hæreditate.

Hæreditas nihil eſt aliud, quàm ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuerit (videlicet, tempore mortis.) *Iulianus libr. 5. Digeſtorum.* Colligitur ex Titul. *petit. de hæred.* & confirmatur lege, *Ei qui, eodem tit.* & leg. 24. *de verborum ſignific.* Et eſt veriſſima; non enim, quæ tuus pater in juven- DCCCXCIII.

Quid ſit hæreditas?

Digitized by Google

ventute habuerat, ſed quæ in mortis articulo, ad te transmiſit.

LXIII.

De mora.

DCCCXCIV. QUi ſine doloſo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere. *Iulianus libr.* 17. *Digeſtorum.*

Dolus malus. Sed quid eſt dolus malus? An-ne datur aliquis dolus, qui ſit bonus?

LXIV.

De rarò contingentibus.

DCCCXCV. EA, quæ rarò accidunt non temerè in agendis negotiis computantur. *Iulianus libr.* 29. *Digeſtorum.*

Corrigitur aut reiicitur Regula. An-ne Propoſitio iſta vera? Non puto. Imo eam ſecurè reiicio; & contradictoriam aſſumo; nam illud *non* irrepſiſſe ſuppono: quoniam, *ſi inſpicimus in obſcuris, quod plerumque fieri conſuevit*, ut habet Canonici Juris Regula XLV. in obſcuris debebimus omninò non curare, quæ rarò accidunt.

LXV.

De cavillatione ſeu ſorite.

DCCCXCVI *Sorites.* EA eſt natura cavillationis, quam Græci Σωρείτην (alii Σοφιστικὴν) appellant, ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducatur. *Iulianus libr.* 54. *Digeſtorum.*

Argumentatio Sophiſtica. Ut reor cavillatio Σοφιστικὴ dici poterit, at Σωρείτης non poterit: nam ſorites eſt acervalis ſyllogismus, bonus tamen, nec ulla fallaciâ inficitur: cùm tamen rationes ſophiſticæ illæ ſolæ dicantur, quæ occulto aliquo morbo laborant. *Quid ſit?*

LXVI.

De exceptione.

DEſinit debitor eſſe is, qui nactus eſt exceptionem juſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem. *Marcellus apud Iulianum libr.* 60. *Digeſtorum.* DCCCXCVII. *Deſitio debiti.*

Hinc patet, quid ſit Juſtitia & æquitas: nam ſi exceptio juſta eſt, quæ ab æquitate naturali non abhorret, univerſaliter loquendo, actio erit juſta, quæ ab eâdem æquitate non abhorret. *Quid ſit Iuſtitia?*

LXVII.

De ſermone ambiguo.

QUoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimum accipietur, quæ rei gerendæ aptior eſt. *Iulianus libr.* 87. *Digeſtorum.* DCCCXCVIII.

Sed non adquieſco: nam hoc modo diſcurro. Quoties idem ſermo duos ſenſus habet, commodum & incommodum, congruum & incongruum, aptum & ineptum: oportet reiicere incongruum incommodum ineptumque, & eum ſolùm accipere, qui commodus congruus & aptus. At verò, cùm nemo teneatur meliora facere, nec probabiliora ſectari, nemo ſententiam in ſenſu commodiore congruentiore & aptiore uſurpare tenebitur; ſed ſatisfacet prudentiæ, ſi ſenſu apto congruo & commodo contentus ſit. *Reiicitur Regula.* *Nemo ſecere qui tenetur probabiliorem opinionem.*

LXVIII.

LXVIII.

De beneficiis.

DCCCIC. *De Iure reali & perſonali.* IN omnibus cauſis id obſervatur, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficiat: ubi verò genus actionis id deſiderat, ibi ad quemvis perſequutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii. *Paulus libro ſingulari de dotis repetitione.* [Ab aliis citatur *libro de aſſignatione libertorum.*]

Quid Paulus velit dicere video, at quid dicat neſcio. Verbo omnia expono. Perſonæ conditio, qualitas aut illuſtris aut miſera; & quæcumque aliæ circumſtantiæ quæ ſolent eſſe beneficiorum aut privilegiorum conditiones, nequeunt bene explicari, niſi ſciamus alias eſſe conditiones in fieri, alias in facto. *Conditiones aliæ ſunt in fieri, & aliæ in facto eſſe.* Sine illis res non poteſt fieri, at ſemel facta poteſt conſervari ſine illis: at ſine iſtis conſervari non poteſt. Hac doctrinâ ad materiam præſentem translatâ, aſſeram in beneficiis & privilegiis alias eſſe conditiones, ſine quibus illa non concederentur, ſine quibus tamen ſemel conceſſa manent; eſſe & alias, ſine quibus illa conſervari non poſſunt. Omnia exemplo dilucido. *An præſentia Parrochi ad matrimonium requiratur?* Præſentia Parrochi, ubi Tridentina ſynodus admiſſa eſt, eſt conditio ſine quâ non fit Matrimonium; & tamen illud, ut ſemel factum perſeveret, non indiget præſentiâ Parrochi. Conceditur Epiſcopis, ut cum pauperibus diſpenſent in affinitatis & conſanguinitatis impedimento tali aut tali. Et qui verè fuit pauper cùm diſpenſatione obtentâ uſus, manebit ſemper conjugatus, licèt poſteà ditеſcat. Aliter contingit erga eum, qui ob morbum diſpenſationem veſcendi carnib⁹ impetravit; recedente enim morbo ceſſat conceſſa licentia à Prælato; morbus enim eſt conditio in facto eſſe, ſine quo non perſiſtit licentia. *An cauſa ceſſante ceſſet licentia?*

LXIX.

De involuntario.

INvito beneficium non datur. *Paulus libro ſingulari de aſſignatione libertorum.* CM. *Qui fit invito non eſt favor.*

Et eſt Regula certa: qui enim cogitur, non dicitur beneficio gaudere: quam obrem nõ aliter intelligam gratiam favoremque, quam duos actus liberos intelligendos: alterum dantis, & recipientis alterum. Quæ enim debita eſt & neceſſariò debet concedi, non eſt gratia; & neceſſariò debet admitti, non eſt favor.

LXX.

De poteſtate gladii, vel alterius coercitionis.

NEmo poteſt gladii poteſtatem ſibi datam vel cujusvis alterius coercitionis, ad alium transferre. *Ulpianus libr. 1. de officio Proconſulis.* [Conjunge legem *ſolet.* de offic. Præt.] CMI. *An jura & privilegia ad alterum transmitti poſſint?*

In hac Regulâ involvitur quæſtio de facto; ſtando enim Juri naturæ non repugnat, ut negetur Petro Jus gladii, & tamen concedatur Antonio cum facultate transferendi ad Petrum aut ad alium quemcumq; capacem, ſi velit.

***

LXXI.

Digitized by Google

LXXI.

De his, quæ per libellum expediri non poſſunt.

CMII. *Nemo poteſt inauditus damnari.* OMnia quæcumque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum (*hoc eſt*, ſine cauſæ cognitione) expediri non poſſunt. *Vlpianus libr. 2. de officio Proconſ.* [Conjunge legem *Nequidquam. §. de officio Proconſ.*] Sed cur debet probari, quæ ſi bene conſideretur, eſt idemtica?

LXXII.

De iure pignorandi.

CMIII. FRuctus rei eſt vel pignori dare licere. *Iavolenus libr. 3. ex poſteriorib. Labeorus.* [Conjunge legem ultimam *de uſuris.*]

Eſt obſcura, & difficilis utcumque exponatur.

LXXIII.

De tutela & hæreditate. De actione violenta & occulta. De his, quæ in teſtamento intelligi non poſſunt. De cautela, qua quis agere debet cum extraneo.

CMIIII. *Quis poſſit tutorem denominare & dare?* QUò tutela rediit, eò & hæreditas pervenit: niſi cum fœminis hæredes intercedunt.

Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei quem in ſuis hæredibus, cum moritur, habuit, habiturus-ve eſſet, ſi vixiſſet.

Quid fiat per vim? Vi factum id videtur eſſe, quâ de re quis, cum prohibetur, fecit clam; quod quiſquam cùm controverſiâ haberet, habiturum ſe putavit, fecit.

Quæ in teſtamento ita ſunt ſcripta, ut intelligi non poſſint, perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent. *Inintelligibilia iudicantur non ſcripta.*

Nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando, quiſquam alteri cavere poteſt. *An alteri cavere poſſis?*

Omnia hæc Quintus Mucius Scævola libro ſingulari ὅρων.

LXXIV.

De acceptione, aut commutatione perſonarum.

NOn debet alteri per (propter) alterum iniqua conditio inferri. *Papinianus libr. 1. Quæſtionum.* [Ab aliis allegatur *Pomponius.*] CMV. *Nemo ob alterius iniquitatem condemnatur.*

Hinc patet ob aliena crimina neminem licitè puniri poſſe.

LXXV.

De mutatione conſilii.

NEmo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam. *Papinianus* (aut fortè *Pomponius*) *libr. 3. Quæſtionum.* [Et adde legem *Non nunquam. de collat.*] CMVI.

Conſultò vocem illam *injuriam* poſuit Juriſconſultus; qui enim cum alterius injuriâ mutare conſilium non poſſum, cum alterius incommoditate aut damno ſæpe poſſum. Ut ergo Regulam intelligas, diſtingue propoſitum à promiſſione; illud enim mutari ſemper poteſt; at hæc, ſi habet circumſtantias debitas, ut obligationem inducat, invito promiſſario retractari non poteſt. *Injuria. Damnum, Incommoditas. Propoſitum differt à promiſſione.*

Hhh LXXVI.

Digitized by Google

LXXVI.

De actibus liberis.

CMVII. *Actus liber requirit notitiam claram.*

IN totum omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi verâ & certa ſcientia perfici poſſunt. *Papinianus (vel certè Pomponius) libr. 24. quæſtionum.*

Definit Juriſconſultus actum liberum eum eſſe, qui elicitur animi deſtinatione; hancque non poſſe exiſtere certitudine notitiæ (hanc enim ſignificat nomen *ſcientiæ*) ſublata: nihil enim magis opponitur reſolutioni liberæ, quam error.

Error opponitur libertati.

Limitatur Regula.

An-ne quicumque error reddet actum invalidum? Videtur loqui univerſaliter Juriſperitus in hoc loco; at debet vela contrahere, & ſubſtantialia ab accidentalibus diſtinguere: quoniam error in qualitate contractus humanos non dirimit.

Error in qualitate.

Sed quid eſt error in qualitate? An-ne, cùm petenti album datur nigrum, & requirenti frigidum datur calidum? Sic multi Juriſtæ, ſic nonnulli Theologi putarunt, & in matrimonii materiâ ideò multos errores commiſerunt. Error in qualitate dicitur error in accidente, non ſubjecti ſed objecti. Attende: Accidens ſubjecti eſt, quod poteſt adeſſe & abeſſe absque ſubjecti corruptione: & accidens objecti, quod poteſt adeſſe & abeſſe absque objecti corruptione. Corrumpitur objectum quà tale, quando incipit nõ eſſe quà tale: & quia ſuum eſſe eſt objici, eſt eligi, eſt amari; eſſe deſinit in eſſe objectivo, cùm primùm deſinit objici & amari. Ergo accidens objecti, id eſt, quod ſive cognoſceretur ſive non, adhuc intenderetur aut eligeretur objectum: quod ſi aliqua ſit circumſtantia, quâ ſublatâ objectum non diligeretur, jam illa pertinet ad intrinſecam rationem objecti quà talis, nec debet vocari *qualitas*. Rem exemplo dilucido. Contrahit Abbas Benedictinus cũ Mercatore de panno pro parandâ clamyde; & Mercator purpureum ad cellam tranſmittit: vultque contractu obſtringi Abbatem. Se deceptum occlamat Religioſus, & errorem producit. Reponit alter hunc errorem non eſſe ſubſtantialem, ſed accidentalem circa panni qualitatem tantummodò, quoniam color eſt qualitas. Et ex Jure urget errore in qualitate non invalidari contractum. Et reſpondeo colorem in emptione ejuſmodi non ad objecti accidentia, ſed ad eſſentiam pertinuiſſe, Abbatem enim noluiſſe habere clamydem purpuream certum eſt. Ergo ſiquidem poſito colore nigro ponitur conſenſus, & aufertur ſublato, non eſt color objectivum conſenſûs accidens, ſed eſt verè quædam realitas, quæ ad intrinſecam objecti rationem pertinet.

Quis ille ſit?

Objectum differt à ſubjecto.

Accidens ſubjecti & objecti.

Quomodo & quando corrumpatur objectum.

Conſideretur bene & perpendatur hoc exemplum.

An color ſit accidens.

Hæc dixi iterum, iterumque & utinam intelligantur ab omnibus, ſi centies dicantur: nam reperio intolerabilia præjudicia etiam in hominibus, qui volunt dici eruditi & eximii, apud quos errorem in nobilitate, & divitiis nunquam eſſe dirimens impedimentum communiſſimum eſt, & ideò in hoc præjudicium labuntur, quod divitias nobilitatemque ad prædicamentum qualitatis reducant, accidentia ſubjecti cum accidentibus objecti confundentes. Sanè nobilitas & opulentia interdum accidentia objecti ſunt, nimirum quando amatur perſo-

Sunt multi in hac materia ſummo errore præventi.

An divitiæ & nobilitas ſint accidentia?

Digitized by Google

nâ ſive nobilis & dives ſit, ſive non ſit. At quando amatur virgo quà dives, ita ut ſi non eſſet dives non amaretur, nec ſe habent divitiæ per accidens nec ad objecti qualitatem ſpectant.

LXXVII.

De actione legitima. De expreſſo & tacito.

CMVIII. *Actus, qui conditionem non accipiunt.* Actus legitimi (ſunt) qui non recipiunt diem vel conditionem; veluti Mancipatio, (*forte*, Emancipatio) Acceptilatio, Hæreditatis aditio, ſervi optio, Datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem. *An officiat exprimi, quod ſubintelligitur tacitè?* Nonnunquam tamen actus ſupraſcripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehenſa vitium adferunt. Nam ſi acceptum feratur ei, qui ſub conditione promiſit, ita demum egiſſe aliquid acceptilatio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit, quæ ſi verbis nominatim acceptilationis comprehendantur, nullius momenti faciet actum. *Papinianus* (vel *Pomponius*) *libr.* 28. *Quaſtionum.* [Conjunge legem 8. de tut. & rat. diſtrah 4. Et vide Alciatum libr. 3. Parerg. cap. 4. & 5.]

Reſolutio eſt affirmativa; mixta tamen. Hæc omnia conſiſtunt in humano Jure, & poſſunt pro arbitrio aliter & aliter diſponi. Interim ea quæ tacitè ſubintelligi debent dirimere contractum, ſi expreſsè ponantur, mirum eſt, *Imò interdum nociva.* imò & nocivum & correctione dignum eſt. Interim quamdiu authoritate ſupremâ indicuntur, à ſubditis debent religioſè obſervari. [Sed quo fructu?]

✲

LXXVIII.

De fraude.

Generaliter, cùm de fraude diſputatur, nô quid habeat actor, ſed quid per adverſarium habere non potuerit, conſiderandum eſt. *Papinian*9 (vel ſi placet *Pomponius*) *libr.* 31. *Quaſtionum.* CMIX. *Vtilitas, quæ obvenit per accidens non cadit in conſiderationem.*

Regula illuſtratur exemplo. [Per vim, fraudem, rapinam-ve veſtibus exſpoliatur Antonius à Petro; veſtibus, inquam, quæ valebant decem. Condolet Franciſcus expoliato, & concedit alias, quæ valent viginti. Accuſat Petrû Antonius: & Petrus excipit contrà, quia nihil Antonius perdidit; ſiquidem amiſſis prioribus veſtibus alias duplo meliores & pretioſiores adquiſierit. Imò vult ſibi Petrus gratias agi, ſi enim Antonius à Petro ſpoliatus non fuiſſet, veſtes illas nobiliores non adquiſiviſſet.] At auditis utriusq; partis rationibus Juriſconſultus inquit, non eſſe conſiderandum quid Actor habeat aut non habeat, ſed quid habere debeat, & ob fraudem & vim à Petro illatam, habere non poſſit. Ergo pronunciandum eſt, Antonium veſtes à Franciſco clementer datas retenturum, & veſtes priores à Petro recuperaturum; & Petrum juxta criminis qualitatem damnandum.

LXXIX.

De fraude.

Fraudis interpretatio ſemper in Jure Civili, non ex eventu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur. *Papinianus* (ſi ejus hic liber eſt, qui ab aliis attribuitur *Pomponio*) *libr.* 32. *Quaſtionum.* CMX. *Fraudulentum conſilium.*

Patet, quia qui ſincero animo dedit conſilium, quod malè cecidit, favore

eſt dignus: & qui animo pravo conſilium, quod bene ſucceſſit, eſt puniendus.

LXXX.

De genere & ſpecie.

CMXI. *Addita diminuentia.* IN toto Jure generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt. [*Clarius.* Univerſali & communi per particulare & ſingulare derogatur; & ubi dantur verba contrahentia & determinantia ſtandum eſt determinationi.] *Author Quæſtionum* (eſt vel *Papinianus* vel *Pomponius*) *libr.* 33. Exemplum ſumi poteſt ex lege *Servus. de legib.* 3. Conſonat Cicero *libr. 2. de Invent. Rhetoric.* dum de contrariis legibus diſſerit.

LXXXI.

De claritate verborum.

CMXII. QUæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inſeruntur, Jus Commune non lædunt. *Papinianus libr. 3. Reſponſorum* [Adde legem 66. ff *mandati.*]

Addita explicantia. Ergo notandum eſt addita verba aliàs eſſe diminuentia & limitantia, & aliàs nonniſi ſenſum obſcurum declarantia & dubitationem tollentia.

LXXXII.

De donatione.

CMXIII. *Donationis character.* DOnari videtur, quod nullo Jure cogente conceditur. *Papinianus libr. 9. Reſponſorum.*

Sed cur illud *videtur*? & cur illud *cogente*? Ibi loqui deberet Juriſperitus fortiùs, hîc ſuavius. Sumo ergo calamum, & Regulam eamdem reſcribo. *Procul dubio donatur, quod nullo Iure indicente conceditur.* An-non etiam donatio poteſt eſſe, quæ fieret Jure indicente aut cogente? Tu conſidera.

LXXXIII.

De amiſſione.

NOn videntur rem amittere (*meliùs*, Rem non amittunt) quibus propria non fuit. *Papinianus libr. 2. Definitionum.* CMXIV.

Sed quid dicemus de ſpe? levem à probabili, & hanc à certâ diſtinguemus. Temerè enim rem ſibi concedendam exſpectat, qui ſpe levi ſeducitur: & qui prævenitur ſpe certâ, temerè deſperaret. Et in medio probabilitas libera eſt. Et hoc modo, & non alio, intelligenda eſt lex *Nec emptio. ff. de contrahend. empt.* ubi, ut bene notat Ferrandus Doſſena *tract. de Salariis cap. 6. num.* 78. ſpem ipſam eſſe pretio æſtimabilem legimus. *Spes triplex. temeraria, certa. probabilis.*

LXXXIV.

De natura obligationum. Quid ſi amplius ſolutum ſit, quàm debebatur?

CÙm amplius ſolutum eſt, quam debeatur, cujus pars non invenitur, quæ repeti poſſit, totum eſſe indebitum intelligitur, manente priſtinâ obligatione. Is natura debet, quem Jure Gentium dare oportet, cujus fidem ſequuti ſumus. *Paulus libr. 3. Quæſtionum.* Conſonat legi *Iulianus. de condit. indeb.*] CMXV.

Et

Digitized by Google

Et Regulam exemplo dilucido. Teneris dare Franciſco Ovem, & ex errore dediſti Equum: cùm non poſſit ille tibi reſtituere partem Equi, totum reſtituet, manente priore obligatione.

LXXXV.

De dote. De his, qui eò pervenerunt, unde non poſſunt initium ſumere. De æquitate. An eam dubitatio moretur? & ſi moretur, quid faciendum?

CMXVI. IN ambiguis, pro dotibus reſpondere melius eſt. NON EST NOVUM, ut quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licèt ille caſus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. QUOTIENS æquitatem deſiderii, naturalis ratio, aut dubitatio Juris moratur, juſtis decretis res temperanda eſt. *Paulus libr.6. Quæſtionum.*

In ambiguis & dubiis, non pro dote, ſed pro poſſeſſione eſt ſtandum. Impedimenta dirimentia aliquando nō dirimunt. An ceſſante fine legis ceſſet & ipſa lex?

Et in hac Regulâ diſplicet *prima periodus*. Quoniam in ambiguis & dubiis beatus, qui poſſidet: non ergo reſpondendum pro dote eſt, ſi ſit poſſeſſio pro non-dote: nec ad ſolutionem ullius debiti damnari poteſt, qui rem poſſidet, quam probabiliter oſtendit ſuam eſſe. *Secunda periodus* eſt certa; nam impedimenta dirimentia, ſi poſt contractum matrimonium ponantur, illud non dirimunt. *Tertia* poſtulat, ut ſupponamus leges omnes ad majorem DEI gloriam & populi utilitatem ſancitas, & ſi quandoque illas per accidens contrà videantur vergere, juſtis decretis temperandas.

LXXXVI. LXXXVII.

De litis conteſtatione.

NOn ſolet deterior conditio fieri eorum, qui litem conteſtati ſunt, quàm ſi non eſſent: ſed plerumque melior. *Paulus libr.7. Quæſtionum.* Et rationem producit *libr.*13. ubi ait; CMXVII.

Nemo enim in perſequendo deteriorem cauſam, ſed meliorem facit. Denique poſt litis conteſtationem hæredi quoque proſpicitur, & hæres tenetur ex omnibus cauſis.

LXXXVIII.

De mora.

NUlla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio eſt. *Scævola libr.* 5. *Quæſtionum.* [Ex lege *Pupillus. de verb. obligat.*] CMXVIII

LXXXIX.

De ſucceſſione ex teſtamento vel ab inteſtato.

QUamdiu poſſit valere teſtamentum, tamdiu legitimus hæres non admittitur. *Paulus libr.* 10. *Quæſtionum.* CMXIX.

Hæres legitimus, quis ſit?

Sed quis nomine *hæredis legitimi* intelligitur? Ille unicus, qui ſuccederet ab inteſtato.

XC.

De æquitate. CMXX.

Leges aliter reſpiciuntur à Legiſlatore, & aliter à Iudice.

IN omnibus quidem, maximè tamen in Jure æquitas ſpectanda eſt. *Paulus libr.* 15. *Quæſtionum.*

Sed à quo? Spectanda eſt à legiſlato-

Digitized by Google

tore: quia Judex non debet Leges judicare, ſed juxta Leges. Et ſi ſemel Leges agi reas permitteremus, actum eſſet de æquitate in Europâ.

XCI.

De ſucceſſione.

CMXXI. *De Iure duplici.* QUoties duplici jure defertur alicui ſucceſſio, repudiato novo jure, quod ante defertur, ſupererit vetus. *Paulus lib. 17. Quæſtionum.*

Ergo repudiato antiquo jure, ſupererit novum. Patet conſequentia à pari. Et quid neutrum debeat cenſeri novum, vel vetus? Puto ſæpe poſſe contingere illa jura eſſe deſperata, nec habere ordinem interſe, & hanc ob rem judico Regulam hanc debere tranſcribi, & his terminis tradi. *Regula correctio, Et ampliatio.* Videlicet. *Quoties duplici jure defertur alicui ſucceſſio, altero repudiato, adhuc alterum remanet.* Et ſicut de ſucceſſione, ſic etiam de aliis eſt juribus philoſophandum.

XCII.

De errore librarii in tranſcribendo.

CMXXII. *Lapſus calami alieni non nocet.* SI librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis, erraſſet; nihil nocere. [*nempe*, hic error poterit,] quo minus & reus & fidejuſſor teneantur. *Scævola libr. 5. Reſolutionum.*

Putant I. Criſpinus & I. Pacius mendum aliquod eſſe, & hanc Regulam ex lege 54. *de man. teſtam.* deductum.

At textûs ſenſus pervius eſt, nec correctione indiget aut reſtitutione. Librarii error nocere non debet: at de- *Si probetur* bebit ille probari, nam aliàs ſcripturæ eſt ſtandum. Sanè error tranſcriptionis facili negotio convincitur exemplaribus inter ſe comparatis; nam ubi ab originali differt exſcriptum, originali neceſſariò eſt ſtandum. Sed quid, ſi erroris arguatur ipſum originale? Non erit actori credendum, niſi errorem convincat claris & indubitatis teſtimoniis. Et convincet, ſi producat teſtes, qui fuerunt præſentes, cùm teſtamentum v. g. conditum fuit, & affirment rem aliter à defuncto diſpoſitam, & aliter ſcriptam à Graphiario.

XCIII.

De poſſeſſione rei peculiaris.

FIlius familias, neque retinere, neq; recuperare, neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris videtur. CMXXIII. *Macianus libr. 1. Fidei commiſſorum.* [Et ejus aſſertionem confirma ex lege 18. *de caſtr. pecul.*]

Noto illud *videtur*; nam hic modus loquendi, qui frequenter occurrit, non doctrinam, ſed urbanitatē præ ſe fert. *Modus loquendi Iuriſtarum, urbanus.* Regula enim, ut doctrinalis ſit, his verbis pronunciari debebit. *Filius familias, neque retinet, neque recuperat, neque adipiſcitur rei peculiaris poſſeſſionem.* Quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

XCIV.

De abundantibus.

NOn ſolent, quæ abundant, vitiare ſcripturas. CMXXIV. *Vlpianus libr. 2. Fidei commiſſorum.*

Eſt vera hæc Regula, & Juri naturali conſona; & tamen diſſona Regulæ

Digitized by Google

Monitio ad Principes. gulæ LXXVII. quam deberent Principes ſupremi corrigere. Illam relege.

VC.

De eo, qui defenditur.

CMXXV. NEmo dubitat, ſolvendo videri eum, qui defenditur. *Vlpianus libr. 6. Fidei commiſſorum.*

Et patet: fruſtra enim defenditur, qui ſolvendo non eſt: habet enim Hiſpanorum Adagium, *A quien no tiene, el Rey le haze libre.* Et tamen nihilominus non fruſtra defenderetur, qui ſolvendo non eſſet, ſi ſperaret divitias, aut etiam ſi obtineret illa lex, *Qui non habet in ære, luat in pelle.* *Nota id bene.*

XCVI.

De ambiguis orationibus.

CMXXVI. IN ambiguis orationibus, maximè ſententia ſpectanda [eſt] ejus, qui eas protulit. [Dico *protulit*; non enim placet verbum *protuliſſet*, quod in exemplaribus univerſis reperio.] *Mæcianus lib. 12. Fidei commiſſorum.* *Corrigitur Regula.*

Maximè ait, non unicè: ſæpe enim contingit, ut vir cautus ſua verba torqueat in ſenſus diverſos & alienos, ut exorbitantias excuſet: & in tali caſu ſecuriùs & ſinceriùs illa ab eo exponentur, qui non protulit.

XCVII.

De bonis deportati.

CMXXVII. EA ſola deportationis ſententia aufert, quæ ad fiſcum perveniunt. *Hermogenianus libr. 3. Iuris Epitomas.*

Hæc, ut vera ſit, pendit à Legiſlatorum arbitrio.

XCVIII.

De lucro.

QUoties in utriuſque cauſâ, lucri ratio vertitur, is præferendus eſt, cujus in lucro cauſa tempore præcedit. *Hermogenianus libr. 4. Iuris Epitomas.* CMXXVIII *Quis debeat in lucro præponi.*

Conſonat vulgata illa æquitatis vox, *Qui prior eſt tempore (cæteris paribus) potior eſt jure.*

IC.

De eo, qui ignorat, quantum ſolvere debeat.

NOn poteſt improbus videri, qui ignorat, quantum ſolvere debeat. *Venuleius libr. 12. ſtipulationum.* CMXXIX.

Computus potiùs examinari & ſervari debent à creditore.

C.

Quibus modis contractus aut obligatio tollatur.

OMNIA quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt. *Gajus libr. 1. Regularum.* CMXXX.

Apud alios eadem Regula ſic legitur, ut loco *jure* reperiatur *judicio*; ſed hæc lectio non placet.

Fundatur in jure naturæ; quæ enim generantur poſſunt corrumpi, &

pi, & quæ creantur poſſunt adnihilari. Hoc ſenſu loquitur Juriſperitus, cujus nihilominus verba, ſi ad rigorem ſcholaſticum reduceremus, habent nonnihil procul dubio, quod non poſſet defendi, non enim Jura de objectis contradictoriis, ſi exactè loquamur, ſunt contraria. *Vide ſuperiùs Regulam XXXI.*

An dentur Jura contraria?

CI.

De duobus menſibus.

CMXXXI. *Quot dies complectantur duo menſes?*

UBi lex duorum menſium fecit mentionem, qui ſexageſimo primo die venerit audiendus eſt: ita enim Imperator Antoninus cum Divo Patre (*alij* Fratre) ſuo reſcripſit. *Paulus libr. ſingul de Cognitionib.*

Ergo cui 28. Januarii duo menſes abſentiæ conceſſi, legi ſatisfaciet, etſi 28. Martii non compareat, modò ſe ſiſtat tribunali die ſexageſimo-primo, qui incidit in Martii trigeſimum.

CII.

De illo, qui adverſus Edictum agit. De neganda actione.

CMXXXII QUi vetante Prætore facit, hic adverſus Edictum feciſſe (facere) propriè dicitur. [*Ergo Prætoris verba Edictum ſunt.*]

Ejus eſt actionem denegare, qui poteſt & dare. *Utrumque nos docuit Ulpianus libro. 1. ad Edictum.*

CIII.

De manutenenda poſſeſſione.

NEmo ex domo ſuâ extrahi debet. *Paulus libr. 1. ad Edictum.* [Et colligitur ex Titulo de in jus vocando] CMXXXIII *Beatus, qui poſſidet.*

Poteſt univerſaliùs proponi [Nemo poſſeſsâ re privari debet, ante ſententiam Judicis. Et nemo ſententiâ Judicis damnari debet, antequam convincatur.] *Regulæ extenſio.*

CIV.

De iudiciis famoſis & pecuniariis.

SI in duabus actionibus alibi ſumma major, alibi infamia eſt, præponenda eſt cauſa exiſtimationis. Ubi autem æquiparantur famoſa judicia, etſi ſummam diſparē habent, pro paribus nihilominus accipienda ſunt. *Ulpianus libr. 2. ad Edictum.* CMXXXIV. *An ſit famæ utilitati præponenda?*

Hæc Regula fundatur ſubſtruiturque doctrinâ communi, quæ docet famam fortunis eſſe anteponendam. Ovidius;

Omnia ſi pereant, famam ſervare memento:
Quâ ſemel amiſſa poſteà nullus eris.

Hîc autem obſervandum id, quod innuit Juriſconſultus, non eſſe bonam conſequentiam, [Fama & nominis exiſtimatio eſt nobilior divitiis; Ergo quantulacumque fama quantiſcumq; divitiis anteponenda eſt.] Eſt enim ſimilis huic. [Aurum eſt pretioſius argento: Ergo granum auri debet majo- *Impugnatur Ulpianus.*

Digitized by Google

joris fieri librâ argenti.] Quia parva opinionis jactura maximis divitiis non ſemper anteferenda eſt. [Eodem modo de vitâ, ſive cum honore, ſive cum divitiis compoſitâ, philoſophandum eſt.]

An vita honori & divitiis ſit anteferenda?

CV.

De cauſa cognitione.

CMXXXV. UBicumque cauſæ cognitio eſt, ibi Prætor deſideratur. *Paulus libr.* 1. *ad Edictum.* [Et videtur deſumi ex primâ parte, ubi de juriſdictione & poteſtate Magiſtratuum.

CVI.

De libertate.

CMXXXVI. LIbertas inæſtimabilis res eſt. *Paulus libr.* 1. *ad Edictum.*

Rejicitur Regula Pauli.

Exaggeratio potiùs quàm Regula ea eſt; ea enim, quæ æſtimatione & pretio carent, nec emi nec vendi poſſunt; & tamen ſub haſtâ venditur & emitur ipſa libertas; & hoc apud gentes Chriſtianas. Si conſideremus naturales & abſolutas perfectiones, quando definituri ſumus rerum pretia, vita civilis corruet, & Europa turbabitur. Quoniam debebimus omninò dicere, muſcam formicam-ve monte aureo nobiliorem, adeoque pretioſiorem eſſe; quod humana prudentia non patitur. Pretia igitur rerum non debent ſumi ab intrinſecâ & abſolutâ earumdem perfectione, ſed ab utilitate; poteſt enim contingere, ut utilior humano ſit uſui res naturâ imperfectior; nam ad arma formanda ferrum auro eſt commodius, & tamen auri natura eſt excellentior. Ergo ſi conſideretur homo, quà utilis tibi, cùm non ſit infinitè utilis, & tamen utilis ſit, erit finitè utilis, ergo æſtimari poterit hæc ipſa utilitas finito pretio. Tranſitus igitur è libertate ad ſervitutem, & à ſervitute ad libertatem, non eſt infinitus; ergo ſtatuto aliquo pretio vendi & emi poteſt libertas.

Unde ſumantur rerum pretia?

CVII.

De ſervo.

CUm ſervis nulla actio eſt. *Gajus libr.* 1. *ad Edictum.* [Ex tract. *de Juriſdictione.*] CMXXXVII.

An ſervi ſint nulli virtualiter?

Ratio Regulæ eſt, quia ſervus moraliter loquendo eſt nullus.

An-ne ille omninò nullus? non credo. Nam ſi vel ipſe herum aut alium occîdat ultimâ ſententiâ condemnatur: &, ſi occidatur, vindicatur authoritate publicâ, quæ in homicidam animadverit.

CVIII.

De judiciis pœnalibus.

FErè in omnibus judiciis pœnalibus, & ætati (adde, & ſexui) & imprudentiæ ſuccurritur. *Paulus libr.* 4. *ad Edictum.* [Et confirmari poterit ex Titul. *De in jus vocando,* & Titul. *Ne quis eum, qui in jus voc.*] CMXXXVIII.

Clementia Judicum.

Et patet, quia ſemper pueri, fœminæ, & imperiti clementiùs judicantur.

CIX.

De eo, qui non prohibet.

NUllum crimen patitur (incurrit) is, qui non prohibet, cùm prohibere non poteſt. *Paulus libr.* 5. *ad Edictum.* CMXXXIX.

ctum. [Ex Titul. *de his, qui not. in fam.* Vide legem *Liberorum. eod titul.* & connecte nonnullas ſubſequentes.]

Permiſſionis ſpecies. De permiſſione liberâ & neceſſariâ, cooperante & non operante, multa radicitùs, examinata dedimus libro illo, qui inſcribitur, *De Sacri Romani Imperii Pace.*

CX.

De eo, quod eſt plus vel minus. De expromiſſione alienæ rei. De pupillo. De propoſitione disiunctiva. De mulieribus.

CMXL. IN EO, quod plus eſt, ſemper ineſt & minus. NEMO alienæ rei expromiſſor idoneus videtur, niſi cum ſatisdatione. PUPILLUS pati poſſe non intelligitur. UBI verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum. MULIERIBUS, tunc ſuccurrendum eſt, cùm defendĕtur, non ut faciliùs calumnientur. *Paulus libr. 6. ad Edictum.*

Axiomata expoſita. Ex primâ hujus Regulæ lineâ colligitur, quo debeat illud Axioma modo intelligi, *Qui poteſt majus, poteſt minus*; vel ut loquuntur alii, *Cui conceditur plus, conceditur minus.* Tunc enim tenet Regula, cùm illud, quod eſt minus, in eo quod eſt majus, comprehenditur. Et hæc ipſa Regula regulariter loquendo (hoc eſt, plerumque) vera eſt: ſunt enim caſus in quibus eſſe falſa videatur. Et ne multis exemplis te gravem, unum aut alterum proponam. *Notanda contra Axiomata.* Hodie Petrus poteſt licitè non confiteri, ergo poterit omnia peccata ſubticere: & tamen licèt unum mortale ſit pars plurium, ex ſuppoſitione quòd ſacramentaliter confiteatur, debet omnia expreſsè confiteri. In Miſsâ canon continetur ut pars, & nihilominus Joannes, qui poteſt totam miſſam omittere, ex ſuppoſitione, quod celebret, non poteſt canone omiſſo cætera celebrare.

Expromiſſio. Secunda Regulæ ejusdem linea vera eſt, non enim expromittere poteris mihi quæ Petri ſunt, niſi illi ſatisdes aut ſatisfacias.

CMXLI. *Reiicitur tertia pars Regulæ.* Tertia eſt difficilis: pupillus enim medio tutore poteſt agere, adeoque & eodem medio poſſet pati, & hoc bene intelligitur, vel Paulo invito. At leges, quæ poſſent rem diſponere aliter, pupillis favent, & tametſi eos agere & eos pati per alium æquè poſſit intelligi, ætati voluerunt favere.

Disjunctiva poſitio. Quarta deſumitur ex Dialecticâ, ut enim hæc poſitio, *Vel Franciſcus vel Theodoricus currit*, vera ſit, non requiritur, ut uterque currat; non ut alter determinatè, ſed ut alteruter.

Clementiæ abuſus. Quinta debet non ſolùm à Judicibus, ſed à Prælatis & Communitatum Rectoribus accuratè perpendi. Solent fœminæ, ſolent adoleſcentes, ſolent ægroti, abuti Superiorum clementiâ; ſolent frequentiſſimè efferri, unde deberent humiliari. Tunc ergo negandus eſt ſuccurſus, ne ad noſtram aliorumve innocentum damnum, ſuccurrendo malemoratis, concurramus.

CXI. De

Digitized by Google

CXI.

De pupillo. De hærede. De actionibus pœnalibus.

Pupillus peccare poteſt.

CMXLII. PUpillum, qui proximè pubertati ſit, capacem eſſe furandi, & injuriæ faciendæ conſtat. IN HÆREDEM non ſolent actiones tranſire, quæ pœnales ſunt ex maleficio; veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum. *Gajus* (aliàs *Paulus*) *libr. 2. ad Edictum Provinciale.*

An actiones perſonales poſſint ad hæredes tranſire. An, obſides occidi poſſint?

Prima Regulæ pars probatione non indiget: certa eſt. Secunda expoſitione aliquâ indigere videtur: ſtando enim Juri naturæ, non video, cur repugnet actus perſonales ad hæredes tranſire, maximè ſtando illi ſententiæ, quæ docet obſides, ſi illi à quibus dati, fidem violent, occidi poſſe. Ergo ſi obſes loco illius cujus eſt obſes, occidi poteſt; hæres etiam loco illius, cujus eſt hæres ſtando Juri naturæ poterit: vel clara aſſignetur diſparitas. Cæterùm, quidquid ſit de perſonali actione, poſſe proferri legem, vi cujus defuncti ob crimina commiſſa ad tribunalia provocentur, & convicti damnentur realiter, & hæc pœna ab hærede exigatur, meridie mero clariùs eſt.

An defuncti poſſint accuſari, citari, condemnari?

CXII.

De actione & exceptione.

Actio nulla virtualiter.

CMXLIII NIhil intereſt, ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. *Paulus libr. 8. ad Edictum.*

Nihil virtuale.

Patet; quia nihil virtuale eſt, quod licèt phyſicè videatur aliquid; prudentum judicio ita ſe habet ac ſi nihil omninò eſſet. Actio autem ſemel inſtituta, ſi exceptioni ſubjaceat, ſuam entitatem phyſicam non amittit, at exuitur efficaciâ morali atque ideò virtualiter loquendo nulla eſt.

CXIII.

De toto & parte.

IN toto pars continetur. *Gajus libr. 3. ad Edictum Provinciale.* Patet; quia totum eſt majus ſuâ parte. CMXLIV.

CXIV.

De obſcuris.

IN obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt, aut quod plerumque fieri ſolet. *Paulus libr. 9. ad Edictum.* CMXLV.

Regulæ limitatio & impugnatio.

Veriſimilius dicitur quod eſt verius, certius, & probabilius. An-ne in obſcuris teneor ſequi probabiliorem opinionem? An-non ſufficiet ſequi probabilem? Anne debebo inſpicere veriſimiliora? An-non ſufficiet reſpicere veriſimilia?

CXV.

De eo, qui videtur cepiſſe, aut accepiſſe.

Capere & Non-capere virtualiter.

SI QUIS obligatione liberatus ſit, poteſt videri cepiſſe. NON POTEST videri accepiſſe, qui ſtipulatus poteſt exceptione ſubmoveri. *Paulus libr. 10. ad Edictum.* [Colligitur ex Titul. de CMXLVI.

calumniat. Et firmatur lege 2. *eodem titul.* quæ idem penè principium habet.]

Sunt modi loquendi morales. Vitam tibi dediſſe dicitur, qui mortem vitavit: ergo & nummos tibi, qui te à dandi illos neceſſitate aut obligatione liberavit.

CXVI.

De conſenſu, vi, metu, & errore. De eo, qui ius publicum ſequitur.

CMXLVII *Metus conſenſui opponitur.* NIHIL conſenſui tam contrarium eſt (qui bonæ fidei judicia ſuſtinet) quàm vis atque metus: quem comprobare contra bonos mores eſt. *Iuspublicum.* NON CAPITUR, qui jus publicum ſequitur. NON VIDENTUR, qui errant, conſentire. *Error conſenſui opponitur.* *Vlpianus lib.* 11. *ad Edictum.* [Eruitur ex Titul. *de his, qui vi metus-ve cauſa.*]

An tollant libertatem vis, metus, error? Vim, metum, erroremque confundit noſter Juriſperitus: & dirimere conſenſum exiſtimat: at aliter Philoſophi & Theologi. Quoniam re benè inſpectâ, vis, metus, & error quicumque accidentalis libertatem non tollit ſed diminuit. Illam tolli ab errore ſubſtantiali fatemur: Et utriusque erroris differentiam iterum iterumque expoſuimus.

Quid dicendum de metu in conſtantem cadente? At obiicis, metum cadentem in conſtantem virum tollere libertatem. Et ſi agas de naturali, nego: ſi verò de civili & morali, in caſibꝰ à Jure expreſſis, concedo: & rem expono. Vota emiſit Anſelmus, nempe ſolennia, & ex metu, qui conſtantem afficeret; dicis ea invalida. Aſſentior. Sed cur illa invalida ſunt? Defectu conſenſûs, reſpondes. Adquieſco; Sed adhuc quæro, cujus ſit conſenſus iſte, qui non eſſe dicitur. An-ne Anſelmi? ne puta. Cujus ergo? Pontificis, & Prælatorum. *Doctrina valde neceſſaria & notanda.* Profeſſio ſolennis, quidam contractus eſt; & ab uno contractus iniri non poteſt. Eſt inquam illa contractus, qui debet iniri inter Anſelmum & Religionem ſuam, cujus ſupremus Generalis eſt Pontifex. *Pontifex eſt Generalis ſupremus.* Dicit Anſelmus *Ego voveo*; & reponit Pontifex, *Ego accepto, ſi impleveris ſedecim ætatis annos, ſi anno integro fueris probatus, ſi hoc ipſum votum ex metu gravi non emittas: & aliàs non.* Ecce illæsâ aut etiam intactâ libertate Anſelmi profeſſio erit invalida, ſi vel unica ex his conditionibus non purificetur, quia eſt conditionata ſummi Pōtificis voluntas, & ideò à poſitione conditionum dependens.

CXVII.

De bonorum poſſeſſore.

PRætor bonorum poſſeſſorem hæredis loco in omni causâ habet. *Paulus libr.* 11. *ad Edictum.* CMXLVIII.

CXVIII.

De uſucapione & poſſeſſione.

QUi in ſervitute eſt, uſucapere non poteſt: nam cùm poſſideatur, poſſidere non videtur. *Vlpianus libr.* 12. *ad Edictum.* [Confirmabitur ex Titul. *Quibus ex cauſis*: ubi de uſucapione multa.] CMXLIX. *An ſervus aliquid habere poſſit?*

Objectio. Dices. Famulus poteſt habere famulos, ſubditus ſubditos, ergo poſſeſſus poſſidere. Ergo Ulpianus nîl probat. Confirmabis, Dirigens poteſt diri-

Digitized by Google

dirigi, agens agi, movens moveri: ergo & poſſidens poſſideri etiam poteſt.

Reſponſio. Reſpondeo ſervum totaliter poſſideri, adeoq; poſſidere non poſſe: quod ſi alicubi ſit benignior ſervitus, quæ totalis non ſit, eo ſenſu quo homo liber ſit, eodem poſſe alia poſſidere dicendus eſt.

CXIX.

De alienatione.

CML. *Poſſeſſionis omiſſio.* NOn alienat, qui dumtaxat omittit poſſeſſionem. *Vlpianus libr. 3. ad Edictum.* [Et conſtat ex Titul. *de alienat. judic. mut. cauſa facta. l. 4. §. 1. eod. titul.*]

Sanè *non-poſſeſſionis voluntariæ* conceptus ſine alienatione ſalvatur; qui enim derelinquendi animo ſarcinas in mare proiicit, poſſidere omittit, & tamen poſſeſſionem ad nullum transmittit. Sic etiam, qui rem derelinquit in plateâ, non eam alienat, ſed omittit tantummodò. Nam ſtante hac actione adhuc poſſet contingere, quòd rem à Petro derelictam, vel nemo inveniret, vel nemo caperet.

CXX.

De hærede.

CMLI. NEmo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quàm ipſe habuit. *Paulus libro 13. ad Edictum.* [Et roboratur ex tract. reſtitutionum.]

Multæ ſunt in Tractatu de diverſis Regulis Juris propoſitiones iſti ſimiles, quas ſæpe expoſui. Sed quia eadem res poteſt eſſe commodior diverſorum reſpectu, non ſcio cur hanc aſſertionem pronuncivaverit Paulus. Hoc exemplum conſidera. [Erat valetudinarius Fridericus, & habebat domum omni plagæ & vento expoſitam, liberam, perviam: feneſtris maximis apertam, & moriens eamdem reliquit hæredi ſuo Franciſco Viro Aſtronomo, & qui magnis organis obſervabat ſtellas. Et in hoc caſu dico plus Fridericum commodi Franciſco hæredi ſuo reliquiſſe, quàm ipſe habebat.] *Objectio.*

CXXI.

De eo, qui vel non facit quod debet, vel facit quod non debet.

QUi non facit, quod facere debet; videtur facere adverſus ea quæ non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere juſſus eſt. *Paulus libr. 13. ad Edictum.* CMLII. *Nota hoc bene.*

Ex hac Regulâ ante dies paucułos ſumpta fuit Caſûs ſequentis Reſolutio. [Titius Pragenſis Parrochus ob negotia domeſtica è Bohemiâ egreſſus Albericum Vicarium ſuum conſtituit, & ei omnem ſuam, quam poterat, facultatem conceſſit. Iſte interim contra leges & mandata Superiorum, ſine publicationibus & cæteris prærequiſitis circumſtantiis, Petronillam & Cajũ matrimonio conjunxit; ita nimirũ, ut ſi eoſdẽ ſub iiſdẽ circumſtantiis Titius conjunxiſſet, illicitè conjunxiſſet, ſed validè.] Et caſu ſic propoſito, An

 illud

An quæ Ordinarius validè faceret, validè faciat delegatus? illud matrimonium eſſet validum, inquirebatur. Fuerunt, qui aſſererent: nec tamen defuerunt, qui negarent. Illi ad plenipotentiam recurrebant, & ſic argumentabantur. [Si Titius adfuiſſet, eſſet validum hoc matrimonium. At vel adeſſe ipſummet Parrochum, vel ejus Vicarium perinde eſt. Ergo etiam modò eſt validum.] Iſti etiam ad plenipotentiam, & diſcurrebant ſic. [Non habuit Albericus facultatem copulandi Petronillam & Cajum, ergo invalidè eos copulavit. Probabant antecedens, PRIMÒ ex Regulâ Juris Canonici, *In generali conceſſione non veniunt, quæ quis non eſſet verſimiliter*
Regula 81. *in ſpecie conceſſurus:* ſed non jam verſimile, ſed certum videtur Titium non fuiſſe conceſſurum, aut permiſſurum, quòd illicitum illud & contra Superiorum leges matrimonium celebraretur: Ergo licentiam illam non conceſſit. Et
Regul. 121. probabant SECUNDÒ ex hac Regula Juris Civilis; quoniam Albericus in hac copulatione fecit, quod facere non debuit, adeoq; non videtur facere id quod à Titio facere juſſus eſt. SIC JUDICABANT illi. Utri autem melius? Tu reſponde.

CXXII.

De libertate.

CMLIII. *Reiicitur hac Regula.* Libertas omnibus rebus favorabilior eſt. *Gajus libr. 5. ad Edictum Provinciale.*

Eſt falſa: quia non pro libertate ſemper, ſed pro poſſeſſione eſt ſtandũ. adeoque ſi captivitas ſit dubia, ſtandum pro libertate certa eſt: & ſi captivitatem certam ſequatur dubia manumiſſio aut redemtio, ſtandum eſt pro captivitate.

CXXIII.

De eo, qui agit pro alio. De temporaria permutatione.

Nemo alieno nomine lege agere poteſt. Temporaria permutatio jus Provinciæ non innovat. *Ulpianus libr. 14 ad Edictum.* CMLIV.

CXXIV.

De muto, ſurdo, & furioſo.

Ubi non voce, ſed præſentiâ opus eſt, mutum ſi intellectum habet, poteſt videri reſpondere. Idem in ſurdo: hic quidem & reſpondere poteſt. Furioſus (autem) abſentis loco eſt: & ita Pomponius libr. 1. Epiſtolarum ſcribit, *Hæc Paulus libr. 16. ad Edictum.* [Alii hanc ſententiam adtribuunt *Ulpiano.*] CMLV. *Furioſus, cùm maximè adeſt abſens eſt.*

Ecce meritò Juriſconſultus præſentiam phyſicam à morali diſtinguit; qui enim ita præſens eſt ut teſtificari non poſſit, virtualiter loquendo abſens eſt. *Præſentia duplex: phyſica & moralis.*

CXXV.

Favorabiliores rei potiùs quàm actores habentur. *Gajus libr. 5. ad Edictum Provinciale.* Et hæc benigniſſima doctrina videtur deſumpta ex Ariſtotele in Probl. ſect. partic. 12. de his quæ ad Jus Civile pertinent.] CMLVI.

Et ratio ſumitur à poſſeſſione: nam reus eſt in ſuæ innocentiæ poſſeſſione, à quâ non debet eiici, quouſque convincatur fuiſſe nocens. *Innocentiæ poſſeſſio.*

☆

CXXXVI.

CXXVI.

De illo, qui pretium numeravit. De adquiſitione liberti. De petitore & poſſeſſore.

CMLVI. NEmo prædo eſt, qui pretium numeravit. Locipletior non eſt factus, qui libertum (*alii* liberum) adquiſierit. Cùm de lucro duorum quæratur, melior eſt cauſa poſſidentis. *Vlpianus libr. 15. ad Edictum.* [Ex Titulo *de petitione hæred.*]

Ut primam partem Regulæ exponam, hunc caſum decidendum propono. [Placuit Petro equus Joannis, voluit emere, & cum alter non vellet vendere, rapuit, & miſit ad Joannem pecunias. Conqueritur Joannes, & Petrum accuſat de prædâ.] Ajo tamen ex Ulpiano Petrum non eſſe prædonem, ſi juſtum pretium dederit.

Pecunia altronea.

Sed quantum erit pretium, quod debeat hîc cenſeri juſtum ? Cùm rogatur emptor, ſatis eſſet, ſi daretur dimidium: Ergo, cùm rogatur venditor, dari debebit duplum. Ergò, cùm cogitur, quadruplum: aut aliàs conſequentia nulla ſervatur. Hinc incipio intelligere verba publicani Evangelici, cuius meminit Lucas Hiſtoriæ ſuæ capite undeviceſimo. *Ecce*, ait *dimidium bonorum meorum do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Alii intelligant aliter, ſic ego textum hunc interpretor; *Quando eſt penuria emptorum, res meas dimidio pretio vendo; & ſi quid per vim capio (videlicet, à venditore invito) ſolvo quadruplum.*

Nota hoc quæſo.

Secunda periodus videtur moraliter vera: qui enim libertum adquirit, ſi adquirit, nihil adquirit: & qui liberos, pauperior eſt.

Tertia; quia in poſſeſſione fundatur ſupra omnem dubitationis aleam ponenda eſt.

CXXVII.

De hærede convento.

CMLVII. Cùm Prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit, ſufficit, ſi vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti. *Paulus libr. 20. ad Edictum.* [Ex *Titul. de pet. hæred.*]

Momento quidem; nam ſiquis acceptat & adit hæreditatem, & ſtatim donat liberam, ad onera, quæ oboriantur, tenetur.

CXXVIII.

De poſſeſſore, petitore, & ſucceſſore.

CMLVIII. IN pari causâ poſſeſſor potior haberi debet. Hi, qui in univerſum jus ſuccedunt, hæredis loco habentur. *Paulus libr. 19. ad Edictum.* [Ex Titul. *de Publiciana in rem. act.*]

Beatus qui poſſidet.

Mirabiliter intexuntur hæ Regulæ; Canonicas, quæ ſimili erant infortunio permixtæ, diſtinxi ſuperiùs: nolui has, quia raró veræ ſunt, & ſique reprehendi non debent, cum datis ſuperiùs coïncidunt.

CXXIX.

De eo, qui ſuum recipit: De principali & acceſſorio.

CMLIX. NIhil dolo creditor facit, qui ſuum recipit. Cùm principalis cauſa non conſiſtit, nec ea quidem, quæ ſequuntur locum habent. *Paulus libr. 21. ad*

Edi-

Digitized by Google

Edictum. [Conjunge legem 178. *infra. eodem titul.*]

Utraque pars eſt certa & clara, & ideò nec indiget expoſitione, nec probatione.

CXXX.

De concurrentibus actionibus.

CMLX. NUnquam actiones præſertim pœnales, de eâdem re concurrentes, alia aliam conſumit. *Ulpianus libr.* 18. *ad Edictum.* [Ex Titul. ad leg. Aquil.]

CXXXI.

De eo, qui dolo deſiit poſſidere.

CMLXI. *Poſſeſſio virtualis valde conſideranda.* QUi dolo deſierit poſſidere, pro poſſeſſore (*tanquam poſſeſſor*) damnatur, quia pro poſſeſſione dolus eſt. *Paulus libr.* 22 *ad Edictum.* [Ex Titul. de noxal. actio.]

Confirmatur & explicatur Juris Canonici Regulâ XXXVI. *Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.*

Caſus notandus. Hinc deduximus ante aliquod hebdomadas reſolutionem hujus caſûs. [Petrus volebat ducere in uxorem Alnardam, & monentur à Conſiſtorio Parrochi ob cauſas juſtas, ne illos copulent; jubetur ipſis, ne ad nuptias procedant, quouſque examinetur actio à Petronillâ contra Petrum propoſita. Interim Petrus & Alnarda obedire non volunt, adeunt Parrochum ſponſi, reiiciuntur; adeunt Parrochum ſponſæ, & etiam reiiciuntur. Quid remedii? Petrus mutat domicilium ad aliam Parrochiam, & quia huic Parrocho nihil erat injunctum, coram illo celebrant nuptias, & ut putabant, validas.] Petronilla ſuffuſa lachrimis Conſiſtoriales adit, Petrû accuſat: & illi ſedentes pro tribunali pronunciant priᵖ domicilium dolo relictum, adeoq; hujus Regulæ vi Petrum pro poſſeſſore haberi debere. Inferunt matrimonium initum coram alieno Parrocho, ac proptereà invalidum eſſe. An-ne bene? exiſtimo, aut nullibi hanc Regulam habituram locum, aut hîc debere. Tu rem conſidera: & huic conjunge Regulam CL.

CXXXII.

De Ignorantia vincibili.

IMperitia culpæ adnumeratur. *Gajus lib.* 7. *ad Edictum Provinciale.* [Ex Titul. ad leg. Aquil.] CMLXII. *Ignorantia libera.*

Imperitia duplex eſt, altera vincibilis, & invincibilis altera. Illa eſt culpabilis, iſta inculpabilis. Quid requiratur, ut ignorantia dicatur vincibilis & culpabilis, paucis expediri non poteſt.

CXXXIII.

De ſervis.

MElior conditio noſtra per ſervos fieri poteſt; deterior fieri non poteſt. *Gajus libr.* 8. *ad Edictum Provinciale.* CMLXIII.

Et ſuaſpatitur difficultates; & primò eſt falſa, ſi intelligatur de actionibus phyſicis, nam ſervus poterit domini pecudes, armenta, &c. occidere; ſata, domos, ſylvas, &c. incendere. Et ſecundò ſi intelligatur de actionibus moralibus, nam ſervi ob crimina (ut alia prætercam) ſunt obnoxii patibulo, etiam cum dominorum detrimento. *Rejicitur.*

De

Digitized by Google

CXXXIV.

De creditoribus, qui fraudantur. De delicto.

CMLXIV. NOn fraudantur creditores, cùm quid non adquiritur à debitore; ſed cùm quid de bonis diminuitur. NEMO ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt. *Vlpianus libr. 21. ad Edictum.*

Cantelmus laudatus. Non video lucem, & ut tu tuam diffundas hunc caſum decidendum propono, [Andreas Cantelmus, fortiſſimus in Belgio miles, & urbis Brugenſis Gubernator, quod rarò accidit ejusmodi hominibꝰ, erat pauperrimus. Gravabatur ære alieno, & Flandria defenſori ſuo grata, viginti millia florenorum obtulit ad delenda nomina, quæ in mercatorum libris erant. Noluit acceptare Cantelmus, & quia aliunde non habuit, quibus ſatisfacere poſſet, ſolvit morti generale debitum, antequam creditoribus ſolveret ſpeciale.] Varia fuerunt Theologorum, & Virorum Illuſtrium judicia de hac actione. Generoſa ipſa fuit in omnium opinione. An-non in ſummum creditorum damnum? Excuſandus eſſet ex hac Regulâ: at creditores ipſi putarent hanc ipſam debere accuſari.

CMLXV. Transeo ad poſteriorem Regulæ partem. Puto enim neminem debere ex delicto nanciſci utilitatem; at illam nanciſci poſſe & ſolere animadverto. Primò, ſi illud clarè demonſtrari non poſſit. Nam cognoſco, qui fratrem dicitur occidiſſe, & quia tamen hoc ipſum probari non potuit, multorum millium hæres fuit. Secundò per accidens, qui enim excommunicatus eſt, regulariter loquendo miſſam audire feſto die non tenetur, &c.

An excommunicatus debeat audire miſſam?

CXXXV.

De his, quæ dari non poſſunt, aut in rerum natura non ſunt.

EA, quæ dari impoſſibilia ſunt, vel quæ in rerum naturâ non ſunt, pro non adjectis habentur. *Vlpianus libr. 23. ad Edictum.* CMLXVI.

Aliqua dicuntur non eſſe virtualiter.

Sed quo jure? ſtando Juri naturali hæc Regula falſa eſt: & quia in matrimonio non civilis, ſed naturalis conſenſus requiritur, ſi Petrus dicat, *Duco te in uxorem, ſi heri Lunam manu tetigeris, & non aliàs*; non erit dicendus inîre verum matrimonium, & conditionem omiſiſſe, ſed potiùs, non habuiſſe conſenſum. At in his, quæ à Jure humano adæquatè dependent, potuit Reſpublica decernere, quod Ulpianus conſuluit, at videndum, Utrùm id decreverit de facto, vel non?

Nota hoc.

CXXXVI.

De bona poſſidentis fide: & de veritate.

BOna fides tantundem poſſidenti præſtat, quantum veritas, quoties lex impedimento non eſt. *Paulus libr. 18. ad Edictum.* [Et colligitur ex Titul. *de pet. hæred. aut de rei vend.*] CMLXVII

Bona fides eſt virtualis veritas.

Imò plus hodie praſtat bona fides, quàm veritas: & oſtendo. Sit Petri hæc domus, & tamen eam eſſe ſuam probare Antonius poſſit, & ſuam veritatem ille tueri non poſſit, ſi tollantur Præſcriptiones, domum Antonio adjudicare debebunt Judices, nam iſti pronunciant juxta ea, quæ probantur. At præſcriptionum lege poſitâ, quidquid de probationibus ſit, ait Petrus,

Digitized by Google

Poſſedi bona fide debito tempore, & præſcripſi, & Antonius, etſi poſſit poſitivè probare domum hanc eſſe ſuam, erit ab omni judicio & tribunali repellendus.

CXXXVII.

De poſſeſſore bonæ fidei.

CMLXVIII *Sententia eſt legitimus poſſidendi titulus.* QUi authore judice comparavit, bonæ fidei poſſeſſor eſt. *Vlpianus libr. 25. ad Edictum.* [Et hoc ex Titul. *de Religioſis*: lege *At ſi quis. §. ſed ſi addita.*]

Et eſt certiſſima, quæ enim per ſententiam mihi adjudicantur, tutiſſimâ conſcientiâ recipio, & legitimo titulo poſſidebo.

CXXXVIII.

De aditione hæreditatis cum tempore mortis continuanda. De æſtimatione delicti.

CMLXIX. OMnis hæreditas, quamvis poſteà adeatur, tamē cum tempore mortis continuatur. NUNQUAM creſcit ex poſt facto præteriti delicti æſtimatio. *Paulus libr. 27. ad Edictum.*

Temporis continuatio. Utraque pars eſt vera. Prior dilucidabitur hoc exemplo. [Obiit Comes N. cujus reditus annui erant viginti millium. Et anno integro de ſucceſſione ſuæ actum, tandem per ſententiam definitivam eſſe hæres declaratur Antonius, & dicimus ad eum pertinere omnes reditus Comitatus non ſolùm à die datæ ſententiæ, ſed à die, quo Comes fuit mortuus.

Infortunii inopinata acceſſio. Hoc etiam exemplo dilucidatur poſterior. Nam hîc Pragæ in domo domini N. optimi mei amici, famulus ancillam cognovit; concepit hæc; parit, & infantem occidit, & in ſecretum locum projicit. Reſcitur crimen, uterque capitur, & famulus fornicationis & infanticidii agitur reus.] Primum crimen fatetur & deprecatur ille, ſecundum negat, & ſe hac Pauli deciſione tuetur, non enim ex infanticidio, quod ſe inconſulto & prorſus ignorante poſteà accidit, creſcere poteſt præteritæ fornicationis æſtimatio.

CXXXIX.

De actionibus perpetuandis. De re, quæ auferri poteſt.

OMnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, ſemel incluſæ CMLXX.
judicio ſalvæ remanent. NON VIDETUR perfectè cuiusque id eſſe, quod ex caſu auferri poteſt. *Gajus libro ad Edictum Prætoris Vrbani.*

Et mihi utraque pars æquivocatione & difficultate laborare videtur.

CXL.

De abſentia Reipublicæ cauſa.

ABſentia eius, qui Reipublicæ causâ abeſt, neque ei, neque alii damnoſa eſſe debet. *Vlpianus libr. 54. ad Edictum.* CMLXXI. *Præſentia virtualis.*

Eſt juſtiſſima, veriſſimaque. Quam ob rem, filii, qui Hiſpaniarum Legato in Galliâ naſcuntur, non Galli, ſed Hiſpani ſunt, & omnibus fruuntur privilegiis & prærogativis, quibus cæteri Hiſpani. *An Hiſpanorum filii in Gallia nati, ſint Hiſpani?*

De

CXLI.

De Iure ſingulari. De hæredibus.

CMLXXII. *Abuſus tollendi.* QUod contra rationem Juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentia. UNI duo pro ſolido hæredes eſſe non poſſunt. *Paulus libr.* 54. *ad Edictum.* [Et priorem partem firmat Tractatus *de uſucap.* & lex, *Quod vero. de legibus*: poſteriorem Titulus *de confeſſis.*]

Conſonat priori huius Regulæ parti Jus Canonicum, Reg. XXVIII. *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* Quod enim alicui male conceditur, cæteris concedi non debet. Quid ſi bene concedatur? Nec tunc ad cæteros debebit extendi. Nam ſi dantur ſpeciales rationes, ob quas illud indulgere conveniat, non debet indulgeri cæteris, penes quos illæ rationes non dantur.

An una res habeat duos dominos? At Regulæ poſterior pars pendet ab illâ difficili quæſtione, quæ rogat, An eiusdem rei pro ſolido duo eſſe domini poſſint? Paulus ſententiæ negativæ ſubſcribit, at probare deberet affirmativam falſam eſſe. His tamen non obſtantibus tenet Regula, quia ſtando Civilibus moribus, quidquid de poſſibili ſit, duo domini in ſolidum rei eiusdem nusquam dantur de facto.

CXLII.

De eo, qui tacet.

CMLXXIII QUi tacet non utique fatetur; ſed tamen verum eſt, eum non negare. *Paulus libr.* 56. *ad Edictum.*

Huic eſt ſimilis Juris Canonici Regula XLIV. *Is, qui tacet, non fatetur, ſed neque negare videtur.* Et utrique contradicere videtur Regula XLIII. *Qui tacet, conſentire videtur.* Nam etiam ex ipſamet taciturnitate colligitur ſæpe conſenſus. In Catilinam Cicero: *Quid exſpectas loquentium authoritatem, quorum voluntatem tacitorum reſpicis?* Ergo illorum voluntas in ipſo ſilentio relucebat. Unde meritò obtinuit Politicum illud Adagium, *Nulla reſponſio etiam eſt reſponſio.* Aut ſic, *Multum reſpondet, qui nihil reſpondet.* Vide quo ſuperiùs modo expoſuerim, has Regulas Juris Canonici. *Multum dicit aliquando, qui tacet.*

CXLIII.

De contrahentibus, & eorum ſucceſſoribus.

QUod ipſis, qui contraxerunt, obſtat; & ſucceſſoribus horum obſtabit. *Vlpianus libr.* 62. *ad Edictum.* CMLXXIV *Mors invalidos contractus non confirmat.*

Patet, quia ſi à Petro & Joanne aliquis venditionis contractus ſit invalidè initus, non validabitur eorumdem morte, nec poterit obligare hæredes.

CXLIV.

De licito & honeſto. De tempore in ſtipulationibus ſpectando.

NOn omne, quod licet, honeſtum eſt. In ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus. *Paulus libr.* 62. *ad Edictum.* [Ex Titul. *De reb. auth. Iud. poſſid.*] CMLXXV.

Videtur Paulus abuti voce *licet*; omnia enim & ſola honeſta licent, & quæ non licent, ſub his circumſtantiis, *An inhoneſta liceant?*

ſub quibus non licent, non ſunt honeſta; ut minimum enim erunt interdicta, & violare leges honeſtum non eſt. Corrigendus eſt igitur calamus Pauli, & retinenda mens, nam voluit dicere, *Non omne, quod permittitur, honeſtum eſt.* Et hoc eſt verum: nam uſuræ, & fornicationes permittuntur interdum, quæ tamen honeſtæ non ſunt.

Mala ſolent permitti.

Hæc Pauli verba mihi in memoriam revocant alterius Pauli (videlicet, Doctoris Gentium) vocem, pronunciantem, *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Multa enim bona ſunt, quæ conſideratis perſonis, loco & tempore prodeſſe non poſſe videntur. Unde Naſo;

1. Corinth. 6.12. & 10. 22.

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

CVL.

De eo, qui fraudari dicitur.

CM LXXVI. NEmo videtur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt. *Ulpianus libr. 66. ad Edictum.* [Conjunge legem *ſi filius familias.* 68. *de verb, oblig.* ex Titul. *qui in fraud. cred.*]

Conſonat jus Canonicum Regul. XXVII. apud quod, *Scienti & conſentienti non fit injuria, neque dolus,* Nimirùm *Scienti,* non enim datur ſine ſcientiâ conſenſus; *& conſentienti*, adde *& conſentire potenti*; ejus enim, qui conſentire non poteſt, invalidus eſt conſenſus omninò. Nam ſi ſcientis & conſentientis Petri uxorem raperes, faceres Petro injuriam, quia ille conſentire & permittere adulterium non poteſt. At minorem omninò, quàm ſine ſcientis, aut contradicentis abriperes.

Corrigitur Regula.

Nota hoc.

CXLVI.

De eo, quod quis agit ante libertatem.

QUod quis, dum ſervus eſt, egit, proficere libero facto non poteſt. *Paulus libr. 2. edictum.* CM LXXVII.

An non huic ſimiles ſunt iſtæ Propoſitiones. I. *Quod quis, dum ſub tutela tentè ſtas Parentum erat, egit, emancipato prodeſſe propoſitio non poteſt.* II. *Quod quis, dum conjugatus nes. erat, egit, poſteà proficere ſoluto non poteſt.* III. *Quod quis, dum erat Monachus fecit, id. poſteà eidem dimiſſo, aut ad Epiſcopatum adſumpto prodeſſe non poteſt.* IV. *Quod quis, dum erat miles, egit, eidem exauthorato prodeſſe non poteſt.* Omnes quidem ſunt ſimiles, nec tamen omnes veræ; & doceri volo, quæ ſint veræ, quæ falſæ; & cur in tantâ verborum paritate, dari poſſit veritatis diſparitas.

Lege atque

CXLVII.

De generalibus & ſpecialibus.

SEmper ſpecialia generalibus inſunt. *Gajus libr. 24. ad Edictum Provinciale.* CM LXXVIII.

Et eſt evidens. Qui enim legavit Petro omnes picturas, etiam legavit hanc picturam: & qui omnes nummos, etiam aureos, & argenteos legagavit. Hanc Regulam firmant & fundant Prædicabilia Porphyriana.

*

De

CXLVIII.

De eo, cuius effectus omnibus prodeſt.

CMLXXIX. Cujus effectus omnibus prodeſt, ejus & partes ad omnes (*alii* univerſos) pertinent. *Paulus libr. 16. edicti brevis.* [Ex Titul. *de reb. auth. Iudic. poſſeſſ.*]

Reiicitur. Eſt obſcura, & ad varios & diſſentaneos ſenſus torqueri poteſt: nam ut cætera omittam, criminum effectus proſunt univerſis interdum, nec tamen ideò ipſa crimina aut eorumdem partes ad omnes pertinent.

CIL.

De lucro & perſona alterius.

CMLXXX. Ex quâ perſonâ quis lucrum capit, ejus factum præſtare debet. *Vlpianus libr. 67. ad Edictum.*

Sed quid eſt *præſtare factum perſonæ*? Vix dabitur ſenſus, in quo hæc Poſitio univerſaliter admitti poſſit.

CL.

De eo, qui poſſidet vel habet: aut dolo deſiit poſſidere vel habere.

CMLXXXI *An-ne datur dolus, qui malus non ſit.* Parem eſſe oportet conditionem ejus, qui quid poſſideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum ſit, quominus poſſideret vel haberet. *Vlpianus libr. 68. ad edictum.*

Eſt eadem ac CXXXI. quam paulò antè expoſui.

CLI.

De damno.

CMLXXXII. Nemo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere jus non habet. *Paulus libr. 64. ad Edictum.* [Ex Titul. *Nequid in loc. publ.* ubi mentio damni fit] *Quis damnum inferat?*

Sed videtur vocabulo eſſe abuſus Paulus; nam damnum latiùs patet, *Damnum Injuria.* quam injuria: & interrogo, An-non cum damno tuo lupus rapiat ovem, domum fulmen incendat, peſtis armenta perdat? & tamen, licet in his & ſimilibus damnum ſit, injuria non eſt. Cur igitur non poſſem dicere, *Iuſtam quidem fuiſſe ſententiam Regis, at mihi ſummè incommodam & damnoſam*? Et quidem, quia de verborum ſignificatione agimus, videamus quo alii modo loquantur. Terentius in Adel. *Niſi eò ad mercatum veniam, damnum maximum eſt.* *Quid ſignificet vox Damnum.* Ecce damnum pro jacturâ aut lucro ceſſante poſitum. Plautus in Bacch. *Quid tibi commertii cum Diis damnoſiſſimis?* *Deus nulli injurius.* At Dii nemini faciunt injuriam. Horatius ſerm. 2. ſat. 7. *Nos niſi damnosè bibimus, moriemur inulti.* Et tamen ad Theologiæ Ethnicæ legem in ebrietate non relucet injuria. Et ne dicat Paulus hoc vocabulum *damnum*, aliter apud Politicos, & aliter apud Jurisperitos accipi, etiam Legiſlatorum illuſtrium utar authoritate. Marcellus, *Quisquis mihi heres erit, dare damnas (hoc eſt, damnatus) eſto.* *Damnas quis ſit?* Quintilianus libr. 7. *Heres meus uxori meæ damnas eſto dare argenti, quod elegerit, pondo centum.* Ecce ipſamet teſtamentorum formula magno Juriſconſultorum inſtituta conſenſu damnat hæredem ad legatum, & tamen hoc damnum ille ſine injuriâ ullâ ſuſcipit, ut de ſe patet.

CLII.

De vi; de mandato: de ratihabitione: de hærede.

Hoc jure utimur, ut quidquid omninò per vim fiat, aut in vis publi- CMLXXXIII.

cæ, aut in vis privatæ crimen incidat. Deiicit & qui mandat [deiicere.] In maleficio ratihabitio mandato comparatur. In contractibus, quibus doli præſtatio, vel bona fides ineſt, hæres in ſolidum tenetur. *Ulpianus libr. 69. ad Edictum.* [Ex Titul. de vi arm.]

Volentia duplex: publica & privata. Scio vim fuiſſe & eſſe duplicem: publicã, & privatam: at nominum expoſitio non placet. Calepinus. *Vis publica definitur ea, quæ armis; privata, quæ ſine armis infertur: privatis enim hominibus armorum uſu tum in urbe, tum in agro, lege Iulia interdictum, niſi ſi haberent[illegible] venerationis, itineris, navigationis-ve cauſa.*

Explicantur. Puto diſtinctionem ab objecto ſumendam, ut vis publica ſit, quæ perſonis illata publicis: privata, quæ privatis.

Homicida virtualis. Deiicere manu, vel mandato perinde eſt. Occidit enim phyſicè, qui manu propriâ: moraliter autem & virtualiter, qui proprio mandato.

Mandatum virtuale. Ratihabitio eſt mandato ſimillima, & ideò vocari & cenſeri poterit *mandatum virtuale*.

Obligatio hæredis. Hæres, hæreditatem adit, & ad omnia realia ad quæ defunctus tenebatur, tenetur: immò & ad perſonalia, ſi iſta rem ſequantur: res enim cum oneribus tranſit.

CLIII.

De obligatione & liberatione. De adquiſitione & amiſſione. De poſſeſſione.

CMLXXXIV. *Nota illud Fere.* FErè quibuſcumque modis obligamur, iiſdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iiſdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla poſſeſſio adquiri niſi animo & corpore poteſt; ita nulla amittitur, niſi in qua utrumque in contrarium actum ſit. *Paulus libr. 65. ad Edictum.* [Conjunge legem, *Quemadmodum. De adqu. poſſeſſ.*]

Impugnatur Regula. An-ne hæc Regula vera? Habeat Equum Paulus & obfirmato animo & corpore in poſſidendi voluntate permaneat, & tamen ille moriatur, an-ne adhuc equi non exiſtentis erit dominus? Minimè. Quid ergo dicemus? Hanc Regulam fere ſemper, non tamen ſemper veram eſſe.

CLIV.

De petitore & poſſeſſore. De dolo. De pœna.

Cùm par delictum eſt duorum, ſemper oneratur petitor, & melior habetur poſſeſſoris cauſa; ſicuti fit, cùm de dolo excipitur petitoris. Neque enim datur talis replicatio petitori, *Aut ſi rei* (legunt alii, *Aut ſi non rei*) quoque in eâ re dolo actum ſit. Illi debet permitti pœnam petere, qui in eam non incidit. *Ulpianus libro 70. ad Edictum.* [Ex Tract. *Interdictorum.*] CMLXXXV *Beatus qui poſſidet.* *Notent hoc Superiores.*

Conſonat Bonifacius VIII. in Regul. LXV. ubi ait, *In pari delicto vel cauſa, melior eſt conditio poſſidentis.* Et naſcitur ex illo communi pronunciato *Cæteris paribus; in dubiis; in obſcuris; &c. beatus, qui poſſidet.*

*

CLV. De

CLV.

De facto nocivo: cui-nam nocere debeat? De eo, qui iure ſuo utitur. De cauſis pœnalibus.

CM-LXXXVI. FACTUM cuique ſuum, non adverſario nocere debet. NON VIDETUR vim facere, qui jure ſuo utitur. IN PŒNALIBUS cauſis benigniùs interpretandum eſt. *Paulus libr.65.ad Edictum.*[Ex Tractatu *Interdictor.*]

Vidi actorem valde occupatum in probandis ſuis actis dictiſque, qui tamen fuit hujus Regulæ poteſtate repulſus.

Porrò, qui ſuo jure utitur, incommoditatem inferre poteſt; aut damnum etiam, ſi vox hæc phyſicam jacturam ſignificet, & moralitatem non involvat: at injuriam inferre non poteſt.

Ultimæ Regulæ parti conſonat Pontifex Regulâ Canonicâ IL. ubi ait, *In pœnis benigniorem interpretationem faciendam.*

CLVI.

De invito non defenſuro. De actione & exceptione. De eo, qui in alterius locum ſucceſſit. De authore & emptore. De invito.

CM-LXXXVII. INVITUS nemo [rem] defendere cogitur. CUI damus actiones, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit. CÙM QUIS in ali (*hoc eſt*, aliûs) locum ſucceſſerit, non eſt æquum ei nocere hoc, quod adverſum eû nocuit, in cujus locû ſucceſſit. PLERUMQUE emptoris eadem cauſa eſſe debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris (*hoc eſt*, venditoris.) QUOD CUIQUE [pro eo] præſtatur, invito non tribuitur. *Ulpianus libr.70.ad Edictum.* [Ex Tract. *Interdictorum.* Conjunge legem 1. *de ſuperficiebus.* Et legem 3. *de itin. actuque priv.*]

Prima pars non eſt univerſaliter vera. Suam enim vitam tenetur homo in plurimis caſibus defendere: in multis ſuos proximos; & in multis vel invitus Rempublicam. *Examinatur prima Regulæ pars.*

Secunda eſt vera & clara. At Tertia indiget correctione aut reſtitutione, ſi velis. Puto ad hæc verba poſſe vel deberi reduci. *Hæres, ſucceſſor-ve eodem jure utitur, quo ille utebatur, cui ſuccedit: non debet ei nocere, quod non noceret anteceſſori, ſi adhuc viveret, & poſſeſſionem retineret.* Hinc naſcitur quartam etiam partem eſſe veram. *Admittitur ſecunda. Corrigitur tertia. Admittitur quarta:*

Quinta non placet generaliter ſumpta; tenemur enim interdum ſavere & prodeſſe invitis. Quam-ob rem hujus Regulæ primam lineam & ultimam de legitimè invitis intellige, & admittentur Juriſconſulti verba. *Et reiicitur quinta.*

CLVII.

De ſervis. De eo qui dolo fecit, quominus haberet. De ſucceſſoribus.

AD EA, quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, ignoſcitur ſervis, ſi vel dominis, vel his qui vice dominorum (veluti, tutoribus, & curatoribus) obtemperaverint. SEMPER, qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habēdus eſt, ac ſi haberet. IN CONTRACTIBUS ſucceſſores ex dolo eorum quibus ſucceſſerunt, non tantum in id quod pervenit, verum etiam in ſolidum tenentur: hoc eſt, unuſquiſque pro eâ parte, quâ hæres eſt. *Ulpianus libr. 71. ad Edictum.* [Ex Tract. Interdictorum. Lege, Is, CM-LXXXVIII

qui

qui in puteum. §. Si tutoris. Quod vi aut clam.]

An ignoſcendum ſervo obedienti in peccatis? Miſerrima eſt ſervorum ſors. Cùm ſcelera præcipiuntur à dominis, vapulant privatim, ni obediant; & vapulant publicè, ſi obediant. Putat Jurisconſultus in delictis non atrocibus eos poſſe ex eo excuſari, quod obedire debuerint. At ubi bene gubernatur Reſpublica, non admittitur talis exceptio.

CM LXXXIX. *Virtualis poſſeſſio.* Secundam partem Regulæ ſæpe expoſui; & eſt benigniſſima & prudens, qui enim dolo non poſſidet, dicendus eſt virtualiter eſſe poſſeſſor.

Ultima pars videretur, & obſcura, & difficilis: obſcura, quia illa verba *in ſolidum, & pro ea parte*, contrariari videtur: difficilis, quia occurrunt motiva ob quæ videatur eſſe falſa. Illam explico.

Caſus proponitur. Antonii fuit hæres Franciſcus, nempe ex aſſe: at poſt mortem convenîtur Antonius, & ſolvere mille aureos jubetur. At quia tantùm quingentos ex hæreditate habuit Franciſcus, hos debere ſolvere tantùm putabat. At Ulpianus eum vult, non tantum in id, quod ad eum pervenit, verum etiam in ſolidum teneri. Quid ſi hæc ipſa quingentorum hæreditas diviſa fuiſſet inter tres, quorum primus centum, ſecundus ducentos, tertius etiam ducentos aureos recepiſſet? Reſpondeo ex Ulpiano in tali caſu proportione ſervatâ primum ducentenos, & ſecundum & tertium quadringentenos aureos daturum eſſe. Sed quâ hoc iuſtitiâ? Conſiderandæ ſunt leges & mores.

CLVIII.

De pignore.

Credere, qui permittit rem venire (*alii,* vænire) pignus amittit (*alii,* dimittit.) *Gajus libr. 26. ad Edictum Provinciale.* [Ex Titul. *de migrando.*] XII.

Si permittit vendi, cedit ſuo jure: & ſi cedit, contra neminem alium debet conqueri.

CLIX.

De differentia obligationis & dominii.

Non ut ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt, ita ex pluribus cauſis idem poſſit & noſtrum eſſe. *Paulus libr. 70. Ad Edictum.* [Conjûge legem *Et an eadem. §. actionis. De excep. rei. jud.*] XIII. *Huc pertinere poteſt doctrina de totalibus & partialibus cauſis.*

Videtur redundare illud *non*. Puto enim poſſe eamdem rem ex multis mihi cauſis deberi, & eamdem multis nominibus noſtrum eſſe; & libenter viderem oppoſitum à Paulo, aut ab alio probari.

CLX.

De differentia, quæ eſt inter vendere, & vendenti conſentire. De eo, quod fit per maiorem partem. De Jure legatarii.

Aliud eſt vendere, aliud vendenti conſentire. Refertur ad univerſos, quod publicè fit per majorem partem. Absurdum eſt plus juris habere eum, cui legatus eſt fundus, quàm hæredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viveret. XIIII.

ret. *Vlpianus libr. 76. ad Edictum.* [Ex Titul. *de litigioſis.*]

Nota hoc. Prima pars intelligenda eſt de vendente alieno nomine, idem enim eſt ſi vendas, ac ſi tuo nomine vendenti conſentias.

Communitatum decreta. De ſecundâ egi loco aptiore, ubi oſtendi vim conſiliorum in eâdem Communitate. Opus enim quodcumque à totâ Communitate procedit, ſed à Communitate plurium ſuffragio prædeterminata.

Quæſtio ſcitu digniſſima. In tertiâ aliquid diſco. Interrogas, An Legatarii immediatè ſuccedant defuncto, an hæredi? hoc eſt, An defunctus ſicut immediatè hæreditatem dat hæredi, ſic etiam immediatè det Legatariis legata: an verò omnia det hæredi cum onere ſolvendi legata? Hoc ultimum placet Ulpiano; nam ſi fundus, qui legatur Petro à Franciſco, immediatè tranſiret ad Petrum, nunquam illum habuiſſet aut poſſediſſet hæres, & malè Ulpianus diceret, Legatarium habere tantum ius, quantum hæres. Vide inferiùs Regul. CLXXXI.

CLXI.

De eo, per quem factum, quominus conditio impleatur.

XMIII. IN iure civili receptum eſt, quotiens per eum, cuius intereſt, conditionem non impleri, fiat quominùs impleatur, perinde haberi, ac ſi impleta conditio fuiſſet. Quod ad libertatem & legata, & ad hæredum inſtitutiones perducitur, quibus exemplis ſtipulationes quoque committuntur, cùm per promiſſorem factum eſſet, quominùs ſtipulator promiſſioni pareret. *Vlpianus libr. 77. ad Edictum.* [Ex Tract. *de Prætor ſtip.*]

Sunt aliæ Regulæ quæ conſpirant. Senſus univerſarum eſt, *Cùm per dolum fit, quod debebat non fieri, pro infecto habetur: & cùm per dolum non fit, quod debebat fieri, pro facto habetur.* *Actio & Omiſſio virtuales.*

CLXII.

De receptis propter neceſſitatem.

QUæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi. *Paulus libr. 70 ad Edictum.* XMIIII. *Neceſſitativi.*

Neceſſitas, ut ait Adagium, *caret lege*: & quæ ex neceſſitate ſemel data, recepta, facta, omiſſa, permiſſa, &c. non debent in conſequentiam trahi.

CLXIII.

De donatione, venditione, conceſſione.

CUjus eſt donandi, eidem & vendendi & concedendi jus eſt. *Vlpianus libr. 55. ad Edictum.* [Ex Titul. *de lib. cauſa.*] XVM.

Et patet, rem enim donare non niſi dominus poteſt; & qui dominus, etiam vendere & concedere poteſt.

CLXIV.

De hæredibus & iudiciis pœnalibus.

POEnalia judicia ſemel accepta in hæredes transmitti poſſunt. *Paulus libr. 51. ad Edictum.* [Intellige de pœnâ reali; quia perſonales pœnæ apud Catholicos ad hæredes non tranſeunt.]

Digitized by Google

CLXV.

De eo qui alienat, vel alienanti conſentit.

XMI. Cùm quis poſſit alienare, poterit conſentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec ſi donationis cauſâ conſenſerit, ratam ejus voluntatem habendam. *Vlpianus libr. 53. ad Edictum.*

Conjunge Regulam CLX. videntur enim reconciliatione indigere.

CLXVI.

De defenſore rei alienæ.

QUi rem alienam defendit, nunquam locuples habetur. *Paulus libr. 48. ad Edictum.* [Ex Titul. *de damn. inf.*]

CLXVII.

De his, quæ accipientis non fiunt. De juſſu Iudicis.

XMVII. NOn videntur data, quæ eo tempore, quo dantur accipientis non fiunt. Qui Juſſu Judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere neceſſe habet. *Paulus libr. 49. ad Edictum.* [Ex Titul. *de aqu. plu arc.*]

An donatio ſine acceptione eſſe poſſit? Recognoſco priorem Regulæ partem, & interrogo, cur non poſſit aliquis dare eo ipſo tempore, quo alius non vult recipere? Et ut ad ſupernaturalis elevem oculos, multæ gratię ſupernaturales à Deo dantur, quas non recipimus. Synodus Tridentina ſeſſ. VI. cap. 7. *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur; quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ.* Ergo poſitâ donatione, adhuc ſuſceptio eſt voluntaria.

Secundæ parti conſonant Bonifacii illa verba, *Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe.* Regul. XXIV.

CLXVIII.

De obſcuris.

RApienda (*alij.* Capienda) eſt occaſio, quæ præbet benignius reſponſum. Quod factum eſt, cum in obſcuro ſit ex affectione (*alij,* affectu) cujusq;. capit interpretationem. *Paulus libr. 1. ad Plautium.* XMVIII.

Clara ſunt omnia, nec poſſunt magis dilucidari. Cur ergo reſponſum benignius? An non benignum ſufficeret?

CLXIX.

De damno. De eo, quod pendet.

IS damnum dat, qui jubet dare. Ejus verò nulla culpa eſt, cui parere neceſſe ſit. Quod pendet non eſt pro eo, quaſi ſit. *Paulus libr. 2. ad Plautium.* *Damnum inferre virtualiter.*

Idem eſſe jubere & facere, jam dixi: qui enim Antonio jubet ut Petrum occidat, homicidium quod Antonius phyſicè perpetrat, ipſe committit virtualiter. An Antonius obediendo delinquit? Dices ex Paulo non peccare, quia nulla culpa illi eſt, cui parere neceſſe eſt. At ego nec tibi nec Paulo conſentio, præcipienti enim contra DEUM non parere neceſſe eſt. *An differant jubere & facere?* *An ſemper debeamus obedire?*

De

CLXX.

De facto à Iudice.

M. FActum à Judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt. *Paulus libr. 4. ad Plautium.*

Conſonat Papa Bonifacius dicens; *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.* Regul. XIX. in ſexto.

CLXXI.

De obligatione.

Cur homo obligetur? NEmo ideò obligatur, quia recepturus eſt ab alio, quod præſtiterit. *Paulus libr. 4. ad Plautium.*

CLXXII.

De ambiguis.

MI. IN contrahendâ venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum eſt. Ambigua autem intentio ita accipienda eſt, ut res ſalva actori ſit. *Paulus libr. 5. ad Plautium.*

Reiicitur. Utrumque diſplicet; Quia in ambiguis ſtandum pro poſſeſſione eſt: *De venditione dubia.* cùm ergo ante venditionem dubiam ſit venditoris poſſeſſio certa, cùm dubitetur an quatuor vel quinque ſint vendita, aut ſtandum eſt reſponſioni venditoris, aut ad minorem numerum recurrendum. *Reus eſt in poſſeſſione.* Si ſemel venditio ſit certa & ſolutio dubia, manutenenda erit venditio, & emptor retinebit ſuam pecuniam, nemo enim debet ſolvere, quod non ſit certò debitum. In actionibus poſſeſſio eſt pro reo, cujus res, quidquid dicat Paulus, in ambiguis ſalva manſura eſt.

CLXXIII.

De his, qui condemnantur in id, quod facere poſſunt. De reſtitutione. De mora. De eo, qui petit, quod redditurus eſt.

IN condemnatione perſonarum, quæ in id quod facere poſſunt, damnantur, non totum quod habent, extorquendum eſt: ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant. *De his, qui ex liberalitate conveniuntur.* CUM & verbum *Reſtituas* lege invenitur, etſi non ſpecialiter de fructibus additum eſt, tamen etiam fructus ſunt reſtituendi. *De Reſtitutione fructuum.* UNICUIQUE ſua mora nocet, quod in duobus reis promittendi obſervatur. *De mora.* DOLO facit, qui petit, quod redditurus eſt. *Et dolo.* *Paulus libr. 6. ad Plautium.* [Firmat primum Titul. *de re jud.* Secundum lex. *Videamus de reſtit.* tertium lex. *Mora. de verb. oblig.* ultimum lex *Dolo 6. de doli except.*

CLXXIV.

De potentia: & repudiatione.

QUi poteſt facere, ut poſſit conditioni parere, jam poſſe videtur. MIII. QUOD quis, ſi velit, habere non poteſt, id repudiare non poteſt. *Paulus libr. 8. ad Plautium.* [Conjunge legem 3. *de bon. poſſ.*]

Caſus. Expono utramque partem Regulæ. [Promiſit Fridericus ſe daturum centum, ſi ponatur talis conditio. An tenetur abſolutè? An poteſt abſolutè teneri? Reſpondet Paulus, eum teneri abſolutè, ſi purificetur conditio. Quod ſi in manu ipſius non ſit illam pu-

Digitized by Google

purificari, nec erit in manu eius vi hujus promiſſionis abſolutè teneri: ſi autem in eius manu ſit ponere conditionem, in manu eius erit abſolutam ponere obligationem.]

Quæ repudiari poſſint, quæ non poſſint? De repudiatione ſic philoſophor [Exiſtimo ea tantum repudiari, quæ habentur. Infero poſſe repudiari poſſeſſionem, poſſe & ſpem. Et per conſequens ea quæ nec in poſſeſſione, nec in ſpe habentur, repudiari non poſſe.

CLXXV.

De ſervis. De eo, qui in ius alterius ſuccedit.

MIII. IN omnibus officiis, quæ per liberas fieri perſonas leges deſiderant, ſervus intervenire non poteſt. NON DEBEO melioris conditionis eſſe, quàm actor (*anteceſſor*) meus, à quo jus in me tranſiit. *Paulus libr.* 11. *ad Plautium.*

Nota ſingula. Utraque pars huius Regulæ ſuas patitur difficultates. Tranſeat ergo poſterior, & hæreamus ut examinemus priorem, quæ non videtur ita clara. Aliud enim eſt Legislatorem deſiderare, aliud conſulere, aliud præcipere, & aliud dirimere. Contra Legislatoris deſiderium poſſunt intervenire ſervi validè & licitè: imò etiam contra eiusdem conſilium. Contra præceptum autem, intervenirent illicitè quidem, ſed validè: & tantummodò illicitè ſimul & invalidè contra Legislatoris definitionem dirimentem.

Quæ omnia diſtinguere debuiſſet Paulus.

CLXXVI.

De iuſtitia privata. Ne ſingulis concedatur, quod per Magiſtratum publicè fieri poteſt. De libertate & neceſſitudine.

NOn eſt ſingulis concedendum quod per Magiſtratũ publicè poſſit fieri, ne occaſio ſit majoris tumultûs faciendi. INFINITA æſtimatio eſt libertatis & neceſſitudinis. *Paulus libr.* 13. *ad Plautium.* [Ex Titul. *de injur.* vide etiam legem 13. & 14. *eod. titul.*] MIV.

Vim vi licet repellere. Utraque Regulæ pars eſt falſa: communis enim Theologorum opinio tenet hominem, ſive iter agat, ſive domi conſedeat, poſſe à latrone & fure defendere, non ſolùm ſe, ſed etiam ſua, etſi hæc per Magiſtratum ille certò recuperaturus ſit; nemo enim tenetur permittere ſe ſpoliari. Et communis experientia demonſtrat ſervos ſub haſtâ vendi, redimi, nec tamen infinito pretio, ſed moderato. Ergo prudentum judicio libertas infinitæ æſtimationis non eſt, ſed finitæ; & non magnæ, videmus enim aliquando ſervos pauculis aureis redimi, hoc eſt, re-emere libertatem. *De libertatis pretio.*

CLXXVII.

De eo, qui in jus alterius ſuccedit. De ignorantia.

QUi in jus, vel dominium alterius ſuccedit, jure eius uti debet. NEMO videtur dolo exſequi, qui ignorat cauſam, cur non debeat petere [*addo,* modò habeat probabilem cauſam, cur poſſit petere.] *Paulus libr.* 14. *ad Plautium.* [Ex titul. *de hæredit. vind.*] MV.

De

Digitized by Google

CLXXVII.

De principali & acceſſorio.

Cùm principalis cauſa nõ conſiſtit, plerumq; ne ea quidem, quæ ſequuntur locum habent. *Paulus libr.* 15. *ad Plautium.* [Conjunge legem 128. *ſup. eo.*]

Acceſſoria nonnunquam principalia fiunt. Noto vocem *plerumque*: nam ubi corruit principale, acceſſoria corruere debebunt quà talia: at illa interdum tranſeunt in principalia, & tunc ſpecialem locum habent.

CLXXIX.

De obſcura voluntate manumittentis.

MVI. *Reiicitur hæc Regul.* IN obſcurâ voluntate manumittentis favendum eſt libertati. *Paulus libr.* 16. *ad Plautium.* [Conjunge leg. *ſi peculium. de ſtatu lib.*]

Sed cur ſic debet interpretatio obſcuræ voluntatis fieri? Quia id ratio poſtulat? minime; ſed quia ſic placuit Paulo. Standum igitur pro poſſeſſione eſt, cùm autem ante manumiſſionem dubiam obſcuramque ſit in poſſeſſione ſervitus certa & clara, ſtandum pro poſſeſſione ſervitutis.

At dices leges ſupremæ poſſunt de hominum & rerum dominio diſponere. Fateor, ſi detur cauſa & ratio. At hìc diſpoſuiſſe non video, quia ſi hæc Regula admitteretur de facto & quoad praxin, quis eſſet poſt mortem ſui domini, ſervus, qui liber non fieret? non enim ita ſtupidi Juriſconſulti, ut non poſſint leviuſculas aliquas rationes reperire, ut de voluntate defuncti poſſimus dubitare. Poſſet igitur clementia publica ſancire hanc legem, *Quotiens ſervus manumiſſionem ſemiplenè probaverit, liber eſto.* Et hoc ſenſu, in tali caſu & tempore, poſſent admitti verba Pauli.

CLXXX.

De eo, qui juſſu alterius ſolvit.

QUod juſſu alterius ſolvitur, pro eo eſt, quaſi ipſi ſolutum eſſet. *Paulus libr.* 17. *ad Plautium.* [Huc revocare poteris legem, *Si donaturus. de condict. cauſa.*] MVII.

Quid Paulus velit, video: quid dicat, neſcio. Puto hanc Regulam ad hos terminos reduci poſſe. *Quod nomine alterius ſolvis, non cenſetur a te ſolutum, ſed ab illo, cujus nomine ſolvis.* Et produco hoc exemplum. Anſelmo tu mille aureos, mille etiam eidem debet Petrus: at heri Anſelmo Petri nomine mille dediſti; & reſpondeo, hac ſolutione Petri debitum extinctum fuiſſe; tuum manere. *Explicatur.*

CLXXXI.

De teſtamento ſine hærede.

SI nemo ſubiit hæreditatem, omnis vis (*legunt alij*, omne jus) Teſtamenti ſolvitur. *Paulus libr.* 1. *ad Vitellium.* MVIII. *An detur teſtamentum ſine hærede?*

Hinc iterum ſolvitur illa quæſtio quæ interrogat, An Legatarii immediatè Legatori ſuccedant? An verò legata priùs ad hæredem pertineant, & per hunc ad legatarios tranſeant? *Et quidem* ex hoc textu colligitur moribundum omnia ſua bona dare hæredi, ſub onere quod ipſe poſteà ſolvat legata. *Confirmat* hoc conſuetudo; qui enim admittit hæreditatem, ad legata & *An legatarii ſint defuncto immediati?*

Digitized by Google

& debita tenetur, etſi majora ſint hæreditate: at in hoc eſt inventarii benificium, quod vocant, & aliquæ cautiones civiles. *Confirmat* iterum Teſtamentorum formula, quâ uſi veteres. Duas dedi ſuperiùs exponendo Regul. CLI. alteram ex Marcello, & alteram ex Quintiliano. Non ait Teſtator, *Ego do uxori meæ*. &c. ſed potiùs, *Ego do omnia hæredi meo: & iſte tenebitur dare uxori meæ, &c.* hoc enim ſonant Quintiliani illa verba, *Hæres meus uxori meæ damnas eſto dare argenti, quod elegerit, pondo centum.*

Sanè, ſi legata immediatè à Teſtatore darentur, tenerent, etſi nemo hæreditatem adiiſſet; non enim penderent legatarii ab hærede. At quia dantur mediatè, & ab hærede recipienda ſunt, ſublato hærede hærent in aëre; &, ut ait Paulus, tota vis Teſtamenti diſſolvitur.

An hæres ſit cauſa intermedia; an ſit pura conditio? Poſſet aliquis dicere hæredem non eſſe cauſam intermediam, ſed conditionem ſine quâ non: poſſet alius ſentire aliter: at nos nemini modo præſcribimus, ſed quid Paulus debeat dicere, accuratè indagamus.

CLXXXII.

De eo, quod nullius eſſe poteſt.

MIX. *Idem per idem.* Quod nullius eſſe poteſt, id ut alicujus fiat, nulla obligatio valet efficere. *Paulus libr. 3. ad Vitellium.*

Eſt idemtica: quod enim non poteſt fieri, nulla cauſa efficere poterit.

CLXXXIII.

De ſolennibus non facile mutandis. De æquitate.

Etſi nihil facilè mutandum eſt ex ſolennibus, tamen ubi æquitas evidens poſcit, ſubveniendum eſt. Marcellus *libr. 3. Digeſtorum*. [Ex Titul. *de in integ. reſt.* lege *Divus*.] *Ceſſante fine legis quid faciendum ſit?*

Nota illud verbum *evidens*. Et quia in quæſtionibus de facto evidentiæ reales non dantur, ad moralem certitudinem, quam Marcellus vocat *evidentiam*, recurre. *Evidentia moralis.*

CLXXXIV.

De vano timore.

Vani timoris juſta excuſatio non eſt. *Celſus libr. 7. Digeſtorum.* [Conjunge legem *Si quis ab alio. De re jud.*] MX. *An timor ſemper excuſet?*

Stando Juri naturali nullus timor à culpâ totâ excuſat; & nihilominùs eam omnis fere timor diminuit; plus ſi fuerit magnus, & minus ſi minor. Puto Juriſconſultum *Vani timoris* nomine intelligere nullum: nullo enim excuſabuntur modo, qui ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. *An ſemper libertatem minuat?*

Conſultò dixi *omnis fere timor*. Nam timor eſt ponderi ſimilis, & pondus interdum ſtateram ad æqualitatem reducit; eo nimirum tempore, quo imponitur leviori lanci. Hunc caſum ob oculos pono. [Solicitabat Amaryllida Cajus, & offerebat aureos mille. Ecce virginis læſam & diminutam libertatem! Ecce illam auri pondere ad Cajum inclinatam! Sed attende.

Digitized by Google

de. Puellæ minatur mortem Frater, ſi Cajo conſentiat: & ecce, quantum ad Cajum ambitio impellit, tantum ab eo timor expellit, & duobus impulſibus contrariis acta videtur impulſu carere, & antiquam libertatem intactam & illæſam ſervare.] Dicendum ergo eſt metum, ſi ſolus ſit, ſemper libertatem minuere: at augere illam potiùs, ſi voluntas ſit in oppoſitam partem motivo alio inclinata.

An profeſſionem irritet? In criminibus non atrocibus excuſantur ſervi, ſi obedierint dominis, quos timebant. Vide ſuperius Reg. CLVII.

In profeſſione ſolenni ex ſpeciali favore Eccleſiæ habetur ratio metûs, qui caderet in conſtantem virum: nam ſi ille tantus ſit, aufert libertatem moralem, & ſolennem profeſſionem irritat.

CLXXXV.

De impoſſibilibus.

MXI. *Ad impoſſibile nemo tenetur.* IMpoſſibilium nulla obligatio eſt. *Celſus libr. 8. Digeſtorum.*

An Deus, An homo, præcipere impoſſibilia poſſit? expoſui ſuperiùs à num. 681.

CLXXXVI.

De tempore, quo res peti poſſit.

Hæc Regula naſcitur ex præcedente. NIhil peti poteſt ante id tempus, quo per rerum naturam perſolvi (*alij*, ſolvi) poſſit. Et cùm ſolvendi tempus obligationi additur, niſi eo præterito, peti non poteſt. *Celſus libr. 12. Digeſtorum.*

Regulæ priorem partem (nam poſterior eſt clara) hoc exemplo dilucido. Emo equum à te, aut commuto potiùs, & me decem urnas muſti optimi daturum polliceor. Menſem Aprilem agimus, & tu ſolutionem ſollicitas. At præcoci diligentiâ, inquit Celſus, ad dandum enim muſtum ante Autumnum non teneor.

CLXXXVII.

De eo, qui uxorem prægnantem reliquit.

SIquis uxorem prægnantem reliquit, non videtur ſine liberis deceſſiſſe. MXII. *Celſus libr. 16. Digeſtorum.*

Et ratio eſt, quia filius non incipit eſſe cùm naſcitur, ſed cùm gignitur. *Quando fœtus incipiat vivere.*

Sed quid dicet meus Magnificus Dominus Joannes Marcus, qui filium nondum natum matris partem realem affirmat, & tunc demum animâ informari rationali, cùm paritur? Idem quod Celſus de illo, qui moreretur relictâ uxore embryone gravidâ. Nam ſicut embryo non informatur animâ rationali, ſed informabitur: & tamen hoc ſufficit, ne defunctus illiberis deceſſiſſe dicatur; ergo eodem modo Joannes Marcus philoſophabitur, nam juxta illius Principia, quam diu in ventre matris continetur corpus infantis, ſemper eſt embryo.

CLXXXVIII.

De impoſſibilibus & repugnantibus.

UBi repugnantia inter ſe in teſtamēto jubentur, neutrum ratum eſt. MXIII. *Repugnan-*

Quæ

tia, & prohibita. Quæ rerum naturâ prohibentur, nullâ lege confirmata ſunt. *Celſus libr.* 17. *Digeſtorum.*

Pro poſſeſſione ſtandum eſt. Prior pars pendet à lege Poſſeſſionis: quoniam, ſi duo articuli Teſtamenti pugnant, & dubium ſit utrùm debeat impleri, cùm utrumque ſit dubium, utrumque reiiciendum eſt, & pro poſſeſſione libertatis ſtandum.

In lege naturali nulla creatura diſpenſat. Poſterior eſt evidens, quoniam Lex naturalis [mihi eſt ipſa, Decalogus] hominum voluntati non ſubeſt.

CLXXXIX.

De pupillo & authoritate tutoris.

Pupilli voluntas eſt tutor. PUpillus, nec velle, nec nolle in eâ ætate, niſi adpoſitâ tutoris authoritate, creditur: nam quod animi judicio fit, in eo tutoris authoritas neceſſaria eſt. *Celſus libr.* 13. *Digeſtorum.*

Hinc conſtat pupillum oculis tutoris viſurum, mente tutoris intellecturum, voluntate tutoris decreturum, & linguâ tutoris reſponſurum: ipſumque, tametſi, ſi naturam conſideres, ingenii perſpicacis ſit, civiliter loquendo eſſe cœcum, & liberâ carere ratione: non quidem in omnibus rebus, ſed in his, quæ dominii translationem concernunt.

CXC.

De evinctione.

MXIV. QUod evincitur, in bonis non eſt. *Celſus libr.* 24. *Digeſtorum.*

CXCI.

De beneficio principis.

Dubium conſiderationе dignum. NEratius, conſultus, An quod beneficium dare ſe quaſi viventi Cæſar reſcripſerat, jam defuncto dediſſe exiſtimaretur? reſpondit, non videri ſibi Principem, quod ei, quem vivere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe. Quem tamen modum beneficii ſui vellet, ipſius æſtimationem eſſe, *Celſus libr.* 33. *Digeſtorum.*

Eſt certiſſima: primò, quia beneficia, quæ perſonales actus exigunt, non conferuntur defunctis. Secundò, quia ipſimet favores purè reales, aliter vivis, & aliter mortuis conceduntur.

CXCII.

De hæredibus. De obligatione individua. De re dubia.

EA, quæ in partes dividi non poſſunt, ſolida à ſingulis (*potiùs*, ab omnibus ſimul) hæredibus debentur. MXV.

IN RE dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minus iuſtius eſt quàm tutius. *Marcellus libr.* 29. *Digeſtorũ.* [Conjunge legem 3 *de ſervit. leg.*]

De rebus indiviſibilibus. Prior Regulæ pars hoc poteſt illuſtrari exemplo. [Ciccrius condit teſtamentum, & ait, *Plancus & Caurus hæredes mei dare unum equum Acilico cognato meo militi damnati eſto.*] An-ne alter hæres dimidium, & alter dimidium ſunt daturi? minimè. Quia equus non datur per partes. Quid ergo? uterque hæres ſimul dabit equum.

An Equus virtualiter diviſibilis ſit? Sed noto obiter equum (& idem de aliis rebus dicito) licèt phyſicè indiviſibilis ſit, & dari non poſſit per partes; virtualiter eſſe diviſibilem, eſt enim virtute in pretio, quod omninò diviſibile eſt.

Poſterior pars non placet: quia inter-

Digitized by Google

terpretatio, quæ reſpectu alterius eſt benignior, reſpectu alterius eſt ſeverior: ergo iterum quærendum eſt, quid faciendum in dubio ſit? quidquid enim fiat, benignius eſt: & quidquid fiat, ſeverius eſt. Centies dixi, *In dubiis beatos eſſe, qui poſſident: & pro poſſeſſione ſtandum eſſe.*

CXCIII.

De aditione hæreditatis cum tempore mortis continuanda.

A mortis momento incipit hæreditas.

OMnia fere jura hæredum perinde habentur, ac ſi continuo ſub tempus (in tempore) mortis hæredes extitiſſent. *Celſus libr. 38. Digeſtorum.*

Vera eſt, & de ipsâ jam egi ſuperiùs, ubi aliam ſimillimam expoſui.

CXCIV.

De hæredibus hæredum.

MXVI.

QUi per ſucceſſionem [*alij*, ceſſionem] quamvis longiſſimam defuncto hæredes conſtiterunt, non minùs intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes exiſtunt. *Modeſtinus libr. 6. differentiarum.*

Prima Regula lectio.

An retinebimus vocem *ſucceſſionem*, an *ceſſionem?* Variant Exemplaria, & utraq; videtur utilis. Nã ubi nõ ſunt immediati hæredes, mediati etſi per longã ſucceſſionem prodierint, non minus cẽſebuntur hæredes, quàm ſi immediati eſſent. Hinc eſt Petro, ſi mortuis ejus filiis & nepotibus, ſint pronepotes, hos ſucceſſuros eſſe, non minùs ac ſi filii eſſent.

Lectio ſecunda.

Si utamur voce *ceſſionem*, ſic caſus poterit formari. Ferdinandus Franciſci filius erat, & jus, quod ad hæreditatem habebat, ceſſit Joanni remoto cognato aut affini. Et ſtando juri naturæ reſpondeo ceſſionem eſſe validam, & Joannem non minùs fore hæredem Ferdinandi quàm ſi eſſet filius. [Pono ceſſionem factam poſt Ferdinandi mortem, ne ad novas difficultates defectu emancipationis reducamur.] Sed quid dicendum erit ſtando Civili & Cæſareo? Si Modeſtino & huic Regulæ credimus, idem omninò.

CVC.

De expreſſis & tacitis.

EXpreſſa nocent; non expreſſa non nocent. *Modeſtinus libr. 7. Differentiarum.* MXVII. *Rejicitur.*

Non intelligo. Si dicat Juriſconſultus, *Certa nocent; incerta & ambigua non nocent*; adquieſcam. At ſi expreſſa opponat tacitis contradicam; nam ſæpe ſilentium nocet: & ſæpè aliqua tacitè, at tam certò dicuntur, ut non poſſent eſſe certiora, ſi dicerentur expreſsè. Vidi non paucas lites de verbis tacitis, & tamen, quia certò ſubintelligebantur, qui loquuti, damnati. Accuſabatur Segobiæ Titius, quò Semphronium vocaviſſet *cornutum*: recipiebat enim vectigalia lignorũ, & dixerat, *Cur non ſolvis vectigalia Semphroni?* & altero quærente, Cur deberet; ſubjunxit, *Cornua ſunt lignea.* Et tamen juſto judicio damnatus fuit. Non ergo curandum eſt, an implicitè res aut expreſsè dicatur, ſed utrùm certò aut dubiè dicatur.

Caſus notandus.

CVCI.

De privilegiis.

MXVIII. *Privilegium eſt duplex: cauſæ & perſonæ.* PRivilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ; & ideo ad hæredem transferuntur, quæ cauſæ ſunt; quæ perſonæ ſunt ad hæredem non tranſeunt. *Modeſtinus lib.* 8. *Regularum.* [Ex Titul. *de jure imm.*]

Quomodo internoſcantur privilegia? Dantur realia & perſonalia privilegia: Sed quomodo internoſci poterunt? Quæ conceſſa Petro, aut Joanni verbi gratiâ, perſonalia ſunt; & extinguuntur cum perſonâ. Quæ Epiſcopo, Abbati, Marchioni, Comiti, Toparcæ, &c. conceſſa, dignitatem afficiunt, & illi conveniunt, qui talem dignitatem habet.

CVCII.

De coniunctionibus licitis & honeſtis.

Regula reſtituitur. SEmper in conjunctionibus, non ſolùm quid liceat conſiderandum eſt, ſed & quid honeſtum ſit. *Modeſtinus libro ſingulari de ritu nuptiarum.* [Conjunge leg. 42. *de tit. nup.*]

Legunt aliqui *in conventionibus*, at materia ipſa libri poſtulat, ut *in conjunctionibus* (ſubintellige, *matrimonialibus*) legatur.

An omnia licita ſint honeſta? Sed quid ſibi vult illa liciti & honeſti contrapoſitio? An aliquid licitum, quod honeſtum non ſit? Negavi ſuperiùs, & nego.

CVCII.

De dolo tutoris.

MXIX. NEque in interdicto, neque in cæteris cauſis pupillo nocere oportet dolum tutoris, ſive ſolvendo eſt, ſive non. *Iavolenus libr.* 13. *ex Caſsio.* [Semper leges ſunt benignæ pupillo.]

CIC.

De inobedientia.

NOn poteſt dolo carere, qui imperio Magiſtratûs non paruit. *Iavolenus libr.* 6. *Epiſtolarum.* *Magiſtratui obtemperandum eſt.*

Subordinatio perſonarum poſtulat, ut obedientia foveatur, & coerceatur inobedientia: quam ob rem huic Civili Regulæ volo aliam Canonicam adſcribere, quæ eam firmet & explicet. Lego in ſexto. *Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe.* *Regul.* 24.

CC.

De minima iniquitate permittenda.

QUotiens nihil ſine captione inveſtigari poteſt, eligendum eſt, quod minimum habet iniquitatis. *Iavolenus libr.* 7. *Epiſtolarum.* MXX. *Reſtituitur.*

Quam breviter Juriſconſultus difficillima, ardua, & quæ millenas exceptiones patiantur protrudit. Sanè, *nō ſunt facienda mala, ut bona eveniant:* & è duobus malis non licet perpetrare minus. Sed neque permittere minus, niſi permiſſio neceſſaria ſit, & homo ad tales miſerias redigatur, ut debeat neceſſariò vel majus vel minus permittere. De hac materiâ meus eſt ille liber, qui inſcribitur, *Sacri Romani Imperii Pax*: & ideò non debebo plura hîc addere. *Mali perpetratio.* *Mali permiſsio.*

CCI. De

CCI.

De his, quæ ex teſtamento ſub-orta.

MXXI. OMnia, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, ita ſtatū eventûs capiunt, ſi initium quoq; ſine vitio ceperint. *Iavolenus libr. 10. Epiſtolarum.*

Originale peccatum in Civilibus.

Et patet; non enim carere ſolent culpâ actuali, quæ in originali concepta.

CCII.

De definitionibus.

An Iuriſconſulti veteres ignorarint Dialecticam?

OMnis definitio in Jure periculoſa eſt: rarum eſt enim, ut non ſubverti poſſit. *Iavolenus libr. 11. Epiſtolarum.* Quod eſt dicere, Juris periti veteres Logicæ fuerunt imperiti.

Sed cur tolerantur, ſi periculoſa? cur non tandem aliquando corrigi permittuntur?

CCIII.

De damno ex culpa.

QUod quis ex culpâ ſuâ damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire (*vel ut legunt*, ſibi imputet) *Pomponius libr. 8. ad Quintum Mucium.*

CCIV.

De actione.

Spe magna melior eſt moderata poſſeſſio.

MInus eſt actionem habere, quam rem. *Pomponius libr. 28 ad Quintum Mucium.*

Hinc alii, *Minus eſt jus in rem, quàm jus in re.* Hinc Hiſpani, *Mas vale paxaro en mano, que buytre volando.*

CCV.

De his, quæ à nobis abire poſſunt.

PLerumque fit, ut etiam ea, quæ à MXXII.
nobis abire poſſunt, perinde in eo ſtatu ſint, atq; ſi eſſent ejus non conditionis, ut abire poſſent. Et ideò quod fiſco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & ſervitutem in prædio imponere poſſumus. *Pomponius libr. 39. ad Quintum Mucium.*

Res omnes cum oneribus tranſeunt.

Id poſſe fieri certum eſt: atæquè certum res tranſire cum ſuis oneribus, & eſſe imprudentes, qui emunt ea quæ fiſco aut alteri creditori obnoxia, niſi in pretio habeatur ratio periculi, & minoris vendantur.

CCVI.

De eo qui cum alterius præiudicio lucratur.

JUre naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorem. *Pomponius libr. 9. ex variis lectionibus.*

Corrigitur.

Deleo vocem *detrimento.* Fieri enim locupletior cum alterius detrimento potes, cum injuriâ non potes.

CCVII.

De re iudicata.

RES judicata pro veritate accipitur MXXIII.
(*ſaltem in eodem tribunali*) *Ulpianus libr. 1. ad legem Iuliam & Papiam.* Conjunge legem *Ingenuum. De ſtatu hominum cum libr.*

Veritas judicialis.

Digitized by Google

Eſt certa. In nullo enim tribunali, quæ ſemel judicata ſunt, iterum in dubium revocantur.

CCVIII.

De deſitione.

NOn poteſt videri deſiiſſe, qui nunquam habuit. *Paulus libr. 3. ad legem Iuliam & Papiam.*

CCIX.

De ſervitute.

MXXIIII. Corrigitur. SErvitutem mortalitati fere comparamus. *Vlpianus libr. 4. ad legem Iuliam & Papiam.*

Deleo *mortalitati*, & ſubſtituo *morti*. Non enim ſervus eſt mortalis civiliter, ſed mortuus; & liberi potiùs debent dici civiliter mortales, poſſunt enim civiliter mori, hoc eſt, ſervitutem incurrere.

CCX.

De inſtitutione.

Tempus nihil confirmat. QUæ ab initio inutilis (hoc eſt, invalida) fuit inſtitutio; ex poſt facto (*legunt alii*, tractu temporis) convaleſcere non poteſt. *Lucinius Rufinus libr. 2. Regularum.*

Conſonat Bonifacius VIII. dicens. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure* *Limitatio.* *ab initio non ſubſiſtit.* Excipe rationem Præſcriptionis poſſeſſione & titulo legitimo fundatæ.

CCXI.

De ſervo. An ob cauſam publicam abeſſe poſſit?

SErvus Reipublicæ causâ abeſſe non poteſt. *Paulus libr. 59. ad Edictum.* MXXV.

Probatur Regula. Patet: quia ob negotia publica mittendus eſt aliquis, & cùm ſervus ſit nullus, mitti non poterit.

Objectio. Sed hîc hærebo. Anne, ut aliquis agat alieno nomine, debet eſſe aliquis? Rationem aſſerendi non video. *Prorex. Produx. Proepiſcopus, Proabbas, Prodeus, Proaliquis.* Prorex eſſe poteſt & ſolet, qui non eſt Rex: Produx, qui non eſt Dux: Proepiſcopus, qui non eſt Epiſcopus: Proabbas, qui non eſt Abbas: & c. majora ſum dicturus; Prodeus eſt, qui non eſt Deus. Ergo Proaliquis eſſe poterit qui non ſit Aliquis: vel detur manifeſta diſparitas.

NOTA.

Rejectis his deberent novas Regulas Iuriſta condere. VIdiſti vix unam aut alteram eſſe Regulam, quæ vera ſit univerſaliter, & non miraris univerſas, aut fere à doctiſſimis Viris explodi. Sed puto, licèt reiiciantur iſtæ, & meritò, non eſſe reiiciendas Regulas, ſi quæ olim ab aliquo fiant, quæ ſint univerſales & veræ.

IVRIS

Digitized by Google

JURIS CÆSAREI OECONOMIA.

MXXVI. *Quid ſit Iuriſprudentia.*

IUriſprudentia eſt juſti & injuſti ſcientia. Oportet enim Principem utrumque cognoſcere, ut bonos à malis decernat, æquitatem obſervet, virtutes adſerat, vitia proſcribat, & toti proſpiciat Reipublicæ.

Iuris Regulæ eſſe debent poſitiones univerſales.

Juris Regulæ circa generalia verſantur, quoniam particularis Propoſitio Regula vocari non poteſt. Concipi ſolent: aut ſub univerſali ſigno *leg. Omnes , leg. In omnibus. l omnia. l. nullum. cum ſimilibus hoc tit.* Aut indefinito *L.2. & 3. cum ſimilibus. hoc tit.* quod univerſali æquipollet, *l. ſi ex pluribus. ff. de legat. 2.*

De indefinita. An univerſalibus, aut potius particularibus ſit accenſenda?

Hoc tamen obſervandum eſt, Propoſitionem indefinitam in materiâ neceſſariâ æquivalere univerſali, & in cõtingente, particulari: Regulasq; plerumque eſſe de rebus neceſſariis politicè, aut aliàs non poſſe aliter, quam ſigno univerſali pronunciari.

Regulæ ferè univerſales.

Præter univerſales Regulas dantur aliæ ferè univerſales; quales ſunt, quæ afficiuntur ſignis, quę ſi non omnia, tamen multa comprehendunt; ut Ferè *leg. ferè.* 100. *&* 190. *h.* t. Plerumque *l. plerumque. h. tit*, Frequenter. *leg. eaque,* 65, *cum. ſimil. h. t.* de quibus uberiùs in meâ Morali Logicâ, ubi conſtruo Syllgiſmos Morales.

Syllogiſmi modales.

An Regulis fidendum ſit?

Sed rogas, An quis Regulis confidere poſſit? Reſpondeo Juris ſtudioſos poſſe omninò & debere, ſi darentur exactæ Regulæ & à diligentibus Viris formatæ: at modò cùm in toto Jure generi per ſpeciem derogetur, *l. in toto h. tit.* fit, ut Regularum, quæ res generatim comprehendunt, definitio exiſtat periculoſa, *l. omnes,* 203. *h. tit.* ut non temerè eis ſit fidendum, nec enim rarò ſubvertuntur oſtensâ lege, ratione aut diſtinctione aliqua, propter quã in præſenti ſpecie locum habere non debeant. Quod, cum fit, amittunt ſuum officium, quaſi excluſa exceptione.

Regulæ exauthorantur: quando?

MXXVII. DE NUMERO PRÆDICAMENTORUM.

Apud Iuriſtas tria. PRIMUM *complectitur Perſonas.*

Metaphysici Veteres non convenerunt in numero Prædicamentorum, aliis plura, & aliis pauciora adſignantibus. At Juriſtæ Syſtema Entis Civilis tribus conſtituunt, ut enim omne Jus, ita & Regulæ, quæ inde ſumuntur, ad perſonas, res & actiones pertinent. Ad personas hæ, quibus definitur. Quâ in parte fœminæ ſint maribus deteriori iure *leg.* 2. *&.* 111. quo utantur jure furioſi *le.* 5. *&* 41. *&* 167. Muti, ſurdi, *le.* 167. liberi. *l.* 148. Filius familias, *l.* 4. *&* 94.

Deinde, quæ ſint jura libertatis, & liberorum, *leg.* 21. 107. 137. *&* 140. *&* 195. ſervitutis & ſervorum, *l.* 33. *&* 108. 136. 161. 176. 189. *&* 212. Poſſeſſorum. *l.* 199. tam bonæ fidei 180. quàm malæ fidei, *l.* 169 Item eorum, qui dolo deſierunt poſſidere, *l.* 174. 193. *&* 200. emtoris & venditoris *l.* 199. Fidejuſſoris, *l.* 44. *&* 111. Socii, *l.* 48. Debitoris, *l.* 67. *&* 96. *&c.*

Poſtremò quæ ſint jura teſtantium & in-

Digitized by Google

inteſtatorum *leg.* 7. *&* 142. Hæredum *l.* 6. *&* 39. 44. 45. 60. 90. 112. 153. 154. 155. 163. 171. 184. 192. 195. 199: *&* 200. Bonorum Poſſeſſoris, *l* 118 *&* 171. & Succeſſoris. *li.* 138. Authoris, *leg.* 138. Tutoris, *l.* 74. Pupilli *l* 2. 5. 111. 112. *&* 150.

MXXVIII. SECUNDUM *complectitur Res.* AD RES pertinent eæ Regulæ, quæ oſtendunt, quid juris ſit in toto & parte. 14. 111. *&* 191. Quanta in rebus cautio *l.* 261. Quid obtineat in rebus, quæ nullius cenſentur in bonis *le.* 143. Quid in rebus, quæ ſunt in alicujus tam corporalibus, ut eſt domus, quæ dicitur tutiſſimum cuiusque refugium *l.* 62. *&* 104. quàm incorporalibus, cujusmodi ſunt jura ſanguinis *leg.* 8. Teſtamentorum, *le.* 12. 20. 90. 202. *&* 211. Legatorum *leg.* 18. Hæreditatum. *l.* 39. 63. 74. 92. *&* 181. Repudiationis *l.* 35. Poteſtatis *leg.* 18. *&* 19. Nuptiarum. *l.* 31. *&* 158. Actuum legitimorum *l.* 78. Contractuum *l.* 18. 19. 20. 28. 32. *&* 46. Obligationum, *l.* 131. 145. *&* 196. Alienationis *leg.* 163. *&* 206. Translationis jurium, *leg.* 55. 111. 163. *&* 186. Juſſus mandati *lib.* 61. 130. 140. *&* 200. Ratihabitionis *l.* 61. *&* 195. Venditionis *l.* 61. 121 *&* 131. Donationis *l.* 54. 70. 83. 124. 126. *&* 199. Dotis *l.* 86. Stipulationis *l.* 187. Aliorumque factorum *l.* 32. 90. *&* 198. Quid ſervetur in iis, quæ contractibus accedunt, ut ſunt Res de quibus contrahitur *l.* 46. *&* 145. Poſſibiles aut Impoſſibiles. *l.* 91. 120 178. *&* 149. Item in iis quæ contractus aut firmant, *l.* 30. 86. *&* 211. ut jus Pignoris *le.* 119. aut repræſentant, ut Tempus *l.* 14. 17. *&* 30. aut tollunt *l.* 36. & 102. Item de circumventione, *l.* 50. & dolo ac culpâ, quis videlicet intelligatur eſſe in culpa *l.* 37. 51. 130. 175 & 204. Dolo *l.* 56. 64. 79. 80. 110. 116. 117. 128. 134. 138. 160. *&* 171. morâ *l.* 64. 89. & 139. aut alio delicto. *l.* 177. 195. & 198. Quid præſtet bona fides *l.* 58. *&* 179. Poſſeſſio *l.* 196. Fruct⁹ rei *l.* 72. Evictio. *l.* 151.

Sed in primis & præcipuæ Regulæ traduntur de interpretatione Nominum, Verborum & Clauſularum, quæ actionibus hominum explicandis adhibentur; ut quam vim habeant, & quomodo interpretanda ſint. Ob ſcura *l.* 9. 42. 140. *&* 129. Dubia *l.* 21. 57. *&* 153. Ambigua *l.* 68. 86. *&* 97. Repugnantia *l.* 149. Cavillationibus obnoxia *l.* 201. Rarò vel frequenter accidentia. *l.* 65. *&* 115. Singularia *l.* 184. Quâ in parte in genere præcipitur juſtis decretis rem temperandam eſſe *l.* 86. In omnibus, maxime tamen in jure, id eſt, Judicio ſpectandâ eſſe æquitatem. *l.* 91. *De verborum ſignificatione.* MXXIX. TERTIŪ *complectitur Actiones.*

In contractibus primò inſpiciendum, quid actum, etiamſi verba non conſonent *l.* 93. *&* 95. Tum conſuetudinem, poſtremò id quod eſt minimum, *l.* 35. & tempus contractûs *l.* 19. *&* 30. *In pactis quæ conſideranda.*

Ad actiones & judicia eæ Regulæ ſpectant, quibus definitur quid ſit jus gladii *l.* 7. 71. Quæ poteſtas Magiſtratûs *l.* 103. Judicis *l.* 132. *&* 137. Quid ſit arbitrium *l.* 23. Quæ vis Cognitionis & judicii *l.* 28. 73. *&* 106. Item de jure petitionis *le.* 34. Actoris *l.* 42. *&* 43. *&* 89. Procuratoris *l.* 166. Rei *l.* 42. & 168. Defenſionis *l.* 53. 199. *&* 127. An proponi poſſint plures Actiones, An plures Exceptiones *l.* 44. Quæ actio aliâ momentoſior *leg* 105. De petitionibus ante tempus *l.* 147. Tranſitoriis in hæredem *l.* 170. Pœnalibus *l.* 173. Quis Actionem dare poſſit. *l.* 103. De effectu exceptionis. *l.* 113. Et litis conteſtatæ. *l.* 78. 88. 99. 125. *&* 182. Quis condemnare poſſit *le.* 38. & quatenus *l.* 39. Item in condemnationibus ſpectandam ἐπιείκειαν & æquitatem præſertim in pœnalibus. *l.* 198. Adhæc ætatem & imprudentiam *l.* 119. *Quæ in Actionibus.*

Effectum autem rei judicatæ eſſe, ut pro veritate habeatur *l.* 208. Atque alia id genus. *Civilis veritas.*

Hæc

Notanda. Hæc omnia ſciri omninò debent, ne forte Juris ignorantiâ labantur, qui ſe putant nil in Jure ignorare; ſunt enim multæ tricæ & hallucinationes in contextu, quæ debent Juris naturalis intelligentiâ illuſtrari; quâ ſoli Theologi imbuti, & tamen rarò in auxilium Legiſlatorum vocati.

CAPUT VI.

Complectens Principia Naturalia, quibus fundari & ſubſtrui debeat vera intelligentia Decalogi.

An lex Chriſti ſit levis? IUgum meum ſuave eſt, & onus meum leve, dixit Dominus; ubi *Jugi* nomine Decalogum, & *Oneris* nomine reliqua præcepta intellexit: at illum & hæc hodie multi tam ſeverè, aut etiam crudeliter interpretantur, ut vel debeant ab orbe literario proſcribi; aut debeamus fateri jugum Dei amariſſimum eſſe, & onus ejus graviſſimum, & inſupportabile. Hanc ego ob cauſam ſumo calamum, ut oſtendam hîc ſemper & ubicunq; etiam ſententias veras anteponendas falſis, ſeu videantur benignæ, ſeu ſeveræ. Percurram omnia decem naturalia Præcepta; & ad Sacramenta tranſibo; & proponam in ſingulis quid examine majore indigeat, & doctiorum Reſolutiones patienter & avidè expectabo.

De Lege Naturali.

MXXX. *Quid nomen Naturale ſignificet?* DUas habet diverſas ſignificationes nomen hoc *Naturale*; quoniam vel oritur à *Natura* vel à *Naſcor*. Si à *Natura*, ſignificat id quod naturæ debitum; quo ſenſu habitualis gratia, nec eſt Adamo, nec nobis naturalis. Si à *Naſcor*, cui apud aliquos ſupinum *Natum*, eſt idem ac *Nativitale*; nimirùm id quod à nativitate *An gratia fuerit Ada*[illegible] alicui convenit, ſeu conveniat ex debito, ſeu ex gratiâ: quo ſenſu aliqui Catholici veteres dixerunt Adami gratiâ fuiſſe naturalem; *An nomen naturalis?* quo ſenſu hodie, ſi uſus pateretur, poſſumus etiam dicere fuiſſe naturalem gratiam B. Joannis Baptiſtæ, &c. *An B. Joannis Baptiſtæ?* quæ data ante nativitatem. Sed jam uſus obtinuit, quod ſumatur hoc nomen, ut oppoſitum ſupranaturali; [illegible] & hoc ſenſu competit

rebus, quæ ſunt infra illum rerum ordinem, quem ſupra ſpiritualem admittimus, & *ſupranaturalem* vocamus: omnia enim ſpiritualia *ſupermaterialia*, aut *ſupercorporea* dici poſſunt; & quia ordo gratiæ ita ſuperat ſpiritualem, ut ſpiritualis corporeum; *Supernaturalis* ſolet, & *ſuperſpiritualis* dici poteſt.

Lex naturalis.

Sed quo ſenſu Decalogum *Legem Naturalem* vocamus? Puto illum hoc nomine inſigniri non primo ſenſu, aut tertio, ſed ſecundo. Multa Præcepta purè naturalia (hoc eſt non ſupernaturalia) complectitur; multa naturæ rationali indebita, quæ potuerunt aliter à Deo poni, & forſitan fuerunt aliter poſita in aliquibus caſibus particularibus. Eſt ergo Decalogus lex naturalis, hoc eſt, nativitalis: quæ nobiſcum fuit nata, quæ convivet nobiſcum, à quâ ſtando communi rerum curſui, nemo eſſe immunis poteſt. Sequor in hoc Scoti ſubtilem Scholam, quæ generoſiſſimè de Legiſlatore Deo philoſophatur: non enim intelligo, quæ ſit naturalis lex illa, quæ Deo non ſubdita; quam ita aliqui Juniores exponunt, ut Trinitate totâ anterior & ſuperior videatur. Placet igitur Decalogi breviſſimam ideam proponere, quam alibi uberiùs explicabo.

Decalogus.

	OCCISIO.	FORNICATIO.	FURTUM.	MENDACIUM.
Contra Deum.	*Atheiſmus, qui eſt quoddam mentale* DEI*cidium.*	*Luxuria Spiritualis & theologica: Idololatria.*	*Furatur honorem Blaphemus: res cultui divino dicatas ſacrilegus.*	*Mentitur* DEO *perjurus, & qui votum non ſervat.*
Contra Parentes.	*Parricidium.*	*Inceſtus.*	*Contumelia. Furtum.*	*Mendacium ſi dicatur Parentibus.*
Contra Se-ipſum.	*Suicidium.*	*Mollities tactibus propriis procurata. Beſtialitas.*	*Prodigalitas.*	*Ignorantia voluntaria.*
Contra Proximum.	*Homicidium.*	*Fornicatio. Stuprum. Raptus. Adulterium.*	*Furtum. Latrocinium.*	*Mendacium.*

MXXXI. *Genera quatuor peccatorum.*

Perſonæ, contra quas quis delinquere poteſt, quatuor ſunt. Primo enim peccare poteſt homo contra Deum. Secũdò contra Parentes, Tertiò contra ſe ipſum. Quartò contra proximũ. At in Decalogo dantur tres Canones

nes

Digitized by Google

nes interdicentes peccata in Deum; unus qui inhibet peccata in Parentes; & quatuor qui ſpecialiter peccata in Proximum. At de peccatis quæ in ſe quis committere poteſt, nulla mentio. Anne hæc ad ea, quæ in proximum, reduci debent? An- ne novam claſſem conſtituere, ita ut ſpecie differant Suicidium Proximicidiumque?

Perſonæ reales & morales.

Perſonæ, contra quas cōmittuntur peccata, realiter ſumi poſſunt, & moraliter etiam. Realiter ſumptæ notæ ſunt omnibus, at moraliter ſumptæ non itē. Quicunq; Dei Vicarius, eſt quidam Deus humanus, morali divinitate præditus. Ejuſmodi ſunt in Eccleſiaſticis Sūmus Pontifex, Epiſcopi &c. in ſæcularibus Imperator, Reges, Supremi Principes, &c. imò & quicunq; Pater familias domi ſuæ, ſumptâ juriſdictione limitatiùs. Pater moralis Reipublicæ eſt Princeps, Magiſter, Confeſſarius &c. Imagines, ſtatuæ, ſtemmata, quæ moraliter ſumuntur pro rebus ipſiſſimis quas repræſentant, unde Irreverentia facta ſtatuæ, cēſetur illi facta, cui ſtatua erecta.

Dij Morales.

Cultus imaginum in omni Religione & Republicâ.

M XXXII. *Peccata poſitiva & negativa.*

Peccant Homines in has perſonas poſitivè, & negative; phyſicè moraliterq;. *Porrò alij peccant mere negativè & alij poſitivè*: aliud enim eſt non cognoſcere Deum, & aliud eum poſitivè negare: aliud ignorare, an ſit unicus? aliud legiones Deorum adorare; aliud non dare honorem, aliud poſitivè blaſphemare & detrahere: aliud non jurare non vovere; & aliud vota & juramenta temerare. Et tranſeundo ad humana, aliud eſt nō defendere, aliud occidere; aliud non ſolvere uxori debitum, aliud adulterium committere: aliud non dare, aliud furari; aliud tacere, aliud mentiri; &c. *Sed & alij peccant phyſicè, & alij moraliter.* Et conſiderando primā tabulam, vix reperio poſſe hominem phyſice in in Deum peccare. Atheus Deum non occidit phyſice, ſed moraliter & affectivè: Idololatra non ponit defactò plures Deos, id enim repugnat omninò, ſed moraliter procedit eo modo, ac ſi illos poſuiſſet defactò. Blaſphemus nihil aufert à Deo, ſed vult. Imò nec fur ſacrilegus; ubicunque enim vaſa ſacra ſunt, Dei ſunt. Et tandem Periurus, & Votirupio, Deum non decipit. At in ſecundam tabulam poteſt & ſolet homo peccare Phyſicè & moraliter. Occiditur enim moraliter qui proſcribitur, qui infamis redditur, & qui à carnifice phyſicè, ab actore, teſtibus & Iudice moraliter. Fornicatur merè phyſicè, qui alienâ utitur ſuam eſſe putās; merè moraliter, qui ſuâ fuit uſus judicans eſſe alienā. Furatur morale, qui authoritatem, honorem, jura; moraliter, qui furem fovet. Mentitur phyſicè, qui aſſerit quæ eſſe falſa ſcit; moraliter, qui ſecretum detegit, quod debebat celare, &c.

Phyſica & moralia.

Mors moralis: mors phyſica.

Fornicatio phyſica & moralis.

Mēdacium phyſicum & morale.

Peccata cogitationis, vocis, & operis.

De nono & decimo Præcepto Decalogi.

Peccant etiam Homines cogitatione, verbo, & opere. nam ſæpe peccandi voluntas eſt inefficax, & iſta interdicitur nono præcepto: ſæpe executioni mandatur à peccante unico, & tunc impingit in aliquod, aliquave ex octo prioribus præceptis: & tandem miniſtris aliquādo utitur, & quia eoſdem ſcandalizat, & inducit in prioris peccati participium, interdicitur lege ſpeciali in ultimâ lineâ Decalogi.

Hæc omnia, ſi dignè ſint examinanda, magnam attentionem, & rerum notitiam expoſtulant, & ideò modò intermittentur, diſcutienda & examinanda aptiori loco; putamus enim, intento noſtro & Lectorum deſiderio ſufficere, ſi Ideam Decalogi ob oculos Lectorum propoſuerimus. INTERIM *Singula præcepta percurremus, & ignorantias noſtras ſincero animo manifeſtabimus, ut nos docere dignentur, quibus majorem ſcientiam Deus, & ſtudium quotidianum largiatur.*

Digitized by Google

FUNDAMENTUM XLVI.

De Fide ſupernaturali, quæ Decalogi prima linea præcipitur.

Habitus diſtinguitur à diſpoſitione, & fortè modaliter.

MXXXIII INdicitur Decalogi primo præcepto, ut credamus, ſperemus, & amemus ſupernaturaliter: hoc præſtare poſſumus, ſi habemus Fidem, Spem, & Charitatē ſupernaturales, aut per modum habitus aut per modū diſpoſitionis ſeu auxilii.

Præceptū fidei.

Datur præceptum Fidei, quo nemo obſtringi poteſt, niſi ſciat evidenter illud dari: (qui enim invincibiliter, aut etiam probabiliter exiſtimaret aliquid non eſſe de Fide, non teneretur illud credere:) & intelligat, quid ſibi præcipitur (quoniam Græci veterum Conciliorū Canones, tam ſunt de Fide quàm Latini; quos tamen nemo ignarus Græci idiomatis tenebitur credere, niſi proponantur in linguâ quam intelligat:) & ſcholaſticorum termini tam videntur ignoti noſtris ruſticis, aut etiam civibus (Imò Aulicis, Medicis, & Iuriſperitis) quàm Arabici. Vel ſi dubitas, primò obvium ruſticum interroga, quid ſit Eſſentia? quid ſubſiſtentia? quid Perſonalitas? & quid alia ſexcenta quæ cognoſcunt Theologi. Ergo plura & clariùs tenetur credere doctus, quàm indoctus; & præcepta Divinæ Fidei, ſunt enim poſſibilia, attemperantur hominum ſingulorum ingenio.

Ruſticorū & indoctorum fides.

An ad plura teneatur doctus quàm indoctus?

MXXXIV. AD ſolamen illorum qui in Germaniâ habitant, & multos viros aliàs probos infectos dolent hæreſi, aliquas periodos ſubſcribo; & veriùs ex ſelectiſſimis Authoribus exſcribo.

I.

An fides poſſit demonſtrari? An debeat?

PRimo loco recenſendus eſt D. Petrus à S. Joſeph Fulienſis in ſummulâ Caſuum Conſcientię in Decalogum, cap. 1. de primo præcept. art. 1. pag. 3. ubi ait. *Tenentur infideles actu credere cum Fidei articuli ſunt illis ſufficienter propoſiti & explicati:* & huc uſque nihil ſingulare proponit, ſic enim univerſi loquuntur. Sed addit. *Quod ita intellige, ut infidelis de veritate ſuæ Religionis minimè dubitans, non teneatur audire Concionatorem Catholicum cupientem eum inſtruere de rebus Fidei.* (Nota id bene) *&, ſi eum admittit, non teneatur illius doctrinæ aſſentiri, niſi eam eſſe creditu dignam evidenter probet rationibus, miraculis, aliisve ſignis.* (Nota etiam & hoc valde bene.) *Et cùm hoc probatum novit* (nota hoc *novit*; quid enim prodeſt ruſtico veritatem à te evidenter probari, ſi ipſe probationem, & illam evidentiam non intelligit?) *adeò ut nulla ſuperſit ratio, quâ oppoſitum errorem cui hactenus inhæſit, creditu dignum arbitretur, teneatur ſtatim aſſentiri.* (Nota etiam hoc: & infer, non teneri, ſi adhuc aliqua ratio fortis ſuperſit quæ ſtet ab hæreſi) &c. Approbarunt hunc librum & iſtam conſequenter ſen-

Notentur obſecro ſingula verba:

ten-

Digitized by Google

tentiam F. C. de la Haye Benedictinus: I. Hobier. C. Bourlon; Academiæ Pariſienſis Doctores Theologi. Nec multū hi Theologi differunt à Maldero Epiſcopo Antuerpienſi, ex quo Libertus Fromundus S.Th.Doct.& Regius Profeſſor Lovanii & Pater Leonardi Ordinis S. Dominici, S.Theol.Doctor & ſui Collegii Regens, & Ego etiā poſuimus iſtam Theſim, *Vt aliquis teneatur credere, oportet talem ei fieri Fidei propoſitionem, quā evidenter videat res Fidei eſſe credibiles, & credendas.* Si hoc dicas falſum: volo videre unam inſolubilem & inſuperabilē demonſtrationem, quâ id falſum judices. Si dicas verum: volo mihi oſtendi vel unum hominem, qui hæreticus formalis certò ſit. Et hoc volo diligenter trutinari & perpendi.

Aliud eſt credibile, aliud credendum: quod ipſū bene nota.

II.

MXXXV. *Cornelij Janſenij Auguſtinus. Gratia ſufficiens.*

PRodiit Cornelii Janſenii Auguſtinus, & in ipſo plura contra Dominicanos, & pauciora contra Jeſuitas (gratia enim illa ſufficiens, quę eſt medicina aut dicitur, & tamen nulli proderit, ſed omnes interimet, quam Janſenius irridet, non Moliniſtarum, ſed Thomiſtarū gratia eſt) ſed quia in eodē plurima contra Auguſtinum Fidemque, deſcenderunt in arenam Jeſuitæ, & omnes Janſenianos provocarunt. Non fuit Janſenius, qui ſcholaſticè auderet, & ideò eius diſcipuli Rhetoricari docti, & argumentari non docti, vociferationibus urbem oppleverunt, at comparere non ſunt auſi. Debuimus igitur alii, eorum locum ſupplere, & arguere ut altiùs cognoſceremus veritatem. Argumentari juſſus primo loco, inſtiti non poſſe cōponi duo aſſerta, I. *Theſes eſſe hæreticas.* II. *Janſeniumq́ fuiſſe Catholicum.* Præſidebat P. Joannes de Jonghe, vir doctiſſimus, & ad ignorantiam inſuperabilem recurrens, Janſenium materialiter erraſſe pronunciavit. Tunc ego ponderavi reſponſionem eiuſmodi; & modò eamdem reſumo. Sic inquam. [Cornelius Janſenius fuit Theologiæ Profeſſor primarius Lovanij, & tamen inſuperabiliter ignoravit eſſe hæreticas multas propoſitiones, quæ in propriis terminis à Tridentino condemnantur. Ergo Nullus ruſticus, nulla fœmina, nullus Aulicus, nullus Mechanicus, nullus Juriſta, nullus Medicus eſt formalis hæreticus; quia nemo ex iſtis eſt in Theologicis tam doctus quàm Janſenius fuit, aut eſſe debuit. Ergo pauculi aut nulli prædicantes, ſunt formales hæretici; quia nulli, aut pauculi tā docti in Theologicis ſunt, quàm Janſenius.] Admiſit Præſes multos eſſe in Europâ materiales Hæreticos, quod omnes docti dicūt, & clarè experientia demonſtrat; ſed argumentum plus videtur evincere, nimirum nullos aut rariſſimos eſſe, qui ita hęretici ſint ut poſſint formales vocari.

Nota hoc.

An dentur hæretici formales in mundo. Nota illud eſſe debuit.

III.

MXXXVI. *An ſint aliqui hæretici formales in Bavaria?*

EXaminabantur in Bavaria Religioſi Ciſtercienſes nonnulli, & rogati. An ſine novâ facultate poſſent abſolvere ab hæreſi, aſſertivè reſpondent; contradicentibus duobus Theologis ait Suffraganeus, (erat ipſe me judice, Vir bene doctus.) *Quid refert aſſerant, aut negent, ſiquidem in Bavaria non habemus hæreticos formales?* Et tamen multi hæretici occulti ſunt, multi aliunde illuc confluunt, & à Religioſis juvantur.

IV.

Corollariū notabile.

SI non dantur hæretici formales, aut ſunt pauciſſimi qui dantur, fruſtrâ tanto molimine agitur de licētiâ abſolvendi ab hereſi; quoniam materialis hęreſis non eſt peccatum; vel dicito quid reſponſurus Petro ſis, ſi te accedat & dicat; *Pater natus ſum ex gente Lutherana, & in Lutheri religione permanſi quamdiu illam veram credidi; eamq́ ubi primum eſſe falſam perſpexi, reliqui?* Anne judicabis te habere

Digitized by Google

habere ſufficiẽtem materiam, ut poſſit, aut debeat abſolvi? Ne Puta. Quam diu n. inſuperabiliter putavit Lutheri Religionem eſſe veram, eam non potuit licitè deſerere. Dices, conſiderari debere illud, *quam primũ*. Aſſentior. Puto tamen, mutationẽ Fidei eſſe rem maioris momenti, quàm mutationẽ ſtatus, Regionis, Dignitatis, & tamen in eiuſmodi mutationibus inſtantaneę reſolutiones non laudantur. Ergo illud *quam primum*, debet ſumi moraliter, non pro inſtanti aliquo reali, ſed pro morali, hoc eſt, aliquo tempore ſufficiente ad firmandum dictamen neceſſario. Rem conſidera.

V.

MXXXVII. *An omnes Hæreticorum Iudices ſint Chriſtiani formales? An omnes Hæretici capaces & docibiles?*

SCio interdũ aliquos Qualificatores, quos vocant, eſſe materialiter Chriſtianos; credunt, quia id à Parentibus juſſi, nec cur credant examinant; nec ſi velint ſufficiunt ut inſtituant Examen. Puto repugnare ut hi poſſint hæretico myſteria noſtræ Fidei ſufficienter proponere: puto aliquos hæreticos eſſe ita ſtupidos, ut inſtrui bene nequeant, nimirùm inſtructione evidenti & demonſtratâ, quam authores ſuperiùs allegati requirunt. Rogo an in hiſce caſibus dicendus ſit pertinax, qui nolit exeſſe à Luthero? an poſſit ab Inquiſitione puniri? Dicent enim Malderus, Libertus Fromundus, Pater Leonardi, Petrus à S. Joſeph, & alij hunc non debere abjurare hæreſim, imò nec poſſe, ſed meliùs inſtitui debere; aut, ſi ita ſit incapax, ut nequeat inſtitui dimitti.

MXXXVIII. *Fidelium & infidelium mores. Oriundi à Mauris in Hiſpaniâ vocabantur Mauriſci.*

Urget etiam hîc ſcandaloſa multorum Catholicorum vita; nam in materiâ morum teſte D. Antonio de Guevarâ Mauriſci Chriſtianos in Hiſpaniâ excedebant; (& nunc Catholicos Lutherani in multis Provincijs Germaniæ.) Dicebat quidam Junior, *Verba movere ſolent dari penetralia cordis: Aſt exempla trahunt, abripiuntque magis*; & quidem prudentiſſimè; nam fruſtra ſe fatigat Concionator, cuius vita non reſpondet doctrinæ.

An Indi idololatræ ſint pertinaces?

Conquerebantur Hiſpani Indos eſſe contumaces & perfidos, nec velle Evangelio millies prædicato aſſentiri; & Hieronymus Benzo Mediolanenſis, operâ & induſtriâ Urbani Calvetonis latinè agens, eos his verbis perſtringit. [Quando in eum ſermonẽ incidi, inquit Benzo, age libens ab Hiſpanis ipſis quæſiverim, ſi apud eos nulla unquam antehac notitia, ac ne nomen quidem ſacri Evangelij auditum, atque hoc tempore gens aliqua in Hiſpaniam ad promulgandam Chriſtianam doctrinam commearet, quo modo ipſi in Indiam iverunt, atque & ea ipſis fortunas, uxores, & liberos eriperet, atq; in ipſorum corpora tormẽtis cædibusq; ſæviret, ac pro mancipiis venderet, multaſque alias injurias indignas in eos ederet. Quæro, quid ipſi eſſent facturi? Ego quidem nõ dubito, quin & ipſi, non tantùm capitali & perpetuo odio eam gentẽ proſequerentur, & in eam probra omnia & fœda jacerent: &c.] Hæc ille, *Hiſtor. Novi Orbis libr. 3. cap. 21. pag.* 408. Nolo examinare, Utrùm ſint vera, quæ Benzo contra Hiſpanos aſſerit: ſed ex hypotheſi loquor, & inquiro, An nos ſi eſſemus barbari, crudelibus & ſceleratis Concionatoribus credere teneremur? Et ad Germaniam veniens inquiro, An ſi ego eſſem ruſticus Lutheranus, & meus Parrochus concubinarius, adulter, ebrioſus, blaſphemus, &c. (utinam nemo ſit talis) illi deberem credere in materiâ mutandæ Religionis, quæ eſt ſummi momenti materia?

VI.

MXXXIX. *An Trini-*

INter alios pios & doctos authores, Sanchez *in ſumm. tom. 1. libr. 2. cap. 2.*

concl.

Digitized by Google

ras expli-citè credē-da ſit? concl. 6. tenet SS. Trinitatis Fidem in adultis explicatam eſſe debere. Et Diana *part. 5. tract. 13. reſol.* 84. caſum iſtum proponit. [Quidam ruſticus per longũ tempus ignorârat Trinitatis myſterium & interim Sacramentũ pœnitentiæ frequentabat, & modò ſuam ignorantiam advertens, interrogat, an confeſſiones præcedentes bonâ fide factas iterare teneatur?] Et ego Dianam rogo, An ſit poſſibile quod ruſticus expreſsè credat Trinitatis myſterium? Illud eſt, *Deũ eſſe unum in ſubſtantiâ & trinum in perſonis.* Ergo ſingulas intelligere debet dictiones, qui expreſsè credit; cùm igitur nullus ſit ruſticus, qui ſciat, quid ſignificent iſtæ voces, *Subſtantia* & *Perſonalitas*; nullus erit qui expreſsè credat hoc myſterium. Et cur ego ruſticos ſolos incriminor? multi enim & nimis multi ſunt, qui volunt haberi ſapientes, & hæc ignorant. Primò enim nulla erit fœmina, quæ vocum harum ſignificationem intelligat. Secundò ſi agamus de Viris, nemo illas intelliget, qui non fuerit Philoſophus: Cives igitur & Aulici, Principes, Reges; item Politici & Juriſperiti credent hoc myſterium confusè, non expreſsè.

Etiam à ruſticis?

Quo modo vulgò credatur Trinitatis myſteriũ? Puto igitur præter Theologos & Philoſophos Chriſtianos, reliquos formare primò hoc judicium: *Credimus quidquid credendum proponit & jubet Eccleſia.* Et quia hic credendi actus nimis eſt generalis & confuſus, exiſtimo adhuc eoſdem ſecundò formare hoc judicium: *Credimus Deum eſſe Trinum & unum*, hoc eſt, *Credimus in Deo dari Vnitatem quæ non deſtruat Trinitatem; & Trinitatem, quæ non deſtruat Vnitatem.* Addo illos huc uſque capaces eſſe qui ſciant quid credant. At exiſtimo eoſdem formare tertiò hoc judicium. [*Nobis exponitur ab Eccleſia qualiter Deus ſit Trinus, quod non capimus. Audimus hanc Propoſitionem*, Deus eſt unus in ſubſtantiâ, & trinus in perſonis, *eſſe definitam; illam non intelligimus, ſed credimus veram eſſe eo ſenſu, quo fuit revelata à Deo & Eccleſiæ propoſita: non ſecus ac credimus verba Latini Evangelij, quod cantatur in Miſſa eſſe vera; eadem enim à Deo dictata ſcimus, tametſi quid ſignificent neſciamus, qui linguam Latinam neſcimus.*]

Peto igitur primò An hoc ſit expreſsè credere? Secundò, An hæc fides ſufficiat ad ſalutem? Tertiò, An qui dicat expreſſiorem requiri, nō teneatur conſequenter dicere, impoſſibilia peti ab homine, & præter Theologos & Philoſophos vix paucos alios ſalvari?

VII.

MOriebatur Viennæ Vir dives & probus, qui tamen fuerat in religione Lutheri nutritus & educatus multis annis. Adſunt Lutherani & Catholici, & dum utrique illum ad ſe attrahere ſatagunt ille inclamat. [*Deus, in re tanti momenti non me poſſum reſolvere, morior in verâ religione; utra talis ſit, neſcio; tu ſcis.*] & ſic devixit. Peto, an hic fuerit mortuus in hæreſi? An poſſit invincibili ignorantiâ ſalvari?

MXL. *Caſus primus.*

VIII.

IBidem deſertus à Medicis quidã Mercator jubet ſibi vocari aliquem Miniſtrum Lutheranum; & famuli accerſunt Catholicũ. Hic, ut venit, laudat aliquas dotes Lutheri (nam in ipſomet Dæmone ſunt aliqua bona naturalia) conciliat ſibi ægrotum; inſtruit in religione catholicâ; audit eiuſdem confeſſionem, dat ipſi communionem, & uſq; ad ultimum anhelitum ad actus contritionis hortatur. Ergo iſte Mercator omnia

Caſus ſecundus.

 credi-

Digitized by Google

credidit, quę nos credimus; omnia fecit, quæ nos ſolemus facere; & in hoc ſolùmodo erravit, ꝙ crediderit ſic docuiſſe Lutherum, ſi n. ſciviſſet taliter Lutheranos devivere, non feciſſet. Interrogo an obierit in hæreſi? & An poſſimus piè de eius ſalute & beatitudine ſperare?

IX.

Caſus tertius. Latomus quidam cecidit, & cùm vix oculos aperire poſſet, aliquem prædicantem poſtulavit. Supervenit pientiſſimus ſenex N. & ut novit eum Lutheranũ & Wirtenbergenſem eſſe, curat ſtatim vocari Patrem N. qui erat eiuſdẽ patriæ. Hic conſolatur moribundũ, & ait, Si eſſet hîc ad manũ Lutheranus aliquis poſſet vocari: at ille non eſt, & debes tamen cõfiteri, ſumus amici, & ego te potero meliùs abſolvere quàm quicunque prædicans: ſic confeſſionem extorſit, & abſolvit. Latomusq; obiit antequã euchariſtiã reciperet. Et qui pręſentes fuerunt dubitarunt, An bona fuerit illa confeſſio?

X.

MXLI. *Caſus quartus.* Erat in extremis quidam Hæreticus, homo bene moratus, & qui videretur materialiter tantùm errare. Eum viſitat Pater N. & ait. [Fuimus amici, ſumusq; & volo quod ſincerè reſpondeas. Nonne in Religione Lutheranâ permanes, quia illam veram exiſtimas? Nonne illam ſtatim relinqueres, ſi falſam putares? nonne doles te Deum offendiſſe? nonne fateris Deo te peccaſſe; & homini vis confiteri qui te poſſit abſolvere? Nonne mihi cõfitereris ſi ſcires te poſſe vel debere hoc facere? Adnuit ad ſingula æger, & Pater ait, *Si eſt ſufficiens iſta cõfeſſio ego te abſolvo, &c.*] & poſteà quæritur, An fuerit hæc vera confeſſio? & ſi vera, an integra? An Sacerdos prudenter conceſſerit abſolutionem? an neceſſariò poſuerit conditionem? an verò abſolutè abſolvere ægrotum potuerit?

XI.

Cum per pontem & Danubiũ tranſiret Eximius Dominus N. Viennẽſis Doctor, vidit magnum hominũ concurſum, & accedens ſenẽ Judæum ſemimortuum. *Caſus quintus.* Lapſus fuerat currus ſupra illum, & comminuerat cerebrum. Erãt, qui dicerent, ſe audiviſſe à miſerculo, *Domine Ieſu Chriſte fave mihi. Virgo Maria ora pro me.* Quid hic Theologus deberet facere? Quid ſcio? dicã quid fecerit. Juſſit effundi aquam in faciẽ, ſi fortè rediret ad ſe. Afferunt illã ſtatim è fluvio alii Judæi, affundit eam Doctor, & formam baptiſmi appoſitã conditione pronunciat; & ſtatim formã abſolutionis etiam ſub cõditione. Vix hæc facta & ecce judæus moritur; & Hebræi illum ad ſuum cœmeteriũ tranſportant. Narravit Reverendiſſimo D. Abbati Euſerthallenſi & mihi, hæc omnia idem Doctor; & rogatus, cur illum baptizaverit? illa ultima Judæi verba ait, fuiſſe moralem quandã petitionem baptiſmi. Et rogatus, cur & illum abſolverit? addidit, ſe ſuſpicari illũ fuiſſe Chriſtianum ad Judæos relapſum, & abſolutione indigere. Et tandem cur eum permiſerit à Judæis ſepeliri? omnia facta eſſe dubia & incerta, & in foro externo, quidquid de interno ſit, debere tractari ut Judæum, quem converſum fuiſſe probabiliter ſuaderi nõ poteſt. Et quidem multa reperio in iſto caſu, quæ debent cõſiderari à Doctis, ne ſtatim unius Viri magni cõdemnemus actiones.

XII.

Quæritur *An poſſit licitè quis Deum negare; aut habitum Furiarum aſſumere?*

Ad primum reſpondent negativè univerſi: ad ſecundum diſtinguunt: nam vel habitus eſt nationis vel religionis, & dicunt, me poſſe uti habitu nationis Turcicæ, non verò Religionis Turcicæ. MXLII. *Proponitur quæſtio digniſſima.*

Digitized by Google

cicæ. Sed quid ſi reperiretur caſus, in quo liceret & habitum religionis infidelis aſſumere, & Chriſtum negare? Hunc igitur ego propono.

Caſus notandus.

Agitur comœdia de S. Catharinâ, & introducitur Sacerdos ethnicus illã accuſans, & Chriſtianam religionem condemnans. An non Petrus, ſi non jam ſuã perſonam, ſed ſacerdotis huius agat; indui veſte quâ Ethnici Sacerdotes; & negare Chriſto poterit divinitatem; & omnia alia dicere, quæ diceret Sacerdos, ſi eſſet præſens; & quæ ipſe Petrus ſi proprio loqueretur nomine, ſine blaſphemiâ & hæreſi loqui non poſſet? Hæc omnia certa ſunt, nec in dubium vocari poſſunt. Illa ſupponi jubeo, & alterum caſum propono.

Caſus alter cum priore cõponendus.

Commiſit Viennæ homicidiũ Franciſcus: ut evadat aſſumit Veſtẽ Sacerdotalem Turcicam, & Satellites fallit. Rogatur quiſnã ſit? & reſpondet ſe eſſe Zelimũ Muphtham Aulæ-regalis, & ob negotia ſui Baſirij hærere Viennæ apud Conſtantinopolitanũ Legatum. Inſtant eum Chriſtianum eſſe; negat. Se nondũ eſſe delirum, ut velit eſſe Chriſtianus, & alias ſimiles blaſphemias profert more Turcico, & tandẽ ſic elabitur, & ubi ſecurum ſe putat, veſte illâ ſacerdotali depoſitâ Petrum agit. Ad Confeſſarium venit, & an peccaverit interrogat, & vult veritatem doceri.

Aliud eſt loqui nomine proprio, aliud alieno.

Quid illi Confeſſarius? Rẽ eſſe diverſam omninò agere comœdiam, & ſeriò agere: ea quæ proprio nomine ſine mẽdacio aut etiã blaſphemiâ dici nequeũt, alieno poſſe. Eum, ſi ſe ageret, hoc eſt, nomine proprio procederet, nec potuiſſe illas veſtes induere, nec illas blaſphemias evomere. At non peccaviſſe mortaliter dicendo ſe eſſe Zelimũ Turcicum Sacerdotem & in re valde periculoſa remediũ à Comœdia captando: mẽdacium n. illud videbitur eſſe veniale, aut forte nullum & ex hypotheſi, ꝙ Zelimũ egerit, debuiſſe veſtes & verba Zelimo cõvenientia proferre perſonã propriam à moraliter ſumptâ diſcernendo.

Qui agit alienam perſonã in comœdia non mentitur.

Huc ſi bene ponderetur, ſpectare poterit Athanaſij Epiſcopi Alexandrini hiſtoria: quam in aliis libris uberiùs, & in Breviario Monaſtico ad diẽ 2. Maij cõtractam habemus ad hæc verba. [Coacto ad Tyrum Concilio magna ex parte Arianorum Epiſcoporum, ſubornarũt mulierculam, quæ accuſaret Athanaſiũ, quòd hoſpitio acceptus ſibi ſtuprũ per vim intuliſſet. Introductus eſt igitur Athanaſius, & unà cùm eo Tymotheus Preſbyter, qui ſimulans ſe eſſe Athanaſium; Egone, inquit, mulier, apud te ſum diverſatus? Ego te violavi? Cui illa petulanter. Tu mihi vim attuliſti: idq; jurejurando affirmans, Judicum fidem obteſtabatur, ut tantum flagitium vindicarent. Quâ cognitâ fraude, reiecta eſt mulieris impudentia.] Ecce Tymotheus Athanaſij agendam perſonã aſſumpſit; & hoc ſemel poſito cętera ſequebantur. Debebat n. ille perſonæ aſſumptæ reſpondere, & agere verbis Athanaſij. Anne in dato Tymotheus caſu eſſet mẽdacij reus, ſi aliqua diceret, quæ de ſolo Athanaſio verificarẽtur? Non puto. Ergo licet aliquãdo aſſumere perſonam alterius; quã ſemel ſumptâ poteris aut debebis loqui, prout loqueretur ille, cuius aſſumpſiſti perſonam. Debebis ergo loqui Regiè ſi aſſumpſeris perſonã Regis; hiſpanè, ſi Hiſpani; Arabicè ſi Mauri; ethnicè ſi Gentilis. *Sunt omnia valde conſideranda: omnia conſidera, & tuam mentem expone.*

MXLIII. *Athanaſius accuſatur iniuſtè.* *à Tymotheo ſummo ingenio & felicitate defenditur.*

XIII.

MXLIV. *An Fides & infidelitas opponantur ex natura rei?*

PAter Didacus Quiroga Capucinus, Mariæ Imperatricis Cõfeſſarius, Vir ſanè maxim⁹, in hâc erat ſentẽtia ut crederet Infidelitatẽ Fidei phyſicè opponi, vel ut alii loquuntur ex naturâ rei, ſicut

frigus

Digitized by Google

frigus & calor: adeoq; per hæreſim purè materialem Fidem inculpabiliter expelli: in quâ quidem ſententia tam erat conſtans, ut diceret ſe illam fore habiturum quouſq; Eccleſia definiret contrarium. An non deberet eodem modo de ſpe & charitate philoſophari? An nō addere Gratiam debere à charitate diſtingui, & hanc unicam peccato opponi; & poſſe ſine Fide aut etiam alijs Naturalibus prærogativis (ſpe & charitate) permanere?

An etiam ſpes & Deſperatio? An Charitas & Peccatumq;?

Et quidem mihi hæc Magni Viri opinio viſa fuit ſingularis; at non habui nec habeo, quod poſſim evidenter opponere & audirem libenter aliorum etiam Theologorum judicia.

XIV.

MXLV. *Patris magni dilemma.*

QVia Baſanomenus Lutheranorum filius eſt in Lutheranâ urbe natus, inter Lutheranos nutritus, Magiſtros habuit & Prædicantes Lutheranos, ſic ubi primum P. Valerianum Magnū Capucinorū decus, & alios audivit inculcantes; *Vel eſſe redeundum ad Romanam Eccleſiam, vel recedendū à Chriſto*, fervidè inſurrexit & dixit: *Chriſtianiſmus probabiliſſima Religio eſt, & ſub ipſo dantur ſectæ antiquiores, Iuniores, ſeveriores, benigniores, Vniverſaliores, minus univerſales, (& præcipuè Romana, Lutherana, Calviniana,) quæ ſunt verè probabiles: ergo mihi Lutherano non eſt neceſſariò redeundum ad Romanam Eccleſiā, aut ſecedendum à Chriſto, nam præter Romanam Religionem, cui probabilitatē non nego, etiā Lutherana eſt Chriſtiana, & probabilis, & multò Romanâ benignior.* Vim rationis jam penetras. Jā vides quò reſpiciat Hæreticus. *Tenet primò* eſſe probabile, quòd Deus mentiri nequeat; *ſecundò* eſſe probabile, quod revelarit ſacrā paginā & ſi velit ut ſic loquar, dictaverit; *tertiò* eſſe probabile, quod eandē Romana Eccleſia benè exponat; *& tamen addit*, ijs nō obſtantibus harū Antitheſes eſſe probabiles. Re-

An doctrina Lutherana, aut etiam Calviniana ſit probabilis?

Proponitur peſſima illa hæreſis, ad quā plerīq; hodie Heterodoxi cōfugiunt.

ſolutionē hanc ſic ille confirmat & dilucidat. [*Doctrina Ariſtotelis*, inq t, *prout hodie traditur* in Academiis Italicis, Hiſpanicis, Gallicis ꝓbabiliſſima eſt, nec cōtra hāc ipſam ꝓbabilitatē, militat mundi æternitas, & animæ rationalis mortalitas, nā iſti & ſimiles errores ſunt expuncti, nec jā traduntur à Chriſtianis Philoſophis. Hæc ipſa doctrina & ſchola Ariſtotelis in tres ſectas dividitur (Thomiſticā, Scotiſticā, & Nominalem) omnes ꝓbabiles, omnes celebres, omnes plauſibiles; Dicāt Dominicani, [*Noſtra ſchola Ariſtotelica eſt, & antiquior, Nominali & Scotiſtica: ergo redeundū ad ipſam vel ſecedēdum eſt ab Ariſtotele,*] q d inde? nā à Franciſcanis rɔdebūtur, q æquo jure reponēt [*Vel admittendam eſſe Scoti ſcholā, vel relinquendū Peripatū;*] tunc n. argumentatio urgeret, cū vel una ſub Chriſto religio, vel una ſub Ariſtotele ſchola demōſtrationes, produceret; nam ſi una ſecta demonſtraretur eſſe vera, reliquæ demonſtrarentur eſſe falſæ: at in noſtro caſu ait Baſanomenus, ōes has Religiones (Romanā Lutheranā, Calvinianā) eſſe Chriſtianas & ꝓbabiles judico, & omnes has ſcholas (Thomiſticā, Scotiſticā & Nominalē) eſſe Ariſtotelicas & probabiles cenſeo, & hanc ob rē ratiocinio illo disjunctivo, *Vel redeundum eſt ad Romanam Eccleſiam vel ſecedendum eſt à Chriſto*, convinci aut urgeri non poſſum. Nec antiquitatem ipſe & Concilia Generalia, morabitur; hæc enim, ut ait, probabilia argumenta & non evidentia miniſtrant, quoniam ſchola Ariſtotelis, Chriſti religione multò antiquior, & Academiæ Peripateticæ, multò numeroſiores magiſtros habent, q̄ Generalia Concilia, & ſi licet P. Magno doctrinā Peripateticorū de errore, & tyrannide arguere, cur non licebit Baſanomeno, eſſe & cautiori? cur non dicere Romanā quidē Eccleſiā eſſe ꝓbabiliſſimam, adeoq; in foro interno eſſe

Conciliorum autoritas.

Digitized by Google

Minus probabilis ſententia ſæpe ſecurior eſt.

eſſe ſecuriſſimam, & tamen hoc ipſo non obſtante, Lutheranam quam ipſe profitetur, eſſe etiam probabilem, atque æq; Chriſtianam,& ſecuram,imò ſecuriorem omninò, quoniam minus probabilis ſententia, ſi benignior, etiam ſecurior eſt: cur non licebit addere , ſe eſſe in quietâ conſcientiâ apud Lutherum, adeoque nec teneri redire ad Eccleſiam Romanam, nec à Chriſti Religione ſecedere?

Sic diſcurrit etiamnum Baſanomenus: & deberet à Te, Lector erudite, compeſci. P. Valerianum Magnum audivit,& alios audire deſiderat.

****

FVNDAMENTVM XLVII.

De Spe Supernaturali, quæ primâ Decalogi lineâ præcipitur.

MXLVI. *Quæ ſunt contra ſpẽ naturalẽ, ſunt ſæpe ſecundum ſupernaturalem ſpẽ.*

Spei neceſſitas.

SVnt Metus & ſpes Fidei quædã dotes pediſequæ; *credere enim oportet accedentem ad Deum, quod ſit, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Et quidem ab Apoſtolo Abraham meritò in exemplũ proponitur, *qui contra ſpem in ſpe credidit:* quoniam contra ſpem naturalem debemus ſperare divinitùs. Simus igitur inter Spem & Metum,& quoties Menti occurrant vires propriæ, metuamus; & quoties ſanguis Chriſti, ſperemus: omnia enim noſtra opera niſi ſanguine intingantur, & gratiæ conſortio eleventur, nihil ſunt.

MXLVII. *De noſtro & Chriſti patientis concurſu.*

ANno Domini M.DC.XLVII. Audivimus hanc Theſin defendi: *Tutiùs in Chriſti meritis, quàm in noſtris operibus ſpei anchoram figi.* Notavimus illud *tutiùs* & impugnavimus; non enim in noſtris operibus minus tutè, quia nullo modo tutè. Præterea in Chriſti ſolis meritis excluſis operibus noſtris nulla eſt ſecuritas, in operibus noſtris excluſis Chriſti meritis nulla: ergo hoc ſenſu neutrubi tutiùs, quia neutrubi tutè. Quod ſi merita Chriſti cooperationem noſtram involuant, & noſtra opera merita Chriſti, fruſtra fit comparatio, quia non duo dantur extrema, ſed unicum,& ſi duo eſſe dicantur, in alterutro figam anchoram Fidei æque tutè.

An comparativum ſupponat in utroque extremo poſitivum?

I.

MXLVIII. *Vtrùm terminus magnitudinis ſpei ſupernaturalis ſit ultra terminum ſpei naturalis?*

COnſultus ſum à Viro docto & pio de ſpei termino maximo; voluit enim doceri, quouſque poſſit ſpes ſupernaturalis excreſcere , quin in præſumptionem & temeritatem evadat. Poſuit hunc caſum. [Eſt Petrus ex hoc littore fluvij, & apud alterum reſpicit moribundum infantem, quem ſcit baptizatum non eſſe: ſe eſſe in gratiâ ſupponit, & tametſi nare neſciat, ſe com-

mittit torrenti, ſperans, quod minus poteſt humana fragilitas divinitus addendum eſſe. Non vult Deus illum miraculosè ad alterum littus traducere;& ſic Petrus ſubmergitur.] Et inquiritur, an fuerit temerarius? An peccaverit,ſe aquę credendo? & ſi peccavit, An ſpes in Deo, quam habere ſolemus & debemus, non ſe extendat ultra terminos naturalis prudentiæ? quod eſt, quærere, An non ſe poſſit maiori exponere periculo,qui inDeo ſperat,quā atheus?

II.

Mil. An liceat Principi in conflictu in ſpe ſupernaturali contra ſpē naturalem procedere?

HInc poſſumus oculos ad bellum convertere, innumeras victorias ad memoriam reducere, quas miraculosè à Deo conceſſas in ſacris & profanis hiſtoriis reperimus. Quid, ſi eiuſmodi exemplis animatus Rex Galliæ Calvinianos,&Cæſar Lutheranos multò ſuperiores invaderet,& ſuis exercitibus diceret, *Gens abſque conſilio & ſine prudentiâ,utinam ſaperent & intelligerent & noviſſima providerēt:Quomodo perſequeretur unus mille & duo fugarent decem millia? Nonne ideò, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos? Non enim eſt Deus noſter ut Dy eorum, & inimici noſtri ſunt Iudices?* quid ſi cauſæ iuſtitiæ confidentes, paucos Catholicos in numeroſas Hæreticorū acies dirigerent? Actio-ne eiuſmodi deberet laudari à cōfidentiâ; an potius à temeritate condemnari? an in eiuſmodi caſibus non aliter audendum eſt, quàm ſi divina revelatio præcedat? an non ſufficiet aliquando confidentia & ſpes?

III.

An detur ſpes? & an diſtinguatur à Fide?

HÆc de ſpe ſupernaturali à nobis dicta;ſed interrogas, An certum ſit dari ſpem ſupernaturalem? An hic habitus poſſit tutâ fide ab aliquo Viro docto negari?

Ut reſpondeam dabo Facultatis Theologicæ in Viennenſi Univerſitate ſententiam; eius enim authoritate & conſenſu anno 1649. menſe Auguſto, D. Gulielmus Glocker, Sacri Ordinis Ciſterctienſis, in Campo-liliorum Supprior, Præſide P. Georgio Turkovich S. Theologiæ Doctore & Profeſſore Ordinario, pro supremâ laureâ conſequendâ propoſuit doctiſſimas Theſes, inter quas fuit viceſima-ſexta. *Dari habitum Spei probabilius eſt eſſe de fide. Eſt unus ſpecie in omnibus, infuſus non ad perfectius aut intenſiùs, ſed ad ſperandum ſimpliciter. Eſt vera virtus Theologica, ordine generationis poſterior Fide, prior Charitate: ſine quâ, etſi informis, manet tamen; nec alio quam deſperationis & infidelitatis peccato corrumpitur.* Sanè, ſi probabiliùs eſt de fide, probabiliter eſt non de fide. Ergo qui negaret dari in hominibus ſpei ſupernaturalis habitum, non eſſet hæreticus. Ergo nec temerarius, non enim talis dici poteſt, qui ſequitur opinionem probabilem.

Communis ſententia docet dari habitum ſpei; à quâ ſuaviùs diſcederet, qui ſupponens cum Scholâ Scotiſticâ dari habitum Gratiæ; & dari etiam habitum Charitatis; non tamen diſtinctos, ſed realiter identificatos, ſubiungeret dari etiam in nobis habitum Fidei, & habitum Spei; non tamen diſtinctos, ſed realiter identificatos: cui ſententiæ favet Viennenſium Theſis, quam propoſui. nam ſi tam deſperationis, quàm infidelitatis peccato ſpes perditur, nunquam illa à Fide ſeparatur; ergo ſi infidelitati realiter opponitur: quidquid formaliter eſſe dicatur, realiter loquendo ſpes eſt Fides. Accedit, quod omnia Scotiſtarum argumenta,

Digitized by Google

menta, quæ probant Gratiam & Charitatem non diſtingui; omnia æquè aut etiam fortiùs probent ſpem à Fide non diſtingui: ergo utrobique debemus pariformiter philoſophari.

Hæc calamo volanti Tibi (Lector ingenioſe) propono: tu ſingula meditare & conſidera.

FVNDAMENTVM XLVIII.

De Charitate ſupernaturali, quæ prima Decalogi Lege præcipitur?

ML. *Præceptum Charitatis.*

CHaritas virtutum Regina, formaque, à Deo præcipitur: Sed ad quid tenemur hoc præcepto? Ad amandũ Deum ſuper omnia, hoc eſt, ſupernaturaliter. Et quãdo obſtringimur iſto præcepto? Anne in primo illo inſtanti, quo cõceditur rationis uſus? Non puto: Ut enim tenearis miſſam cras, hoc eſt, die Conceptionis, audire, tria debes omninò præcognoſcere: primum, dari præceptum de audiendâ miſſâ diebus feſtis; ſecundũ, diem Conceptioni ſacrum feſtum eſſe; & tertium, diem eſſe craſtinum conceptioni dicatum: è quibus, ſi vel unum invincibiliter neſcias, non teneberis audire miſſam: Ergo puer, ut primo illo inſtanti, quo uti ratione incipit, teneatur Deum amare ſupernaturaliter, tenebitur primò, ſcire dari tale præceptum; ſecundò, illud obligare primo inſtanti, quo aliquis incipit uti ratione; tertiò hoc inſtans A eſſe illud primum inſtans; quæ omnia pueris ignota ſunt.

Non obligat primo inſtanti rationis.

Tria requiruntur, ut aliquis teneatur præcepto.

MLI. *Charitatis præceptum eſt de re poſſibili.*

HInc patet hoc præceptum nõ eſſe de re omninò impoſſibili: amat n. Deum ſuper omnia, qui ſupernaturaliter; eumque amat ſupernaturaliter, qui ex charitate, aut auxilio divino. Charitatem habent, quicunque in gratiæ ſtatu ſunt; auxilium, ſeu diſpoſitionẽ actus charitatis elicitivâ, quotcunq; legitime orant & poſtulant; auxilium enim quod ad orandum eſt, conceditur omnibus, ubique & ſemper.

Auxilium adpetendum.

An gratia & peccatum ſint ſimul.

Gratiam peccatumq; in unico reali inſtãti coexiſtere docuit Petrus Lorca: cius opinio annis ſingulis iterum iterũ que defenditur à Ciſtercienſibus, & ab aliis interdum, Salmanticæ & Compluti, in Actibus Academicis, ſic n. Hiſpani ſolennes diſputationes vocant. Lovanij olim Michael Bayus eodem tempore coexiſtere Gratiam & peccatum aſſeruit, & quia opinio Lorcæ viſa ſimilis, aliquibus Theologis ibi diſplicuit, qui eam alibi defendi ignorabant. Reſcire vellem, quid de eâdem iudicent, Galli, Germani, & Itali, ex illâ enim multa in Philoſophiâ & plura in Theologiâ poſſunt diduci.

Actus Academicus, quid?

Digitized by Google

FVNDAMENTVM IL.

De Gratiæ & Charitatis, Fidei & Spei, Diſpoſitionis & habitus, gratiæ auxiliantis & iuſtificantis differentia.

MLII. *Diſcrimen Gratiæ & Charitatis.*

GRatia & Charitas differunt ut virtus paſſiva & activa; à Gratiâ enim habemus, quod à Deo amari, & à Charitate quod Deum amare ſuper omnia poſſimus. An hæ duæ virtutes realiter diſtinguantur incertum eſt: nam alterutrum probabiliter ſolet defendi. Anne de Spe & Fide eodem modo philoſophandum eſt? Poteſtne probabiliter dici illas non diſtingui realiter? Libenter hic vellem inſtitui. Anne eadem numero Gratia, ſeu Charitas, quæ data ut diſpoſitio eſt auxilium, ſi tamen ea utitur homo remanet, & fit habitus? Anne actus eſt diſpoſitio ut permaneat Charitas & habitus ſit? An ultima diſpoſitio hoc ſenſu provenit ab ipſa forma.

Multum Theologis proderit, qui has quæſtiones velit dilucidare?

MLIII. *Notanda de Gratiæ & Peccati oppoſitione.* *Pileus eſt libertatis ſymbolum.*

PIleo olim apud veteres, qui manu mittebantur, donabantur: & apud ipſos pileus opponebatur ſervituti; & alterutra ſententia (nimirum tam illa quæ docet inter Gratiam Peccatumq; intercedere oppoſitionem ex naturâ rei, quàm quæ docet intercedere purè moralem) nullum argumentum efformat, quod Politici nõ poſſint de pileo: nam pileus ut materiam ſuam dicit, opponitur libertati moraliter, & ut libertas eſt, reduplicat quandam extrinſecã denominationem, vi cuius ſervituti opponitur ex naturâ rei. Hæc dixero, quia audivi ſæpe doctiſſimos Thomiſtas arguere, & ſumere gratiam ut expellentem peccatum reduplicativè, & inde ad oppoſitionem demonſtrandam procedere. Puto igitur ſtando D. Thomæ rationibus, non magis Gratiam opponi peccato, quàm ſervituti pileum, & ideò poſſe illam bifariam conſiderari, primò prout dicit entitatem ſuam phyſicam, & ſecundò prout involuit decretum divinum expellendi culpam, cùm infuderit gratiam; Primo illa ſenſu, caret nomine, & à nobis qualitas per antonomaſiã vocabitur, quod ſit omniũ qualitatum excellentiſſima: at ſecundo, vocatur ab omnibus *Gratia*, & concludo hanc ipſam prout qualitas eſt, opponi peccato moraliter, prout Gratia eſt, opponi ex natura rei: & neutro ſenſu opponi phyſicè: & eodem omnino modo de pileo, & aliis ſignis politicis philoſophabor.

Gratia bifariam debet conſiderari.

FVN.

Digitized by Google

FVNDAMENTVM L.

De Iuramentis vanis, quæ ſecundâ Decalogi lege interdicta.

MLIV. *Iuramentũ veracitatẽ & neceſsitatem requirit.*

VT Iuramentum legitimum & meritorium ſit, duo requiruntur; Veracitas, & Neceſſitas; illa reſpicit Legis ſubſtantiam, & hæc modum: adeoq; peccat mortaliter qui ſine veritate iurat; & venialiter qui ſine neceſſitate. Veritas, non eſt de ratione iuramenti, ſed veracitas: qui enim ſincerè putat ſe vidiſſe, quæ revera non vidit, & ſi ſententiam ſuam iuramẽto confirmet, non peccat. Ex his ſequitur hoc teſtimonium, *Ego iuro me vidiſſe Petrum in tali loco:* æquipollere huic, *Ego iuro me certò putare, quod viderim Petrum in tali loco, & me carere ratione ob quam ſuſpicari poſſim me falli.*

Non requiritur in Iuramento veritas. N.B.

MLV. *Interiectiones Politicæ.*

SUnt multa iuramenta, quæ in interiectiones transiverunt; quoniam nationes multæ nominibus abutuntur interdum, verbisq; etiam ut animi paſſiones exponant. *Diós! Ieſus! Cuerpo de Chriſto! Fuego de Dios!* & etiam *Voto à Chriſto*, & aliæ voces ſimiles, apud Hiſpanos interiectiones ſæpe ſunt: fruſtra poneremus exempla: nam nobis credi poteſt, aut debet, cùm agimus de linguâ maternâ. Aliæ quoque nationes obſcenas nonnullas dictiones interiectionum notatione donarunt; & voces debẽt accipi prout ſolent hodie, non verò prout voluerunt veteres Nomenclatores.

Sunt interdum obſcenæ.

An iurent, qui per fidem.

Multis habent iurãdi formulas Nationes aliquæ, quas ſi exponas hoc modo ſunt blaſphemæ; ſi illo, congruunt, & nihil inconcinnũ ſignificant *Per meã fidem*, dicunt plurimi, & iurant, quia intelligunt Fidem Chriſtianam; & idem dicunt alij, & non iurant, quia intelligunt Civilem, hoc eſt, veracitatem, quo ſenſu inquit Hiſpanus, *A fee de caballero, A fee de honbre de bien*; *&c.* quod eſt dicere, *en realidad de verdad*, pro quo dicimus latinè *Reverà*. Hiſpanorũ modus loquendi aut blaſphemandi; videlicet, *Cuerpo de Dios*. Si intelligatur de Patre aut de Spiritu S. aut etiam de Filio quà Deo, eſt blaſphemia: ſi de Filio quà Homine nihil abſurdi continere videtur. *Spiritus eſt filius meretricis* dicunt Hungari, cùm iraſcuntur; & ſi nomine *Spiritus* tertiam perſonam Trinitatis intelligant, blaſphemi ſunt: & ſi Diabolum, aut aliquid aliud, nugantur.

De Promovendorum ad dignitates Iuramento.

PRomoti ad Magiſtratum in pleriſque Civitatibus Belgij, iurant non ſolicitaſſe per ſe aut per tertiã perſonã, directè aut indirectè illam qualitatem, cùm tamen conſtat publicè, quòd ſollicitaverint: ideoque petitur. An periu- MLVI.

Reſtrictiones mentales. rij ſin t rei? & ſi non, An illud iuramentum excuſet reſtrictio mentalis? Pro caſus deciſione advertendum eſt, taliter promotos iurare ſe non feciſſe diligentias, nẽpe illas quas Reſpublica interdicit, non alias; ſi quas hæc permittat, non erunt impedimenta promotionis. Diligentiæ, quæ ſolent fieri in tres claſſes dividimus; aliæ enim ſunt iniquę & iniuſtæ, aliæ ſunt licitæ & prudentes, & aliæ neceſſariæ. His poſitis conſidera ſequentes Aſſertiones.

Prima. *Cum imminet periculum de indigni promotione, teneris illam quicunque Chriſtianus impedire, & ſi ſit medium efficax ſollicitare & adſpirare ad eandem dignitatem, & aliter iniquorum conſilium impedire non poſſis, teneris ſi ſis dignus, diligentias magnas facere, & ſollicitare ut illam dignitatem obtineas.* Patet; quia tunc Reſpublica eſt in extremâ neceſſitate, & debet ill ſuccurrere, qui poſſit.

Sed quid ſi Reſpublica talem ſollicitationem interdicat? illud idem quod eſſet, ſi fame moribundus iuberet, ne panem ei porrigeres, & naufragus ne illi ſuccurreres: illi enim, qui extremè laborat, impedire, ne ſibi ſuccurratur, non licet.

Secunda. *Si indignus ſis nulla tibi diligentia, nulla ſollicitatio eſt licita.* Patet; quia quando finis eſt illicitus, omnia media quæ in illum tendunt, illicita cēſenda ſunt: & nemo dubitat illicitam eſſe promotionem indigni.

Tertia. *Si dignus ſis, examinare oportet inſtitutionem dignitatis & loci leges; nimirùm, An dignior debeat promoveri, An verò poſſit etiam dignus.* Cæterùm experientia nos docet, ad Magiſtratum non ſemper promoveri digniores, ideoque cenſeo dignos poſſe eligi, ni detur lex particularis; quæ contrarium præcipiat.

Quarta. *Reſpublica diligentias neceſſarias interdicere non poteſt, debet iniquas.* Vtrumque patet ex præmiſſis. non enim poteſt mihi iubere, quod ex iure naturæ debeo omittere; interdicere, quod debeo facere.

Quinta. *Reſpublica non poteſt interdicere diligentias prudentes & iuſtas, niſi per accidens iniquæ evadant, & damnum grave communitati inferant.* Igitur ex inſtitutione Reipublicæ, homicidia, minæ, ſubornationes, perſuaſiones nimiæ, preces intolerabiles, & alia media, quæ creduntur tollere moralē indifferentiã, interdici creduntur: concedi puram & ſinceram meritorum propoſitionē, uſum ſanctum benevolentiæ & amicitię, mæcenatum commendationes, hæc n. ſecundum ſe ſunt bona, & tametſi mala poſſint eſſe ex abuſu, melius eſt abuſus tolli, quàm vincula charitatis & communis vitæ diſrumpi. *Bona, per accidens nociva ſolent eſſe. Diligentiæ interdictæ.*

Propoſiti iuramenti expoſitio. Igitur cum Reſpublica iuramento præmiſſo vult certior fieri, An ille, qui denominatus eſt ſollicitaverit? inquirit, An habeat indignitatem, hoc eſt, An indignum ſe reddiderit ſollicitando? Ergo examinat, An fecerit diligentias indignas & illicitas? Et qui ſolũ licitas & prudẽtes, tametſi multas fecerit, tactis S. Chriſti Evangeliis, reſpõdebit ſe nullas feciſſe. nõ n. illas fecit, de quib. conſulitur; nempe illas, quas ſuis Miniſtris, cavet prudens Reſpublica. Aliàs enim, ſi digni nullas diligentias facerēt, cùm indigni etiam iniquas & exorbitantes faciant, indigni excluſis dignis frequentiſſimè promoverentur.

Conſuetudo eſt legũ fideliſſima interpres. Hanc reſolutionem confirmat ordinaria praxis; omnes n. ſollicitant, omnes ſua merita prolixè exponunt, omnes impendunt amicos, & tamen omnes nullas ſe diligentias feciſſe iurant; & nullus de periurio reus agitur. Ergo ſiquidem Reſpublica hoc non ignorat, & tamen nec iuramentũ illud tollit, nec ſic iurantes punit; nec cenſeatur iniqua;

Digitized by Google

qua; cenſenda eſt tantummodò iuramentum exigere de diligentiis & ſollicitationibus iniuſtis & illegitimis, non verò de præc sè neceſſariis, quæ ſine peccato omitti non poſſunt; nec de licitis, quæ licet omitti poſſint, tamen laudabiliter à prudentibus ſolent adhiberi.

****

FVNDAMENTVM LI.

De Votis, quæ ad ſecundam Decalogi legem ſpectant.

MLVII. *Quid ſit votum?* VOtum, de quo loquimur, eſt promiſſio melioris boni facta Deo. Hinc patet neminem poſſe vovere mala, aut minus bona. Votum dividitur in Solenne & ſimplex, non tanquam in duas differentes ſpecies, ſed tanquam in duos modos: idem enim numero votum, quod ſimplex eſt, ſi ſolennitatibus legitimis fieret, eſſet ſolenne. *Solennis & ſimplicis voti diſcrimen.* Anne iuramentum & votum diſtinguuntur ſpecie? *An ſpecie differat à Iuramento?* Anne Benedictini Religioſi tria vota ſolennia emittunt? an non potiùs tria iuramenta ſolennia? Anne ſeculares Præsbyteri ad Caſtitatem ſolenni voto, an verò ſolenni præcepto tenentur? *Solenne Iuramentũ.* Videtur multo faciliùs poſſe ad Præceptum quàm ad Votum recurri. Et nihilominùs videtur utiliùs ad votum, quàm ad præceptum poſſe vel debere recurri. *Solenne Præceptũ.*

MLVIII. VOta ſubſtantialia ſunt tria; nimirùm, Votum Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ; de quibus ſum aliqua ſpecialia dicturus; omnia breviter, non enim uberiora, ſed conciſiora impræſentiarum damus.

I.

De Voto ſolenni invalido.

Caſus proponitur. EMiſerat profeſſionem Antonius, ſanè invalidam, nõ quidem ob voluntatem aut intentionem illegitimã, ſed ob defectum ætatis, temporis in probatione requiſiti, aut alterius cuiuſcunque impedimenti dirimentis. Cognito impedimento reclamat dimittiturque, & quia vult ducere uxorem, An habeat aliquod ſublatens impedimentum, rogor.

Diana & alij volunt eum adhuc obſtringi voto ſimplici Caſtitatis, quoniã eius intentio fuit bona, & ſe devovit Deo, illiuſque votum ſi caret aliquo prærequiſito ut ſit ſolenne, nullo caret ut ſit ſimplex, & ideò putant voto ſimplici adhuc Antonium obligari. *An votum, quod ſolenne non eſt, ſit ſaltem ſimplex?* Ego tamen contrariam ſententiam tenui *in Comment. in Regul. D. Benedicti, num.* 509. quam etiam nunc teneo & certiſſimam iudico. Ut hæc innoteſcat clariùs veritas

Dico primò. *Si intentio Antonij fuit hæc. Volo DEO vovere caſtitatem eo meliori modo quo poſſum, nempe ſolenniter, aut ſi fortè ob aliquod impedimentum, quod neſciam, id non poſſim, volo illam*

vovere

Digitized by Google

vovere ſimpliciter: ceſſat quæſtio; in tali enim caſu adhuc demonſtratâ nullitate profeſſionis ſolennis, manere adhuc Antonium obſtrictum ſimplici caſtitatis voto certum eſt.

Dico ſecundò. *Si intẽtio eiuſdem fuit, Volo Deo vovere caſtitatem ſolenniter, & ſi ob aliquod occultum & mihi nunc ignotum impedimentum contingat hanc ipſam profeſſionem eſſe invalidam, nolo emittere vota ſimplicia*; ceſſat ſimiliter quæſtio. Antonium enim in tali caſu non teneri votis ſimplicibus eſt certiſſimum: nam agentia moralia nõ operantur ultra voluntatem, & Antonium non velle emittere vota ſimplicia caſus ponit.

Dico tertiò. *Si Antonius nihil cogitavit de votis ſimplicibus, ſed tantum emiſit ſolennia bono animo & intentione, quæ tamen propter aliquod impedimentum dirimens & ipſi Antonio involuntarium poſtea declarantur invalida, non obligatur voto ſimplici*: PRIMò, quia probabiliſſima ſententia eſt, quæ ſpecie diſtinguit votum ſolenni à ſimplici, quâ poſitâ Diana contra nos nihil inferre poterit. hæc enim cõſequentia, *Votum caſtitatis non eſt ſolenniter validum, ergo erit ſimpliciter validum.* eſt ſimilis huic; *Votum, quo ieiunium promiſi, fuit invalidum: ergo manebit votum validum peregrinandi*, nam & hæc duo diſtinguuntur ſpecie: aut etiam huic, *Hic ſyllogiſmus non bene concludit in prima figura: Ergo bene concludet in tertia. &c.* qui enim unum actum facit invalidè, non eſt dicendus feciſſe validè alium ſpecie aut genere ab eo diverſum. SECVNDò, quia ſtando contrariæ opinioni, quæ merè probabilis eſt, ſi dicantur vota ſolennia, & ſimplicia modaliter tantùm diſtingui, deberet examinare Antonius, qui dixiſſet ſi rogaretur, anne vellet ſaltem emittere vota ſimplicia, ſi ſolennia non poſſet? Puto eum negativè reſponſurum, quia in ambiguis & incertis debemus iudicare iuxta ea quæ communiter ſolent accidere, ut præcipit Regula VI. inſpicimus enim in obſcuris quod eſt vero ſimilius, vel quod plerunque fieri conſuevit: rari enim ſunt, qui ſe volunt extra monaſteria ad obedientiam, paupertatem, & caſtitatem obligare. Confirmat hanc reſolutionem alia Iuris Canonici Regula, videlicet XXX. Nam, ſi in obſcuris minimum eſt ſequendum, cùm obſcurum ſit, Anne Antonius teneatur voto ſimplici, aut non? ſequamur minimum, & eum non teneri dicamus. *Confirmat* iterum tandem reſolutionem hæc inſtantia. Vendidit Antonius ſincerè unam domum Froilano, & quia in inſtrumento ſolenni aliquis defectus reperitur, venditio iudicatur invalida, anne manebit Antonius domûs dominus? Reſpondebunt omnes affirmativè. Quid ſi inſtet aliquis Antonium perdidiſſe domus dominium? dicendumque ſi non vendidit domum, donaſſe ſaltem, adeoque illam, ſi non emptionis, ſaltem donationis iure ſpectare ad Froilanum: Ridebitur. Ergo de votis pariformiter philoſophare. Profeſſio ſolennis, eſt contractus, quo Religioſus Dei & hominibus obſtringitur, quo Monaſterium & ſuperior obſtringitur Religioſo: & votum ſimplex eſt donatio, quâ vovens obſtringitur Deo, & nullum hominem obſtringit ſibi. Ergo ſi non eſt bona conſequentia, *Vendidit invalidè, ergo donavit validè*; nec erit bona, *Emiſit vota ſolennia invalidè, ergo ſimplicia validè.*

Vota ſolennia & ſimplicia probabiliter diſtinguũtur ſpecie.

Votum ſolenne eſt venditio: votũ ſimplex donatio.

II.

Eſt quæſtio celeberrima, quæ inquirit, An ſummus Pontifex poſſit in voto ſolenni diſpenſare? Vtrumque eſt omninò probabile: & de hoc diſputare non — MLIX. *An votum ſolenne ſit diſpenſabile?*

non volo: ſufficiat dicere utramq; ſententiam eſſe claſſicam; aſſerentemque defendi à Patribus Ieſuitis, & negantem à Doctore Angelico & Patribus Dominicanis. Cæterùm licèt utrumque ſit probabile, non eſt utrumque verum, quia contradictoria eſſe vera non poſſunt. Ponamus igitur eſſe verã Doctoris Angelici ſententiam, falſam contrariam, & quæramus, An hodie in votis quæ ſolennia vocantur, poſſit Pontifex diſpenſare? Reſpondeo illa vel eſſe verè ſolennia, & per conſequẽs indiſpenſabilia, at ſolere diſpenſari propter iuniorum opinionem probabilem: vel eſſe diſpenſabilia & per conſequens purè ſimplicia, at cenſeri ſolẽnia propter opinionem probabilem iuniorum. Alterum ex his duobus dicendum eſt. Utrum tamen? Tu cogita.

Nota hanc doctrinam, quæ eſt valde vera, & tamen conſideratione digniſſima.

Interim unum Dominicanum accerſo, & ſupponi iubeo D. Thomæ ſententiam, quæ ſolennia vota eſſe indiſpenſabilia aſſerat: quam ipſe libenter ſupponit. Supponi iubeo etiam Eccleſiam nullum votum aliter acceptare, quàm reſervando ſibi poteſtatem & authoritatem diſpenſandi; quod admittent libenter Theologi univerſi Romani, quibus credendum eſt, quia eſt quæſtio de facto. & interrogo An ſtante duplici hâc ſuppoſitione, non ſequatur, *Nullum eſſe hodie in mundo, qui voto ſolenni obſtringatur?* Et quia amo Dialecticam, hoc Enthymema enodandum propono.

An ſit probabile, quod vota ſolennia hodie non dantur?

Si iſta duæ hypotheſes eſſent evidentes & certæ, eſſet certum, & evidens nullibi hodie in mundo vota emitti ſolennia.

Ergo ſiquidem ſecunda eſt certa, aut ut minimum, utraq; eſt verè probabilis, erit probabile nullibi hodie vota emitti ſolennia.

& quidem videtur bonũ, & ſimile huic:

Si eſt certum quod corpus A. ſit album, erit certum quod diſgreget viſum:

Ergo ſi eſt probabile quod ſit album, erit probabile quod diſgreget viſum.

Sed quia hoc Enthymema eſt bonũ, & illud alterum eſt malum, ſcire vellem, quo illud laboret prius defectu vel morbo.

Conſequentia doctrinæ poſtulat, ut unum aut alterum ſimilem caſum proponamus. Superiùs Fundament. 36. §. 21. num. 581. egimus de conditionibus contractui oppoſitis. Hæc ibi poſuimus exempla. *Accipio te in meam, ſi nolis ſit. debitum reddere. Si velis generationem impedire. Si poculum ſterilitatis ſumere.* Et quia contractus utrumque (matrimonium & conditionem) complecti non ſolet, inquiritur, Quid dici debeat? Anne conditionem habendam pro poſitâ, & quia licitè purificari illa non poteſt, fore matrimonium invalidum? An fortè quia phyſicè illa purificari poteſt, & tamen licitè non poteſt, matrimonium validè quidem contrahi, non verò licitè? An tandem habendam pro non poſitâ, & non affecturam contractum?

De Matrimonio conditionato, ſi conditio contraria.

Dubium proponitur.

Reſpondeo ſtando Iuri naturali, nullam conditionem honeſtam aut inhoneſtam, poſſibilem aut impoſſibilẽ, habendam pro non adiectâ: quæ enim futuræ ſint conditiones, ſub quibus contractũ initurus ſum, non pendet à prudentum æſtimatione, ſed à meâ voluntate. Si ſemel ſit validè poſita, dicam aut illam conditionem contrariari cõnſenſui, aut effectui contractûs. Si conſenſui, contractus erit invalidus: ſi effectui, validus. Sanè in contractibus cõditio contraria conſenſui eſſet hæc, *Volo ſi non-vis; nolo, ſi vis. Accepto te in meam ſub conditione, quod me non accipias in tuũ; Vendo tibi equum, ſub conditione quod illum*

Satisfit ex Iure naturali.

Conditio poteſt dupliciter illici contraria.

Digitized by Google

non emas. Emitto vota ſolennia, ſi Prælatus habeat animũ nõ acceptandi; ſi habeat acceptandi animum, non emitto, &c. Et in omnibus his caſibus contractus eſſet invalidus. At quia reddere aut non reddere debitum; impedire aut non impedire generationem: pharmacum ſterilitatis ſumere aut non ſumere, non opponitur conſenſui matrimoniali, ſed effectui, certum eſt hoc matrimonium eſſe validum Iure-naturæ.

Satisfit ex Iure Eccleſiaſtico.

Sed quid Iure-Canonico? Reſpondeo, non videri impoſſibile, in re tam ſubtili interfuiſſe aliquid hallucinationis aut æquivocationis: nam, ſi Pontificis ſententia fuit definitiva, cùm eiuſmodi declaravit matrimonium invalidum, non reſpondit ſecundum Ius naturæ. Quod ſi adhuc eiuſmodi Matrimonia invalida eſſe velimus, debemus dicere, Pontificem poſſe ponere impedimenta dirimentia; & inter alia adnumerandam conditionem oppoſitam uſui, intento, aut fini matrimonij. Sed mentem Pontificis fuiſſe non iam explicare Matrimonij naturam, ſed novam legem condere & ponere dirimens impedimentum, vel ex eo ſatis clarè colligitur, quòd Impedimenta dirimẽtia accuratè recenſeantur in Iure, & inter illa non reperiatur hæc conditio.

Aliud eſt definire, aliud præcipere.

Quis impedimenta dirimentia ponere poſſit

Conditiones & circumſtantiæ eſſentiæ contractûs oppoſitæ.

Ut ergo rem meliùs intelligas, ad priora revertor, & puto has conditiones opponi ſubſtantiæ contractûs. *Solennem profeſſionem emitto, ſi nondum habeo ſedecim annos. Si nondum eſt annus probationis impletus. Si ſubeſt aliquod impedimentum dirimens. Si illam Prælatus non acceptat. Si liceat habere proprium. Si liceat Monacho matrimonium contrahere. Profiteor ſolenniter hac lege ut tribus tantùm annis votis tenear, &c. Duco te in meã reſervans mihi ius te repudiandi, & reſcindendi matrimonium, cũ voluero: reſervans ius ſuperducendi ſecundã, ſi voluero. &c.* nã ſtante aliquã cõditione ex iſtis ipſemet contractus non ſtat. At accidentales videntur ſubſequentes. *Emitto vota ſolennia cum intentione non ſervandi, voveo ieiunium cum intentione ſumendi ientaculum. Vendo tibi mancipium, ſi vis illum occidere. Duco te in uxorem, modò mihi nubere velis, tametſi obligationibus, reddendi debitum, non impediendi generationem, non procurandi ſterilitatem, & cæteris, quæ matrimonium ſequuntur, ſatisfacere nolis.* Obligationes enim ratum & verum contractum ſupponunt, & earumdem impletio aut non impletio eſt extra valorem contractus.

Effectui & accidentibus contractûs oppoſita.

III.

MLX. *Votum de re impoſſibili.*

Circa voti materiam multa occurrunt dubia, quæ indigẽt ſolutione.

Quæro primò, An aliquis ſe poſſit obligare voto ſimplici ad moraliter impoſſibile? An ad illud quod conſideratis omnibus circumſtantijs, erit ad animæ ſuæ perditionem?

Quæro ſecundò, an maneat obligatus, ſi poſtea reperiat novam aliquã difficultatem, quam non prævidit; quam ſi prævidiſſet tale ipſe votũ non emiſiſſet?

Quæro tertiò, an eodem modo de voto ſimplici & ſolenni philoſophandũ ſit? & maximè in illorum ſententiâ, qui docent non differre ſpecie: nam de rebus diſtinctis puro numero eodem modo philoſophamur.

Quæro quartò, An eodem modo de Matrimonio etiam philoſophandum ſit? An eodem modo de omni pacto & contractu?

Quod ſi ad tertium & quartũ negativè reſpondeas propter inconvenientia, quæro quintò, an omnis doctrina, quæ admiſſa pareret gravia inconvenientia, ſit falſa? an non ſæpiſſimè inconvenientia gravia ex veritatis notitiâ dimanaverint?

Ut rem melius intelligas, totam di- *Legantur*

lucido

& relegãtur obſecro hæc verba; in quibus nihil meritò reprehẽdi poterit.

lucido verba Molinæ ſubſcribendo. *Si Deo voviſti omnes ſextas ferias anni ieiunare, eoq; an. dies Nativitatis Domini ſextâ feriâ celebretur, in qua omnes fideles carnibus veſcuntur; ad iudicandum, an in eâ die nihil impediente voto poſſis carnibus veſci & non ieiunare, interrogandus es, an ſi dum votum emiſiſti, tibi occurreret eo anno diem Nativitatis incidere in diem Veneris, eum diẽ exciperes? quod ſi affirmanter reſponderis, certe (N.B.) non teneris ieiunare.* Ita ille *tom.2.diſp.272.n.3.* Subſcribit Rodriqu. *in ſummâ tom.3.cap.25.nu.* 8. ubi reponit Hiſpanicè quæ dixerat Molina latinè: & adhuc reſolutionem benigniorem nos docet; ait enim: *Al que hizo voto ſimple de ayunar los viernes, ſele debe pereguntar, ſi tuuo intention expreſſa de ayunar en eſte dia, aunque cayeſe en viernes la Navidad, porq; ſi non ſe acordó deſto, non eſta obligado, attento que ſi ſe acordara veriſimilmente ſe ha de creer que non hiziera voto de ayunar en dia de tanta ſolennidad.* Conſonant Bonacinna *de leg. diſp. 4. q. 2. punct. 6. nu. 9.* Bartholomæus de S. Fauſto *in Theſ. Relig. lib.1. qu.154. n.2.* Facundez *de preceptis Eccleſiaſticis tr.4. lib.1. c.6. n.6.*

MLXI. *An hæc doctrina in voto ſolenni locum habeat?*

Ex his fundamentis inceperunt hoc ævo nonnulli diſcurrere, ut vota ſolennia limitarent. Bis fui conſultus iterum à ſacerdote nobili, & iterum à Religioſo docto & pio S. Theologiæ Profeſſore. Rationem illius ad hæc verba reduco. *Votum ſolenne & ſimplex non diſtinguuntur ſpecie: ergo ſicut de ſimplici, ita de ſolenni debebimus philoſophari. Ergo ſi voviſti caſtitatem ſolenniter, adeoq; te cariturum uxore totâ vitâ, & tamen ob aliquorum obitum adquiras Regiam & Ducalem coronã, aut maneas unicus in nobili Genealogiâ, quã expediret non perire, & dubites, An tunc nihil impediente voto poſſis vxorem ducere, interrogandus es, an ſi dum votum emiſiſti, tibi occurreret is caſus, eum exciperes: ſi affirmanter reſpondeas; certè non teneris voto, ſed potes nihilo-minus uxorem ducere.* Et alterius. (nempe Religioſi) argumentum reduco ad ſequentem periodum. *Siquidem eiuſdem ſpeciei infimæ votum ſimplex ſolenneq;, nemini ero iniurius, ſi eodem modo de utroq; philoſopher: experior eſſe ſupra vires meas caſtitatem ſervare, adhibui ieiunia ſevera, diſciplinas, cilicia, & ago vitã miſerrimam, ut compatiantur mihi ẽt qui malè affecti: interim nec ideò caſtè vivo. Per viam ſtrictam & aſperam ad infernũ præcipitor, & inquiro an nõ ſit melius nubere quã vri? Nolo rogari an ſi hæc prævidiſſem adhuc caſtitatẽ voviſſem: certò n. ſcio me ideo vota emiſiſſe, quia volebam tranquillè & ſanctè vivere, & nunquã emiſſurũ ea fuiſſe, ſi prævidiſſem me nec ſanctè nec trãquillè victurũ. Nec volo audire me peccare, quia volo: id n. fateor; addo tamen me nunquã emiſſurũ fuiſſe caſtitatis votũ, ſi tam eſſe difficilem & arduam eius obſervantiã prævidiſſẽ. Ergo non teneor voto: quia ſi hoc prævidiſſem non voviſſẽ.* Sic ille diſcurrebat Religioſus. Et quidẽ pro ſe citabat Hominẽbonũ de Bonis, in Conſult. Moral. vol.1. p.2. reſol.28. ubi quærit, an votum Caſtitatis vel non nubendi factũ à proclivi in Venerẽ valeat? & reſpondet probabilẽ ſententiam eſſe, quæ id invalidũ dicit, & dat rationẽ quod ab eo ſit emiſſum, cui ob incõvenientiã & in carnis peccatũ lapſus, matrimoniũ ſalubrius ſit. Et Hominis-boni doctrinam ſic urgebat. *Votũ caſtitatis emiſſum ab eo cui cælibatus minus ſalubris ſit eſt invalidũ: ergo à fortiore idem dicendũ, de voto caſtitatis emiſſo ab illo, cui non iã cælibatus minus ſalubris, ſed verè pernitioſus ſit. At materia quæ eſt mala reſpectu voti ſimplicis, non erit bona reſpectu voti ſolennis: ergo. Hæreo ego: ſed tu qui doctor es, utriq; ſacerdoti reſponde.*

NOTA. Sicut de Voto ſolenni Caſtitatis ſic ẽt de ſolenni Paupertatis & Obedientiæ; dantur n. diverſa ingenia, & nonnulli plus allaborãt obediendo aut

Digitized by Google

rerum dominio carendo, quàm caſtitatem ſervando: ergo ſicut philoſopharis de illo cui Caſtitatis obſervatio ſit moraliter impoſſibilis, ſic etiam de illo cui moraliter impoſſibilis paupertatis aut etiam obedientiæ obſervantia.

IV.

De Voto Obedientiæ.

MLXII. POteſt & ſolet emitti multis modis; ponam aliquas formulas.

Profeſſio Patrum Ieſuitarū, Prima. *Polliceor Obedientiam in omni materiâ, quæ non ſit evidenter peccatum.* Hoc votum dicuntur emittere Patres Ieſuitæ, nimirùm expreſsè aut implicitè; quid n. importet profeſſio colligitur ex uſu & praxi. Et ſi hoc modo profitentur illi, dicam illos vi profeſſionis debere obedire in materiâ probabili.

Secunda. *Polliceor Obedientiam in omni materia, quæ ſit evidenter bona.* & huius vi nemo teneretur in merè probabili.

Benedictinorum, Tertia. *Polliceor Obedientiam, non quidem in omni materiâ, ſed ſecundum Regulā hanc.* Ita profitentur Benedictini, & multi alij: & huius voti vi non tenebuntur obedire in materiâ contraregulari, etiamſi evidenter ſit bona: nec in præterregulari directè; tenebuntur tamen indirectè; nimirùm, ſi præter regulam aliquid in ordine ad Regulæ certiorem & ſecuriorem obſervantiam iubeatur.

Quarta. *Polliceor Obedientiam reſtrictā ad Regulam hanc; nimirùm in gravibus me ſemper operaturum exactè, & in levibus ut*
Ciſtertienſium, & D. Bernardi præcipuè. *plurimùm.* Hoc ſenſu ſe & Ciſtertienſes profiteri exiſtimat D. Bernardus libro de præcepto, quam Scholio ſpeciali illuſtravi. Et quidem huius voti vi tute nemo tenebitur obedire in materiâ probabiliter malâ: nemo directè aut indirectè contra Regulam: & qui violet præceptum de re gravi peccabit mortaliter; aut ille, qui ſemel aut iterum violet præceptum in materiâ levi, non peccabit venialiter.

V.

De Voto Caſtitatis.

COmplectitur omnia in ordinibus Religioſorum, non tamen omnia in ordinibus Equitum, qui florent præcipuè in Hiſpaniâ. Pono aliquas formulas. MLXIII.

Prima. *Polliceor Caſtitatem Virgineam.* Hanc omnes Monachi, Canonici, Clerici Societatis, & reliqui Regulares promiſerunt expreſsè vel tacitè. *Profeſſio Monachorum,*

Secunda. *Polliceor Caſtitatem coniugalem.* Hoc votum Religioſi militares emittunt. *Equitum Regulariū.*

Tertia. *Polliceor Caſtitatem coniugalē, ita ut non poſſim uti meâ uxore ſine ſuperioris aut Confeſſarij facultate.* Fortè hoc votum non careret aliquibus inconvenientibus: quid ſcio? at illa præcaveri poſſent, & illud eſſet validum, & tunc ille haberet reſtrictum dominium in uxorē. nempè ſimillimum illi, quod ſtudioſi Societatis habent in res quarum ſunt domini proprietarij: quibus uti ſine ſuperioris facultate non poſſunt.

VI.

MUlta legis de Coniugatorū votis: An reddere, an petere debitū poſſint? & ſexcenta alia, quæ ſpeculativè ſunt pulchra, & conſequenter docta, at in praxi omninò difficilia, aut impoſſibilia moraliter; & hanc ob rē inquiris, *An poſſint Coniugati vovere virgineam Caſtitatem?* MLXIV. *De votis coniugum.*

Communis Doctorum opinio inter debiti petitionem & redditionem diſcrimen latiſſimum reperit, & pronunciat, coniugi alterutri eſſe liberū petere, aut non petere; at debere reddere ſub peccato mortali, quam ob rem neminem poſſe Deo vovere, ſe nō redditurū, bene tamen ſe non petiturū. Circa primum nullam ego difficultatem habeo: & nihilominùs habeo maximam circa ſecundum.

Primò,

Primò, quia duriſſimum eſſet honeſtæ & nobili uxori, ſemper debitum petere, nam ducta verecundiâ hæreret, & mallet fortè periculo incontinentiæ ſe exponere, quàm laſciva à ſuo marito iudicari. Ergo ſaltem in tali caſu teneretur Maritus petere; nam conſideratis omnibus circumſtantiis, petitio illa redditio eſt.

Notetur & perpendatur iſta ratio. Secundò, Quia eò evehunt periculũ incontinentiæ Scriptores Iuniores, ut materiã parvam negent in ſexto præcepto Decalogi: & putent neminẽ poſſe vel digitum fœminæ manu laſcivâ premere, quin delinquat mortaliter. Ergo ſi tantũ reperiunt periculũ in digiti cõtactu, quã doctrinæ conſequentiã admittere poſſunt, eũ qui fœminæ nudæ nudus in lecto condormit, carere commixtionis periculo? Porrò ſi periculum vitari non poſſit, quo modo poteſt cõiunx caſtitatẽ vovere? An non hoc ipsũ votũ eſſet laqueus, qui ipsũ ſuffocaret & perderet? An, qui voviſſet caſtitatem, lecto ſeparato iacere, aut ẽt in domo ſeparatâ habitare deberet? Loquamur clarè. Aut iſte eſt in proximo debitũ petẽdi periculo, aut cælebs in eiſdem occaſionibus non eſt in periculo proximo petendi indebitum. Porrò licere cælibi fæminæ nudæ condormire, videtur ex dictis ſequi clarè, & tamen improbabile eſt. Videant igitur Theologi, An certũ ſit poſſe coniugatũ invito altero coniuge caſtitatẽ partialem vovere; hoc eſt, ad non petendũ ſe obligare? Videant ẽt, An certũ ſit communi illos conſilio caſtitatẽ vovere poſſ, & tamen in eodẽ lecto condormire, aut ẽt in eodem cubiculo aut domo remanere? An non faciliùs convenire poſſint, qui conſummato matrimonio ſine verecundiâ ſe tangunt, quàm illi quos pudor ſeparat, & timor amovet? Phyſica in utriſque ſunt eadem, & ſcire vellem cur non debeamus de utriſque pariformiter philoſophari?

VII.

An Religioſus qui tactibus polluit ſæcularem, peccet contra votum caſtitatis?

Nimis univerſalia ſunt verba noſtri Llamas, qui *in Sũma part. 3. c. 8. §. 16.* ſic ait. [Quando ſola mollities cõmittitur tactibus Profeſſi, vel in ſacris conſtituti, ſi patiens eſt ſecularis, non tenẽtur dicere ampliùs niſi, *Paſſus ſum voluntariè pollui tactibus alienis.* Neq; in ſacris conſtitutus, vel profeſſus ampliùs tenetur dicere, niſi *tangens impudicè aliũ pollui.* & ſi non ſit cognitus non tenetur explicare, *Et ſum in ſacris, vel profeſſus, aut profeſſa Religionẽ,* ut de ſe liquet; quia ſacra perſona nõ eſt in tali caſu violata.] Hæc verba niſi limitentur intolerabilia ſunt, & ideò eadẽ meritò ex hui⁹ Theologi Summâ expunxit Sancta Inquiſitio Hiſpanica in Indice expurgatorio edito an. 1632 ſub Cardinale Antonio Zappata litera H. ſecundæ Claſſis. Eodẽ omninò modo videtur loqui P. M. Nicolaus Moſcicenſis *in Tyrocinio S. Artis Pœnitentiariæ part. 2. §. de Luxur. n. 10.* ubi ſic ait: [Nota ꝙ quando mollities committeretur tactibus Religioſi, vel in maioribus ordinibus conſtituti, tunc ſi qui patitur ſæcularis eſt, non tenetur amplius dicere, niſi ſic, *Paſſus ſum voluntariè pollui tactibus alienis.* Et vice verſâ, Deo dicatus ſatisfaciet dicendo, *Tangebam aliũ impudicè uſq; ad pollutionẽ eius:* neq; tenetur explicare ſe eſſe Deo dicatũ per profeſſionẽ, niſi ratione ſcandali, vel niſi illi intervenerit pollutio ẽtſi voluntaria indirectè, videlicet in causâ (quo caſu ſolus Deo dicatus explicare debebit ſe eſſe talẽ) ſive propter mutuũ factum, quo caſu etiã ſæcularis addere debebit circumſtantiam complicis, quia ibi perſona ſacra violata eſt.]

M LXV. Llamas.

Nicolaus Moſcicenſis.

Iacobus de Graſſijs. Hanc eamdem ſententiam tenere Iacobum

cobum de Graſſijs Benedictinum, *de Caſib: reſerv. lib. 3. c. 8. n. 39* teſtatur Diana *part. 9 tr. 8. reſol. 65.* Sed & ipſe citatus Diana, producit verba Patris Geſualdi Capuccini, qui *in Theol. Moral. tom. 1. tr. 27. c. 10. n. 16.* ſic inquit [Sequitur, quod quando ſola mollities cōmittitur tactibus profeſſi, ſive alicuius in ſacris ordinibus conſtituti, ſi patiens eſſet ſæcularis, non tenetur amplius dicere in cōfeſſione, niſi *Paſſus ſum voluntariè pollui tactibus alienis*; neq; Religioſus tenetur amplius dicere, niſi *Tangens impudicè alium pollui*, & ſi non ſit cognitus, non tenetur explicare, *Ego ſum in ſacris, ſive Religioſus*, niſi etiā ipſi accidat voluntaria pollutio conſummata. Et ratio huius eſt, quia perſona ſacra non eſt in tali caſu violata contra votum caſtitatis.] Hæc Geſualdus.

Tamburinus. Cōſonat Tamburinus *in Methodo expedita confeſſ. li. 2. c. 5. §. 10. n. 66.* ubi ait. [Si tu tuis manibus polluas uxoratum, vel Sacerdotem &c. debes id explicare; quia cooperaris ad Adulteriū, vel ſacrilegium: at ſi te ſuis manibus alius polluat, parum refert pro tuo peccato contra Caſtitatem, quòd ille fuerit vir vel fœmina, vel ſacerdos: tunc n. (ſi aliud non additur) ſe habent illæ manus, ut merum inſtrumentū; & ſolum adeſt cooperatio, cū alterius te polluentis peccato. Ita ille; qui ſentit cum Llamas, ſęcularē patientem pollutionē ab aliquo in ſacris conſtituto, non teneri amplius dicere, niſi *Paſſus ſum voluntariè pollutionem tactibus alienis*, & nō teneri amplius explicare circūſtantiā perſonæ ſacræ.] Profectò hanc opinionem reijcit P. M. *Candidus.* Candidus *tom. diſquis. 2. art. 24. dub. 5. & 6.* cuius verba huc apponere placet [Gravis iniuria & contemptus, ait ipſe, videtur inferri ſacræ Profeſſioni Religioſæ, & ſacris ordinibus eo ipſo quo quis utitur tactibus Profeſſi, aut conſtituti in ſacris Ordinibus, ut inſtrumēto ad immundiſſimū hoc peccatū contra naturā perpetrandum. Ergo cū hæc ſit circumſtantia graviter evidenter aggravans (NB.) eſt explicanda in ſacro Pænitentiæ ſacramēto.] Sic Candidus: qui cū maximè diſſentire videtur, adhęret citatis authoribus; fatetur n. eſſe evidenter circumſtantiā aggravantem; & nos putamus eſſe evidens, ꝙ circumſtantię aggravantes non debeant in cōfeſſione explicari. Ergo ſtando huic cōmuniſſimæ doctrinæ, non debebit quis in confeſſione exponere, ꝙ à Candido didicit nō mutare peccati ſpeciem, ſed eſſe augētem circumſtantiam. Præterea iterum à nobis ſtat Candidus, quia tametſi deformitatem admittat, nō tamen ullam contra votum ſed contra reverentiam debitam perſonæ Religioſæ quod omnino diverſum eſt. Tactus illos non ad aggravantē circumſtantiā, ꝙ fecit Candidus, ſed ad malitiā mutātē ſpeciem reducit Trullench *in Decal. tom. 2. lib. 6. c. 1. dub. 8. § 1. nu. 2.* ubi ſic ait. *Trullench.* [Hinc fit, quando mollities committitur tactibus profeſſi, aut in ſacris conſtituti, eſſe id in confeſſione aperiendū, ut bene exiſtimat Diana *tr. de circumſt. Reſol. 53.* contra Llamas *in Sum. part. 3. c. 8. § 16.*] cui conſonat Oviedus *in 2. part. D. Thomæ tr. 6. controv. 5. punct. 3. § 10. nu. 70.* *Oviedo.* opinionē Patris Llamas Diana adduxit *part. 1. tr. 7. reſol. 53. & part. 7. tr. 11. reſol 27.* *Diana.* pro illā Caramuelē allegat & neutroubi improbabilē dicit. At quia *Caramuel.* *part. 9. tract. 8. reſol. 65.* allegatis pro eā Patre Llamas Ciſtercienſi, Nicolao Moſcicenſi Dominicano, Ioāne Caramuele Ciſtercienſi, Iacobo de Graſſijs Benedictino, Geſualdo Capuccino, nec non & D. Tamburino, ait *Hanc prorſus eſſe reijciendā ſententiā*; & citatā Reſol. claudit his amariſſimis verbis: [*Cautè legendi sūt Tamburinus, Geſualdus, Graſſius, Moſcicēſis,*

An horum Authorum benigna ſententia ſit probabilis.

Cara-

Quot Authores requirantur, ut aliqua ſententia ſit probabilis?

An bene citetur Caramuel?

Caramuel (Llamas non ponit, quia dixerat eſſe ab Inquiſitionis ſancto tribunali correctũ) *& caveant in poſterum Authores, hanc ſententiã in ſuis Operibus ampliùs imprimere.*] doceri volo duo. Alterum quot ſint authores ſufficientes, ut opinio aliqua cenſeatur probabilis? hæret n. hîc animus, cùm videt ſex authores citari, & nihil-ominus eorũdem expungi & damnari ſententiam? Alterum ubi docuerit Caramuel doctrinam pro quâ illum dignatur citare? Porro Ioa. Caramuel, Llamas, Moſcicenſem, Graſſium, Geſualdum, & Tamburinũ citare pro ſuâ ſententia poteſt; at illi Caramuelem non poſſunt, eorumdem n. opinionem correxit & limitavit accuratè Caramuel, ea quæ dicti Authores univerſaliter adſtruunt, in unico caſu (& fortè ſpeculativè tantũ poſſibili) admittendo. Illos audivit Lector, Caramuel etiam, ne dicatur inauditus dãnari, ſubaudiatur. Caramuel igitur in Regulam D. Benedicti *diſp. 66. n. 987.* ſic

Caramuelis opinio.

inquit. [*Mulier, quæ ſine delectatione propriâ ſenſuali* (nota 1. hanc limitationẽ) *& ſine periculo aſſensûs in propriã delectationem,* (nota & hanc 2.) *fortè id abeſſe non poteſt, fortè nec ipſa delectatio* (nota & hanc 3.) *tactibus polluit aliũ vel aliã, ut alter vel altera habeat delectationem, peccavit ſanè mortaliter: ſed ſi eſſet Monialis non operaretur contra votũ Caſtitatis.*] Hæc eſt Caramuelis ſententia, quã toto cælo à ſententia aliorum differre putamus. Nã ſicut male confunderetur, qui dixiſſet, *Nullũ animal rationale eſt hinnibile*, cũ dicentibus, *Nullũ animal eſt hinnibile*; ſic ẽt malè confunditur Caramuel tot limitationes adducens, cũ loquentibus univerſaliter & genericè, ſine aliquâ limitatione. Ut igitur clariùs videri poſſit veritas, à quâ ſtat Caramuel, ſequentes Concluſiones ſubſcribo.

MLXVI. Prima. *Religioſus, qui ſe ad Pollutionem vel ad laſcivam delectationem, excitat, tangendo alterum, vel tactibus his delectatur, peccat contra promiſſum caſtitatẽ, & ideò in confeſſione, non ſolũ debet explicare ſtatum perſonæ quã polluit, ſed propriũ ẽt.* Hîc Caramuel multò ſtrictiùs loquitur quàm Llamas, quã Moſcienſis, & fortaſſis quã Candidus, nam tametſi neuter ad pollutionem perveniat, ſolâ delectatione luxurioſâ gravi, peccatũ mortale committitur, & votũ Caſtitatis violatur: nã omnis moroſa delectatio eſt incepta mollities. Et hanc puto Concluſionẽ ab omnibus admitti debere. Ergo in tali caſu Religioſus debebit dicere: *Ego ſum Religioſus, & tamen cum delectatione luxurioſa, ex quâ ſequuta fuit pollutio, (aut nõ) tetigi unũ iuvenem ſecularẽ, quouſq; incideret, (aut non) in pollutionem: Nec contra erit tactus non fuiſſe mutuos; homo enim, cũ tangit, tangitur; & cũ ad pollutionem aliũ excitat, ad eamdem excitatur.* Et ſæcularis debebit dicere, *Ego paſſus ſum me tãgi à Religioſo quouſq; incidi (aut nõ) in pollutionẽ.*

Exponitur.

Secunda. *Mulier, quæ ſine delectatione propriâ ſenſuali ſeu laſcivâ & ſine periculo aſſenſus in propriã delectationẽ, tactibus polluit aliũ, ut hic habeat delectationẽ, aut incidat in pollutionẽ, peccat quidẽ mortaliter, & ſi ipſa eſt religioſa & alter ſecularis non violat votum Caſtitatis.* Sub iſtis omnib. limitationibus caſus à Caramuele proponitur in *Commentario in Regul. D. Benedicti num. 987.* non ibi vult demonſtrare caſum eſſe poſſibilem, ait n. *n. 993.* [Audivi ſæpe doctos aſſerentes hunc caſũ eſſe merè metaphyſicum, nec unq̃ dari in praxi, quia non eſt intelligibile, ꝙ aliqua polluat alium tactibus, & ipſa nõ patiatur delectationem, vel ſaltem ſit in ſummo periculo præbẽdi aſſensũ: &c.] Quos ipſos non errare evidenter videbatur ſupponere *n. 987.* cùm dixit [fortè id (periculum nimirũ) abeſſe nõ poteſt; fortè nec ipſa delectatio.] & quidẽ con-

conſultò illud *fortè* interpoſuit, quia ut ipſe *n.995.* notavit poſſe & ſolere delectationem & periculum ipſiſſimum in talibus ſordibus abeſſe, cognoſcunt illi qui audierunt varias confeſſiones: nã ſi ſæpe mulier in ipſo actu Venereo (NB.) mere paſſivè ſe habet, nempe ut lapis, ſine delectatione, aut delectationis ſpe, q̄ fœminis nimis deditis Veneri, (quales ſunt publicæ meretrices) frequentiſſimum eſt: cur non earum aliqua poſſet non delectationis, cuius pro illo ſe tempore incapacẽ cognoſcit, ſed ſolius lucri causâ, Amaſium tangere, & tãgendo polluere, & polluendo non cõtra ſuam, ſed contra Amaſij caſtitatem peccare? Repugnantiã nõ video. Quod ſi ipſa datur, malæ ſunt multarũ mulierem confeſſiones. Et ego mallem ipſis credere, quã Virginibus caſtis; quoniã faciliùs immutantur tactibus integræ, quàm corruptæ & exhauſtæ.

MLXVII. *Et varijs exemplis illuſtratur.* Sed caſus impoſſibilis ſit; quid inde? Examinetur ſecundum metaphyſicã ideam, q̃ propoſuimus, ut nos dirigat in controverſijs practicis. Sic diſcurro. Primò, Coquus, qui die ieiunij parat carnes aut in menſa miniſtrat, aut etiã manibus ſuis Petrũ ingurgitat, ſi tñ illas ipſe nõ guſtet, dicetur peccaviſſe mortaliter, & fuiſſe cooperatus, ut Petrus violaret ieiuniũ; at ipſe violaſſe ieiuniũ non dicitur. Secundò, Si Ioannes auditâ iam miſſâ Fridericũ inveniat euntem ad templũ, & tñ ad ludum conducat, & cogat ne ſacro interſit, peccabit mortaliter alieno peccato cooperatus, nec tñ dici debebit ipſe violaſſe feſtum, & miſſam præceptã omiſiſſe. Tertiò, inter ſacerdotes, Aliud eſt omittere officiũ divinum, & aliud omninò diverſum, lecto officio ſocios illud lecturos impedire. Ergo aliud erit fornicari, adulterari, luxuriari, & aliud cooperari ut alij fornicentur, adulterentur, luxurientur. Ergo aliud eſt laſcivire & ſe polluere, & aliud carendo delectatione & periculo alium tangere & ad mollitiem excitare. Ergo ponamus in primo caſu coquũ voviſſe Deo ſe ieiunaturũ. Anne hoc ille votũ violaret, ſi nihil comederet, & cooperaretur nihilominus, ut Petrus violaret ieiuniũ? Et in Secundo, ſi Ioannes voviſſet ſe auditurum miſſam dieb. feſtis, anne hoc violaret votum, ſi iam auditâ miſſâ Fridericum aut alium quemcunque ſeduceret, & cogeret ne adiret Eccleſiam? Et in tertio, anne ſacerdos, qui voviſſet Deo ſe nunq̃ omiſſurum officium, fracti voti eſſet reus, ſi lecto debitè officio vellet ludere, & cogeret alium ſacerdotem ut ſecum luderet, & ob luſum lectionem horarũ intermitteret? Non puto. Ergo eodem modo philoſophari oportet in materiã laſcivã, ſi volumus conſequentiam ſervare.

VIII.

De Voto Paupertatis.

Votum Paupertatis eſt duplex; ſolẽne, & ſimplex: & tametſi utrumque, ad veram Religionẽ ſufficiat, ſi cætera adſint (nã Ieſuitæ ſtudioſi ſunt verè Religioſi, & tñ ſolenne votum paupertatis non habent) videntur toto cælo differre. MLXVIII. Primò n. ſolenni voto obſtrictus ita eſt pauper, ut nec licitè nec validè poſſit adquirere ꝓprietatis dominium; unde ſi rem aliquã defactò ſibi adpropriet, illicitè & invalidè facit, & eſt iniquus rei poſſeſſor. *Voti ſimplicis & ſolennis diſcrimen.* At voto obſtrictus ſimplici ita eſt pauper, ut validè poſſit retinere, adquirere, & perdere ꝓprietatis dominium, at ſi contra ſuperiorẽ voluntatem illicitè. Quam ob rem, qui ex materiâ matrimonij doctrinam cõmunem huc transferens, affirmet, dari in proprietatis materiâ impedimenta dirimentia & impedientia, & addat votum ſolenne eſſe impedimentum dirimens, ſimplex impediens (nam de voto Ca- *Impedimẽta dirimẽtia in Proprietate.*

Digitized by Google

to Caſtitatis pariformiter philoſophamur) nihil dicet, q admitti non poſſit.

Poſſet etiam votum ſimplex ita Religioſum obſtringere, ut non ſolùm illicitè, ſed & invalidè rem daret reciperet-ve; nimirùm, ſi conditio aliqua indiſpenſabilis ſtabiliretur. Pono exemplum. Iubet Eccleſia, ut matrimonia clandeſtina non ſolùm contrahantur illicitè, ſed & invalidè: & tñ contrahẽtes manent, veri ſuorum corporum domini, & nihilominus non poſſunt contractum validum inire, nec ius in proprium corpus dare, & in alienum recipere, non quidem defectu dominij & proprietatis in propria corpora, ſed defectu unius circumſtantiæ, q̃ Eccleſia eſſe voluit conditionem ſine quâ non. Pono aliud exemplum. Bona vinculata, quæ vocant, tua ſunt, & tñ validè ea vẽdere nequis (vinculationem à fideicommiſſione diſtinguo) habes à iure hæreditario, quod tua ſint: & à definitivâ Reipublicæ lege, q ea validè alienare non poſſis. Ergo ſtante vero ꝓprietatis dominio, poteſt impediri eius actus ratione conditionis alicuius, quæ indiſpenſabilis eſſe dicatur. Poteſt ergo Romana Eccleſia talem Religionẽ inſtituere, in quâ Religioſi poſſint eſſe veri rerum domini, nec tñ validè exercere Dominij actum niſi poſitâ ſuperiorum licentiâ, ut conditione ſine qua non.

Matrimonia clandeſtina invalida.

Fundi vinculati vẽdi non poſſunt.

Petis, utro ſit modo inſtituta Societas? hoc eſt, utro debeamus modo de ſtudioſis Societatis philoſophari?

De paupertate Iuniorum Societatis.

Reſpondeo me legiſſe & conſuluiſſe Magnos è Societate viros, & varias didiciſſe ſententias; omnes aut ferè dicere ſtudioſorum donationem factam ſine ſuperiorum licentiâ eſſe illicitam, validam tamen: at nonnullos paucos tamen, etiam tenere eam eſſe illicitam & invalidam.

IX.

De Uſu.

MLXIX. PRoprietas nõ omni Religioſæ Paupertati opponitur, ſed ſolenni: unde authores, qui dicunt non poſſe Religioſum habere aut adquirere proprietatis dominium, intelligi debent, de ſolenni & Monaſticâ. Sed quid de Uſu dicemus?

Proprietas opponitur profeſſioni ſolenni.

Eſſe duplicem: Dominicum, ſervilẽque. Dominicus, ille eſt qui competit Domino, & eſt actus ſecũdus Dominij. Dominium eſt poteſtas deſtruendi & conſervandi rẽ. Ergo uſus aut actus ſecũdus huius poteſtatis tunc eſt, quãdo aliquis vel ita conſervat rẽ ut poſſit deſtruere, vel ita deſtruit ut poſſit conſervare. [& quia datur phyſica & moralis potentia, Dominium & eius uſum diſtinguimus in Phyſicũ, Moraleque; de quibus fusè alibi diſputamus.]

Uſus duplex

Dominium quid?

Dominium phyſicum & morale.

Uſus ſervilis ille eſt, qui non repugnat ſervis, quos eſſe incapaces Dominij quà tales certum eſt. Nimirùm ille, quo defacto aliquis rem habet nomine ſui veri domini, [& præcipuè, ſi ex eius licentiâ expreſſâ vel interpretativâ.] & hunc uſum non pugnare contra paupertatem monaſticam evidens eſt. Quã ob rem, in Monaſterio quamdiu dominium, & uſus dominicus manet penes communitatẽ, hoc eſt, quamdiu Monachus ita re utitur, ut nec ſibi arroget dominium in actu primo, nec in actu ſecundo, tamdiu illâ ſerviliter utitur, & contra Paupertatem non peccat. Et Societatis ſtudioſi, habent quidem rerum dominium ſed ligatum: Societatis eorumdem paupertatem alibi fortè examinabo & illuſtrabo, modò agemus de Religioſorum paupertate præcipuè.

Uſus ſervilis.

Quando peccatum proprietatis committitur.

His poſitis ſententias aliquas quas Diana citat, accuratè legamus.

X.

QVÆRIS igitur, An Regularis delineans MLXX.

Pro amico picturam aut aliquid alind quod ſit magni valoris, violet votum Paupertatis?

Diana, Bonacina, Scortia, Vallerus.

Negativam ſententiam tenet Diana *part.1.tract. de Paupertate Religioſâ, reſol. 6.* allegans Bonacinam, Scortiam, & Ioannem Vallerum, modò ille amicus miniſtret omnia neceſſaria: nam ſi materia ſumitur ex bonis monaſterij, tunc aliter erit philoſophandum.

Lugo.

Eminētiſſimus Cardinalis de Lugo, adhuc limitat iſtam ſententiam. Aliud eſt n. pingere tabulam pro amico, ita ut pictura illa ex primariâ intentione ad amici petitionem formetur: & aliud facere pro ſe & poſteà dare amico. Quam tamen ego limitationem ſtando ſentētiæ, quæ negat in manuſcripta ſua Religioſos adquirere verum dominium, eſſe certam admitto: quia qui pingit ꝓ ſe, adquirit illā picturam Monaſterio, cum ſibi non poſſit: & cū donat, actum proprietatis exercet. & quia ſibi arrogat rem non ſuam, & de illa ſicut de ſuâ diſponit, in votū Paupertatis delinquit. At ſtando opinioni contrariæ, dico Religioſum, qui pro ſe pingit, ſibi adquirere dominium, cuius eſt capax; & illam poſtea poſſe dare amico (ni lege impediatur) non n. peccat dando illa de quibus diſponere poteſt. Conſultò poſui illud *ni lege impediatur*, quia ſi contrariū ſuperiores præcipiant, & præcipuè in Ordine Benedictino, in quo Regula dari aut recipi munera inhibet, peccaret ille contra legem, hoc eſt contra obedientiā, non verò cōtra paupertatē.

An in manuſcripta habeat Religioſus dominium?

An eodem modo de Laicis ac de Choriſtis ſit philoſophādum?

Caramuel *diſp.59.in Regul.D.Benedict. reſol.8.n.859.* aliter opinionē eruditiſſimi Dianæ limitat, nam Converſi ſeu Laici non adquirunt dominium in ſua arte facta, ſunt n. Miniſtri Communitatis, & quibus horis laborare pro Communitate tenentur, non poſſunt laborare pro alio.

Negat Diana.

Reijcit hanc limitationem Diana, aitq;. *Ego ut verum fatear non invenio apud Doctores quoad præſentem caſum differentiam inter Regulares Laicos & Choro addictos, unde quidquid circa præſentem quæſtionem in ordine ad votum Paupertatis erit licitum Profeſſis, erit licitum Laicis: quia actiones de quibus loquimur non ſunt Monachi quà Monachi: ſuppono tempus eſſe vacans, neq; ſumi aliquid de Communitate, ſine licentiâ tacitâ vel expreſſâ Superioris: ergo.*

Eius examinantur verba.

Singula relego, & multa ſunt quæ altiùs diſcere velim. *Primò* enim puto me multum ſtuduiſſe Dialecticæ, multum, inquam, nam in huius ſtudij genere opinione æmulorum excedo. Scripſi Logicam Moralem ſeu Virtualem, & tamē non video cur iſta debeat admitti conſequentia, *Hoc apud Doctores non reperio, ergo verum non eſt.* Limitatio quam poſuit paulò antè Cardinalis de Lugo, ne longiùs abeam, nō reperit apud authores Diana, ſed neq; Ego: & tamen ſtando alteri opinioni, ut expoſui, vera eſt.

An vota Laicorum ſint ſolennia?

Secundo, Profeſſos Diana contra ponit Laicis, ſed male; nam & Laici etiam profeſſi ſolenniter ſunt.

Tertiò, ratio, quâ Diana utitur, videtur contrariū probare. *Ideò ait, de Choriſtâ & Laico pariformiter philoſophandum eſt, quia actiones de quib. loquimur non ſunt Monachi quà Monachi.* Imò contrarium inquam ego: quia actiones de quibus loquimur non ſunt Monachi quà Monachi, & tamen ſunt Converſi quà Cōverſi, ideò dicam aliter debere de Monacho diſcurrere aliter de Converſo.

Quot horis teneantur Converſi laborare pro Communitatē

Quartò, ſupponit Diana tempus eſſe liberum, & tunc caſum hunc totaliter tollit, & ponit alium & in ipſo Caramueli ſubſcribit; numero n.864. ait Caramuel. [Horis, quibus Converſus tenetur operari pro Communitate (sūt in meâ ſententiâ ut plurimum duodecim, non plures) non poterit aliquid facere, quod det amico, &c. Addidiſſē

limita-

limitationem, quia non video, cur Cōverſus, qui per duodecim horas laboraverit ut ſerviret Monaſterio, & in ſomno conſumpſerit tempus neceſſarium, non poſſit unam aut alteram horam, quam conſumpturus erat in fabulis, occupare in amici obſequium. &c.] Hæc Caramuel.

MLXXI. Dico igitur iterum magnum eſſe diſcrimen inter Laicum & Choriſtam; iſte n. vi Profeſſionis ſuæ non tenetur manibus operari, ad quod ille tenetur. Quam ob rem aſſero, quamdiu Converſus tenetur operari pro Communitate, tamdiu non poteſt ſine communitatis iniuriâ operari ꝓ extraneo. Quod ipſum tranquillo animo eſſe verum cōcludo, etſi apud Doctores hanc limitationem non reperiam: non n. opus eſt ut particularē invenias, qñ reperis univerſalem; aliàs n. ligaretur diſcurſus, ſi non liceret homini ex fundamentis admiſſis ab Authoribus dialecticari. Sic diſcurro. [Famuli & Operarij, qui alteri locarunt ſuam operam, ſive conducti ſint pro totâ vitâ, ſive pro tempore determinato, horis quibus tenentur operari ſuo hero, non poſſunt alteri operari. At Converſi ſeu Laici ſunt famuli Monaſterij, conducti uſq; ad mortē, & obſtricti ſolēniter communitati: Ergo horis, quibus communitati operari tenentur, non poterunt extraneo operari.] Maiorem Doctores admittunt nullo dempto: Minor apud Regulares & præcipuè Benedictinos indubitata eſt: à nullo igitur negari conſequentia poterit.

Laici ſunt famuli religioſi.

XI.

MLXXII. *De reſervatione dominij.*

PRopono caſum ſcitu dignū. Petrus vir ſæcularis dedit Franciſco Religioſo pecuniam ad eius uſum liberè & prout voluerit diſpenſandam, reſervans ſibi dominium talis pecuniæ; & inquirit, an Franciſcus eâ uti poſſit, quin peccet contra Paupertatem? Diana *part.7. tract.11. reſol.18.* aſſerit Caramuelem *in Commentario nu.* 883. habere ſententiam, quæ Franciſcum excuſet: cùm tñ loco citato illam ſententiam ut probabilem, & non ut evidenter certam propoſuerit Caramuel: ait enim. *Caramuel.* *Poteſt* (*probabiliter*, expreſsè habet in editione Francofurtenſi) *aliquis dare Religioſo quamcunque pecuniam ad uſum Religioſi liberè & prout voluerit diſpenſaturi, reſervans ſibi dominium talis pecuniæ.* Et cur non probabilem cenſeret Caramuel; ſiquidem putat eſſe Souſæ & Sanchezij, *Sanchez.* quos citavit, & etiam Dianæ *reſol.* 10. & 42. licèt utrobiq; cum aliquâ limitatione: quibus ipſe adhærens, etiam aliquid adderet probabilitatis. Souſa *in Explicat. Bullæ. §. 2. n. 72.* ſic ait: *Souſa.* [La miſma raçon corre de lo que ſe dieſe a los Religioſos para que lo puedan gaſtar en ſu utilidad, o en la de quien ellos quiſieren reſeruando ſienpre en ſi el verdadero dominio expreſſa o tacitamente: porque entonces el Religioſo no es mas que mero Miniſtro del verdadero ſennor, y no da coſa que perteneſca a la Religion.] cuius verba reponere volo latinè, complectuntur enim doctrinam valdè neceſſariam: ſic enim me interprete philoſophatur. [Eadem ratio habet locum in re, quæ datur Religioſis, ut expendant prout velint, nimirùm ad propriam aut quorumlibet utilitatem, nimirùm à Viro, qui ſibi verum proprietatis dominium tacitè aut expreſsè reſervet: in tali enim caſu Religioſus eſt merus domini ſæcularis miniſter, nec donat aut expendit rem, quæ pertinet ad ſuam Religionem.]

Diana *part.1. tract.6. reſolut.* 10. probabilem hanc opinionem cenſuit, aut ego male illum intellexi, ſi impegi in illius mentem, quando illam volebam propugnare. *Diana.* Sic ille ait [Ex his haberent

Digitized by Google

berét Confeſſarij principium, ſatis amplum ad tollendos ſcrupulos, & adhibenda multa remedia in caſibus occurrentibus; nam ſi Monialis vel Religioſus, de illis pecunijs ſeu donis non recipit dominium, ſed illud apud dantem conſangvineum ſeu amicum relinquat, tunc poteſt (*poteſt* inquit, non *poſſet*) ſine ullo ſcrupulo de illis rebus diſponere &c. ſe haberet enim in hoc caſu tanquam miniſter conſangvinei vel amici, cujus eſt illa pecunia. Sed hæc opinio cùm loquatur de uſu abſoluto pecuniæ videtur aliquibus & mihi nimis laxa, & contra perfectionem Religioſæ paupertatis; ſi verò loquatur de uſu determinato ad eleemoſynam: vide Reſol XXXII.] Ita Diana: qui quidem hanc opinionem nimis laxam, non nimis improbabilem vocat: eam dicit eſſe contra paupertatis perfectionem, & non contra ejuſdem ſubſtantiam & eſſentiam; quod nemo vir prudens diffitebitur: & quia poſteà uſum abſolutum ab uſu determinato ad eleemoſynas diſtinguit, videtur non condemnare doctrinam, ſed abuſum; non enim minus contra paupertatem eſt dare pauperi aliquam rem notabilem, quàm meretrici; ſed in hoc poſteriori ſecunda reperitur deformitas: quam ob rem, qui ſine Superioris licentiâ pauperi poteſt donare aliquid, quin contra votum paupertatis procedat, ille ipſe etiam poterit dare amico aut cuicunque alij, ſi cæteræ circumſtantiæ perſiſtant.

Aliud eſt opinionem eſſe laxam, aliud eſſe improbabilem.

Porrò hanc ipſam doctrinam, ſi reducatur ad praxin, eſſe pernitioſam nõ nego; at non ſolùm probabiliſſimæ opiniones, ſed & demonſtratæ & certiſſimæ ſunt interdum nocivæ, quod alibi demonſtrare me memini; ſæpe enim veritatem utiliter ignorari contingit.

Ipſa demonſtrata veritas interdum pernitioſa eſt.

MLXXIII. Sanè, ut veritas à nobis propoſita liquidiùs & clariùs innoteſcat, volo ſubjungere aliam Dianæ ſententiam, quæ coincidit cum præcedente, vel ego Dialecticam neſcio. *Part. 1 tract. 6. reſ.* 42. interrogat an Religioſus poſſit recipere aliquid ſine Superioris licentiâ; nimirùm, ſi habeat intentionem petendi dictam licentiam priuſquam expendat illud? & citat Ioannem de la Cruz *de ſtatu religioſo libr. 1. cap 3. dub. 3. concl. 1.* qui putat utramque ſententiam probabilem; licèt exiſtimet probabiliorem negativam. ait enim: [eſt probabilis ſententia Victoriæ aſſerentis, poſſe Religioſum ſecluſâ ſpeciali prohibitione circa hoc, recipere aliquid ſine Prælati licentiâ, dum tamen habeat animum petendi licentiam quando expendet illud.] Et quidem hæc etiam ſententia eſt pernitioſa, nec videtur ita eſſe probabilis; neſcio enim reſpondere rationi, quam Diana inſinuat. Nam ſi verum eſt, quod quidquid Monachus adquirit, Monaſterio adquirit; & verum etiam quod dominium ſit utendi & deſtruendi (realis vel moralis) poteſtas: erit etiam verum Religioſum non poſſe recipere illud, de quo agit Victoria & Ioannes de la Cruz, quin illud adquirat Monaſterio: Si ſemel Monaſterio adquiſivit, tam proprietarius erit poſſidendo quam expendendo, ſi independenter à Prælato poſſideat. [Fateor eſſe majorem locum epikeię in poſſeſſione, quàm in alienatione, ſed caſus procedit quando Superior æquè inſcius aut æquè involuntarius eſt circa utramq;]. Huic malo remedium allaturus Diana ſic infit. [In tali caſu prædictus Religioſus poteſt, ut bene obſervat Sanchez *in ſumm. tom. 2. libr. 7. cap. 19. num.* 51. & poſt illum Fauſto *in Theſaur. Religi. lib.* 8. *quæſt.* 109. *num.* 2. ſine fractione paupertatis efficere ut dominium illius rei & adminiſtratio remaneat apud dantem, & ipſe Religioſus nomine illius depoſitam

Ioannes de la Cruz.

Victoria.

Epikeia.

Nota bene.

Digitized by Google

ſitam habeat, non eâ utens donec licentiam à Superiore petat: & ita ſine ullo ſcrupulo poterit rem quamcunq; detinere; quia ſic Religioſus nec dominium nec adminiſtrationem illius rei habet: Ergo non peccabit contra votum Paupertatis.] In quibus ego verbis multa obſervo: nonnulla ſcribam. Peto, an non actus dominii detur in poſſeſſione: Ergo (abſtrahendo à ſtudioſis ſocietatis, de quibus alibi) nemo Religioſus poteſt independẽter à Prælato poſſidere. Negat in caſu poſito conſequentiam Diana; quia ille Religioſus non jam proprio ſed alterius nomine poſſidet. Adnuo, ſed ſubſumo, atqui ſicut poteſt Religioſus rem alienam ſervare nomine illius qui tradidit; ita etiam dare illi cui alter jubeat: ergo qui nomine alieno rem expendit, non peccat contra paupertatem. Male igitur hîc Diana inter poſſeſſionem uſumque diſtingui præcipit: quia tàm poſſeſſio independens, quàm uſus independens, eſt actus dominij & proprietatis. *Dicendum igitur eſt, nec habere nec dare nomine alieno eſſe contra paupertatem.*

Ipſa poſſeſſio actus dominij eſt.

MLXXV. Sed Diana *part.7.tract.11.reſol 18.§. ſed.* hanc opinionem reijcit, & ait, *Ejus* (Caramuelis) *ſententia mihi non placet:* at putabat Caramuel eſſe Dianæ ſententiam, & ſe bene putaviſſe perſuaſit. Sed eſto: Caramuelis illa ſit non Dianæ: cur nõ poterit aut debebit placere, quæ in ipsâ eſſentiâ paupertatis fundatur? Diana rationem objicit, quam debebimus examinare. [Non placet, inquit, nam ut optimè obſervat Eminentiſſimus Lugo *De Iuſtit. & Iure tom. 1. diſp. 2. Sect. 3. num. 50.* Votum paupertatis Religioſæ non ſolum obligat ex intentione voventium ad carentiam dominij vel juris alicujus civilis, ſed etiam ad nõ habendũ uſum facti harum rerum temporaliũ niſi ex voluntate Prælati. Alioquin (ut bene notavit Thomas Sanch. *lib.7.cap.19.num.53* & Aſorius *ibi adductus*) nunquam Religioſus peccaret cõtra Votum Paupertatis, accipiendo aliquid ab externis, quia nunquam poteſt acquirere aliquod jus, ſed ſolùm uſum facti, cujus Solius eſt capax; ergo uſus facti poteſt eſſe materia ſufficiens contra votum. Ratio verò à priori eſt, quia votum obligat ſemper juxta intentionem voventis; illi autem, qui in Religione emittunt hoc votum, non ſolùm intendunt abdicare à ſe omne jus ſed etiam imitari ſtatum pauperum, ita ut careant ijs rebus, quibus indigent ad vitam humanam, nec ijs utantur, niſi ex arbitrio Prælati: ergo &c.] Et reſpondeo votum ſolenne paupertatis obligare primò ad carentiam dominij vel proprietatis civilis: Secundò ad non habendũ nomine proprio uſum facti, quia talem uſum habere Monachus nõ poteſt, ne quidem permittente Prælato. Nomine alieno poſſident res Religioſi, nimirùm nomine illius qui earum eſt dominus, nempè nomine Communitatis cujus Miniſter ſupremus eſt Abbas, ſi res ſint Monaſterij; & nomine alicujus amici, ſi ſint illius. Ex quibus patet benè, non tamen contra nos Sanchez argumentari. Peccat Monachus contra Paupertatem non quia adquirit dominium, hoc enim non poteſt adquirere, cum ſit dominij adquirendi & retinendi incapax: Sed quia utitur re nomine proprio, hoc eſt legitimo domino invito, illam aut retinendo, aut expendendo. Hoc poteſt illuſtrari exemplis. Peccat Fur, non quia dominium rei raptæ accipit, quoniam tametſi capax dominij ſit, non tamen illo titulo id adquirere poteſt. Cur ergo peccat? quia ſummam injuriam infert Domino vero, quem impedit, ne re ſuâ utatur; nullam illaturus omninò, ſi eandẽ rem

Religioſus ſolenniter profeſſus non poteſt adquirere proprietatem verã, ſed uſum facti.

exponitur votum paupertatis.

Cur & quomodo peccet fur?

Digitized by Google

à permittente caperet, & nomine ejuſdem retineret, paratus reddere, cùm ab illo moneatur. Peccat Mœchus, non quia dominium uxoris accipit; quoniam tametſi habere uxorem poſſit, non illam tamen, quæ legitimè habetur ab alio. Cur ergo peccat? Quia illâ utitur nomine proprio, quâ non poteſt. Quid ſi eâdem uteretur alieno: nimirum conſentiente marito? Peccaret primò ſicut ſolutus, quia uteretur non ſuâ: & ſecundò ſicut adulter, quia nõ prodeſt licentia hominis, qui nequit præbere conſenſum, & maritus nec validè nec licitè poteſt uxorem proſtituere. Quod ſi per impoſſibile ſic eſſet inſtitutum Matrimonium, ut debitum per Vicarium uxori ſolui poſſet? Tunc eſſet adulter ille, qui nomine proprio, hoc eſt invito marito fœminâ abuteretur, non tamẽ ille, qui marito authoritatem & poteſtatem delegante. Fortè Matrimonij vinculum ſic intellexerunt Veteres in Teſtamento antiquo: fortè Sara & aliç illius ævi matronç, quæ Maritis conceſſerunt ancillas, eâ lege tradiderunt, ut ipſæ Herarum nomine conciperent & parerent; quod videntur ſuadere circumſtantiæ, & litera. Capite. xvi. Geneſeos hæc lego. *Sarai uxor Abram non genuerat ſibi liberos: Sed habens ancillam ægyptiam nomine Agar, dixit marito ſuo. Ecce concluſit me dominus, ne parerem. Ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illâ ſuſcipiam filios, &c.* Conſidero illud verbũ *ſuſcipiam*. non dedit ancillam, ut ipſa ancilla ſuſciperet filium, ſed ut ipſa met domina per ancillam tanquam cauſa moralis; aliàs enim *ſuſcipiat* diceret, non *ſuſcipiam*.

An quis poſſit uti fœminâ alieno nomine?

Mater moralis.

MLXXV. *An Religioſi comedentes ſine licentiâ*

Si contra Eminentiſſimum Lugonẽ Dianamq; objicias, ſequi ex eorũ doctrinâ Religioſum (agimus de Monacho præcipuè, ut magis urgeat ratio) invitatum à ſæculari ad prandium abſque licentiâ ſui Prælati peccare contra votum paupertatis, *reſpondent*, quod licet uſus facti etiam ſit materia voti paupertatis, adhuc dubitari meritò poteſt, an ille religioſus peccet contra votũ paupertatis in eo caſu. Tunc enim nõ tàm videtur habere uſum activũ, quàm paſſivum, hoc eſt, ſolùm ſe habere quaſi paſſivè, ut in ejus perſona utatur cibis, qui eum invitavit. Sed ego objectionẽ & reſponſionem legens, etiam audiri volo. *Dico primò*, comedere eſſe actum dominij; eſt enim cibos deſtruere, quod non poteſt facere, qui nõ eſt dominus. Anne poterit aliquis nomine alieno comedere? poterit, ſi & alieno vivere: de hoc agam alibi. *Dico ſecundò*, Lugonẽ non negare, ſed dubitare, An religioſus, qui comedit ſine licẽtiâ violet paupertatem? *Dico tertiò*, rationem, quâ hunc Lugo excuſat, etiam excuſaturam illum, qui reciperet & expenderet nomine amici centum aureos. Dicerem enim, hunc non violare paupertatem, quia licet uſus facti etiam ſit contra votum paupertatis, dici adhuc poterit illum Religioſum no peccaſſe: tum enim non videtur habere uſum activum illius auri, ſed paſſivum ſolummodò; habet enim ſe merè paſſivè, ut in ejus perſonâ utatur illo auro, qui illi illud dedit; hoc eſt, habet ſe mere paſſivè, quia ejus perſonâ utitur ad retinendum & diſtribuendum aurum, qui concredidit: & dum retinet & expendit creditoris nomine, nihil facit contra paupertatem. *Dico quartò*, rationem hanc fortiùs excuſare diſpendentem aurũ, quam cibos: quia recipere pecunias & eas expendere nomine alieno Abbates & Procuratores quotidie faciunt: at comedere nomine alieno non videtur eſſe poſſibile: aut ſi ſubtilitate aliquâ interpoſitâ poſſibile ſit, non videtur in mundo practicari. *Dico quintò*, ex hypotheſi, quod poſſit aliquis

violent paupertatem.

Vſus duplex; activus & paſſivus.

Comedere eſt actus dominij.

An alieno nomine quis comedere poſſit?

Nota bene.

Nota & hoc attentiſſimè.

Digitized by Google

ſiquis comedere nomine alieno, poſſe etiam mittere ad Religioſum cibos, retinendo penes ſe dominium & uſum juris, & ſolum volendo quod Religioſus eos conſumat nomine mittentis, tanquam ſi eſſet in ejus prandio. Sed quia Lugo & Diana huic inſtantiæ reſpondent, attendamus. Negant rotundè conſequentiam, [quia diſtinguunt cibos, quos Religioſus comedit in menſâ amici invitatus ad prandium, & illos, quos in ſuâ cellâ, ſi ab amico mittantur: quia in hoc ſecundo caſu (nempe, cùm comedit in ſuâ cellâ) moraliter loquendo, Religioſus conſetur uti illo cibo ex facultate Domini: in primo verò moraliter loquendo Religioſo utitur ipſe Dominus, qui adeſt; & eodem modo ſe habet ac ſi ipſe Dominus conſumeret per manus ſuas, Religioſus autem videtur ſe habere paſſivè. Cùm verò hæc maximè pendeant ex morali æſtimatione & ex intentione voventium, quæ ex ipſâ praxi & communi æſtimatione colligi poteſt, dici poſſet votum obligare in hoc caſu, & non in illo. Sic etiam nō poteſt accipere licitè aromata, ut domi comburat ad ſuam commoditatem; licèt in præſentia domini poſſit ea comburere abſque licentiâ Prælati.] Sic Cardinalis de Lugo & Diana ex illo iſti inſtantiæ reſpondent. At inter eum, qui extra monaſterium comedit, & qui in monaſterio comedit; & inter illum qui extra monaſterium aromata incendit, & qui in Monaſterio eadem incendit; ſi æquè inſcio vel invito Prælato operentur, ego diſcrimen non reperio; & quod ab his doctiſſimis viris ponitur, mihi non placet: nam illud ipſi ſumunt à Domini præſentiâ, quæ nec abeſt ut putant, nec requiritur. Non abeſt, cùm, quia poſſet venire Dominus ad Monaſterium, & ſi veniret poſſet Religioſus comedere ſine Abbatis licentiâ, quod tenentur admittere, ſiquidem ad abſentiam Domini recurrunt, ut Religioſum domi ſuæ comedentem violatæ paupertatis arguant; tum quia in moralibus moraliter debemus procedere, & ſi in convivio & domo illius ſæcularis fuit phyſicè præſentia domini, qui ſubminiſtrabat illos cibos; in cellâ Religioſi, ad quem miſſi, fuit eadem præſentia moraliter. Porro adſit aut abſit Domini præſentia, malè ad illam hi Doctores recurrunt, non enim præſentia excuſat à furto, ſed conſenſus: & qui te præſente nomine tuo loquitur, recipit pecunias, eleemoſynas erogat &c. etiam poterit eadem tuo nomine præſtare te abſente. Ergo ille qui tuo nomine te præſente comedit, poterit comedere tuo nomine te abſente. Ergo corruit diſcrimen poſitum, à Lugone.

An accipere aromata & comburere, ſit contra paupertatem.

Præſentia eſt duplex; phyſica & moralis: & in rebus moralibus alterutra videtur ſufficere.

MLXXVI. Quo ergo modo de cibis philoſophandum eſt? ſequenti. *Dicendum primò* eſt dari uſum ſervilem & dominicum, illum ſaluari illæſâ rei ſubſtantiâ: hunc eſſe deſtructivum rei, & per conſequens actum veri dominij. *Secundo* comedentem habere uſum Dominicum, & exercere actum veri dominij: Ergo ſi comedit nomine proprio, exercet actum proprietatis de facto: Si alieno (ſi id eſſe poſſibile dicatur) ſe habet *ut quo*, ita ut ille, cujus nomine comedit, exerceat actum proprietatis *ut quod*. Stando huic doctrinæ poſſet dici Religioſos comedere nomine alieno, nempè Communitatis, quando illa ſubminiſtrat cibos, aut amici, ſi ab iſto dantur: & hac viâ poſſet dici Religioſos in res unico actu conſumendas, dominium non adquiſituros. *Tertiò*, faciliùs & clariùs poſſet dici Religioſos ciborum, quos perſonaliter ſunt conſumpturi, adquirere verum dominium, & ideò non peccare contra paupertatem invitati ad prandium, ne-

Vſus duplex; dominicus, ſerviliſque.

Comedere eſt actus dominij.

um, neque comedentes in cellâ, ſed peccare tantummodo contra obedientiam, nulla enim eſt Religio, quæ lege pœnali aut morali omnes clandeſtinas comeſſationes non interdicat.

Hæc omnia adfirmantur Paragropho ultimo, quo iſtam Reſolutionem claudo *num.* 885.*b.ubi ſic ajo.* [Poſui iſtam poſitionem benignam ductus grandium hominum authoritate, à quibus habet quod probabilis ſit. Ego autem ut defendam illam debebo limitare. Dicam uſum eſſe duplicem, nam & utimur re, illam conſumendo; & utimur etiam illæſâ. Primus uſus eſt actus dominij directi, ſecundus dominij utilis. Puto Pet um ſibi reſervato dominio poſſe mihi concedere uſum pecuniæ utilem; non autem credam mihi poſſe uſum deſtructivum concedere, ſibi dominium reſervando, cùm ſint mutuò connexa. Tu igitur Religioſe poteris uti pecuniâ quam tibi dedit Petrus, ſibi reſervando dominium; nimirùm poteris uti, non tamen conſumendo aut deſtruendo; quia uſus deſtructivus eſt actus ſecundus dominij directi & proprietarij: unde neceſſariò dicendum, aut te licitè illam pecuniam conſumpſiſſe, & ſi hoc, te fuiſſe proprietarium dominum: vel ſi proprietarius dominus non fuiſti, conſumpſiſſe illam peccaminosè. Puto pecuniam conſumi, cùm donatur, cùm luditur, cùm dilapidatur, aut etiã cùm in comeſſationibus prodigitur, nimirùm proprio nomine: non item cùm commutatur, manet enim in re emtâ virtualiter ipſa pecunia. Hæc ſubtilia & difficiliora ſunt, quam putant aliqui, qui ſe omnia ſcire putant: à quibus tricis ſe facili negotio Abbas Benedictinus, pecuniarum receptionem ejuſmodi ſeverè interdicendo, evolvet.] Sed ſemper manet non eſſe contra paupertatem monaſticam pecunias expendere nomine alterius, & concomitanter ſemper manet eandem hanc doctrinam, aliàs veram, eſſe vitæ Religioſæ nocivam. *Concluſionum Concluſio.*

FVNDAMENTVM LII.

De Dierum obſervantia, quæ tertia Decalogi lege præcepta.

MLXXVII. *Dies feſtus, abſtinentiæ, & ieiunij.* DAtur dierũ diſcretio: alii enim ſunt dies feſti, alii dies abſtinẽtiæ aut jejunii, alii neutri. Die feſto tenemur audire miſsã: die abſtinentiæ interdicũtur carnes; & die jejunii Eccleſiaſtici ſemel tantũ comedimus. Collatio ſerotina irrepſit per abuſum: at hic ipſe abuſus jam tranſivit in uſum, & licitè obſervari poteſt. In collatione recepta quantitas eſt mediæ libræ; qualitas erit iuxta mores in ſingulis Provinciis præſcriptos. *Collatio ſero quanta? qualis?* *Ieiunia quadrageſimalia.* Ieiunia quadrageſimalia ſunt rigidiora in qualitate, in quantitate benigniora. Præter Ieiunia Eccleſiaſtica dãtur jeiunia regularia, quæ ſunt in ſingulis Religionibus diverſa, & circa ciborum qualitatem & quantitatem talia, qualia à Legibus ſingularum Religionum præſcripta.

In feſtis

Digitized by Google

MLXXVIII *An feſtivitates minuendæ?* IN feſtis uſum laudo, & abuſum condemno. Non debent eſſe ſolennitates nimis multæ, ne pauperes hebetentur otio, & rerum penuriâ graventur. Ponam aliqua, quæ conſideratione ſunt digna.

I.

Caſus proponitur. PRopono caſum, qui accidit in Civitate celeberrimâ & opulentiſſimâ, nempè inter perſonas mihi optimè notas. Lectorum erit de circumſtantiis ſingulis ſententiam ferre.

An feſta inſtitui poſſint cum pauperum nimio gravamine? Prælatus N. obtinuit à Summo Pontifice, ut Sancti N. dies in illâ Civitate eſſet feſtus. Bullam præſentat loci Epiſcopo, & conſenſum obtinet vel extorquet. Magiſtratu ſæculari inconſulto edicitur nova feſtivitas, & ad rem ſacram univerſi invitantur, ſchedæ impreſſæ angulis affiguntur, ne quiſpiam poſſit ignorantiâ excuſari. Coguntur Senatores ad domum Civicam, & omnium nomine Conſul accedit devotum & doctum Abbatem. Venio, inquit, à Civitate miſſus, ut examinem menſas pauperum & mechanicorum, quas V. P. curavit parari pro craſtino. Quas menſas? inquit alter. Menſas illas, ait Conſul, in quibus hilares cras erunt noſtri pauperes. Verùm Prælatus Conſuli: p æter communem meamque ait nulla paratur totâ domo; in illa Religioſi, in hac amici aliquot & Perilluſtris V. D. ſi velit, ſumere refectionem poterimus. Ergo infert Conſul, quando V. P. & veſtri erunt hilares, erunt noſtri pauperes triſtes; quando vos edetis & ſuperbibetis, illi fame & ſiti cruciabuntur; & quando vos cantabitis, illi plorabunt? abſit. Aut cras omnibus noſtris mechanicis pauperibusque dabitis cibos, aut agetis veſtrum feſtum privatim. Negat cibos Antiſtes: & Conſul ecce veſtram devotionem inclamat: ecce qualiter Pontificem & Romanos fallitis, & cùm agitur de pauperum ſubſidio, burſam clauditis. Diploma ſubreptitium pronuncio, & fuiſſe expeditum ab hominibus malè informatis. Hæc vociferans iracundus egreditur mittitque famulos, qui ſchedas affixas angulis lacerent, curatque proclamari à præcone ſequentem diem feſtum non eſſe, debereq; omnes mechanicos ſe continere in officinis, & operari ſub pœnâ centum aureorum, ſolvendorum in cute ab illo, qui non habeat in ære. Territi à Magiſtratu manſerunt mechanici & cives domi, etiam nobiles, etiam plerique alii. Rari aut nulli ad illud templum venerunt illâ die, & annis ſequentibus ille Prælatus nihil amplius de feſti obſervantiâ cogitavit.

Iſte fuit caſus; quid Romani ſint nobis dicturi prævideo, ſed vellem etiam audire Doctores Hiſpanos & Gallos.

II.

MUlta olim vidi in Belgio ob feſtorum nimiam multitudinem MLXXIX.
facta, quæ ſine lachrimis recenſeri non poſſent. Sumpſi calamum & generalia aliqua motiva aliquibus amicis, agentibus Romæ propoſui, oravique ut dignarentur Urbanum VIII. informare. Unius epiſtolæ copiam adjungo.

Non pauca ſunt, Illuſtriſſime Præſul, quæ Sanctiſſimus Dominus noſter ſcire omninò deberet, quæ haberent remedium procul dubiò, ſi vel ſemel eſſet aliquis qui ſincerè narraret. Proponam aliquid; & ſi mea monitio videatur grata fuiſſe, plura olim ſuggeram, ut ſaltem conſcientia mea & tuo mandato ſatiſ-

ſatisfaciam. A ſolennitatibus igitur exordium ſumam, & ſincerè proferam quid obſervaverim. Video Mechanicos in Belgio Viros, abuti Eccleſiæ clementiâ, aut ab Epiſcopis affligi, aut ſi mavelis perdi. In ditionibus Regi ſubjectis, præter Dominicas, & ſolemnes B.V. Apoſtolorum & aliorum Cœlitum dies, ſunt Civitatum dedicationes, victoriarum feſtivæ commemorationes, & ipſa tam frequentes ut magnam anni partem occupent: in Bataricis verò præter Dominicam nulla feſtivitas. Cùm ſint igitur Hæreticæ & Catholicæ Civitates confines, hoc ſingulis diebus video, hoc experior; Miſeri homines, qui uxore & familiâ gravantur, quatuor diebus victum pro ſeptem lucrari non poſſunt, ideoque in rebelles civitates ſuffugiunt, ut ibi plus lucrantes, commodiùs victitent aut opulentiùs. Ex hâc fugâ quatuor mala oriuntur neceſſariò; primum Regem Catholicum vaſallos perdere; ſecundum creſcere hoſtium numerum; tertium hoſtes ipſos diteſcere, transfugarum enim nobis manufacta venduntur, & noſtra pecunia nobis transvehitur in Bataviam ut contra nos & Eccleſiam Catholicam militet; quartum eos, utpote profugos, ſub initium ſolennitatum numerum deteſtari, mox ſanctorum cultum irridere, & tandem in Calvinianiſmum labi.

Nimiùm multa ſunt apud Belgas feſta.

Cùm igitur hæ jacturæ valde frequentes ſint, petitur quid debeant prudentes in talibus miſeriis conſtituto conſulere? Vt laboret etiam diebus feſtis, ſi conſulam, reſpondebit ſe ſecretò & impunè hoc non poſſe, maximè cùm debeat plerumque in domibus divitum operari, qui hoc non permittent. Ergo videtur ad ſupremum Eccleſiæ tribunal recurrendum, petendumque, ut declaret omnes illos qui actualiter non habeant pecunias ſufficientes ut victitent, poſſe diebus feſtis operari.

Dominatio Veſtra utatur hoc conſilio, uti voluerit, ego tamen ſine lacrymis videre non poſſum feſtivitatum numero, homunciones, aliàs bonos Catholicos, ad rebellionem & Calviniſmum quotidie abigi; & ſi poſſem remedium aliquod ponere, crederem me peccaturum eſſe graviter, ſi numerum feſtorum non minuerem. Vale.

Erat prudens Urbanus, & ab aliquibus hanc rem admonitus paucis menſibus poſt Diploma edidit, in quo aliquas ſolennitates abſtulit. Fuiſſet ab omnibus receptum, niſi duo eſſent, quæ obeſſe viderentur. Alterum tolli feſta quæ populi devotio judicabat præcipua; Nam Bruxellis multum adlaborare debui, ut Hiſpanorum conſcientias turbatas, aut etiam irritatas ſedarem. Habet hæc gens, erga Marianam Conceptionem devotionem innatam, nec pacificè audire volebant expungi tantam feſtivitatem. Alterum addi nova feſti, non enim videbantur pauperes juvari hoc diplomate: fuit enim mera feſtorum commutatio, quæ eſſe ablatio deberet. Sed quo poſſet modo & ſanctorum cultui, & pauperum ſatisfieri ſolamini? Reſpondebit Epiſtola ſubſequens quam ſub idem tempus ſcripſi.

Hiſpanorũ erga Virginis conceptionem devotio.

MLXXX.

Gaudeo, Vir Illuſtriſſime, Tibi perſuaſum eſſe nimium feſtorum numerum Reipublicæ nocere Chriſtianæ: ſed quia ab eo, qui deſignavit morbum, medicinam requiris, reſpondeo Si à Sanctiſſimo Domino conſulerer, ſic fore diſpoſiturum Calendarium. Deſiderarem omnes & ſolos dies dominicos feſtos eſſe; & vix alios. Sed quid de ſanctorum cultu agendum? Ediſſeram. Relinquerem Nativitatis, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Sanctiſſimæ Trinitatis dies, ubi jacent; non enim vellem mobilium feſtorum regulas alterare. Conſervarem Quadrageſimales Dominicas, & per reliquas diſtribue-

Paſcha ac aliæ celeberrimæ ſolennitates nõ facilè debebunt alterari.

buerem Apoſtolos, Evangeliſtas, & alios omnes Sanctos quorum dies obſervamus. Vter igitur duplici Calendario: altero fixo, altero mobili: quod tamen haberet fixum ordinem ſolennitatum. Ideam utriusque pono.

CALENDARIUM DOMINICALE, ET SANCTORALE.

OMNIA FESTA MOBILIA CONTINENS.

Dominica Septuageſimæ. [*Fiet de illa officium prout in Breviario.*]

Dominica *Sexageſimæ.*

Dominica *Quinquageſimæ.*

Feria IV. *poſt hanc ipſam Dominicam* DIES CINERVM.

Dominica I. *Quadrageſimæ.*

Dominica II. *Reminiſcere.*

Dominica III. *Oculi.*

Dominica IV. *Lætare.*

Dominica V. *Paſſionis.*

Dominica VI. *Ramorum.*

Dominica VII. *PASCHA.* [*Dies ſequentes non ſunt feſtivi, ſed licet feria ſecunda & tertia laborare.*]

Dominica I. *poſt paſcha* Quaſimodo *dicta.*

Dominica II.

Dominica III.

Dominica IV.

Dominica V.

Feria V. *poſt dominicam* V. *ASCENSIO DOMINI.*

Dominica VI.

Dominica VII. *PENTECOSTES.* [*completur unâ die, & Feriâ ſecundâ & tertia operantur mechanici.*]

Dominica VIII. *SANCTISSIMA TRINITAS.*

Feria V. *poſt Dominicam* VIII. *SOLENNITAS CORPORIS CHRISTI.*

Dominica IX. *S. MARIA. Prima lectio ſit de cõceptione, ſecunda de nativitate, &c. ita ut per omnes lectiones vita angelorum Regina diſtribuatur.*

Dominica X. *OMNES SANCTI. Officium quod etiamnum habetur poteſt legi.*

Feria II. *poſt hanc ipſam Dominicam* commemoratio omnium fidelium defunctorum.

Dominica XI. *OMNES ANGELI. Prima lectio ſit de Angelis, ſecunda de Archangelis, &c. ita ut in ſingulis agatur de ſingulis choris.*

Dominica XII. *OMNES APOSTOLI.* [*Quia apud Benedictinos, & Ciſtertienſes ſunt duodecim lectiones, ſingula ſingulis poterunt correſpondere. Verùm in officio Romano debebunt bini in aliquibus lectionibus celebrari, ut omnium commemoratio fiat.*]

Dominica XIII. *OMNES EVANGELISTÆ.* [*In primo Nocturno erunt lectiones de duobus & de aliis duobus in ſecundo.*]

Dominica XIV. *OMNES MARTYRES.*

Dominica XV. *OMNES SANCTI PONTIFICES.*

Dominica XVI. *OMNES SANCTI DOCTORES.*

Dominica XVII. *OMNES SANCTI CONFESSORES.*

Dominica XVIII. *OMNES SANCTÆ VIRGINES ET VIDVÆ.*

Dominica XIX. *TRANSFIGVRATIO DOMINI.*

Dominica XX. *S. CRVX.*

Digitized by Google

Dominica XXI. *SANCTVS MICHAEL.*

Dominica XXII. *SANCTVS IOACHIMVS & S. ANNA.*

Dominica XXIII. *S. IOANNES BAPTISTA.*

Dominica XXIV. *S. PETRVS & PAVLVS.*

Dominica XXV. *SANCTI INFANTES INNOCENTES.*

Dominica XXVI. *S. STEPHANVS.*

Dominica XXVII. *S. LAVRENTIVS.*

Dominica XXVIII. *S. AVGVSTINVS.*

Dominica XXIX. *S. BENEDICTVS.*

Dominica XXX. *S. BERNARDVS.*

Dominica XXXI. *S. NORBERTVS.*

Dominica XXXII. *S. FRANCISCVS DE ASSIS.*

Dominica XXXIII. *S. FRANCISCVS DE PAVLA.*

Dominica XXXIV. *S. THERESIA.*

Dominica XXXV. *S. IGNATIVS.*

Dominica XXXVI. *Sanctus N. Religionis N. Fundator [ſingulæ Religiones, quæ nondum habuerunt ſui Fundatoris Feſtum hoc illum die celebrent; & quem voluerint ſæculares.]*

Dominica XXXVII. *DEDICATIO ECCLESIÆ.*

Dominica XXXVIII. *Patronus aliquis.*

FESTA IMMOBILIA.

Tantummodò in hoc novo Calendario erunt hæc.

Decembris XXV. *NATIVITAS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.*

Januarii VI. *EPIPHANIA.*

Dominica poſt Epiphaniam *[ſi inter Dominicam XXXVIII poſt paſcha, in qua ſecundi Patroni eſt ſolemnitas, aliqua vel aliquæ interſint Dominicæ, hujus Dominica poſt Epiphaniam officium recitatur.]*

Retinere poterimus Calendarium commune & diſtinguendo inter Nativitatem & Feſtivitatem hanc poterimus die Dominica & illam Die currente ſine ſolennitate celebrare.

Hæc eſt Illuſtriſſime Vir Calendarii Idea, juxta quam & cultui Sanctorum ſatisfit, & lucrandi panem ſuum quotidianum relinquitur tempus Mechanicis. Pleriq; ex ipſis ſunt ſtupidi, & majoris commoditatem, minoris fidem & Religionem faciunt: unde ſi feſtorum pluralitas ſit eis incommoda, mallent Lutherani aut Calviniſtæ eſſe, quàm hanc perpeti incommoditatem. [Mechanici ſtupidi & parum devoti.]

Sed inquies: etiam Heterodoxi præter Dominicas habent feſtivos dies, in quibus ab opere vacãt. Reſpondeo hoc ipſum falsò aſſumi, ſi ut Regula Generalis ſumatur: nam Hæretici multi præter meras Dominicas nullam diem feſtam habent. In Palatinatu obſervatur dies Iovis, ſed ob aliam rationem, quam addo. Defecerat à fide illa Provincia, & cultum ſolennem detraxerat omnibus ſanctis, juſſeratque ut ſex diebus Mechanici ſingulis ſeptimanis laborarent. Gratiſſimum fuit decretum heris, qui gravabantur prole, & deſiderabant majorem lucrandi aliquid commoditatem, gratiſſimum fuit etiam illis, qui operabantur pro denario diurno (Hiſp. por jornal.) *quia laborando diebus ſingulis plus in ſeptimana lucrabantur. At famulis qui pro toto anno convenerant, & idem lucrari debebãt; eſſent multa feſta vel pauca, ingratiſſimum fuit: & multi ex ipſis hanc unam ob cauſam redierunt ad Fidem Romanam. Vt hoc cognovit Princeps, juſſit ut diebus Iovis ſibi vacarent famuli; otiarenturque, aut etiam pro ſeipſis laborarent ſi vellent, & ideo hæc dies* FESTVM COMITIS *denominatur. Sic Vir cautus omnibus ſatisfecit, & heros mitis in famulosq; in ſua hæretica defectione firmavit. Ejus exemplo vellem favere Mechanicorum famulis, eidemq; civili poteſtate concedi, ut feriis quintis à meridie ſaltem poſſent* [An hæretici habeant feſtos dies?] [Feſtum Comitis in Palatinatu.]

ſibi

ſibi vacare, & aliquod opus perficere, quod independenter ab hero poſſent vendere vel alienare.

Sic tecum diſcurrere placuit: tu conſidera ſingula, propone Sanctiſſimo Domino noſtro, & vive felicibus annis.

III.

MLXXXI. *De Gregoriana reformatione Calendarii.*

QUàm multa & liberè enarrantur è tripode, quæ ſuperiores reducere nequeunt ad praxim! Sic ais ipſe; *Et reſpondeo*, ante Gregorianam reformationem Calendarii eadem dicta, & tamen anno 1582. reformationem fuiſſe ab Eccleſiâ evulgatam. Admiſerunt illam omnes Catholici vel ferè, tametſi reſcire non poſſim cur fuerit à Clavio & ab aliis tentata: bene enim Eccleſia & Reſpublica poterat veteri ſtylo gubernari: at in expunctione feſtorũ alia eſt ratio, minuitur enim quotidie & minuetur Catholicorum numerus, quouſque feſtorum numerus diminuatur.

IV.

MLXXXII. *An aliquibus liceret aut præſtaret die feſto quocumq; laborare?*

ANne Dominicæ remanebunt intactæ? Anne & ipſæ deberent etiam exauthorari? Id non dico; ſcio tamen nonnullos deſiderare, ipſas dies Dominicas à meridie eſſe liberas, & quia id tibi fortaſſe videbitur mirum, peto ut Ægidium audias. [Ruſticus ſum, ait; laborare manibus ſcio, orare & contemplari neſcio. Hæc dies eſt Dominica. Surrexi ſeriùs, & jam ſufficienter requievi. Ivi ad Eccleſiam, duas audivi Miſſas; nimirùm ſolennẽ & privatam: concionem etiam. Legi meum roſarium: & orationes quas ſcio recitavi. Pranſus ſum & neſcio quid faciam poſt prandium. Ibo ad Veſperas? Nõ aguntur in pago illæ; & ſi aguntur mediâ abſolvuntur horâ, & ſunt dies æſtivi valde magni. Viſitabo vicinos? murmurant, pejerant, ludunt, potitant, & inebriantur. Ero otioſus domi? neque id potero, nec proficiam ſi fecero, nam otium eſt pulvinar Diaboli. Quid ergo remedii? laborare, operari. Ponere media debeo ut liberer efficaciter ab omni peccato vitioque, & præter mechanicum manuum exercitium nullum habeo.] Sic diſcurrentem ruſticum audiviſti. Quid reſpondes? Diſcurrit prudenter, vel ruſticè? quid debet, quid poteſt in tali caſu Ægidius facere?

V.

POſueram calamum; ſed quia nunc recipio literas ab Illuſtriſſimo Domino N. amico optimo, quæ prodeſſe poterunt, illum reſumo. Valedixerat mihi Pragæ, Tekernowitzium (civitas ipſius eſt) rediturus; & quia Stirſinium (meum eſt) non multum exeſt ab itinere, oravi ut ad meam Arcem illâ nocte diverteret. Adquievit humaniſſimus Baro, & die alterâ gratias & has lineas ſcripſit. [*Por no faltar* **Ruſtici** MLXXXIII
conmis obligationes, no é podido dexar de ſummas ſoeſcribir eſtos ringlomes agradeciendo el lennitates hoſpedaje y buen tratamiento, que me hizo non obſerel Mayoral de Eſtirſin, en nonbre de ſu Amo. **vans.** *Queriendo a la manana agradecerle al dicho Mayoral el tratamiento, aun con ſer dia de San VVito, auia ido à trabaxar al campo, y auiendo preguntado à ſu muger, como no guardaban las fieſtas, me reſpondió, que ſuſſus amoſ por ellos, guardaban fieſtas, reçaban, ayunaban, y hacian penitencia de ſus peccados, &c.*] Quæ verba quia mihi placuerunt, volo latinè reddere, ut res ſeriæ & graves levioribus jurari poſſint. Illuſtriſſimus igitur Dominus Baro ſic inquit [*Ne videar obligationibus meis deeſſe, ſcribo has paucas lineas, & gratias habeo ob humanitatem, quâ*

Digitized by Google

Domini ſui nomine me Præfectus excepit. Poſtridie matutino tempore volui illi valedicere; at aberat, & laborabat rure. Et quia erat S. Viti ſolennitas, rogavi uxorem, An non ruſtici faſtos Sanctorum obſervarent? Et illa, Domini mei (nempè Monachi Monſſerratenſes) *feſta obſervant pro nobis; orant pro nobis; jejunant & agunt pœnitentiam pro nobis: &c.*] Sic anus illa decrepita & hypochondriaca omnes Eccleſiaſticas obſervantias in humeros ſuorum Dominorum exonerans: ut vel ipsâ teſte eſſet verum illud Poetæ junioris: *Plebs, dum pro populo Presbyter orat, arat.* Et quidem ego jam ſciebam ruſticos non jejunare, rarò orare, ſed putabam ſaltem feſta colere vel invitos: audio tamen hæc coli Pragæ, ſed extra mœnia, vel in S. Witi die (Bohemorum Patronus ille eſt) ruſticos operari. Cur ergo multiplicantur feſta, ſi non ſervantur: & præcipuè in Bohemia? Nam ſi nativitatis jure ruſtici vivere ſuis dominis teneantur, & tot diebus operari pro domino: ſi una diecula, quæ illis relinquitur, ſi relinquitur, à Parrocho feſtiva dicatur; illi Deo, ne dicam amplius, vovebunt Parrochum; nec induci poterunt, ut ſua negligant, fame pereant, & diem obſervent. An ne Domini aliter ſunt proceſſuri? Reſpondent ruſticos eſſe ſua mancipia, (& verè in Bohemiâ illi mancipia ſunt) & nemini injuriam inferre, qui ſuo jure utitur? Si petatur, unde victuri ſint ruſtici, ſi feſta obſervent? Ipſi viderint, inquiunt. Si aliquis Dominus clementior eſſe velit, omnes cæteri inclamant, rem eſſe magnæ conſequentiæ & ſcandali, & debere Jura manu teneri. *Omni ergo niſu allaborandum, ut Eccleſia Feſtorum numerum dignetur aliquando minuere.*

Ruſtici in Bohemia ſunt ſervi.

***

FUNDAMENTUM LIII.

De Officio Divino, quod poteſt ad tertium præceptum reduci.

MLXXXIV. *Divini officii lectio.*

PRæter miſſam Jejuniumque etiam coluntur dies Horarum Canonicarum lectione: at hæ ſingulis diebus debent legi, ſed non ab omnibus. Sed à quibus? A Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis. Moniales & Religioſi Juniores jure Profeſſionis choro ſicut aliis communitatis actibus tenebuntur adſiſtere: non tamen privatim recitare. Si inferas eos non teneri, quidquid de conſequenti ſit, conſequentiam negabo; quia in Ordine S. Franciſci tenentur jure Regulæ; & in aliis jure Præcepti ſpecialis, aut fortè præſcriptæ conſuetudinis poterunt. Uniuſcujuſque erit ſui Ordinis mores examinare.

An Juniores qui non ſunt in ſacris teneantur ad Officium divinum?

Offi-

MLXXXV. Officium Divinum præcipua eſt Religioſorum obligatio, & ideò ab Authoribus plurima de illo ſcripta dictaque. Ego illa reſumam, quæ video placuiſſe aut diſplicuiſſe meo Dianæ.

I.

An qui habet officium, cum quo conſiſtere non poſſit Horarum Canonicarum lectio, excuſetur ab earum recitatione?

Diana. Affirmativè reſpondet Caramuel, inquit Diana *part.7.tract.11.reſol.1.* & ſtatim Caramuelem citat Trullench, qui ait *obligatum ad recitandum Divinum Officium, non poſſe voluntariè ſuſcipere aliud munus officium-ve, cujus executio incompoſſibilis ſit, cum recitatione horarum, modò non adſit neceſſitas illius ſuſcipiendi.* Addit Machadum, Baſſæum, Monetam, Oliverium Bonartium, qui ſequuntur ſententiam Suarii, ex quibus concludit Officium rarius incomputabile cum Officii Divini lectione poſſe quidem admitti, at non illud cui ordinariè adnexa ſit talis occupatio, niſi ſpecialis ratio Charitatis aliud ſuadeat: nam quando aliquis debet legere de oppoſitione, ut ajunt, & in caſibus aliis ſimilibus excuſatur à Lectione Horarum à Bonartio, & Caſtro Palaus.

Perez. At hæc ſententia, quam Caramueli Diana attribuit, nec mala nec Caramuelis eſt. Porrò non eſt mala, quia defenditur ab Antonio Perezio viro pientiſſimo & doctiſſimo in Expoſitione Regulæ D. Benedicti *cap. 50. num.1.* quem citavit Caramuel, *in Commentarii ſui editione ſecunda num.* 1448. ait enim. *Scita & conſtans apud omnes eſt doctrina Scholaſticorum dicentium, quod dum gravis aliqua & diuturna ſimul ingruit occupatio, quæ abſque offenſione aliorum prætermitti non poteſt, aut in aliud tempus commodè differri, juſtam excuſationem afferat recitandi officium Divinum: ſecus verò &c.* Ecce agit de occupatione diuturnâ, ecce excuſat à lectione, ecce formidine caret dum reſolvit, ſuamque docet eſſe ſcitam conſtantemque omnium Scholaſticorum ſententiam. Hinc ſic diſcurro. Fuit Perez Doctor Salmanticenſis, & vir ſummæ literaturæ: ergo omnes quos legit, omnes Salmanticenſes Doctores quos audivit, erant hujus ſententiæ; aliàs enim inſcitè diceret, eam eſſe ſcitam opinionem & apud univerſos conſtantem. His prælibatis ad mentem Caramuelis veniamus. *Perezius qualis?*

Dico primò ad mentem Caramuelis, caſum, qui proponitur, eſſe impoſſibilem: nam num. 1440. ponit hunc titulum. *Modus facilis ſatisfaciendi officio, etiam cum negotia ſunt gravia*, & in hunc Paragraphi: *Ecce modum quo Canonico officio ſatisfacies ſine diſpendio temporis, qui ſtudiis vacas aut negotiis obrueris.* Toto ergo cœlo abeſt ab admiſſione hypotheſis, quæ negotiorum & lectionis incompoſſibilitatem ſupponit, qui dicit eſſe facile ſatisfacere officio divino, etiam cùm negotiis obruimur.

Sed quid ſi admittatur hypotheſis? MLXXXVI. Manebimus in merâ ſpeculatione; nihilque dicemus, quod ſit practicum: nam ſi hypotheſis impoſſibilis eſt, quidquid ex illâ ſequatur, non practicum, ſed purè ſpeculativum eſt. Et quidem non admiſsâ, ſed condonatâ hypotheſi *num.1436 c.* ſic reſolvit Caramuel. *De habitualibus (occupationibus) major eſt difficultas*, ait, *quia illa vix tanta ut deſit recitandi locus.* (nota illud *vix* & infer rariùs poſſe contingere, ut tantæ ſint,

Digitized by Google

ſint, quæ excuſare dicantur.) *Verùm in his hæc mihi Regula. Conſidero laborem minimum, qui eſt ſufficiens excuſare à jejunio, & quo alius minor à jejunio excuſare non poteſt; hunc vocemus laborem A. His poſitis dico: [Ille cujus occupationes tam incompatibiles ſunt, cum lectione Horarum, quàm labor A. cum jejunio, non tenetur legere.] Conſtat evidenter à pari.* Et num. 1437. explicans occupationum qualitatem, ait Caramuel, *eas debere eſſe ex officio; ut ſervire Reipublicæ, cùm poteſt & quantum poteſt; unicuique favere proximo graviter periclitanti.* His poſitis percipere nequeo, in quo Authores, quos Diana allegat contrà, differant à Caramuele, niſi in hoc tantum quod ipſi admittentes hypotheſin reſpondeant practicè; & Caramuel negando illam, ſpeculativè: reſponſio enim eſt eadem; nam Caramuel agit de ſolis occupationibus, quæ ex officio, hoc eſt ex juſtitiâ aut charitate obligant; & cæteri dicunt, non poſſe admitti officium incompoſitum cum Horarum lectione *niſi ſpecialis ratio Charitatis* (ſtrictior Charitate eſt Juſtitia) *aliud ſuadeat.*

MLXXXVII *De jejunio.* Jejunium cum Horarum lectione connexuit Caramuel, & ut quæſtionem modò meliùs examinet inquirit, *An quis poſſit ultrò admittere officium, quod cum jejunio Eccleſiaſtico ſtare non poſſit?* An non Trullench teneretur conſequenter dicere *obligatum ad jejunandum non poſſe voluntariè ſuſcipere munus officium-vè cujus exequutio incompoſſibilis ſit cum jejunio, nam implicitè vult violationem jejunii, modò non adſit gravis neceſſitas illud ſuſcipiendi?* An non idem dicere tenetur Diana, qui ejuſdem doctrinam & rationem admittit? Teneretur omninò, aut diſparitatem aſſignare. Et ſi hoc diceret, deberet conſequenter aſſerere, neminem poſſe voluntariè & ſine gravi neceſſitate eſſe ſutorem, Sartorem, Barbitonſorem, Prædicatorem, &c. nam horum officiorum aut munerum labor cenſetur à multis incompoſſibilis cum Jejunio, & hanc ob cauſam excuſantur à plurimis. Et ut directiùs argumentemur contra Dianam, [*qui* 1. *part. tract.* 9. *reſol.* 9. Foſſores, Serrarios, & ſimiles à jejunio, non ſolum diebus quibus laborant: eoſdemque *reſol.* 11. etiamſi ex mercede concionentur, & alios aliis locis excuſat] pronuncio eum ad hoc Trilemma teneri, nimirùm *vel* aſſerere neminem poſſe Foſſoris, Serrarii &c. aut etiam Concionatoris officium, incompoſſibile cum Jejunio voluntariè admittere: *vel* omnem poſſe Munus incompoſſibile cum Horarum lectione, *vel* oſtendere privilegium, quo fultus poteſt inconſequenter loqui.

Porrò ratio adducta in contrarium non urget: & ſi urgeret, æquè urgeret in jejunio & Horarum lectione: illam enim Poſitionem, *Qui admittit munus incompoſſibile cum Horarum lectione aut Jejunio implicitè vult omiſſionem lectionis & jejunii*; diſtinguo: implicitè (imò expreſsè ſi velis; quid inde?) vult omiſſionem lectionis obligatoriæ, nego: non obligatoriæ, concedo. Et quidem, ſi ratio illa convinceret, etiam probaret neminem poſſe petere, vel admittere voti diſpenſationem aut commutationem, quia etiam iſte implicitè aut expreſsè vellet omittere actum ad quem tenebatur ex voto. Quamobrem dicendum eſt, aliud eſſe velle carere obligatione, & poſteà jejunium non obligatorium omittere; & aliud diverſum omninò, velle omittere lectionem aut jejunium die quo legere aut jejunare tenemur. Hanc ipſam Diſtinctionem me docuit Diana

1. *part.*

Digitized by Google

1.*part.tract.9.reſol.*52. ait enim. *Aliud quidem eſt deſiderare aliquem frangere praceptum, quando eſt obligatio, & aliud deſiderare ſe reddi impotentem ad praceptum; hoc enim nihil eſt aliud, quàm optare excuſationem pracepti, quam licet quis intendat via illicita, non operatur adverſus tale praceptum, cùm non deſideret illud infringere quando obligat, ſed modum quo non obliget quarat.* Hæc dixi, quia video multa dici à nonnullis, quæ ſeorſim pulchra, & tamen ſimul componi & cohærere non poſſunt: nec exiſtimo bene philoſophari, qui doctrinæ conſequentiam non curat.

II.

Quid dicendum ſit, quando Eccleſiaſticus legere tenetur ex Juſtitiâ.

MLXXXVIII QUando agit de Officio Divino Caramuel, agit de Religioſis, quos non putat ratione ſtatûs ad illud teneri ex juſtitiâ; nam ut oſtendit *in Commentarii in Regul. S. Benedict. num.*1350. non obligantur jure ſuſtentationis; At quia authores quos citat Diana generaliùs loquuntur, & ſunt multi ſæculares Sacerdotes (fortè & aliqui Religioſi, ex contractu ſpeciali) qui ex juſtitiâ tenentur (puta ratione beneficii &c.) placuit hanc quæſtionem adjungere, ad quam reſpondeo non poſſe admitti officium incompatibile cum obligationibus, ad quas aliquis ex juſtitiâ tenetur. Hinc eſt Capellanum, qui ob beneficium, præbendam &c. tenetur celebrare aut Canonicas horas recitare quotidie, non poſſe admittere occupationem aut officium aliquod incompoſſibile: omni enim gratiæ aut charitati debet Juſtitiæ obligatio anteponi. Quod ipſum exemplo clariſſimo oſtendo. Nam Faber lignarius, qui tecum pactus pro domo erigendâ & pecuniam recepit, tenebitur tibi ſervire ex Juſtitiâ, nec poterit acceptare officium, quod impedimentum inferat, & ſit in causâ, ne tibi ſatisfacere poſſit.

Juſtitia omni liberalitati praponenda.

III.

An aliquis, ut fugiat obligationem legendi Horas Canonicas poſſit quærere & ultrò aſſumere occupationem, quæ incompatibilis ſit cum lectione Canonicâ.

DIana negativè reſpondebat ut vidimus; qui enim acceptare non queit tale officium, non poterit petere & ſolicitare: at nunc dico debere illum aut inconſequenter loqui, aut reſpondere affirmativè: & oſtendo. *Parte* 1. *tract.*9.*reſol.*19. inquirit, *AN aliquis, ut effugiat obligationem pracepti poſſit tranſire ad alium locum propinquum, ut non jejunet, ſi jejunetur in ſuo?* & reſpondet aſſerentem ſententiam eſſe tutam in praxi & probabilem. Noto illud *ut* & infero, Ergo poteſt quis, ut effugiat obligationem legendi Horas Canonicas, tranſire ad aliud officium aut dignitatem, quæ legendi obligationem excludat. MLXXXIX.

Et conſequenter *Reſol.*40. interroganti, *An defeſſus ex labore ſumpto ob recreationem* (puta ex ludo pilæ, vel ob quærendam concubinam) *teneatur ad jejunium?* ait opinione Ledeſmę & Medinæ, non peccare, qui ponit impedimentum ne jejunet; nempè qui ludit pilâ; non enim tenetur illam relinquere propter jejunii obſervationem. Lego & infero eodem modo de Officio

divino, & aliis Præceptis debere Ledeſmam Medinamque philoſophari: vel oſtendere cur id in uno præcepto valeat, & in altero non valeat? Poterit igitur quis ſe fatigare, ludendo pilâ, eâ intentione, ut poſteà reſpirare non potens à Lectione Canonici officii excuſetur.

Et iterum *Reſol.* 52. inquirit *An excuſetur à jejunio, qui labore aliquo defatigatur, quamvis illum in alium diem commodè differre queat; & etiamſi data opera ut non jejunet hoc ageret?* Inquiro & ego; *An excuſetur ab Horarum lectione, qui ſumpſit occupationem incompoſſibilem, quamvis illam in alium diem commodè differre poſſit: & quid ſi data opera, ut non recitaret eam aſſumeret?* & puto ad utrumque eodem modo reſponderi debere.

IV.

Quænam parvitas materiæ excuſet à peccato mortali in recitatione officii divini?

MXC. *An de Moralibus, ut de Phyſicis philoſophãdum ſit?*

OPortet ait Caramuel *in Comment. num.* 1408. ut de Phyſicis, ita etiam de Moralibus philoſophari: ſi enim daretur vel una virtualis formalitas, quæ careret fundamento phyſico, illa eſſet chimæra non moralitas. Cùm igitur in hoc videantur convenire Philoſophi, quòd qualitas dividatur in octo gradus (nonum, decimum &c. nondum Schola admiſit) videtur conſequentia doctrinæ poſtulare, ut eodem modo de moralibus philoſophantes, dicamus totum officium divinum componi octo partibus: & qui unam integram omittat peccare mortaliter, non qui octavæ partis partem. Porrò Medici Totum quatuor partibus conſtituunt, Arithmetici decem, Geometræ olim ſexaginta, jam centum millibus &c. Aſtronomi circulum dividunt in duodecim, ſignum in triginta (Alfonſus Rex in ſexaginta) gradum in ſexaginta, &c. Sed cur Caramuel, Philoſophos ſecutus eſt, non Medicos, non Arithmeticos, non Geometras, non Aſtronomos? quia Theologia Moralis ſub-alternatur Philoſophiæ, non Medicinæ, non Arithmeticæ, non Geometriæ, non Aſtronomiæ.

Totum dividitur in octo partes.

Stando huic modo dicendi duas invenit ſententias Caramuel; alteram quæ officium divinum octo partibus inæqualibus (quas Horas vocat) conſtituit; alteram quæ octo æqualibus. Et inquirens, Utrùm omittere decem Pſalmos in Nocturnis ſit mortale? reſpondet negativè juxta primam ſententiam, & juxta ſecundam aſſertivè. Et ſi quæras, utra ex illis duabus ſententiis debeat admitti aut rejici? Reſpondeo utramque poſuiſſe Caramuelem, utramque expoſuiſſe: ſolam ſecundam approbaſſe; nam loco citato, ex primâ ſententiâ infert peccare mortaliter, qui unam tertiam omittit & *hoc* ait *tametſi apud eos, qui utuntur Breviario Romano ſit plauſibile, ſi agamus de officio Benedictino vix videri probabile.* Cùm ergo Caramuel agat ſpecialiſſimè de officio Benedictino, & quæ rationes & fundamenta communia Romanis & Benedictinis, non voluit nec potuit admittere primam ſententiam.

Sed Diana 7. part. tract. 11. reſol. 2. ſic ait. *Hucuſque Caramuel, quæ omnia ex ejus mente dicta eſſe volo, nam video ut ego alibi probavi, communiter Doctores aſſerere omiſſionem unius horæ etiam parvæ eſſe materiam notabilem ad conſtituendum peccatum mortale in recitatione Officii,*

cii, neq; ullus usq; adhuc docuit omiſſionem decem Pſalmorum in recitatione Matutini eſſe materiam parvam.

Reſpondeo hæc omnia ſequi ex opinione, quam vix probabilem vocat Caramuel, non ex alterâ, quam ille tenet. *Addo* Viros doctiſſimos conſultos fuiſſe à Caramuele de hâc materiâ, eoſdemq; omnes diverſas habuiſſe ſententias, at nullum rationem aliquam fundamentalem. Ipſe conatus hanc quæſtionem ad prima fundamenta reducere, putavit ex philoſophicis intenſionis gradibus poſſe fundamentum deſumi, cui Reſolutio inſiſteret. Poſito illo fundamento, cætera neceſſariò ſequuntur: qui transglutire conſequentias illas non velit, oportet ut aliis fundamentis inſiſtat. Sed quibus? nulla habent, ſed tantùm dicunt, *Sic videri.* Dignetur Diana dare alia meliora fundamenta, & illa ſtatim admittet Caramuel, & ad mentem ipſius dialecticabitur: quod ſi nemo hucusq; præter Caramuelem, fundamentaliter hanc quæſtionem decidit, videretur debere ejus ſtudio & ingenio gratias agi, ejusque doctrinam adverſariæ præponi: aliud enim eſt dicere, ut puto, *Sic videtur,* & aliud omninò, *Sic probatur:* quoniam opinio, quæ ratione caret, & ſolo timore ſubſiſtit, etſi omnium ſit, relinqui debet inventâ ratione in contrarium. Nulla eſt hodie opinio, quæ olim non habuerit aliquem, qui fuerit primus, nec idcò omninò debet rejici, quæ unicum habet, ſi talis ſit, quæ ratione gravi roboretur. Ego igitur re bene conſideratâ mentem meam ad has nunc concluſiones reduco.

An ſufficiat in rebus arduis, ſic videri?

MXCI. Prima. *Sententia, quæ Officium divinum octo partibus inæqualibus, ſeu octo Horis componit, nec eſt probabilis à ratione, nec ab authoritate.* Non à ratione, quia inde ſequerentur ſimul hæc duo; nimirùm peccare mortaliter qui unam tertiam in Officio Benedictino omitteret: non autem qui in Matutinis decem Pſalmos: & primum ratio reſpuit, & ſecundum authoritas.

Secunda. *Sententia altera, quæ Officium octo horis æqualibus componit, eſt probabilis à ratione & ab authoritate.* Et oſtenditur, quia conſequentiæ, quæ ab illa diducuntur, admittuntur à Doctoribus gravibus. Sequitur enim primò eſſe mortale omittere decem Pſalmos in Matutinis, & ſecundò omittere unam Tertiam, non eſſe peccatum mortale; & illud prius admittunt omnes teſte Dianâ, & hoc poſterius Joannes de Jonghe & Ignatius Derkennis quos cito in Comment. num. 1462. Ergo in praxi teneamus hanc ſecundam ſententiam, & dicamus D. Antoninum, Navarrū, Toletum, Gregorium de Valentia, Jacobum de Graffis, Sylveſtrum, Servatium, Lairuelz, Leonardum Leſſium, Tabienam, Fuſcum, & quotquot dicunt eſſe peccatum mortale unam Tertiam omittere, debere neceſſariò dicere poſſe ſine mortali omitti in Matutinis decem Pſalmos; aut ſi hoc non nec prius illud. Vel dent rationem obſecro, quâ fundantur.

An omittere unam tertiam ſit peccatum mortale?

V.

De materiâ nullâ.

Octavam partem Divini Officii eſſe minimâ gravem docet Caramuel *Quid ſit in Comment.* 1463. infertque octavæ materia octavam eſſe minimam levem; cumq; *nulla, &* infra minimâ gravem nulla ſit, quæ ſit *quanta?* gravis; infra minimam levem nullam admittit, quæ ſit levis. Quanta ergo MXCII.

 erit?

Digitized by Google

erit? minor omni levi. Hoc eſt, aliquanta phyſicè, & moraliter nulla, ſeu quantitate virtualiter & moraliter carens. Hanc doctrinam recenſet pro curioſis Diana *part. 7. tract. 11. reſol. 2. §. Notandum.* Hinc patet infra peccata venialia poſſe & debere admitti imperfectiones, quas debeamus omittere, ut longiùs abſimus à venialibus.

VI.

An Sacerdos cæcus, qui ſolus non poteſt perſolvere horas Canonicas, poſſet tamen alternatim cum ſocio, ſi eum ad manus habeat, teneatur adhibere?

MXCIII. RESpondet negativè Caramuel *in Comment. num.* 1445. ſequutus Joannem Sanchez *in Selectis diſp.* 41. *num.* 2. Affirmativè Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 6. *num.* 13. Et Diana *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 3 utramque judicat eſſe probabilem. Sed ſemper manet eſſe contra naturam gratiæ aut privilegii, quod aliquis invitus cogatur: non enim putarem eſſe favorem & privilegium certum, quod induceret obligationem etſi tantùm probabilem.

An ex privilegio naſcatur obligatio?

VII.

An Regularis, qui non eſt conſtitutus in ſacris, ſi maneat extra monaſterium, teneatur Officium Divinum recitare?

MXCIV. NEgativè reſpondet Caramuel *in Regul. D. Bened. num.* 1443. apud Dianam *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 4. & ſe ſic reſpondere negat ipſe Caramuel: idque ille non habet in verbis quæ citantur à Dianâ, ait enim, *Quicunque Monachi &c. quia Monachi &c. exitus junioris Monachi, &c.* Sanè de Monachis agit Caramuel, & hodie in Dei Eccleſiâ multi ſunt Regularium Ordines, & Monachorum pauci: Et ratio quam adducit Caramuel, videlicet, *exitum junioris Monachi cum licentia, aut ſine licentia eſſe rariſſimum, & de rarò contingentibus conſuetudinem dari non poſſe*, ſi agamus de Monachis, & de Benedictinis præcipuè, eſt valdè efficax; ſi de Mendicantibus falſa; frequentiſſimè enim apud ipſos, Juniores extra Monaſterium egrediuntur de ſuorum ſuperiorum licentiâ, & quæ ſæpe accidunt, inducere conſuetudinem poſſunt. Sed hic iterum examinanda eſſet hæc conſuetudo, non enim omnis obligat, quæ videtur.

VIII.

An Regulares nondum in Sacris conſtituti teneantur ad Officium divinum?

CAramuel *in Comment. num.* 1351. apud Dianam *p.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 4. ex multis latiſſimè conatur probare Regulares Juniores ante perceptionem ſacrorum ordinum nec ex præcepto, nec ex vi Regulæ, neque ex conſuetudine receptâ teneri officium divinum perſolvere. MXCV.

Sed ſe ullibi tam generaliter loquutum negat ipſe Caramuel: quoniam loquitur ipſe, non de quibuscunque Regularibus, ſed de Monachis, & non de quibuscunque Monachis.

Digitized by Google

chis, ſed de Benedictinis; & ſi adhuc ſubdiſtinguere velimus, non de quibuscunque Benedictinis, ſed de Benedictinis-Ciſtercienſibus, lego enim num. 1352. *Ego verè de aliis Religionibus judicare non poſſum, nec qualis apud eas ſit iſta conſuetudo declarare: video Viros doctiſſimos conſultos de Iure Ciſtertienſi miſerè oberrare; quia externi nec mores noſtros, nec leges ſufficienter noverunt: idcircò, ne cæcus de coloribus diſputem, de aliarum Religionum ſtatutis & obligationibus, libenter dubito, Magiſtrum ago non libenter. Ergo quidquid ſit de aliis Ordinibus, in Ciſtertienſi &c.* Agit igitur Caramuel de Ciſtertienſibus, aut ut plurimum de Benedictinis, non verò de Regularibus ut ſic, ſeu de aliorum Ordinum Religioſis.

Sed quid de Benedictinis Caramuel. PRIMÒ, *Iuniores, ſi tenentur legere privatim, graviter tenentur.* SECUNDÒ, *ſi tenentur legere privatim, debent quotidie legere, & ſi ſemel omittant, peccabunt mortaliter.* TERTIÒ, *ſi tenentur aliquo titulo tenentur.* QUARTÒ, *Iuniores non tenentur, ſub culpa legere privatim ratione Religionis.* QUINTÒ, *Choriſtæ Benedictini, non tenentur ſub culpa legere jure Regulæ:* (Nota illud *Benedictini*) SEXTÒ, *Non obligantur jure ſuſtentationis.* SEPTIMÒ, *Nullo præcepto Iuris Communis aut particularis ad onus tale obligantur.* OCTAVÒ, *Habent legendi conſuetudinem, ſed iſta conſuetudo non obligat ſub culpa gravi.* NONÒ, *Monialis, aut Iunior. Religioſus, cui Abbas in virtute Obedientiæ præceperit legere Officium Canonicum; ſi totum omittat aut ejus notabilem partem, peccabit mortaliter.* Hæc num. 1346. 1347. 1348. 1349. 1350. 1351. 1358. & addit nunc, *Si in aliquo Monaſterio, aut Congregatione* (quod non ſcio) *Moniales & Iuniores ad Horarum lectionem obligantur mortaliter, opus eſt ut ibidem ſit aut Inferiorum virtuale votum aut Superiorum virtuale præceptum, aut contractus aliquis cum fundatoribus, nam aliter conſuetudo non obligat.*

Cur, & quando obliget?

Conſonant ea, quæ ſub Commentarii finem, folio, videlicet Qqqq 2. juxta editionem primam, & fol. Llll 2. juxta ſecundam habet Caramuel; ait enim, *Regula Benedictina indicit-ne privatam lectionem Iunioribus nondum ad Ordines promotis? Reſolvo affirmativè: negativè verò Eugenius IV. in Privilegio conceſſo Ciſtertienſibus anno 1437. Illud igitur probabile à ratione eſt, hoc ab authoritate. Ex ſuppoſitione quod Regula privatam lectionem eis indicat, non tenebuntur mortaliter ante Abbatis præceptum.* Ita in Syntheſibus ſuis Caramuel, cui Andreas à Turri, Petrus Damaſus de Coninck, Henricus Loyens, Adrianus Crommius, Joannes de Jonghe, Ignatius der-Kennius, Patritius Brenanus, Auguſtinus Eganus, Raymundus Caronus, Ludovicus de Scildere, Franciſcus de Cleyn, & alii Lovanienſes Doctores & Lectores ſubſcribunt. Et quia Diplomatis dati ab Eugenio IV. meminimus, placuit ex eo paragraphum XIV. decerpere, in quo concedit Pontifex, *quod Capitulum poſſit ordinare, quomodo dicant Officium Fratres Converſi, & Monachi, qui non ſunt in ſacris, cùm de utriſq.* (nota bene) *nihil in dicta Regula* (*S. Benedicti*) *exprimatur.*

Hæc eſt Caramuelis doctrina, quam in Commentario ſuo habet: non quam dicitur habere apud Dianam.

Quid ergo Caramuel de aliorum Ordinum Junioribus? Dixit expreſsè num. 1352. ſe nollè imò non poſſe de moribus aliorum judicare: non ergo illos ad privatam lectionem nō teneri.

Digitized by Google

Loquitur igitur de Benedictinis, qui, niſi conſuetudo eſſe obligatoria probatur (eſt enim conſtans) non tenentur ad peccatum mortale; nimirum, ante Abbatis præceptum: poſt hoc enim illos ad mortale teneri manifeſtum eſt.

IX.

An Novitii, etiamſi ſoli in choro ſint, poſſint ſatisfacere præcepto legendi Horas Canonicas publicè?

MXCVI. NOluit reſolvere quæſtionem Caramuel, ſed tantùm *in Comment. num.* 1325. I. rationes pro utrâque parte, quæ ſolent allegari, perſtrinxit: ſed quia Diana *part.* 7. *reſol.* 5. judicat utraſque eſſe probabiles, jam audentior Caramuel eandem Quæſtionem ad mentem ejuſdem decîdit. Notat tamen, licèt probabile videatur poſſe Novitios publicæ lectioni ſatisfacere, hoc non reſpondere Benedictinorum praxi, apud quos nunquam vidit ita Profeſſis deſtitui Chorum, ut quatuor aut ſex non interfuerint. Anne poſſet aliquis argumentum à conſuetudine diducere? Non puto: non enim quæcumque frequentatio actuum habet vim legis, ſed quæ involvit præceptum aut votum implicitè.

An omnis conſuetudo habeat vim legis?

X.

Anne, qui cum ſocio privatim vel publicè recitat, teneatur audire partem ſocii?

MXCVII. NEgativè reſpondere Caramuelem *in Comment.* 1383. (lege 1386.) inquit Diana *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 5. at negat ſe id docere Caramuel: & jubet legi verba ipſa, quæ à Dianâ citantur. *Nemo tenetur auſcultare ſocium, ſed ſuos quiſque verſus correctè legere, & non incipere antequam alter deſierit.* Dat rationem, *Quia nullum eſt præceptum de auſcultatione; atqui ubi non eſt lex, nulla eſt obligatio: ergo nemo tenetur auſcultare ſocium, ſed ſolùm expectare.* Anne poterit expectare quod ſocius ſuum abſolvat verſum, quin eundem audiat? Minime. Cur ergo Caramuel docet te ſocium audire debere, & tamen eundem auſcultare non debere? quia cœlo toto ab auditione diſtat & differt auſcultatio. Calepinus: *Auſculto cum accuſativo ſignificat audio, & diligenter attendo*, qui citat Catonem dicentem, *Auditis enim, non auſcultatis, tanquam pharmacopolam*, ergo aliud audire, aliud auſcultare eſt: imò Catone teſte, non omnes auſcultant, qui audiunt. Et quidem ſignificationem hujus vocis ſcire tenebatur Caramuel, exponebat enim Regulam D. Benedicti, quæ incipit ab hoc verbo. *Auſculta*, inquit Legiſlator Sanctiſſimus, *præcepta Magiſtri, & admonitionem pii patris libenter excipe, & efficaciter comple: &c.* Unde iterum colliges auſcultare non eſſe merè audire, ſed audire attentè, hoc eſt aure corporis & cordis percipere, quæ dicuntur ab alio. Poſitâ igitur vocum ſignificatione, notâ omnibus, videamus quomodo diſcurrat Caramuel.

A lege naſcitur obligatio.

Aliud audire, & aliud auſcultare eſt.

Diſputationis illius 108. quam citat Diana, *articul.* 1. *num.* 1374. docuit Caramuel in Horarum lectione, attentionem internam non requiri; id à Dianâ didicerat, qui *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 2. ait, *Ergo ſine metu* (hanc ſententiam) *probabilem eſſe affirmo.* Didicerat eandem à Durando,

An in lectione horarum requiratur attentio?

rando, Sylveſtro, Medinâ, Angelo, D. Antonino, Roſellâ, Paludano; item, ab Ægidio Conich, Joanne Valero, Leſſio, Henriquez, Victorello, Layman, quos Diana allêgat: quibus probabiliter ſubſcribit Baſæus *in floribus pag.* 353. ubi Caramuelem citavit.

Hâc doctrinâ præmiſsâ, ſic diſcurrit Caramuel. [Non tenetur Sacerdos recitare ſuam partem cum internâ attentione; ergo neque tenebitur audire ſocii partem, cum internâ attentione: Ergo non tenebitur auſcultare.]

MXCVIII. *An audire teneamur vocē ſocii?* An neque tenebitur audire? Hanc quæſtionem non reſolvit Caramuel, ſed quia Dianæ non videtur arridere pars aſſerens, quid in illo legerim accuratè proponam. Docet Azorius *part.* 1. *libr.* 10. *cap.* 11. *quæſt.* 4. eum qui privatim legit, modò labia moveat, & verba proferat, ſatisfacere, etſi ita recitet, ut nec à ſe, nec ab alio audiri poſſit. Hanc ſententiam pro ſcrupuloſis admittit Filliucius *tom.* 1. *tract.* 23. *c.* 3. *num.* 117. eamque docet eſſe probabilem; illique etiam pro ſcrupuloſis ſubſcribit Diana *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 11. ſtante hâc doctrinâ ſic diſcurro. [Nemo tenetur ſe audire cum ſolus legit; ergo neque duo tenentur ſe audire cùm ſimul recitant. Patet, quia cùm conceditur ut legant ſimul, non imponitur eis nova obligatio, quâ anteà carebant, ſed indulgetur, ut labor & onus dividatur.] Ergo vel ſe debet audire, qui privatim recitat; aut qui cum ſocio recitat, non tenebitur audire ſocium.

***

XI.

An qui cum notabili abſciſſione ſyllabarum, ita profert verba ut tamen ſuam ſignificationem retineant, adimpleat præceptum quoad ſubſtantiam? & quid de ejuſdem ſocio dicendum ſit?

STat pro aſſerente Caramuel, ut bene notat Diana *part.* 7. *ſ. Non deſinam.* & modo aſſerit ſe hanc doctrinam didiciſſe ab ipſo Dianâ *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 32. ubi citat Filliucium, Azorium, Villalobos, Sylveſtrum, &c. & quia ſententiam ſuam Caramuel putaverat olim clariſſimam non probaverat, ſed propoſuerat tantùm; ſed quia jam recenſetur ab aliis, duas rationes adjiciet, quas judicat ipſe efficaces. Sic arguit. MIC.

Primò, Differt à bleſo aut balbô mutus, quod tametſi uterque male proferat, ita ille profert ut intelligi poſſit & debeat, ita iſte ut non poſſit. Hunc à lectione omnes excuſant, illum nemo: ergo ideò, quia hic ſubſtantiæ præcepti ſatisfacere non poteſt, ille poteſt. Bleſus igitur incorrectè proferens ſatisfacit præcepto quoad ſubſtantiam, non quoad modum; & tamen non peccat venialiter, quia ſatisfacere quoad modum non poteſt. Ergo qui linguâ eſt expeditâ præditus, & tamen bleſè Horas legeret, ſatisfaceret etiam præcepto quoad ſubſtantiam, non quoad modum, & in modo peccaret, quia omitteret liberè modum, quem poſſet ponere. *Cur balbus legere debeat, & mutus non debeat?*

Secundò. Error Orthographiæ, qui ſenſum non mutat, non vitiat contractum in omnium Doctorum ſententiæ: *Error calami non vitiat contractum.*

ergo

ergo nec error in orthologiâ, ſi ſenſum non mutet. Ergo ejuſmodi defectus accidentales ſunt, non ſubſtantiales.

Quo Hiſpani modo verba conſecrationis proferre dicantur.

Tertiò. Germani duriori pronunciationi aſſueti putant Hiſpanos hâc formâ conſecrationis uti; videlicet, *Hoc es enin corpos meon: Hic es enin calis ſanguinis mei, &c.* & tamen de veritate conſecrationis non dubitant. Ergo error in pronunciatione, ſi non alterat vocum ſignificationem, eſt merè accidentalis, ſeu modalis.

XII.

An ſi quis legat officium de Reſurrectione loco alterius ſatisfaciat præcepto?

MC.

PUtabat olim Caramuel ſe affirmativam ſententiam didiciſſe à ſuo Dianâ, & quia etiam putabat ſe eſſe bonum dialecticum, poſitis Dianæ fundamentis per varias conſequentias volavit. Docuit Diana *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 3. poſſe univerſaliter officium in officium mutari. Poſuit aliquas limitationes, quas legerat in Suario, Reginaldo, aliiſque & ait,

An ſit bona conſequentia, Non poteſt ſemper: ergo nec unô die?

Hæ limitationes mihi parum placent; nam ut bene notavit Vega, ſi non poteſt quis mutare officium frequenter ſine reatu peccati mortalis, nec erit hoc licitum facere uno vel altero die, nam pro quolibet die eſt præceptum diſtinctum. Et ſubjungit. *Illud etiam quod addit Suarez de levitate materiæ, non bene cadit in propoſito, nam licet mutans Officium recitet æquivalens in quantitate, non recitat id quod debet, ſed aliud diverſum officium.* Et concludit dicendum eſſe abſolutè (hoc eſt, ut puto univerſaliter, ſine his aut illis limitationibus) *mutationem Officii etiam deditâ opera, non eſſe peccatum mortale, ut ſi loco Officii de feria, dicatur de aliquo Sancto &c. Si quæris rationem, hæc erit. Nam ſubſtantia præcepti recitandi Officium divinum eſt, ut ſeptem Horæ Canonicæ perſolvantur: ſed quod officium ſit de feria vel de Sancto pertinet ad modum accidentalem. Ergo per talem mutationem non violatur ſubſtantia præcepti, ſed modus, ritus, & cæremonia; quæ quidem non eſt transgreſſio ſufficiens ad peccatum mortale, quidquid aſſerant Doctores contrariæ ſententiæ. Ideo ſi quis ſine cauſa hanc mutationem faceret, ex quadam acedia animi, ut faciliùs & breviùs Officium expediatur, puto ſolùm peccare venialiter: & ſi beneficium habet non teneri ad reſtitutionem fructuum. Salva ſemper, &c.* Sic Diana.

Poteſt mutari officiũ: etiam in brevius, & hoc ſine mortali.

Ex his fundamentis Caramuel hunc formavit diſcurſum. [Unum Officium poteſt mutari in aliud; quotieſcunque non mutetur ſubſtantia ſed modus; & hoc debet abſolutè dici, hoc eſt ſine aliquâ limitatione: at quando mutatur officium de Sancto, aut de Feriâ in Officium de Reſurrectione, non mutatur ſubſtantia, ſed modus: Ergo. Probatur minor: quia officium de Reſurrectione eſt verum Officium Divinum. Nam, ut paulò antè dicebat Diana, *Subſtantia præcepti recitandi Officium divinum eſt, ut ſeptem horæ Canonicæ perſolvantur:* & Officium de Reſurrectione æquè ac alia ſeptem horis componitur.] & hunc eundem diſcurſum judicat Caramuel eſſe bonum; quoniam ex univerſalibus procedit ad particularia, & ratio quæ probat Officium de Reſurrectione non poſſe legi in Adventu, eadem probatura eſt non poſſe die S. Petri legi officium feriale:

Digitized by Google

riale: & quæ probat id poſſe, eadem probat illud poſſe. Stemus igitur bonæ Dialecticæ, & eruditiſſimum Dianam audiamus. Ille enim *part.7.tract.9.* Caramuelis potiores opiniones examinat, & *reſolut.7.* ſic inquit: *Ego in praxi difficulter conſulerem, ut quis poſſit mutare officium alicujus ſancti vel feriæ in Officium Paſchale.* Limitationem iſtam ſuam probat primò. *Nam in tali mutatione variatur notabiliter modus recitandi Officium Divinum; neque moraliter ut in aliis Officiis, redditur æquipollens.* Secundò hanc eandem limitationem confirmat, *Nam in tali Officii mutatione videtur quis derogare intentioni & inſtitutioni Eccleſiæ, quæ ſpecialiſſimâ ratione movetur ad tale breve Officium recitandum per octavam Reſurrectionis Dominicæ. Ideò tu cogita.* Et tandem *ex his reſpondet ad argumentum Trullench, Caſtri Palai; nam & diſpar ratio inter officium Reſurrectionis & alia Officia: nam hæc moraliter æquivalent inter ſe, quoad modum recitationis.* Sed quoniam hæc omnia non urgent, volui ſingula altiùs examinare.

Qui concedit difficulter, non negat.

1001. Noto illa verba, *Ego in praxi.* Putat ergo Diana hanc opinionem eſſe probabilem ſaltem ſpeculativè: & ego ad hominem ſic arguo. [Omnis opinio probabilis ſpeculativè probabilis eſt practicè. At hæc eſt probabilis ſpeculativè: ergo & practicè. Poteſt igitur conſuli in praxi] Conſequentia eſt legitima; minor eſt Dianæ hic: majorque etiam eſt Dianæ *part.2. tract.13. reſolut.5.* ubi ait. *Imperceptibile eſt, aliquam opinionem eſſe ſpeculativè probabilem, & in praxi tutò amplexari non poſſe, cùm probabilitas practicâ à ſpeculativâ probabilitate oriatur; ab eâque ſolum differat tanquam effectus à ſuâ cauſâ &c.* Dices hanc rationem contra Dianam urgere, at non urgere ſtando Caramuelis principiis, qui negat abſolutè majorem. Reſpondeo Caramuelem majorem non tam negare quam diſtinguere, nam ſi poſſit reduci ad praxin prout ponitur in ſpeculatione, quidquid licebit ſpeculativè licebit practicè: aliàs non. multi enim dicunt in luxuriâ dari parvitatem materiæ ſpeculativè & non practicè; quia poſſumus levem quamcunque actionem ſpeculari præſcindendo à periculo, cùm tamen à parte rei ſeparari non poſſit. Quod tamen impræſentiarum non contingit: quidquid enim dicitur & concipitur ſpeculativè de Reſurrectionis officio, poteſt ad effectum reduci prout concipitur.

An omnis opinio probabilis ſpeculativè, ſit probabilis practicè.

Noto etiam illud *difficulter:* & infero hanc Dianæ ſententiam non judicare improbabilem, ſed obnoxiam abuſui: quod enim improbabile eſt in materiâ conſcientiæ non jam difficulter Diana, ſed nullo omninò modo conſuleret.

Noto tandem illud etiam *conſulerem*, & aſſero ordinariè conſulendam non eſſe opinionem, quæ ſine veniali culpâ practicari non ſolet. Nam ſi petat à me aliquis, utrum illi conſulam mutare officium de feriâ in Officium de Sancto, reſpondebo me illi hoc non conſulere, quia hæc mutatio involvit peccatum veniale, & peccata conſulenda non ſunt.

Quale consilium debeat eſſe?

Dixit Diana *difficulter*, dixi ego *ordinariè non:* & quia videtur uterque ſupponere poſſe dari caſus in quo hæc opinio poſſit conſuli, hunc propono. [Eſt tibi Antonius ſpiritualis filius, & ut ex ejus confeſſione diceris, ſemper aut fermè omittit officium Divinum. Suades contra-

An quotidiana lectio Officii de Reſurrectione poſſit conſuli?

rium, & non proficis; & quia ſummam hominis negligentiam miraris, ut cum ex peccandi mortaliter conſuetudine eruas, conſulis ut ſaltem unum officium breviuſculum memoriæ mandet, ut vel ſic commodiſſimè obligationi ſatisfaciat. Et ſi cætera longa ille judicet, cur non poteris in tali caſu conſulere ut legat de Reſurrectione? Libenter reſponſionem viderem.] Vidimus, An & quando hæc opinio conſuli poſſit aut non poſſit; an rationes à Dianâ allatæ urgeant Caramuelem videamus.

MCII. Arguebat Primò. In tali mutatione variatur notabiliter modus recitandi Officium divinum: atqui peccat mortaliter, qui notabiliter modum variat: ergo & in iſto caſu. Confirmabat. Tunc tantùm licet mutare officium, cùm redditur æquivalens: At cum mutatur officium de feriâ in officium de Sancto redditur æquivalens; non verò cùm loco alius legitur de Reſurrectione: Ergo licet Officium de feriâ mutare in officium de Sancto aut contrà: non verò alterutrum in officium de Reſurrectione.

An aliqua venialia in ſuo genere ſint gravia?

Reſpondeo multa eſſe in ratione primâ, quæ non placent. Primò enim videtur repugnare aliquam variationem modalem eſſe gravem notabilem-ve: quam ob rem tantum admittam comparativè & in ſuo genere poſſe dici illam notabilem, non abſolutè: admittam inquam; eo nimirum ſenſu, quo aliqua peccata venialia aliis graviora dicimus, tametſi nullum veniale abſolutè loquendo ſit grave.

Secundò, conceſsâ majore ſenſu expoſito minorem nego. Sed cur? quia me docuit Diana eam debere negari: nam *part. 2. tract. 12. reſol. 3.* poſſe unum Officium pro altero legi ſic probat. [Subſtantia præcepti recitandi Officium divinum eſt ut ſeptem horæ Canonicæ perſolvantur; ſed quod ſit de feriâ vel de ſancto, pertinet ad modum accidentalem. Ergo per talem mutationem non violatur ſubſtantia præcepti ſed modus, ritus, & cæremonia, quæ quidem non eſt transgreſſio ſufficiens ad peccatum mortale, quidquid afferant Doctores contrariæ ſententiæ.] Et interrogo, An hæc Propoſitio, *Mutatio modi nunquam eſt mortaliter peccaminoſa*, ſit vera? Si enim falſa eſt nihil probat Diana: ſi vera, nec tunc erit mortaliter peccaminoſa, quando ſit mutatio modalis notabilis. Si dicas, non illam univerſalem propoſitionem à Dianâ aſſumi, ſed hanc tantùm, *Mutatio modi aliquando non eſt culpa mortalis*. Sed ſi hanc, nihil ille concludit: nihil enim valet ille Syllogiſmus, *Homo aliquando currit, Petrus eſt homo, ergo Petrus ſemper currit.* Et illi ſimilis omninò eſſet diſcurſus Dianæ, ſi aſſumptum illud eſſet particulare.

In quo conſiſtat divinum officiũ ſubſtantialiter? In quo modaliter & accidentaliter?

Mutatio merè modalis eſt venialis, ut plurimum.

MCIII. Ad Confirmationem reſpondeo negando majorem. Sed cur? Quia didici à Dianâ illam eſſe negandam. Paragrapho enim ſecundo Reſolutionis jam citatæ proponit Suarii, Reginaldi & aliorum ſententiam, qui aliquas limitationes afferunt, & inter alias has nimirùm, [quando officii mutatio non fieret ex contemptu, & eſſet æquivalens in quantitate vel fere, aut non eſſet ſæpe faciendi animus:] & ſubdit Diana, *Hæ limitationes mihi parum placent.* Ergo ad mentem ejus omnes debent auferri: dicendumque *ſublatâ primâ*, illum qui ex contemptu mutaret officium, peccaturum quidem in genere contemptûs, at ſatisfacturum quoad ſubſtantiam legendi obliga-

Licet mutare officiũ in brevius.

An ſatisfaciat, qui mutat officium ex contemptu?

tio-

Digitized by Google

tioni; quod ipſum non debet videri mirum, nam ſi hodie in Auſtriâ duo genera monetæ admittantur, videlicet Hungari & Imperiales, & Petrus debeat Joanni ſexaginta florenos, & in contemptum Cæſaris ſolverit viginti Hungaros, cùm quadraginta Imperiales deberet (20. Hung. 40. Imp. & 60. Floren. quoad ſubſtantiam & valorem æquivalent) dicetur peccaviſſe in genere reverentiæ & pietatis, ſed nihilominùs ſatisfeciſſe Joanni, nec debere præter 20. Hungaros adhuc dare 40. Imperiales. *Sublata limitatione ſecunda* manet poſſe mutari unum Officium in alterum etſi moraliter non æquipolleant in quantitate, ſed omittatur longiſſimum & moleſtiſſimum & ejus loco breviſſimum & expeditiſſimum legatur. *Sublata tertiâ*, manet poſſe frequẽter fieri iſtam mutationem: nam ut vidimus paulo antè (nimirùm num. 900.) docent Diana & Vega poſſe frequenter aut etiã ſemper fieri ſine peccato, quod ſemel poteſt fieri ſine peccato. Fruſtra ergo Diana *part.* 7. recurrit ad limitationem quam rejicit *part.* 2.

An in alterum brevius?

An ſæpe?

MCIII. *De intentione Eccleſiæ in ſolennitatũ inſtitutione.*

ARGUEBAT SECUNDÒ. Specialis intentio & inſtitutio eſt ut propter jubilum hebdomade Reſurrectionis illud officium breve permittatur. At qui illud die cinerum legeret, huic intentioni & inſtitutioni derogaret: ergo peccaret mortaliter.

Reſpondeo hoc argumento contra Dianam probari nullum Officium poſſe in aliud mutari: nam ſpeciali intentione & inſtitutione ordinavit Eccleſia, tale officium legi debere die S. Petri, tale die S. Pauli. Deberetq; omnis condemnari mutatio, vel nulla. Eandem rationem ſic repono; [Specialis intentio & inſtitutio eſt, ut propter mærorem in hebdomade majori longum illud feriale officium legatur; & tam ſpecialis, ut transferri præcipiat ſanctorum omnes ſolennitates, quæ tunc incidant. At qui hebdomade majori de Sancto legeret, huic intentioni & inſtitutioni derogaret: ergo peccaret mortaliter.] Et audire vellem, quo Diana modo reſpondeat, ut diſcam, quo debeam reſpondere. Interim ſic me expedio. Reſpondes diſtinguendo majorem. Illa inſtitutio eſt ſubſtantialis, nego: eſt modalis, hoc eſt, circa modum rei, concedo. & ideo conceſsâ minori, nego abſolutè conſequentiam. Quia, ut didici à Dianâ, deficere in modo rei præceptæ non eſt peccatum grave.

MCV. *Quomodo ab aliis differat Officium de Reſurrectione?*

ARGUEBAT tertiò. Reſpondendo Trulench. & Caſtro Palaus, & dando differentiam inter Officium Reſurrectionis & alia. [Eſt diſpar ratio, inquit, nam hæc moraliter æquivalent inter ſe quoad modum recitationis.] Et ego diſtinctionem non capio. Nam vel agit de æquipollentiâ quoad ſubſtantiam, vel quoad quantitatem, vel quoad modum; & inter quodcunque Officium, & Officium de Reſurrectione datur prior, quia illud eſt tam Officium divinum quam reliqua; & non eſt neceſſaria poſterior; nulla enim mutatio, quæ merè modalis ſit, eſt mortaliter peccaminoſa.

MCVI. *An Officiũ de Reſurr. ſit valde parvum?*

Erunt, qui à Dianâ ſtent, & Reſurrectionis Officium à Regulâ Generali rejiciant ratione quantitatis, quod iſtud valdè parvum ſit. Sed hoc nec verum, nec ad rem: non verum, quia in Eccleſiâ Dei multa ſunt alia officia æquè brevia, quæ tamen à Generali Regulâ non eximuntur: non ad rem, quia ſicut præcepto audiendæ miſſæ non ſolum ſatisfacit, qui longiſſimam, ſed & qui

Nota bene hanc inſtãtiam.

Ttt 2 bre-

breviſſimam audit, ita etiam legendi Officii legi ſatisfaciet, non ſolum qui longiſſimum, ſed etiam qui breviſſimum legerit. Aſſumptum probo, Quia in hebdomade majori illæ miſſæ in quibus Paſſio legitur longiſſimæ ſunt; & tamen ſi quis tali die ex voto aut præcepto audire miſſam teneretur, ſatisfaceret audiendo miſſam de beatâ, aut aliam quamcunque breviſſimam: ergo. Dixi

Eſſe multa alia Officia æqualia, aut fortaſſis breviora Officio de Reſurrectione. Et jubeor dare rationem mei dicti. Et ob oculos pono quod apud nos dici ſolet Feria tertia, aut etiam quod Feria ſexta in æſtate; & alterutrum cum Officio de Reſurrectione compono & comparo, ut pius Lector videat adverſariorum ſcrupulos aëre fundari. Sequar Breviarii Benedictini (Monaſtici aut Ciſtertienſis) Rubricas, & per ſingulos pſalmos procedam.

FERIA III.

Ad Matutinum.

Deus in adi.	0
Domine labia.	0
Domine quid mult.	10
Venite exult.	0
Æterne Rex.	9
Deus noſter.	13
Omnes gentes.	11
Magnus Dom.	15
Audite.	23
Deus Deorum.	26
Quid gloriaris.	11
Añæ.Bened.	4
Lect.Reſp.	5
Dixit inſipiens.	10
Deus in nom. tuo.	0
Exaudi Deus.	27
Miſerere M.D.q.	15
Si verè.	13
Eripe me.	22
Aña.℣.Collect.	4
	218.

Ad Laudes.

Deus in adi.&c.	0
Miſerere.	22
Judica.	8
Miſerere m.D.m.	16
Ego dixi.	17
Laudate &c.	0
Ana.Cap.℟.	4
Bened.Anna.Coll.	0
	67.

Ad Primam.

Deus in adiu.	0
Jam lucis.	9
Domine Deus.	20
Domine Dominus.	11
Confitebor.	21
Ana.℣.Pater.	0
Collect.&c.	0
	61.

Ad Tertiam.

Deus in adi.	0
Nunc Sancte.	3
Ad Dominum.	8
Levavi oculos.	10
Lætatus ſum.	11
Aña.℣.Pater.	0
Collecta,&c.	0
	32.

Ad

Digitized by Google

Ad Sextam.

Deus in adi.	0
Rector potens.	3
Ad te levavi.	7
Niſi quia Dominus.	9
Qui confidunt.	7
Aña. ℣. Pater.	0
Collecta, &c.	0
	26.

Ad Nonam.

Deus in adi.	0
Rerum Deus.	3
In convert.	10
Niſi Domin.	8
Beati omnes.	9
Aña. ℣. Pater.	0
Collect. &c.	0
	30.

Ad Veſperas.

Deus in adjut.	0
De profundis.	10
Domine non eſt.	11
Memento.	21
Ecce quam bonum.	6
Antiph.	0
℣. Cap. Reſp.	0
Deus creator.	8
Magnificat.	0
Antiph. Coll.	0
	58.

Ad Completorium.

Lectio.	0
Deus in adi.	0
Cum invoc.	0
Quis habitat.	0
Ecce nunc.	0
Te lucis.	3
Cap. ℣. P. Collect.	0
	3.

Tale & tantum Benedictinorum Officium feriale, quod diebus Martis recitamus. Sunt qui dicant hoc ipſo brevius illud eſſe, quod diebus Veneris perlegi ſolet, quod ipſum veroſimile judico, eſt enim & illud breviſſimum; nunc Officium de Reſurrectione Romanum ad numeros etiam reducamus.

OFFICIUM

De Reſurrectione.

Ad Matutinum.

Deus in adi.	0
Venite.	0
Añæ dupl.	6
Beatus vir.	9
Quare frem.	15
Domine quid.	10
℣. Pater. Abſ. Lect.	50
Te Deum laudamus.	30
Evangelium.	8
Te decet. Orat. &c.	0
	128.

Ad Laudes.

Deus in adi.	0
Dominus reg.	9
Jubilate.	7
Deus Deus m. &c.	
Deus miſer.	18
Benedicite.	28

Digitized by Google

Laudate.	o
Antiph. dupl.	10
℣. Benedict. Aña.	o
Oratio &c.	o
	64.

Ad Primam.

Deus in adi.	o
Deus in nomine.	o
Pſalmi.	40
Ana. Orat. &c.	o

Ad Tertiam.

Deus in adi.	o
Pſalmi.	54
Aña. Orat. &c.	o

Ad Sextam.

Deus in adi.	o
Pſalmi.	54
Aña. Orat. &c.	o

Ad Nonam.

Deus in adjut.	o
Pſalmi.	54
Aña. Orat. &c.	o

Ad Veſperas.

Deus in adi.	o
Dixit Dominus.	10
Confitebor.	12
Beatus vir.	11
Laudate pueri.	10
In exitu.	29

Añæ dupl.	10
℣. Aña. dupl.	o
Magnificat.	o
Pater. Oratio. &c.	&c.
	82.

Ad Completorium.

Deus in adiut.	o
Cum invocarem.	o
In te Domine.	8
Qui habitat.	o
Ecce nunc.	o
Nunc dimittis.	6
Benedictio &c.	o
	14.

Omiſſis igitur iis, quæ utrique Officio communia ſunt, utrumque ſummatim componamus.

	Roman. de Reſur.	*Ciſtert. Feriale.*
Ad Matutinum.	128	218
Ad Laudes.	64	67
Ad Primam.	40	61
Ad Tertiam.	54	30
Ad Sextam.	54	26
Ad Nonam.	54	30
Ad Veſperas.	82	58
Ad Complet.	14	3
Totum	480	495.

Ecce in ſolo Matutino Officium Benedictinum eſt prolixiùs, at in cæteris horis multò brevius, & totum toti ſubæquale, quoniam 15. verſuum omiſſio in toto officio levis eſſet, adeoque hæc ipſa differentia non debet cenſeri notabilis.

Quia

Quia cogunt nos in rebus claris & certis tempus perdere : adhuc volo Officia Ferialia, Feriæ tertiæ & ſextæ componere : ipſa enim præter communia ſic ſe habent.

	Feriæ tertia	*Feriæ ſexta*
Ad Mat. Pſalmi.	195	189
Ad Laudes. Pſalmi.	41	64
Ad Prim. Pſalmi.	52	61
Ad Veſper. Pſalmi.	48	45
Totum	336	359

Feriâ ergo ſextâ breviores ſunt, quam feriâ tertiâ Vigiliæ Matutinæ & Veſperæ, & cæteræ horæ nonnihil longiores, ut videris. Totumque officium quaſi viginti verſibus longius.

Modo igitur duo alia Officia (nimirùm Dominicale & Feriale diei Martis) componamus ; & ob oculos ponamus primam hebdomadam Adventus.

DOMINICA I. Adventus		FERIA Tertia
Ad Matutinum.		
XII. Pſalmi.	228	195
III. Cantica.	38	0
XII. Lect. & R.	120	5
Te Deum.	30	0
Evangelium &c.	10	0
	426.	200.
Ad Laudes.		
Pſalmi.	53	24
Cantic. Bened.	20	17
	73.	41.
Ad Primam.		
Pſalmi.	40	52
Symbol. Athanaſii.	40	0
	80	
Ad Tertiam.		
Pſalmi.	54	29
Ad Sextam.		
Pſalmi.	54	23
Ad Nonam.		
Pſalmi.	54	27
Ad Veſperas.		
IV. Pſalmi.	43	48
Totum	784.	420.
Exceſſus	364.	

His poſitis audiri volo : quoniam ſic argumentor. [Officium Dominicale reſpectu Officii Feriæ tertiæ apud Benedictinos eſt quaſi duplum ; officium de Reſurrectione Romanum, reſpectu ejuſdem Ferialis eſt æquale, vel ferè ; at admiſsâ Regulâ generali nemo per modum exceptionis dixit, Dominicale non poſſe tranſire in feriale, ergo nemo dicturus eſt non poſſe Dominicale aut Feriale tranſire in Officium de Reſurrectione.] Videtur mihi hanc eſſe rationem convincentem, & cui nemo reſpondere poſſit, niſi abutatur ingenio.

Leandri Banditii ſententia.

Ponatur ob oculos omnium ſummi ingenii & ſtudii Vir; Dianæ, & mei amantiſſimus, & in Moralibus bene verſatus. Fuit & ipſe, dum viveret, mearum Opinionum Propugnator acerrimus ; MCVIII. *Banditii laus.*

jam,

jam, ut ſpero Cœli incola; quem non ideo ſubjicio, ut Banditii nomine hanc ſententiam corroborem, obiit enim ætatis anno trigeſimo, ſed ut Lector ingenii vivacitatem videat, & det rationibus gloriam, & laudem quam merentur. Sic enim in Epiſtola, quam mihi inſcripſit. *ætas.*

Eximie & Reverendiſſime Domine. Eâdem luce à me lamentationes, quâ conſolationes à Vobis conſcriptæ: eâdemque, ita credo, illæ per Euſebium Reverendiſſimæ P. Veſtræ datæ in manus, quâ & iſtæ à me receptæ. Sed quanto exiſtimatis cum gaudio? Rectè is ſolus dijudicabit qui comprehenderit affectum. Et quidem gaudium illud (Theologorum uti lexico liceat) eſſentiale, nequaquam accidentali carebat; adjuncti etenim quaterni libri, ſed à veſtrâ manu, & hoc titulo gratiſſimi: alia verò ſcripta duplò gratiora, duplicatâ nimirum gratitudinis causâ; nam & veſtra & à veſtrâ manu. Evolventur à me pro merito ſuo & debito meo. Hæc gaudio, reliqua ſtupori. Itane verò! quaternas lineas meo quidem judicio Vulcano dignas ita efferri? mihi credite, progreſſum remoratur crebrò faſtidium ingens, dum video me in opere ubicunque regio, non regium ubicunque ſtilum, dicendique nervum aſſequi poſſe aut æquabiliter tenere. Quid, hæc etiam indicata eſſe Præſidi? Neſcio an à Reverendiſſima D. Veſtrâ, quæ omnia prudenter, nihil hîc temerè factum. Hanc etenim locum hîc habituram timeo parœmiam,

Agit de libro, quem Joannem Barganernum *inſcripſit, quem è meis ſcriptis Hiſpanicis in linguam Latinam ille tranſtulit.*

minuit præſentia famam.

Meum quidem eſt, & huic inconvenienti præoccupando incumbere & opus pro virili accelerare: at ſpero nihil-ominus veſtro judicio, conſenſuque minus oriturum incommodi ex prolixiore paululum morâ, quam ſtili neglectu. De novâ dignitate congratulor, utinam in eâ omnia juxta dignitatem & veſtram & meum affectum: ſed magna à parvis initium habent, & hæc parva (ita auguror) evadent in magna, cùm eum habitura favorem ſint, qui ubicunque Caramuel, hoc eſt Magnus. Faveat item Deus & foveat. Ita precor & voveo. Hunc caſum à me ex veſtris reſolutum principiis, cenſurandum adjungens.

Casus

Sacerdos quidam quotidie recitare conſuevit Officium Romanum feſto Reſurrectionis Dominicæ proprium: & modo quærit, An peccaverit? & ſi ſic, qualiter?

Antequam ad quæſtionem reſpondeatur. MCVIII.

Supponendum Primò, certum eſſe quod venialia quantumcunque multiplicata, non poſſint conſtituere unum peccatum mortale. Eſt D. Thomæ 1. 2. *q.* 88. *a.* 4. *&* *q.* 7. *de malo a.* 3. & communis Scholaſticorum, ut aſſerit & docet Malderus 1. 2. *q.* 88. *a.* 4. *dub.* 2. apud quem ibidem rationes videri poſſunt eâdem ſententiâ. Hanc aſſertionem non ſolum certam, ſed fide tenendam, affirmat noſter Caramuel *in ſui Commentarii ad Regulam D. Benedicti diſp.* 62. *num.* 905. *E multis venialibus non poteſt componi mortale.* *eſt de fide.*

Secundò. Mutationem officii citra cauſam & deditâ operâ (ut ſi loco officii ferialis recitetur de feſto) tantum eſſe peccatum veniale. Tuentur hanc ſententiam Cajetan. *Verb. Horæ. c.* 2. Layman. *lib.* 4. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 4. Zerola *in prax. epiſcop. p.* 1. *Verb. Hora. Can. n.* 6. Leſſius *Mutatio officii in aliud officiũ ſine cauſa eſt peccatũ veniale.*

de

Digitized by Google

de Iuſtit.lib.2.c.37.dub.12.n.77. Valentia *tom.3.diſp.6.q.2.punct.10.* Vegha *in ſumm. tom.1.c.128.caſ.17.* Binsfeldius *in Enchir. Theol.p.4.c.9.concl.4.* Sotus *lib.10.q.5. n.4.* Medina *de orat. q.10. difficult.10.* Armilla *Verb.Hora Canon.n.7.* Joannes Azorius *p.1.lib.20.c.10.q.2.* Rodriquez *in ſumm. tom.3.c.195.n.3.* Filliuc. *tom.2. tr.23.c.7.n.227.* Servatius de Lairuez *in opt. Speculo 59. pag.214. Inſtruct.12.* Pedraza *in Sum.c.5.* Nieva *in Summ. titul. 65.* Victoria *in Confeſſionar. pracept.3.* Et Sylveſter *q.10. dic.1.* expreſsè docet, non eſſe mortale, licet id ex fraude fiat, ſcilicet ut recitetur Officium brevius. Et noviſſimè id docet in terminis noſter Caramuel *ubi ſupra diſp.109. n.1387.* & Diana *p.2.tr.12.reſol.3.*

Nota hoc.

Subſtantia præcepti. Ratio eſt: quia ſubſtantia præcepti de recitandis Horis eſt, ut ſeptem Horæ Canonicæ perſolvantur; ſed quod officium ſit de feriâ, de feſto vel ſancto, pertinet ad modum ejus accidentalem; ergo per talem mutationem non violatur præceptum quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum, ritus, & cæremonias; ac per conſequens illa transgreſſio etiam citra cauſam, & deditâ operâ non eſt ſufficies ad peccatum mortale.

Mutatio modalis aut accidentalis cum cauſa non eſt peccatum veniale. Supponendum tertiò. Hanc mutationem, ſi cum rationabili causâ fiat, nullum, nec veniale eſſe peccatum. Ita omnes DD. ſupra citati.

Ratio eſt: quia ſicut gravis cauſa excuſat ab impletione præcepti etiam quoad ſubſtantiam; ita mediocris ſeu rationabilis, excuſat ab ejus adimpletione quoad accidentalia.

His ſuppoſitis ad Caſum *Reſpondetur Primò*: Illum Sacerdotem, ſi quotidie citra ullam rationabilem cauſam Officium Reſurrectionis recitet, peccare quotidie tantummodò venialiter.

Probatur. Quia quotidie mutat officium de Die in officium de feſto Reſurrectionis atq; hæc mutatio (ut clariſſimè conſtat, ex ſecundâ ſuppoſitione) tantùm eſt veniale peccatum: ergo.

Nec in eo facienda difficultas, quod ea mutatio quotidiè fiat; nam ut ex primâ ſuppoſitione patet, Venialia quantumlibet multiplicata, nequeunt conſtituere unum peccatum mortale. Præterea præceptum de Horis legendis, vel eſt Horarium vel diarium, [hoc eſt, vel Officium totius diei, cadit ſub unicum & ſimplex præceptum, ut Diana *part.2.tract.12.reſol.3.* & noſter Caramuel *ubi ſupra diſput.102. num.1338.* affirmant, & probant plurium teſtimoniis; vel ſingulæ horæ Canonicæ cadunt ſub diverſa præcepta, ut docuerunt D. Antonius, Navarrus, Toletus, Gregorius de Valentiâ, Jacobus de Graffiis, Servatius Lairuelz, Leonardus Leſſius, & Tabiena, quos probabiliter Theologiſare docet noſter Caramuel *in ejuſdem Commentariis diſp.116. num.1142.* & *diſp.118. num.1462.*] atqui ſive horarium, ſive diarium illud ſit, cum ipſo die evaneſcit, nec teneris die Lunæ reſumere, quæ omiſiſti Dominicâ, ut omnes Theologi claſſici dempto nemine affirmant: ergo quotidianæ commutationes nullam connexionem ſortiri poſſunt, quâ mediante tanquam plures materiæ parvæ in unam materiam gravem & magnam, neceſſarium peccati mortalis objectum, coaleſcant.

Quod uno die licitè fit, etiam poſſet quotidie, ſi concurrerent cætera.

Reſpondetur ſecundò, Sacerdotem illum, ſi id quod in caſu proponitur, faciat quotidie ex mediocri & rationabili causâ, nunquam ullo modo, ne venialiter quidem peccare. Conſtat id evidentiſſimè ex ſuppoſitione tertiâ.

Digitized by Google

Puto unum feriale ab altero differre puro numero; idem dico de feſtivo & feſtivo; & feſtivis adnumero Dominicale. Puto autem feriale à feſtivo differre ſpecie modali, aut modo ſpeciali; & plus à feſtivo feriale, quàm feriale à Reſurrectionis Officio. Præcipua officiorum diverſitas in matutinis eſt, nam apud Ciſtercienſes vix ulla in aliis horis, & apud Romanos tota differentia diurna conſiſtit in aliquibus precibus. In officio nocturno major eſt differentia, nam feriale habet unum nocturnum (apud Benedictinos duo) & feſtivum tria. Et officium de Reſurrectione unum. Plus ergo differt feriale à feſtivo, quam ab officio de Reſurrectione.

Sed hoc ipſum aliter ſe habeat, quod non puto: quid inde? differentia enim modalis, quantacunque non ſufficit ad peccatum mortale.

XIV.

De æquipollentia Officiorum quoad quantitatem.

MCXI. POteſt unum Officium recitari pro altero inquit Diana *part.* 1. etſi detur notabilis differentia in quantitate, hoc eſt, etſi non ſint moraliter æquivalentia quoad quantitatem: & poſteà *part.* 7. excipit officium de Reſurrectione, quod nimis ſit breve, & Eccleſia hanc ipſam brevitatem ſpeciali ratione inſtituerit ob jubilum & ſpecialiſſimam ſolennitatem. Ut video hæc ratio non eſt digna, quæ expendatur; non enim quærimus, cur lex ſit poſita, ſed an materia ſit gravis aut levis. Ex ſtimo hanc exceptionem naſci ex eo quod mutatione Officii ordinarii in Officium de Reſurrectione meus Diana nullum authorem legerit: ſed neque reperit vel unum, qui dixerit in ſpecie Officium Dominicæ *Lætare* poſſe legi pro S. Nicolai. vel authorem aſſignet; & tamen hîc doctrinâ generali regitur, & inſiſtens illis principiis, *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, ſuos diſcurſus efformat: cur igitur idem non facit, cum agit de Officio de Reſurrectione.

XV.

An Regulares extra chorum ſatisfaciant præcepto, perſolvendo horas Canonicas ſecundum Breviarium alterius Religionis.

TUetur partem aſſerentem Caramuel *in Regul. D. Bened. num.* 1394. MCXII. quem bene citat Diana *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 8. Sed Caramuelem errare, tam certum Dianæ eſt, ut *ibidem §. Notandum*, hæc habet. [Quidquid ſit de hoc, certum eſt quod quilibet Religioſus tenetur ſub mortali dicere horas Canonicas juxta Breviarium pro ſuâ Religione approbatum. Vide *cap. De hu*, & *Cap. Placuit. diſt.* 12. & ita hanc opinionem contra Caramuel docuit noviſſimè doctus & amiciſſimus P. Lezzana *in Summa qq. regul. tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 18. ubi citat Sotum & Cajetanum, &c.

Sed hæc omnia, quæ Diana dicit hîc, ſunt contra Dianam, à quo didicit ſuam ſententiam Caramuel. Diana enim *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 10. hæc habet. [Si quis Clericus ſæcularis *Sacerdos* uno vel altero die diceret officium per *ſæcularis* aliud Breviarium à Romano V. G. *quocumq;* Breviarium S. Dominici, &c. puto *Religioſorũ* ita recitando non peccare mortali- *Breviario* ter, quia, cùm hæc mutatio parva ſit *uti poteſt.*

Digitized by Google

cùm deberet quod ponit pro Circumciſione: & tamen Diana & nos veniale peccatum in tali negligentiâ fatemur. Juſſerunt igitur ſecundum. Ergo datur violatio modalis mandati Pontificii, quæ ſit venialiter peccaminoſa. Et cur non darentur peccata venialia contra leges canonicas, cum dentur plurima contra Divinas? Ergo ſi Officium Benedictinum & Carmelitanum conveniant ſubſtantialiter, & differant modaliter; hoc eſt, modo, ritibus, & cæremoniis, qui alterum legerit pro altero, ſatisfaciet quoad ſubſtantiam & peccabit quoad modum. Qui autem ſupponens Officium feriale & feſtivum monaſtica differre modaliter, demonſtraverit (*demonſtraverit* conſultò dico, non *probaverit*) Benedictinum & Dominicanum differre ſubſtantialiter, erit magnus Apollo.

XVI.

An etiam una communitas ſatisfaciat legendo Officium alterius Religionis?

MCXIII. PUtabam ego ſub initium antequam in moralibus fuiſſem verſatus, aliter de particularibus, & aliter de communitate eſſe ſentiendum. Sed contrarium me docuit Diana, nam *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 14. & *part. iterum* 7. *tract.* 11. *reſol.* 12. citato Caramuele affirmat non ſolum eos qui privatim Horas legendi mutant, ſed eos qui illas mutant, in choro, ſatisfacere præcepto quoad ſubſtantiam & ſi ſcandalum deſit, non peccare mortaliter. Quam doctrinam valde notari jubet, & citat pro illâ Bonacinnam, Gavantum, Valentiam, & Laymannum. Et *reſol.* 16. docet non peccare mortaliter, ſed venialiter tantùm, qui invertit horarum canonicarum ordinem non ſolum privatim, ſed publicè modò ſcandalum abſit: & citat Bonacinnam & Gavantum. Et tandem *reſol.* 36. docet poſſe Prælatum diſpenſare, ut unâ vel alterâ vice mutetur Officium in communitate. *An hic valeret ratio.* Poteſt ſemel; ergo & ſemper?

Hæc omnia & alia id genus Caramuel conſiderando *in Comment. num.* 1321. concludit, & ut putat, firmiſſimè, *Sicut de privato Sacerdote, ſic etiam de Communitate eſſe philoſophandum*, ſummâ ergo conſequentiâ doctrinæ ducitur, cum affirmat Communitatem, quæ ſine causâ & licentiâ violat rubricas legitimas, mutando, non quidem Breviarium, ſed Officium diei, hoc eſt, legendo aliud officium ſui Breviarii, ſatisfacere quoad ſubſtantiam, & deficere quoad modum, ac ſolùm peccare venialiter.

Et Diana, *Quidquid ſit de hac ſententia*, ait: & quia his verbis potius videtur præſcindere, quam aſſentiri, illam debere admitti à Dianâ videtur demonſtraſſe Caramuel.

XVII.

An Sacerdos Sæcularis ſatisfaciat præcepto, ſi recitet V. G. cum Carmelitano, & utatur Breviario Carmelitano?

DIffert hæc quæſtio à Quintadecimâ, tametſi Diana Caramuelem hic ita impugnet, ut utramque confundat. Porrò ſi Sacerdos Sæcularis privatim poteſt uti Breviario Carmelitano, ſalva res eſt; ſequitur enim etiam poſſe legere cum Carmelitano; & ſi privatim peccat ſolum venialiter, nō MCXIV.

Digitized by Google

peccabit mortaliter,ſi idem faciet cum ſocio.

Huic quæſtioni ita ſatisfacit Diana *part.7.tract.11.reſol.9.* [Affirmativè reſpondet Caramuel *in Regul. D. Bened. num.*1366. ubi ſic ait &c. Sed tu cogita, nam unusquisquisque tenetur recitare ſecundum formam ſui Breviarii &c.] ſed hoc,ſi agatur de obligatione gravi, nec verum eſt,nec ad rem.

Non eſt verum; quia jam oſtendi *quæſt.*15. eum, qui utitur alius Religionis Breviario, ſatisfacere præcepto quoad ſubſtantiam, non quoad modum: adeoque violare Pontificum præcepta, ſed non ſubſtantialiter, nec notabiliter.

Non eſt ad rem; quia etiam condonatum non urget; nam confirmationi, qua utitur Caramuel & quam exſcripſit Diana, hucusque ſatisfactum non eſt. Sic diſcurrit Caramuel. [Tenet Diana *part.2.tract.12.reſol.*35. quod ſi Petro concedat Pontifex privilegium utendi Breviario brevi & poſteà Petrus legat juxta illud breve Breviarium cum Franciſco; tenet inquam quod in tali caſu non ſolum ſit ſatisfacturus Petrus, ſed etiam Franciſcus. Et citat Portell, & Henriquez. Additque ex Rodriquez quod Epiſcopus Religioſus, qui utitur Breviario ſuæ Eccleſiæ, poſſit recitare cum ſuo ſocio, ita ut ſocius ſatisfaciat.] Rationem hujus doctrinæ meditatus Caramuel, ne diſcedat à Dianâ aſſerit, *Id quod Privilegium diſponit de uno ad ſocium poſſe etiam extendi.* Ergo Ciſterciensis, qui ex ſpeciali Privilegio poteſt uti Officio Monaſtico, ſi legat cum Carmelitano, habet privilegium,quod poſſit ad ſocium extendi,vel detur diſparitas.

Præterea ſatisfacere Carmelitanum legentem cum Ciſterciensi in Breviario Monaſtico, quod ex privilegio Ciſtertienſi conceditur: & non ſatisfacere, ſi cum eodem legat in Breviario Ciſtercienſi, al quid eſt quod dici poteſt, at probari non poteſt. Primò, quia hæc duo Breviaria vix differunt: ſecundò, quia Sacerdotem Ciſtercienſem, non debere uti Breviario Romano, & poſſe Ciſtercienſi, etiam eſt privilegium.

XVIII.

An ſi, Verbi Gratiâ, Epiſcopus, vel Cardinalis, vel alius quicunque ſuperior, cum famulo aut ſocio velit recitare de feriali, cum de Sancto deberet, & hoc ex negligentiâ notâ ſocio, ſocius aut famulus in tali caſu eſſet arguendus de veniali?

Reſpondit olim Diana negativè antequam legeret Caramuelem; hîc etiam negativè antequam Dianam: conſpirant ergo ingenia magno fructu utrique alluxiſſe veritatem, vix enim ſolent convenire qui errant. Vide Dianam *part.7. tract. 11. reſolut.* 10. & Caramuelem *in Comment. num.* 1371. MCXV. *Character veritatis, quod in eam homines diſtantes ac ignoti conſpirent.*

XIX.

An, ſi quis dicat Matutinum de Sancto, & horas diurnas de feriâ, præcepto legendi ſatisfaciat?

Proponit hanc ipſam controverſiam Diana *part.7.tract.11.reſol.*11. MCXVI. non reſolvit, ſed ſolum allegat verba Caramuelis *in Comment.num.*1403. ſub

ſub diſtinctione reſpondentis. Nimirùm eſſe duas ſententias, alteram quæ docet ſingulis horis ſingula præcepta reſpondere, alteram omnes horas claudi unico præcepto; & juxta primam debere dici eum qui ita legit ſatisfeciſſe ſingulis præceptis quoad ſubſtantiam, & peccaſſe in modo; videlicet in horis, quas contra rubricas legit: & juxta ſecundam debere dici non ſatisfeciſſe quoad ſubſtantiam ſed peccaviſſe mortaliter; quia Matutinæ de Sancto & Horæ diurnæ de feriâ non conſtituunt officium divinum: At ille hoc legit; ergo non legit Officium divinum. nam Officium divinum eſt Pſalmorum, Orationum, &c. diſpoſitio approbata ab Eccleſiâ.

XX.

An ſi quis ſine cauſa non legat ſuas horas temporibus determinatis, peccet venialiter?

MCXVII. TOt & tam leves cauſæ dicuntur ſufficere ad mutandum tempus Horarum, ut videatur reddi Metaphyſicus hic caſus, & non poſſe ad praxim aliquando reduci: quis enim unquam ita horas anticipabit, ut nullam habeat cauſam ex illis, quas Diana enumerat? Audiendus eſt *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 12. ubi ſic ait. [Si quæras, quæ cauſa rationabilis ſit non recitandi Horas ſtatutis temporibus, aſſero quod talis cauſa eſt occupatio ſtudendi, relegendi, concionandi, negotium aliquod temporarium expediendi, opus ad publicum vel amicorum utilitatem pertinens, præſtandi &c. quod ſi non ſolùm honeſta vel utilis cauſa, ſed etiam legitima intervenerit, etiam veſperas mane perorare nullum erit peccatum, ut patet *ex capite Presbyter* citato: V. G. ſi iter aggrediendum, ſi diutina occupatio vel moleſta multorum negotiorum turbatio præ manibus ſit. Ita communiter Doctores: quin addit Cajetanus etiam conſuli à jure præveniri tempus, ut quietius & devotiùs dicatur officium. Unde nullum ſibi ſcrupulum formant Viri pii præveniendi officium propter varia vitæ mortalis impedimenta &c.] Sic Diana.

His poſitis, quæritur quid dicendum ſit in caſu poſſibili aut vix poſſibili, nimirum, an peccet venialiter, qui ſine ullâ prorſus rationabili causâ tempus alteret? & negativè reſpondet Caramuel *in Comment. num.* 1411. apud Dianam *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 12. dicentem. [Ejus opinio ita abſolutè prolata mihi non placet] & tamen non reſpondet Caramuelis rationibus, quas attulit, ſed alias contra congerit, quibus nunc ſatisfacturus ſum, ubi paucu las theſes propoſuero. Sit

Prima. *Si datur præceptum de tempore legendi horas privatim, qui illud violarit ſatisfaciet quoad ſubſtantiam & peccabit quoad modum, ac propterea venialiter.* Subſcribo Dianæ & communi Doctorum ſententiæ.

Secunda. *Si olim fuit aliquod præceptum jam videtur obliteratum per contrarium unum.* Sed quis & qualis uſus ille contrarius? Illum objecit Caramuel *num.* 1411. nunc exponit. Fatetur ſe quidem vidiſſe negligentiæ argui eos, qui poſt prandium, matutinas legerent, at verò illos qui antemeridianas horas ante prandium poſt prandium veſperas & completorium non vidiſſe culpari. At reponet Diana hoc ipſum in Univerſitatibus Caramue-

muelem vidiſſe, & ibi id fieri ſine veniali poſſe ratione ſtudiorum. Dianamque obſervaviſſe bene non poterit negare Caramuel. At petit, ut dicat Diana quid communiter viderit, non quid legerit; multa enim hodie ſcribuntur quia exſcribuntur, non quia ſunt talia; Scio eſſe Authores qui Dianæ conſentiant, at ego iterum à Dianâ poſtulo, quid viderit. Anne ex millenis Eccleſiaſticis, quos in Italiâ & Siciliâ cognoſcit, plerique cùm legunt privatim, horas poſitas in rubricis Breviarii obſervent? Nam ego ſincerè proteſtor me in Hiſpania, Gallia, Belgio, Germania, Boemia, Ungaria, non cognoſcere unum qui eas obſervet exactè. Sit igitur Concluſio

Tertia. *Si ſtandum eſt conſuetudini, ſufficit dicere veſperas & completorium poſt prandium Matutinas, & cæteras Horas ante prandium.* Et quidem ſi meis oculis ſum crediturus, conſuetudo majorem diligentiam non probat. Sed qualis hæc ipſa conſuetudo? an quæ habeat vim legis? Hìc ingrederemur difficultatem quæ paucis expediri non poſſet. Quam ego Dianæ examinandam relinquo, qui demonſtrabit hanc qualemcunque conſuetudinem eſſe implicitam legem.

Quarta. *Non datur de facto præceptum de tempore legendi privatim.* Didici ipſam à Dianâ, qui citatæ reſolutionis §. *Sed ejus*, expreſſè ait; *Non obligantur ex vi præcepti, ſtatis illis & ſolennibus horis Officium divinum recitare.* Quid ergo hic ego? ubi non eſt lex, nec eſt prævaricatio. Ergo ſententiam ſuam impugnat Diana, ſi Caramuelis opinionem impugnat.

Nota hæc verba.

MCXVIII. Supereſt ut tametſi noſtris Diana non fuerit dignatus reſpondere argumentis, nos ejuſdem rationibus ſatisfaciamus.

Arguit primò. Quamvis non obligantur ex vi præcepti ſtatis illis temporibus perſolvere officium divinum, obligantur tamen ex decentiâ & congruitate ipſius officii, quod ideò appellatur horæ Canonicæ, quia certis quibusdam diei horis, ſecundum Canones ſit perſolvendum &c.

Reſpondere aliquis poſſet ſe hic evidentem contradictionem reperire, quia ſi nullum datur præceptum nulli dabuntur Canones, qui tempus officio privato præſcribant: & ſi dantur ejuſmodi Canones, etiam dabitur lex & præceptum.

Reſpondeo ego, duo tantùm eſſe conſcientiæ vincula, videlicet præceptum & votum; unde conſuetudinem etiam annorum plurium, ſi nec virtualiter ſit lex nec votum, conſcientias obligare diffitear. Quid hìc igitur, de decentia, & congruitate dicturus ſum? Has inducere obligationes naturales aut fortè politicas, non theologicas. Nam ſi ubicunque deſignari aliqua congruentia poſſet, ſtatim eſſet venialis aliqua culpa aſſignanda, novam Theologiam ſcribere cogeremur.

Sed quid, ſi negem eſſe indecens, & incongruum, non ſervare in privatâ lectione tempora, quæ obſervat in choro Communitas? omnes enim eſſemus indecentes & incongrui, quoniam illa nemo hodie Eccleſiaſticus ſervat. Puto eſſe indecens legem violare; & ubi non datur lex manutenendam libertatem; & ubi unusquisque ſuo jure utitur, nihil facere indecens, nihil incongruum, nihil malum venialiter.

Arguit ſecundò Diana, Verba ipſius officii ſæpius temporis meminerunt, quo

Digitized by Google

quo recitandum: Ergo contra ordinem & rationem illius erit alienis planè horis illud perſolvere. Ergo qui non ſervat hæc tempora licet non peccet contra illud quod eſt ſubſtantia ipſius officii, peccabit contra id quod eſt accidentarium.

Quo tempore orationes ſingulæ dicẽdæ ſint?

Reſpondeo multa eſſe propter quæ hæc ratio admitti nequeat. Primò enim hæc conſequentia. *Talis oratio meminit talis temporis, Ergo tali & non alio eſt recitanda:* eſt mala: bona hæc, *Talis Oratio præcipitur legi tali tempore, ergo tunc & non alio eſt legenda.* Secundò, ſi prior conſequentia eſſet bona, deberent Hiſtoriæ legi tempore præterito, & prophetiæ futuro. Tertiò, ſufficeret omninò, ſi ſervarentur tempora in choro, ex quo non ſemper bene tranſitur ad officium privatum. Accedit quartò quod neque in choro tempora obſerventur, quæ cantantur in hymnis: nam ut omittam alia, Ciſtercienſes cantant ante primum Nocturnum Hymnum, *Æterne rerum conditor,* & in Monaſteriis reformatiſſimis Horâ noctis duodecimâ, & tamen dicunt, *Præco diei jam ſonat jubarq; ſolis evocat. Hoc excitatus lucifer ſoluit polum caligine &c.* Quæ omnia de aurorâ dicuntur & in Hyeme verificantur horâ ſeptima. Primas ipſi in Hyeme dicunt horâ ſextâ, & concinunt; *Iam lucis orto ſydere, Deum precemur ſupplices &c.* Cùm tamen Sol poſt duas ſolidas horas oriatur: & Venus, ſi forte illam velis vocare *Lucis ſydus:* non ſemper ſolem antecedat. Nonas ipſi cantant ante prandium frequentius, & ſæpè horâ nonâ vel decimâ, & tamen dicunt *Largire lumen veſpere;* Et in Hyeme Completorium duabus aut tribus Horis poſt occaſum ſolis, & interim, *Te lucis ante terminum,* concinunt. Non ergo premit Dianæ ratio.

Quo hymni canendi?

Peccat venialiter,

Arguit tertiò ratione deſumpta ex D. Thoma *prima ſecundæ, quæſt. 83. Art. 4. ad 2.* ubi docet peccatum veniale committi in non ſervando modum rationabilem adimplendi præceptum, quem lex prætendit. Subſumit Diana. At hoc ipſum hic fit; quia lex præcipiens recitari horas Canonicas prætendit ut recitentur obſervato prædicto modo, & Obſervantia horarum debitarum &c. Ergo

qui nõ obſervat præcepti modum.

Sic Diana. Sed ſibi contradicens, nam paulò ante negaverat legem, ad congruentiam, aut decentiam recurrens. Sed eſt, ne ſibi contrarius dicatur, quid quæſo diceret, ſi hoc modo argumentarer. [Peccatum veniale committitur, quando non obſervatur modus præceptus; At non datur præceptum, quod indicat hunc modum, de quo agimus: hoc eſt, non datur, quod indicat legi privatim horas tali aut tali tempore: Ergo, qui nõ obſervet modum hunc nõ peccabit venialiter.] Putabo me argumentari bene: uterer enim bona materia & bona forma: quoniam Maiorem dederunt mihi præter Divum Thomam, & Dianam univerſi Doctores; & Diana Minorem ut vidimus.

Reſpondeo igitur ad argumentum Dianæ concedendo Maiorem, & negando Minorem, & obſervo hîc ſibi clarè contradicere; nam hic aſſumit dari præceptum quod modum illum privatim orantibus indicat, quod ſuperius negaverat. Et ut cito ſe expediat dignetur oſtendere Canonem, qui privatim legentibus præcipiat tempora religioſè obſervare.

MCXIX. *Exempla cõtra Caramuelẽ.*

Arguit quartò, ab exemplis, produ- citque Eremitam cui Angelus interdum maturas, aliàs acerbas, nonnunquam putreſcentes uvas afferebat, prout videlicet tempeſtivè præproperè, vel tardè penſum horarium exhibuerat: cuius

 pleri-

Digitized by Google

pleriqne Canoniſtæ cum Joanne Andreâ *in cap.* 1. *de celebrat. Miſſar.* & Summiſtæ *verb. Hora Canonica.* &c. meminerunt. Adiungit S. Severinum Colonienſem Epiſcopum graviter in purgatorio punitum ob horas canonicas ſimul mane recitatas non ſervatis temporum intervallis, quod narrat Abbas, poſtea Victor tertius Summus Pontifex.

An hiſtoriolæ eiuſmodi in ſeverâ argumentatione locũ habeant?

Multa occurrunt, quæ reſpondere poſſem; ſed antequam meum ſenſum exprimam, licebit mihi recenſere, quæ Salmanticæ audivimus, à Viro doctiſſimo & gravi, cuius nomen proferre videbitur ſupervacaneum, cum Salmanticenſes hâc expreſſione non indigeant, nec illa cæteris prodeſſe poſſit. Juſſus fuerat quadrageſimalibus Dominicis poſt prandium juxta piam loci conſuetudinem, bina exempla; alterum ad commendationem virtutis, alterum ad vitii oppoſiti execrationem declamare. Fortè erat in altiore dignitate, quàm illi, qui annis elapſis propoſuerant exempla. Quid ſcio? ipſe autem aut ex impatientia, aut ex ſinceritate, in Quinquageſimâ ante initium concionis ſic dixit. *In noſtro templo diebus Dominicis concionabitur talis: Feriâ quartâ & ſextâ talis & talis. Et ego horâ ſecundâ poſt meridiem illa mendaciola, quæ vocamus exempla: dignentur univerſi confluere, ſum enim inventurus & declamaturus pulcherrima.* Riſu leporem celebravimus, cenſuimusque exceſſiſſe quoad modum, non tamen quoad ſubſtantiam omninò. Multa enim interdum leguntur impoſſibilia, & cætera tantam habent authoritatem, quantam ſunt ab authoribus ſuis nactæ, qui nunquam aut rarò dicunt *Ego vidi*, ſed *à Moniali, à Clerico,* aut *a Sacriſtâ audivi:* & bene ſcimus quanta fides aurito teſtimonio debeatur. Legatur Surius,

An omnia ſint vera, quæ narrantur.

Inter alias hiſtorias S. Mennæ apud Suriũ eſt mira.

Legatur Cæſarius, aliique & notetur multas revelationes cõtradictorias circumferri. [S. Brigitta dicitur didiciſſe à Deo Virginem eſſe ſine culpâ conceptam, Sanctamque Catharinam Senenſem aſſertionem contrariam.] Cùm tamen certum ſit à Deo non poſſe aſſertâ contrariâ revelari. Hinc patere videtur non debere Theologiam Chriſtianam reſolutiones ſuas mutare aut alterare ob privatas incertasque revelationes; ſed iſtas potiùs fore ad reſolutiones Theologicas, ut ad Lydium lapidem examinandas. Et hæc fuit cauſa quæ me movit, ut in Commentario illa exempla noluerim contra me proponere: cogebat enim me ratio, ne admitterem, modeſtia ne regererem: & ſatius judicavi me facturũ, ſi omitterem, ut vel ſic, nec contrà rationem, nec contrà modeſtiam & reverentiam piis debitam hiſtoriis agerem. At eadem jam Diana producit: & quid faciam? Urbanus & Scholaſticus ſum; & malo indoctus quam incivilis dici, & hanc ob rem, an illa rejicere queam, non examino; claudo oculos, admitto utrumque; & eſſe contrà Dianam probabo.

An dentur revelationes contrariæ?

Primò igitur Angelicas uvas conſidero, in refectionem pio Eremitæ conceſſas, & Hiſtoriam ſic explico, ut non putem illum peccaviſſe aut anticipando aut retardando; non enim angeli familiares ſunt illis, qui committunt frequenter venialia; ſed meliùs aut minus bene proceſſiſſe: quod ipſum ſtatus eiuſdem confirmat, Eremitæ enim ad lectionem horarum canonicarum non tenentur.

Exponitur hiſtoria Angeli.

Nota id bene.

Secundò, Exemplum S. Severini (quem Baronius ad annum 1062. tom. 10. Peregrinum appellat) eſſe peregrinum, nec debere citari à Dianâ aſſero;

Exponitur hiſtoria S. Severini.

aſſero; militat enim contra ipſum : vel attende. [Apparet ille clerico cuidam Colonienſi, & teſtatur ſe puniri in Purgatorio, quod frequenter ob negotia aulæ Horarum tempus anticiparet.] Sic habet Petrus Damianus ad Abbatem Deſiderium, ſic ex ipſo Pius Caſetta *in Speculo Eccleſ. diſt.3. §.5. pag.201.* Sic & alii. Ergo hoc exemplum reprobat doctrinam Dianæ aſſerentis anticipare horas Canonicas propter negotia non eſſe peccatum veniale. Diana igitur armis ſuis jugulatur.

Et contra Dianam retorquetur.

Objectio.

Sed dices hoc exemplum ita militare contra Dianam, ut etiam militet contra Caramuelem, & ſolutionem potiùs poſtulet, quàm retorſionem. Et reſpondeo tres ſolutiones mihi occurrere omnes aptas & convenientes. *Dicam primò*, Fortè illum Epiſcopum in purgatorio detineri, quòd Aulam Regiam frequentaverit, plus quàm pareret, ita ut condemnatio non correſpondeat anticipationi Horarum, ſed negotiorum vanitati, ob quam illæ interdum anticipabantur. *Dicam Secundò*, fortè illum in Eccleſiâ ſuâ & choro Horas anticipaſſe; quod ſine rationabili causâ fieri non debet. *Dicamque tertiò*, exempla elimanda eſſe ad rationes Theologicas, non ſtas ad exempla formandas. Hæc ultima reſponſio videtur ſecurior & certior: At duæ priores quibus utitur Azorius *lib.10.cap 9.* ſunt bonæ, nec poterunt clarè enervari.

Aulam eſſe fugiendã.

Ob negotia privata non debent horæ publicæ anticipari

XXI.

An Infirmus, qui non poteſt recitare totum divinum officium, teneatur recitare partem?

MCXX. DIana *partis 2. tract.12. reſol.29.* docet eum, qui non poteſt legere majorem partē, ad nihil teneri: hanc eamdem ſententiam reponit *part.7.* & pro ſe citat Trullench. Caſtrum Palaus & Candidum.

Citat prætereà Caramuelem *in Comment.num.* 1435. diſtinguentem: nam ſi dicatur totum officium divinum cadere ſub unum præceptum, tunc ſuo Dianæ aſſentitur Caramuel: ſin verò dentur octo præcepta, tenet eum, qui poſſit matutinum legere, licet non poſſit cætera, ad illud legendum teneri: & vult doceri, quid objici poſſit contra iſtam poſitionem; *Quando dantur plura præcepta, & Petrus, qui uni non poteſt ſatisfacere, poteſt cæteris, ſatisfacere debet quibus poteſt.*

An ſint octo præcepta in lege de lectione Officii Divini?

Sed quid dicendum de illo eſſet, qui poſſet tertiam vel aliam horam parvam legere, & legere Matutinum non poſſet? Videretur alicui ſtando illi ſententiæ quæ plura præcepta cognoſcit, ſeverè reſponderi debere: nam ſi datur præceptũ de lectione Tertiæ, & ego illi ſatisfacere poſſim, debebo. Sed ſto probabiliter pro benignâ ſententiâ, non enim habeo præceptum ſpeciale & non ſubordinatum me ad Tertiæ lectionem obligans, ſed ſubordinatum; videlicet, ut legam poſt Matutinas, Laudes, Primaſque; nemo enim habet obligationem invertendi ordinem Horarum in officio divino. Conſultò dixi me ſtare probabiliter pro benignâ ſentētiâ, ſuccurrit n. contrà ratio fortis, & quæ non facilè ſit habitura reſponſionem certam & evidentem. Sic enim poſſet aliquis argumentari. [Qui poteſt ſatisfacere præcepto quoad ſubſtantiam, licet nequeat quoad modum, tenetur. Sed in noſtro caſu legere Tertias ſubſtantiam reſpicit, quod legantur poſt Matutinas aut non, modum: Ergo qui poteſt Tertias, etſi non poſſit Matutinas, tenetur.]

An aliquis teneatur invertere ordinem Horarum?

Obſecro, ut huic rationi reſpondeatur.

Digitized by Google

XXII.

An Infirmus, qui non poteſt ſtatutis temporibus, teneatur poſteà horas omiſſas recitare.

MCXXI. CAramuelis ſententiâ, qui morbo aut occupatione inevitabili impeditur tempore, quo hora aliqua ſolet legi, probabiliter excuſari poterit à lectione illius horæ. Ita ipſe *in Comment. num.* 1442. citans Unbertum, Turrem-Crematam, Alexandrinum, Coſmam, Ledesmam, Canum, Thomam Sanchez. &c.

Diana *part.* 7 *tract.* 11. *reſol.* 14. ait [ſecundum hanc ſententiam qui ægrotavit uſque ad meridiem non tenetur recitare poſteà Matutinum & Laudes; & hanc ſententiam cum Caramuele ſatis probabilem eſſe puto, quam ut probabilem me docuiſſe obſervat Trullench *in Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 17. *num.* 6. licet ipſe cum Sanchez contrarium teneat.

NOTA. *Sed quid, ſi morbus aut inevitabilis occupatio expectetur poſt prandium: an-ne tenebitur recitare Veſperas ante meridiem?* Citat pro negativâ ſententiâ Caramuelem Diana, eamque Candidi ſubſcriptione confirmat.

XXIII.

Qualiter debeat formari vox, ut recitandi præcepto ſatisfaciat?

MCXXII. NOn eſſe opus, ut qui recitat ſe audiat, audireve poſſit, docet Azorius, Bonacina, Zambellus, & Trullench. Hanc ſententiam admittit eſſe probabilem pro ſcrupuloſis Filliucius, & Diana *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 11. & *part.* 6. *tract.* 7. *reſol.* 10. & pro non ſcrupuloſis (ſic eum explico ne inconſequenter loqui dicam) rejicit *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 16. Ubi citat Caramuelem docentem omnem vocem, audibilem eſſe, tametſi per accidens non omnem audiri contingat; & putat Caramuelis ſententiam multùm favere Azorio & aliis. Sed inter Azorium & Caramuelem diſcrimen latiſſimum eſt. Dicit Caramuel, Omnem vocem audibilem eſſe; cæterùm, ſi per impoſſibile daretur Vox, quæ non eſſet audibilis, hanc ipſam ad lectionem ſufficere docuit Azorius, quod tamen non docet Caramuel. *An Caramuel conſentiat Azorio?*

MCXXIII. Petis, Anne reverà ſit audibilis quæcumque vox? Aſſertivè reſpondeo. Sed contra arguis ſic. [Unicuique eſt in ſua arte credendum. Ergo in materia vocis Muſicis. At negant iſti, quod affirmat Caramuel: Ergo. Minorem probas, quoniam Keplerus excellentiſſimus fuit Muſicus, & in Monochordo, ſeu Tractatu de ratione Harmoniæ capite I. inquirit, quid ſit ſonus? & ait: *Nonnulli ſonum definientes dicunt eum eſſe aëris repercuſſionem. At intellige, non quemvis motum aut ictum aëris* SONITÛS *nomen obtinere: oportet enim tam intenſum eſſe, ut auditum moveat: & agitatio requiritur ad ſenſum noſtrum celeritate proportionatâ, maximè ad harmonicum ſenſum conſtituendum.*] *An vox omnis audibilis ſit?*

Concedo unicuique in ſua arte credi poſſe, credi debere nego: multi etenim & ſæpè errant in ſua arte. Et quidquid de hoc ſit. Tranſeat primum antecedens, & nego conſequentiam, quia aliud eſt inquirere, quid ſit vox? & aliud qualem proportionem inter ſe habere queant voces ſonoræ? Illud enim prius ad Philoſophos, & hoc poſterius ſpectat ad Muſicos. Sed tranſeat etiam iſtud conſequens; quid habebimus? negabo

gabo ſubſumptam minorem: nam Kellerus unicus, & potuit habere ſingularem ſententiam: non enim bene argumentatur, qui dicit *Kellerus eſt huius ſententiæ; Kellerus eſt Muſicus; Ergo omnes Muſici ſunt huius ſententiæ.* Dico igitur primò vocem eſſe aerem fractum, adeoq; quemcumque aeris motum eſſe vocem. *Quid ſit vox?* Sic docet contra Kellerum tota Schola. Lego in Virgilio, *Fractasq; ad littora voces.* In Ariſtotele lib. 2. de Anim. *Vox eſt percuſſio aëris inſpirati ad vocalem arteriã.* In Boetio ſuper libr. Periherminias, *Vox eſt aëris per linguam percuſſio, quæ per quaſdam gutturis partes, quæ arteria vocantur, ab animali profertur.* Hinc Petrus Hiſpanus in princ. Logicæ, *Vox eſt*, ait *ſonus ab animali prolatus, & naturalibus inſtrumentis formatus.* Arriaga de Anima diſp. 5. ſect. 3. ſubſ. 3. num. 43. *Sonus reſultat ex compreſſione aëris ob corporum colliſionem.* Sic & alii. Præterea, Demus omnia eſſe vera, quæ Kellerus affirmat. Detur aeris motus, qui ſonus non ſit, an-ne dabitur linguæ articulatio, quæ non ſit vox? nullo id modo. Motus intenſus eſt ſonus teſte Kellero; & lingua & cætera vocalia inſtrumenta, & reſpiratio ipſa non poſſunt articulari ſine motu forti intenſoque. Sunt enim multa inſtrumenta vocis, quæ non poſſent concurrere, ſi lingua ad craſſitudinem capilli moveretur. Illa exprimuntur in hoc diſticho.

Inſtrumẽta vocis ſunt novẽ.

> *Inſtrumenta novem ſunt Guttur, Lingua, Palatum,*
> *Quatuor & dentes, & duo labra ſimul.*

Ergo ſemper debet fieri motus notabilis, & iſte ſiquidem à reſpiratione eſt, fieri ſine voce non poteſt.

XXIV.

Addo hoc dubium. Inquiro. *An Beneficiarius, qui intra annum per octo vel decem dies omittit officium divinum teneatur ad reſtitutionem?* Vide Dianam *part. 2. tract. 12. reſolut. 34.*

SI aſſeras: non habebo quid inferam. MCXXIV. Sed quia negativè reſpondet Joannes de la Cruz, qui citat Medinam & Lopez, inquiro, Annon eadem probabilitate, quâ dicitur non teneri ad reſtitutionem, non poſſit etiam dici, eum omittendo his paucis diebus non peccare mortaliter. Et ratio eſt, quia ad reſtitutionem tenetur jure naturæ Beneficiarius & ad lectionem jure Eccleſiaſtico, & mirum eſſet, ſi ſtrictiùs leges obligarent humanæ, laxiùs & benigniùs divinæ. Tu rem conſidera: & diſparitatem aſſigna.

An Sacerdotes legere teneantur quotidie?

XXV.

De Miſſa.

COnſequentia doctrinæ poſtulare videtur ut ex officio divino ad Miſſæ Lectionem veniamus: inquiro igitur, *An-ne de celebratione ſacri, ſicut de lectione horarum erit philoſophandum.* MCXXV.

Ut meliùs intelligas dubium, adnotato, multa probabiliter de Officio Divino teneri, quæ debent ad miſſam extendi. *Primò* enim poteſt aliquis ſatisfacere Officio Divino quâcumque horâ. *Secundò*, poteſt illud iterum iterumque recitare. *Tertiò*, poteſt quis Matutinas (aut alias horas) ſubdividere; ita ut, poſt mediam primi nocturni partem negotiis aliis ſatisfaciat,

De Officij Divini horâ, repetitione, continuatione,

Digitized by Google

ciat, & tandem reliquos pſalmos legat. *Quartò*, poteſt ordinem pſalmorum & lectionum invertere. In quibus omnibus, aut nullum aut veniale committitur; ſi hæc omnia fiant ſine rationabili cauſâ. *Hinc veniens ad Miſſam,*

ordine. &c.

De hora legendi ſacrum

Quæro primò, An poſſit aliquis miſſam dicere quâcumque horâ? hoc eſt, An poſſit illam quis legere ante auroram, aut poſt meridiem? Et ſi non poſſit, Cur non poſſe dicatur? Si ad præceptum recurritur: non videtur ſufficere. Nam Diana docet *part. 7. tract. 11. reſol. 12.* dari præceptum indicens Officii Canonici partes talibus horis dici, & tamen affirmat eum, qui non ſervat has horas peccare tantummodò venialiter: ergo ſi conſequentiam teneas, debebis dicere, eum qui veſpere celebraret, peccare venialiter, aut diſparitatem ob oculos ponere. Moneo tamen magnas Salmanticæ ſolennitates (tales ſunt Infantum Natalia, & Regum funera) proceſſione & miſsâ celebrari: proceſſionem ante primam non abſolvi, poſteà incipere Miſſas ſolennes Collegiorum, concionem haberi poſt Evangelium à ſecundâ ad tertiam; & vix miſſas abſolvi ante quartam. Et tamen (NB.) omnes Sacerdotes, qui ſunt celebraturi horâ ſecundâ poſt meridiem ſe veſtiunt & Miſſam incipiunt uſque ad epiſtolam ante duodecimam, & poſteà finem proceſſionis expectant. Quis neget eſſe hanc rationabilem cauſam mutandi horam Miſſæ? Cur ergo tam cautè apud Viros tam doctos proceditur? Latet aliquid, quod non capias ſtatim: videretur enim in tali ſolennitate differri Miſſas poſſe uſque ad proceſſionis ſolennis finem ſine culpâ veniali: quid latet igitur?

An poſſit quis una die plures miſſas dicere; aut plures cõmunicare

Quæro ſecundò, Cur non poſſis bis aut ter eâdem die celebrare? Si ob reverentiam myſterii te non poſſe illud dicas; quid, ſi celebrando pluries maiorem reverentiam haberes? Cur non poteris etiam eâdem die pluries communicare? Quis finis ab Eccleſiâ intenditur, qui non deficiat interdum in communi, & frequentiſſimè in aliquo particulari? An ſaltem in tali caſu poſſet aliquis ſequi probabilem illam ſententiam, quæ docet, ceſſare legis obligationem in particulari, cum ceſſat totus legis finis in eodem particulari?

An poſſit miſſam interrumpere?

Quæro tertiò, An, qui celebrat, poſſit legere uſque ad Canonem, & poſteà denudare ſe, & ire ad ſua negotia, & poſt aliquas horas reverti, & miſſam abſolvere?

An ordinē precum invertere?

Quæro Quartò, An poſſit quis in miſsâ ordinem orationum invertere ſine mortali; puta, ſi ab Agnus Dei inciperet, Miſſamque Epiſtolâ & Evangelio clauderet? *Et quia* materia poſtulat, ut nonnulla adhuc ſubſcribamus,

An dare cõmunionem laicis ſub utrâq; ſpecie?

Quæro Quintò, An qui ſincerè putaret finem totum legis, quæ Laicis calicem interdicit, in Germaniâ aut aliquâ provinciâ ceſſare, poſſet ibidem dare communionem Laicis ſub utraque ſpecie?

De Sacerdotũ matrimonio, bonorum Eccleſiaſticorũ retẽtione, & cõmunione ſub utrâq; ſpecie.

Quæro Sextò, Quid poſſet deberetve facere Pontifex, quid Cæſar, quid cæteri Catholici Principes in caſu, quod vellent Hæretici deliria Lutheri abjurare, modò illis concedantur, Matrimonia Sacerdotum, Bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſio, & Communio ſub utrâque ſpecie? An in tali caſu iſta tria deberent adhuc manuteneri tanto Eccleſiæ & Reipublicæ damno?

Quã lin-

Quæro Septimò, An ſit probabilis illa ſententia, quæ docet poſſe Horas Canoni-

quâ debeât horæ, quâ miſſæ dici? nonicas Linguâ quâcumque recitari?& ſi probabilis ſit, An idem de Miſſa dici debeat? Et ſi hoc non, In quo conſiſtat deciſionis diſparitas?

XXVI.

De Ieiunio.

MCXXVI. COluntur dies ceſſatione à ſervili labore, coluntur auditione miſſæ, & Horarum lectione, coluntur etiam abſtinentiâ & jejunio. De cæteris nonnulla diximus, aliquid de jeiunio dicamus. Et ut Quæſtionem raram & lectu dignam dilucidemus, quæramus, *An conjuges jeiunare teneantur?*

Apud nullum Authorem legi Quæſtionem hanc; & tamen mihi ſæpe propoſitam, Viris doctis repono, & duos Caſus decidendos produco.

Caſus primus. PRIMUS SIT. [Feriâ quartâ in capite jejunii Titius (poſſem perſonam nominare, nobilem & in dignitate magnâ conſtitutam: ſed hac Lector notitiâ non indiget) cùm veſpere veniret ad menſam, & fructus apponi videret, juſſit ancillæ ut ſibi alterum lectum in tali penetrali pararet. Turbatur uxor, & ſuffuſa in lachrymas cauſam inquirit. Reſpondet ille, *Condormire uxori & jeiunare componi non poſſunt: Ergo ſiquidem jeiunandum eſt, condormiendum non eſt: aut non eſt, ſi eſt condormiendum, jeiunandum.* Torſit dilemma uxorem, maluitque jubere ut pararentur piſces, quam ut lectus alter ſterneretur.] His poſitis inquiro PRIMÒ, An uſus matrimonii ſit cauſa ſufficiens ad omittenda jejunia? Et ratio dubitandi eſt, nam Sutores, Sartores, Barbitonſores, & alii Mechanici: ſolent à jejunio excuſari, cum tamen certum ſit magis debilitari hominem Venerem exercendo, quàm ſuendo, ſartiendo, tondendo. Vide Dianam *part. 1. tract. 9. reſol. 7. 8. 9. 10. 11. & 12* & *part. 4. tract. 4. reſol.* 130. SECUNDÒ, An in caſu, quo quis ita ſit debilis, ut jejunare & uti matrimonio non poſſit, teneatur jeiunare & uſum matrimonii intermittere, aut poſſit matrimonii jure uti, etiam ſi debeat non ſervare jeiunium. Et quidem tenebuntur aſſerere hoc ſecundum, qui aſſerunt eum, qui defeſſus eſt ex labore ſumpto ob recreationem, etiam illicitam (puta ex ludo pilæ, vel ex fatigatione quærendi concubinam) non teneri ad jeiunium. Vide Dianam *ibid. reſol.* 40. Hoc ipſum dubium hæc inſtantia confirmat. Strictiùs tenetur fœmina debitum reddere, quàm lactare; nam poteſt per interpoſitam ancillam infantem ſuum lactare & nutrire, & tamen per vicariam reddere debitum non poteſt: at prægnantes & Lactantes multi à jeiunio excuſant. Ergo & conjuges reddituros aut reddituras debitum. Vide Dianam *reſol.* 14. TERTIÒ, An in hac materiâ commodo de Marito & Uxore philoſophandũ ſit? & ratio dubitandi eſt, quod fœminæ uſu Veneris pingueſcunt & firmantur, & Viri debilitantur infirmanturq;. *Fœminæ laſciviendo pingueſcunt.* QUARTÒ, An ſicut de redditione debiti, ita debeamus de petitione etiam philoſophari: hoc eſt, An poſſet unus petere debitum, etſi ſciat aut ſuam conjugem poſteà futuram ita debilem, ut non poſſit ſervare jeiunium? QUINTÒ, An, quæ nubit, poſſit illi nubere, qui nõ poterit uti matrimonio & jeiunare, an debeat quærere talem maritum, qui utrumque poſſit. Et ratio dubitandi eſt, quia Toletus, Paludanus, Gabriel, & alii exiſtimant, die jeiunii te ſolùm eos poſſe operarios vocare, qui ſunt robuſti & poſſunt operari ſine violatione je-

ne jejunii: & videretur hinc conſequentia ad matrimonium ducta poſtulare, ut Margaretha Fœmina ſalax & calida, cum tantùm in maritum admittat, qui ſit fortis, & poſſit ſibi reddere debitum & jejunare. Vide Dianam *citatum reſol.* 13. PRÆTEREA, non poteſt Dominus compellere famulum ad opus incompatibile cum jejunio, quando illud poteſt in aliud tempus differre. Ita Navarrus, Gabriel, Richardus Paludanus & alii Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 141. Ergo ſtando his Authoribus fœmina non poterit compellere maritum ad ſolvendum debitum, ſi ſciat illum ſoluto debito non poſſe jejunare. SCIO contrarias opiniones, ſed quæro, quid dicendum ſit, ſtando ſententiis quas inſinuo: dicuntur enim probabiles, & deberet ex illis nihil improbum aut improbabile deduci.

An ex probabili ſequi queat improbabile?

MCXXVII CASUS SECUNDUS SIT. Conſuluit me Bruxellis Fridericus & confidenter ſtatum ſuæ conſcientiæ expoſuit. Inter alia, quæ rem præſentem non concernunt, hæc dixit. [Habeo uxorem juvenem, pulchram, ſalacem: amat me, amo illam: & eſt, quæ amatur à multis, aut poteſt. Sum in Aulâ, & ſcio qualiter ſollicitentur aut vexentur aliæ quæcumq; fœminæ, quę ſpecioſæ & loquaces. Scio multas fuiſſe aut eſſe fragiles, quia concupiſcentia interna externis muneribus illecta, Lucretias ſolet in alta præcipitia perducere. Ergo mihi neceſſarium eſt, tam firmam arctamque amicitiam cum meâ uxore contrahere, ut ipſa tam tenerè me amet, ut nullum curet. Ut hoc ipſum obtineam, re agendum eſt, non verbis: ergo oportet frequenter eâ uti, ne fortè famelica aliunde petat vel acceptet, quæ à ſuo viro non potuit. Fortis ſum, robuſtus ſum, & ſervato jejunio, ut alii mariti ſatisfacio: ſed multa ad melius fieri debent, ut amor mutuus, honosque poſſit eſſe ſecurus: ergo ut meliùs ſatisfacere poſſim, potero jejunia non ſervare. Firmat reſolutionem meam eorum ſententia, qui docent Artificem, Concionatorem, aut Cantorem, qui utcumque ſervato jejunio, officio ſatisfacere poteſt, & tamen non ſervato excellentiùs poteſt, non teneri ad jejunium; & jubet legi Dianam *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 11. dicentem. [Presbyteris ovis in Quadrageſimâ veſci fas erit, cauſa vocis conſervandæ: non enim cauſa jejunii adſtrictus eſt aliquis diminutè, ſuum exequi munus. Ita Sancius, qui in facti cõtingentiâ, ita fuiſſe conſultum in Hiſpaniâ teſtatur. Quod ego urgentiùs procedere exiſtimo in Cantoribus ad ſolacium Principis in camerâ concinentibus.] Ergo nemo coniugatus jejunii cauſa debet diminutè, ſuo muneri & obligationi ſatisfacere. Confirmat dicta Urbanitas, quæ ſuo modo contra jejunii leges præſcripſiſſe videtur apud Dianam *reſol.* 29. & nulla maior coniugatos Urbanitas, quàm uſus eſt. Et tandem omnia roborant honoris defendendi neceſſitas, nulla enim hominum lex (ſæcularis aut Eccleſiaſtica) tam cruda, ut debeat cum honoris diſpendio ſervari: at Ego, ut expoſui, ſi jejunem uxori diminutè ſatisfaciam; ſi illi diminutè ſatisfaciam, in periculo perdendi honoris fuero: non ergo teneor jejunare.] Hæc omnia mihi Fridericus Bruxellis anno 1636. quæ mihi non viſa tam facilia aut longè quæſita, ut non indigeant ſolutione.

Hos Ego duos Caſus Viris doctis decidendos propono. Si reſpondeant ſeverè, repetam, An tantum probabiliter ſtringant? Qui enim probabiliter ſtringit, ipſiſſimus probabiliter laxat. Si dicant ſeveram certam, benignam improba-

probabilem eſſe, debebunt hanc ipſam improbabilitatem demonſtrativè perſuadere; non enim improbabilitas alicuius ſententiæ probabiliter poteſt probari. Si benignam eſſe certam aut probabilem dicant, volo ſcire, qui ſint in mundo, qui debeant jeiunare? Sutores, Sartores, Barbitonſores, Foſſores, Ferrarii, & ſimiles; Prædicatores, Lectores, Confeſſarii, &c. Advocati, Procuratores, Scriptores, &c. etiam Muſici. Iter agentes, Prægnantes, & Lactantes. Qui ergo manent? Sane cives, qui nullum munus habent. At iſti omnes aut ferè conjugati ſunt, quem igitur tenet jeiunii Eccleſiaſtici lex, ſi etiam coniugati excuſantur?

XXVI.

An Religioſi teneantur jeiunare?

MCXXVIII Legis titulum, mirarisque in dubium reduci rem tam claram. Teneri Eccleſiaſticos ais, & præcipuè Monachos, qui maiorem perfectionem profeſſi: at Ego te non incuſo, ſed hunc ſyllogiſmum propono. [Muſici, inquam, à jeiunio excuſantur: At omnes religioſi ſunt Muſici, nec in mundo Muſici, qui plus cantent, quàm Monachi, & Benedictini præcipuè: Ergo Monachi non tenentur jeiunare.] Quæ ratio idem de cæteris Religioſis evincit: nulli enim, qui non cantent plus quàm ſæculares. Puto quidem conſequentiam legitimam, minorem certam, & maiorem probo citando Sancium, Dianamque. Ille *in ſelectis diſput.* 44. *num.* 18. Sic, inquit. [Cantores conductos ad canendum, ſive ſalarium aut præbendam ad id habentes, poſſunt non ſervare jeiunium, ſi ad canendum redderentur inhabiles. Et Preſbyteris ovis in Quadrageſima veſci fas erit, cauſâ vocis conſervandæ: non enim cauſâ jeiunii aſtrictus eſt aliquis diminutè ſuum exequi munus.] Ita ille, qui inhabilitatem ab impotentiâ diſtinguit, & judicat eum, qui jeiunando cantare quidem poſſit, ſed inhabiliter, non teneri ad jeiunia: & affirmat hanc etiam fuiſſe aliorum ſententiam in Hiſpaniâ. Addit Diana *part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 11. hoc urgentiùs procedere in Cantoribus concinentibus in Camerâ ad Principis cuiuscumque ſolatium: ergo hoc urgenter in cæteris debet procedere. Ergo Monachi, tum ratione laboris, & defatigationis eâdem lege, quâ foſſores, aut ſaltem Prædicatores & Lectores judicandi ſunt: tum ratione vocis conſervandæ, eâdem lege, quâ Muſici, Præbendarii, Preſbyteri, maximè cum frequenter & ipſi Preſbyteri ſint. *Nota comparationē.*

Ergo ſi etiam excludimus, qui erunt Eccleſiâ Romanâ, qui teneantur obſervare jeiunia? Volo non ſeverè ſed ſincerè erudiri.

Digitized by Google

FUNDAMENTUM LIV.

De Parentum cultu, qui indicitur quarto præcepto.

MCXXIX. *Parentes alij Phyſici ſunt, alij morales.* PAtrem & Matrem honorare jubemur: nimirùm, Phyſicos & Morales, & etiam phyſicè & moraliter. Sed qui ſunt Parentes Morales? Principes, Superiores, & Domini; cur non etiam Magiſtri, Confeſſarii, & cæteri, qui *Patres ſpirituales* audiunt? Peccat igitur in hoc præceptum, qui non obedit, & gravius qui mandatum cōtemnit. Et quis alius? Qui occidit, mæchatur, furatur, & mentitur. Hinc nomina *Parricidij*, & *Inceſtûs*: & cur non alia, quæ furto & mendacio reſpondeant? *Parricidiū* *Inceſtus.* *Furtum* *Mendaciū.*

MCXXX. DEcalogus in duas dividitur tabulas; prima Amorem erga Deum, & ſecunda Amorem erga Hominem præcipit. Hæc ſecunda iterum in duas ſubdividitur; prior Parentes, & reliquos poſterior reſpicit. Iſti poſterioris ſunt Canones

Ne occidito.
Ne luxuriato.
Ne furator.
Ne mentitor.

Ergo prioris erunt iſti

Ne Parentem occidito.
Ne cum Parente luxuriato.
Ne quod Parentis eſt ſuffurator.
Ne Parenti mentitor.

Cùm igitur dentur Parentes Phyſici & Morales, vel iſti Canones de ſolis Phyſicis intelligentur, & tunc Moralibus obediendum non erit, quod eſt valde abſurdum: vel de Moralibus intelligentur, & tunc multæ multiplicabuntur peccatorum ſpecies, quas non noſcunt Theologi. Paulatim & accuratè procedamus. Agam igitur priùs de Parentibus Phyſicis, & poſteà ſeorſim de Moralibus.

I.
De Parricidio.

QUi Patrem & Matrem occidit, *Parricida* vocatur; & quia quartum præceptum Decalogi differt à cæteris, committit peccatum diverſum ſpecie, quam committeret, ſi occideret alium quemcumque. Eſt ergo Parricida, qui Filium aut Filiam occidit? Et ego dico primò, quomodocumque res exponatur multò graviùs peccare, qui Patrem occîdit, quam qui Filium. Summa enim ingratitudo eſt eum vitâ privare, à quo vitam recepimus. Sed quale erit peccatum Filijcidium? Eſt-ne alterius an ejuſdem ſpeciei cum Parricidio? Quo differt ab Homicidio modo? Anne qui Filium & alium quemcumque hominem occidit, commiſit duo peccata diſtincta puro numero? an etiā diſtinctâ ſpecie? *Gravius eſt occidere Patrem, quàm Filium.* *Quæſtio prima.* *Secunda.*

Colli-

Digitized by Google

Colligeretur fortè ex his fundamentis Filijcidium ab alio quocumque Homicidio non differre; nempe ſi diceretur, quartum pręceptum imponi Filiis, non Parentibus; Colligeretur fortè Parricidium & Filijcidium non diſtingui; nempe ſi diceretur Parentes Filiosque eſſe correlativos, & præcepta æquè afficere, utrosque. *Tertia.* Colligeretur fortè Filijcidiũ eſſe minùs grave peccatum, quàm aliud quodcunque Homicidium, omnes enim maiorem Patri in Filium, quàm in extraneum authoritatem & poteſtatem conceſſerunt. *Sed hæc ipſa* deberent accuratè probari. Et quia ſingula ſunt valde obſcura, mallem doceri, quàm docere.

II.

MCXXXI. Q*Vid igitur dicendum eſt de fratrum & cognatorum cæde?* Petrus fratrem & alium ſibi ſanguine nullo modo conjunctum occideret, committeret duo peccata diſtincta puro numero; an etiam & diſtincta ſpecie? Neſcio, quid reſpondere poſſim; video tamen nec ex primâ Decalogi tabulâ, nec ex quarto præcepto quod expono, nec ex reliquis aliis, ſpecificam diſtinctionem poſſe colligi. Unde ergo?

III.

De Inceſtu.

MCXXXII. OMnia peccata luxuriæ cum Parente commiſſa habent ſpecialem malitiam; & diſtinguuntur ſpecie à peccatis, quæ cum aliis committi poſſunt ſolentvè. Et ut puto *Inceſtus* omnes ſordes completas, & incompletas; connaturales, & contra naturales transſcendit. Copula cum Parente viduâ eſt inceſtuoſa fornicatio; & cum Parente conjugatâ eſt inceſtuoſum adulterium. Ex hac conſideratione colligitur Patris & Filiæ, Matrisque & Filij matrimonia eſſe contra Decalogi quartum præceptum, adeoque non poſſe contrahi validè etiam Pōtifice ſummo permittente. *An hoc omninò certum?*

IV.

Q*Vid autem eſt dicendum de carnali fratrum & cognatorum commixtione? Eſt-ne inceſtuoſa? Et ſi eſt, commiſit-ne duos inceſtus diſtinctos ſpecie, qui Matrem & Sororem violavit?* Neſcio cur ſint diverſæ ſpeciei crimina, occidere Fratrem & Socium: ſaltem hoc ex quarto hoc præcepto non infertur, nec ſcirem aliunde diducere. Et conſequenter dico commixtionem Sororis & Fratris ſtando Juri puro naturæ videri ſimplicem fornicationem. Conſultò dixi *ſtando Iuri puro naturæ*, quia ſtando Juri humano, malitia inceſtûs ad fratres & cognatos extenditur: interdicit enim Reſpublica & Eccleſia quatuor gradus, & quia matrimonium in his invalidè contrahitur, dicitur extramatrimonialis copula in eiſdem gradibus eſſe inceſtuoſa. Sed hîc aliquid non intelligo. Cùm minore contractum donationis celebrare non potes, & tamen furari à minore non eſt alterius ſpeciei quàm furari à quocumque: Ergo licet cum Sorore contractum matrimonii celebrare non poſſis, adhuc poterit copula cum Sorore non differre ſpecie à quâcumque aliâ ſimplici fornicatione. At hoc nemo concedet: Ergo dicamus contrarium: ſed quo illud fundamento? An Eccleſia facere poterit, ut copula, quæ aliàs non eſſet inceſtus, ſit inceſtus? Si inceſtus ſit copula inter perſo- MCXXXIII

 nas,

Digitized by Google

nas, quæ non poſſunt coniungi matrimonio, omne adulterium, & omnis Religioſorum copula erit inceſtus. In quo ergo inceſtûs ratio conſtitui debet, ut omni conveniat inceſtui, & nulli conveniat non-inceſtui?

Et veniendo ad peccata contra naturam rogo, *An etiam ipſa propriè ſint inceſtuoſa, ſi inter fratres aut cognatos commiſſa?*

V.

De furto & mendacio in Parentes.

MCXXXIV PRæcepit Deus honorare Parentes, & hoc præceptum temerat, qui illos occidit, aut luxurioſè violat: ergo ille etiam, qui illos iniuſtè ſpoliat aut decipit: quia qui dixit, *Non occides, Non mœchaberis*; etiam dixit, *Non furtum facies*, & *Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Illud prius admittis: ſed cur non hoc ſecundum: eſt enim neceſſaria connexio, & omnia debent admitti vel nihil. Et ſi hæc poſteriora admittantur (bone Deus!) quanta & qualia dicenda ſunt, quæ inaudita in ſcholis! Furari à Parente & à vicino erunt duo furta, duo peccata, ſed ſpecie diſtincta. Idem dici deberet de Mendacio. Si hoc nimis durum, contrarium videtur nimis blandum, & quia debet conſequentia ſervari, iſta debemus ſequi Fundamenta, vel alia jacere. Sed cur iſta rejicere? cur alia ponere? Et ſi alia ſint à nobis ponenda, quæ ſunt illa? Libenter ea videbo poni, expendi, & probari.

An furari à Patre & ab alio ſint diverſa ſpecie?

IV.

De Patre Morali.

MCXXXV. AN-ne *honorare præcipimur Parentes etiam Morales?* Maximè. Ergo eodem cultu. Temerat igitur quartum Decalogi præceptum, qui occidit, laſcivè violat, ſpoliat, & decipit Parentem Moralem. Sed qui ſunt Morales Parentes? Principes, Heri, Domini, Epiſcopi, Prælati, Parrochi, Confeſſarii, & reliqui Patres ſpirituales.

Qui ſint Patres morales?

Sanè occidere Pontificem, Epiſcopum, Cæſarem, Regemque proprium, *Parricidium* vocatur; an-ne propriè? An-ne Petrus, qui occîdit duos Epiſcopos (alterum ſui loci, & alterũ alterius diœceſeos) commiſit ſpecie diſtincta peccata? *Quæſtio prima:* An-ne Joannes qui duos occîdit, ſuum Regem & ſuum Patrem, commiſit duo Parricidia eiuſdem ſpeciei? *Secunda:* An eſt verè & propriè Parricida ruſticus, qui occîdit proprium Parrochum? *Tertia:* An & ſervus qui Dominum; *Quarta:* famulus qui Herum, *Quinta:* civis qui Conſulem? *Sexta:* An ille etiam qui Prælatum? *Septima:* An qui Confeſſarium aut quemcumque alium Patrem ſpiritualem? *Octava:* An-ne Confeſſarius in ſola confeſſione eſt Pater ſpiritualis, & poſt abſolutionem deſinit eſſe Pater? *Nona.* Omnia ſunt obſcura, & indigent maturo examine.

MCXXXVI. Veniamus ad peccata luxuriæ, committeret ne inceſtum fœmina, quæ ſe ſuo Cæſari, ſuo Regi, ſuo Principi proſtitueret? *Quæſtio prima:* An-ne illa, quæ proprio Epiſcopo, Prælato, aut Parrocho? *Secunda:* An-ne ancilla, quæ Hero, quæ Domino, quæ ſuperiori alii? *Tertia:* An Monialis, quæ Abbati ſuo, aut monaſterii Directori? *Quarta:* An quæ ſuo Confeſſario? *Quinta.*

De Furtis & Mendaciis eodem modo philoſophandum aut dubitandum eſt: videtur enim conſequenter dicendum committere peccatum ſpecie diſtinctum, qui ſpoliat aut decipit Patrem Moralem.

Nota bene

Hinc patet quartum Decalogi *præceptum non fuiſſe examinatum bene, & debere perpendi*

pendi quid HONORARE PARENTES ſit, & quo modo ſoleat & poſſit hoc præceptum obſervari aut violari; meum fuit iſta dubia proponere, aliorum amicorum erit illa ſolvere & dilucidare.

FUNDAMENTUM LV.

De Homicidio, quod quarto præcepto interdicitur.

MCXXXVII. OMne Homicidium inhibetur divinitùs, nec ſtrictiùs teneris te non occidere, quàm proximum: imò fortè minùs ſtrictè, aut ſaltem minùs clarè: nam Ethnici, tametſi cætera homicidia damnaverint, putarunt ſingulos eſſe ſuæ vitæ Dominos, & poſſe ſibi mortem conciſcere. An-ne dabitur caſus in quo aliquis ſe poſſit occidere licitè? Unum dabo, quod examine maturo indiget. Conſultò hoc dubium de Suicidio propono; quoniam multi ſunt caſus, in quibus alium poſſis licitè occidere. Milites enim in juſto bello licitè hoſtes occidunt: Carnifices licitè exſequuntur capitales ſententias: & quicumque privatus vir, ſi nequeat aliter ſe tueri, licitè aggreſſorem occîdit. An duella licita? Ut puto raro licebit provocare; at interdum continget poſſe aut etiam debere provocatum pugnandi duram conditionem admittere. Sed quid enſe defendere poſſumus? Vitam, Divitias, & Honorem: etiam Amicorum & innocentum quorumcumque.

An ſit peccatũ gravius ſe occidere, quàm occidere alium?

De Suicidio.

De duello.

Et quas res quaſo, defendere poſſumus enſe?

MCXXXVIII. MUlta poſſunt ad dubium reduci in hoc præcepto, quæ non ſunt definita ab Eccleſia, & tamen videntur ab omnibus ſupponi & à nullo probari. Proponam illa ſolùm, quæ difficiliora eſſe judico: cætera enim doctrinæ conſequentia dabit.

I.

De Medicis.

Medicorũ multorum

ESſE multos ignorantes & ſtupidos, qui tamen audacter ægros viſunt, & dextrorſum ſiniſtrorſum occidunt, certum eſt: & circa illorum conſcientias duo interrogo. Alterum, An-non peccent mortaliter exercendo praxin? &, An ægrotorum mors ipſis ſit imputanda? & alterum, An-non teneantur ad reſtitutionem? Et ſi tenentur, oritur tertium dubium, quod inquiret, quâ illi conſcientiâ ſtipendium recipiant à Republicâ, aut etiam honorarium à ſingulis ob homicidia? An-ne iſti pauci & rari? Cognoſco multos ignorantes omninò, qui alienâ ignorantiâ pro-

ignorantia & Impietas.

Pecuniarũ extorſio.

 piam

Digitized by Google

Joannes Helmontius Medicus errores Medicorũ inſinuat.

priam celant, & dictantur. Joannes Helmontius omnes Galeniſtas accuſat, & librum, qui inſcribitur, *Scholarum Humoriſtarum paſſiva deceptio*, claudit mirabili Epigrammate, quod volui ſubſcribere, ut Confeſſarii videant, quo debeant modo pœnitentes Medicos examinare. Eſt titulus, *Contra Humoriſtas Chriſtiani ſanguinis ſitibundos*. Et textus:

Quid multis fidis medicis Dux optime? multum eſt
Si fidas uni, cætera turba nocet.
Nonne vides toto vacuari corpore venas?
Hic ſecat, hic urit, creſcit ab arte malum.
Quisque aliquid Gipſi Galleni conſulit: omnes
Oppugnant unum corpus & arte necant.
Induperatorem, medicorum turba peremit:
An medicos medicam credis habere manum? &c.

II.

An ægri ante diem tertium morbi debeant confiteri? An nolentes confiteri poſſint à Medico curari? Dianæ opinio.

MCXXXIX. PIus V. anno Domini MDLXVI. evulgavit Bullam, quæ incipit, *Super gregem*, &c. Et in illâ præcêpit ne Medici ultra tertium diem viſitent ægrum, niſi de illius confeſſione ſibi conſtet per fidem Confeſſarii in ſcriptis exhibitam, &c. *Quo illa modo obligat?* Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 93.* perdoctè expendit; ſed quia ſuppoſitâ obligatione adhuc laxè pronunciat, non erit animus examinare An obliget? Ubi, & quando? Sed quid facere poſſit Medicus ex ſuppoſitione, quod obliget. Dianam audiamus. Dicit, quod ſi æger in probabili mortis periculo conſtituatur, non eſt deſerendus à Medico, etiamſi pertinax ſit in renuendâ confeſſione. Imò addit idem dicendum fore, quoties Medici abſentia eſſet graviter ægro nocitura. Subiungit, quod quando creditur certò, monitionem nihil profuturam ob ægri obſtinationem, nec teneri Medicum eum deſerere, nec admonere, & adlegat pro ſe Sanchez, Villalobos, Barboſam, Silviumque.

Impugnatur.

At Ego rationem aſſerendi hæc non video: imò puto hæc omnia ſatis clarè inſinuare, hanc opinione Dianæ Bullam etiam ubi acceptata eſt, Medicos, non poſſe obligare in conſcientiâ; quod ipſum falſiſſimum eſt, datur enim in Republicâ, quà Eccleſiaſticâ, & quà ſæculari authoritas præcipiendi aliqua ſub pœnâ capitis: & ultimâ condemnantur ſententiâ Hæretici ab Inquiſitoribus, & à Principibus alii ſcelerati: Cur igitur non poterit præcipi confeſſio ultima ſub pœnâ capitis? Et ſi poterit, Cur non etiam ſub pœnâ carendi Medicis & medicinis: non ſolùm in eo caſu, quo illi & iſtæ requirantur ad melius, ſed in caſu etiam (poſſibili aut impoſſibili) quo præſciretur certò, ægrum ſine Medico moriturum? Ergo in tali caſu Medicus non teneretur juvare ægrum quà proximus, ex charitate; non quà Medicus, ex officio: qui enim à Principe ultimâ condemnatur ſententiâ, non debet privatâ pietate juvari.

Damnandi ſceleratos capite poteſtatẽ habet Reſpublica.

III.

De Defenſione Honoris.

INter conſultationes alias, credo eſſe celebrem, quæ hoc anno MDCL. totâ Europâ fuit facta; quam ut bene proponam P. Antonij Zergoll literas eruditas, & meam reſponſionem ſubſcribo. MCXL.

Digitized by Google

Reverendiſſime & Ampliſſime Domine. Pax Chriſti. Feliciſſimum novi anni auſpicium Reverendiſſimæ & Ampliſſimæ Dominationi veſtræ precor, rogoque Deum ut eamdem quàm diutiſſimè Eccleſiæ ſuæ, reique litterariæ ſanam & incolumem conſervet.

Ut audeam accedere fecit ſingularis humanitas, quâ me æſtate præterita Viennæ alloqui, & ſapientiam ſuam diu mihi amatam plurimùm, communicare dignata fuit Reverendiſſima Dominatio Veſtra, quando eam in illo ſuo ſapientiæ receſſu ſuburbano cum P. Joanne Fries turbare fueram auſus.

Eſt nonnemo amicorum cuius doctrina his incluſa ab aliquibus gravi cenſura notatur, prohibeturque eam typis evulgare: rogavit is me, ut ad Viros, quos ſcirem in hac diſciplinâ celebres recurrerem, eorumque judicia de eâ exquirerem; annui libenter amico ſincero; & ut primum annui, prima cogitatio fuit ad Lumen magni Caramuelis refugere, & certò mihi perſuaſi, vel amicum illum meum hac ingeniorum face ita colluſtrandum, ut facilè fortunam ſuam ſit laturus, ſi condemnabitur à Caramuele; vel adverſarios eius, depulſis tenebris rubore ſuffundendos, quod auſi fuerint damnare doctrinam, pro quâ Caramuelem ſtare videbunt.

Aliorum quidem etiam Doctorum hac de re judicia conquiro, ut ſi forte plures eam doctrinam ſanam neque typis indignam cenſuerint, ſeverus Judex vel multitudine ſaltem Doctorum illuminetur, qui non potuit firmitate ac pondere rationum. Quamvis profectò, ſi me is Judicem nactus fuiſſet, non paterer mihi conquiri judicium, niſi ſolius Caramuelis, quod mihi certò perſuadeam alios non viſuros, quod iſtum latebit. Ita ſincerè ſentio, & ita liberè prædico coram omnibus, ubicumque glorioſa excitatur, me præſente, mentio Caramuelis; quem Deus uti initio precatus ſum, diutiſſimè Eccleſiæ ſuæ, reique litterariæ ſalvum ſanumque conſervet, & efficaciter movere dignetur, ut tandem librum Reſolutionum præcipuarum, mundo olim promiſſum, feliciter abſolvat; magnum mole & pondere ſuo, opus futurum non dubito, ſcioque magna magno egere tempore, ſed ſcio etiam Ingenium Caramuelis noſſe compendia facere temporum ſine diſpendio doctrinæ. Ecce quomodo delicior in audaciâ meâ, ſed timeo ne non ſatis reverenter & verecundè: igitur claudo: meque Reverendiſſimæ & Ampliſſimæ Dominationi Veſtræ ad Satisfactionem pro attentâ hac temeritate meâ, ſi quam ſufficientem eſſe poſſe cognoverit, libenter ſubmitto, & Illuſtrem orbi manum oſculor. Græcii. Kal. Jan. 1650.

IV.

Vtrùm digna ſit aliqua cenſura, atque poſſit meritò prohiberi, ne imprimatur, doctrina Petri Navarræ lib. 2. de reſtit. cap. 3. à num. 371. & Sayri lib 6. de Cenſur. *cap. 17. num. 23. ſub illis terminis, ſub quibus traditur à Franciſco Amico tom. 5. diſp. 36. n. 118?*

NEgari non poteſt, quin ſaltem honorem famamque illam quæ ex Virtute MCXLII.

Virtute & ſapientiâ naſcitur, quique verus honos eſt, juſtè defendere Clerici ac Religioſi valeant, ac ſæpe debeant; cùm hic ſit proprius profeſſionis ipſorum, quem ſi amittant, maximum bonum ac decus amittunt. Nam per hunc redduntur ſummoperè æſtimabiles, & conſpicui ſæcularibus, quos ſuâ virtute ac ſapientiâ dirigere & juvare poſſunt: quo ſublato nec illos dirigere nec juvare poterunt. Ergo ſaltem hunc honorem poterunt Clerici ac Religioſi cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam cum morte invaſoris defendere; quin interdum lege ſaltem charitatis videntur ad illum defendendum teneri, ſi ex violatione propriæ famæ, integra religio infametur. Unde licebit Clerico vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe vel de ſuâ religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetet: uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, ea vel ipſi religioſo, vel eius religioni publicè ac coram graviſſimis Viris impingere, niſi occidatur. Nam, ſi in tali caſu, licitum eſt Religioſo, ne ipſe occidatur, invaſorem prius occidere, ſi fugâ non poſſit, quia nimirum hoſtem ante ſe habet, mortem evadere, licitum quoque eidem erit, ad vitandam graviſſimam ſui, ſuæque religionis infamiam, ſi alius modus non ſuppetat, calumniatorem occidere. Nam quo jure licitum eſt ſæculari, in tali caſu calumniatorem occidere, eodem jure licitum videtur Clerico ac Religioſo, cum in hoc Religioſus & ſæcularis ſint omninò pares, cùm non minus jus in talem honorem habeat Clericus & Religioſus, quàm ſæcularis in ſuum. Adde quod ſecundum communem ſententiam licitum eſt Clericis ac Religioſis in tutelam ſuarum facultatum furem occidere, ſi alius modus eas defendendi non ſuperſit, ergo multo magis id licitum videtur in tutelam famæ & honoris ex virtute & ſapientiâ conſurgentis. Verum nolumus hæc ita à nobis dicta ſint, ut communi ſententiæ adverſentur, ſed ſolùm diſputandi gratiâ propoſita, maturo judicio relicto penes prudentem lectorem. *Ita Amicus.*

Honor Eccleſiaſticorum maximè neceſſarius eſt.

An poſſit armis defendi?

Religioſus occidere invaſorem poteſt ob defenſionẽ propriæ vitæ.

An eodem modo de ſæculari & Eccleſiaſtico in hoc philoſophandum ſit?

An idem poſſit fieri ob defenſionem bonorum?

V.

Reverende admodum & Erudititiſſime Pater.

FElicißima meuntis anni auſpicia Paternitati veſtræ apprecor, & ago gratias, quod tanti meam tenuitatem faciat, ut quem poſſet & deberet docere, dignetur à tot Leucis conſulere. Ut video, multum affectus poteſt, & inter nos ita eſt connaturalis, ut omnem libertatem excludat. Nihil enim obſequi eſt, quod poſſim & nolim præſtare. Sed cur plura? ad rem venio, & ut uberiùs ſervire poſſim, filum orationis abrumpo, proteſtatus, &c. MCXIII.

VI.

QVæritur, *utrùm doctrina Petri Navarra, Sayri, & Franciſci Amici, quæ allegatur, ſit aliquâ Cenſurâ digna?* Et Ego addo eamdem eſſe etiam Gordoni *de Reſtit. quæſt.* 4. *cap.* 1. *num.* 7. Sancij *in ſelect. diſp.* 46. *num.* 8. & aliorum etiam apud ipſos: & viciſſim interrogo; Utrùm allegari unus poſſit Theologus, qui in terminis Amico contradicat? Interrogo, An Cenſor ipſe, qui Amici doctrinam condemnat, auderet in tribunali confeſſionis jubere (jubere dico, non conſulere) opinionem contrariam? Doctrinam Amici ſolam eſſe veram, & oppoſitam improbabilem cenſemus omnes

omnes docti: ſi qui enim videntur contradicere, mutant caſum, & circumſtantias alterant, non autem directè opponuntur. Et quidem antequam ipſammet opinionem examinem, hæc verba Amici legi velim. *Quoniam hæc*, ait, *apud alios non legimus, noluimus ita à nobis ſint dicta, ut communi ſententiæ adverſentur, ſed ſolùm diſputandi gratiâ propoſita, maturo judicio relicto penes prudentem Lectorem.* Et obſervo primò, tam eſſe humilem & modeſtum hunc Authorem, ut ſuum judicium quod expoſuit, captivet in Lectorum obſequium: quo ſolo nomine erat dignus Amicus, qui tractaretur prudenter benignè & amicè. Et ſecundò, eius doctrinam vel hoc ſolo nomine eſſe certã; puto enim hanc debere poſitionem admitti, *Quando occurrit materia, de quâ in terminis & ex profeſſo unus ſolus Author gravis tractavit, eiuſdem Authoris Reſolutio dicenda eſt moraliter certa (hoc eſt, omni probabiliore ſecurior) quouſque dentur Authores etiam graves, qui in terminis illam impugnent; tunc enim remittet certitudinem & incipiet eſſe Probabilior, Æquè-probabilis, Minus-probabilis, prout adverſarii ſint pauciores vel plures; & tunc demum Improbabilis erit cùm ab univerſis rejiciatur.* Cùm igitur hanc Quæſtionem in terminis tractarint pauci, omneſque ſtent ab Amico; nemo in terminis contra: [nam Diana, ut ſtatim videbimus contra non eſt; & ut eſſet, ſolùm inde ſequeretur ut plurimùm contrariã etiam eſſe probabilem, quod non admitto, & demonſtrabo inferius; qui enim Amici doctrinę contradicũt, inconvenientia Politica aſſignant; ac ſi ex Veritatis notitiâ non orirentur quotidie in aliis materiis plurima inconvenientia] ſequitur Reſolutionem Amici eſſe certam & indubitatam ab extrinſeco. Videamus modò, quid ab intrinſeco de hac eâdem opinione dicendum ſit. Porrò totam Ego quæſtionem ad iſtas Poſitiones reduco.

Amici humilitas.

Quanti facienda ſit unici Doctoris ſententia?

Inconvenientia nõ tollunt veritatem: ergo nec probabilitatem.

MCXLIII

EST PRIMA. *Poteſt homo ſæcularis innocens defendere ſuam vitam, etiam occidendo invaſorem, modò ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ.* Ago de innocente: quia de reo, & à Politicis Judicibus damnato aliter philoſophandum eſt.

De defenſione vitæ.

Reus condemnatus non poteſt propriam vitam defendere.

SECUNDA. *Poteſt homo ſæcularis innocens defendere ſuas pecunias & divitias, etiam occidendo invaſorem, modò ſervetur debitum moderamen.* Etiam ago de invaſione privatâ & injuſtâ.

De defenſione divitiarum.

TERTIA. *Poteſt homo ſæcularis innocens defendere ſuum honorem, etiam occidendo invaſorem, modo limites prudentiæ & neceſſitatis non excedat.* Et loquor eodem ſenſu: quoniam, qui juſtè à Republicâ condemnatur infamiâ, nõ habet jus, ut ferro ſuum honorem defendat.

De defenſione honoris.

QUARTA. *In his tribus caſibus eodem modo de Religioſo, quo de ſæculari philoſophandum eſt.* Singulas breviſſimè recognoſcamus.

De Religioſis.

Porrò PRIMA & SECUNDA ita ſunt certæ, ut ad dubium neutra reduci valeat. Ubi obiter noto vitam divitiaſque æquè poſſe defendi contra illum qui te ferro, ac contra illum qui te linguâ hoc eſt falſo teſtimonio perderet: Legi enim in Theſibus propugnatis Lovanii ſub Patre Joanne de Jonghe, *Te invadat quiſpiam ferro, an linguâ, perinde eſt*: & tamen non vidi aliquem qui hanc Theſin improbabilem crederet. TERTIA heri fortè fuerat minùs examinata; at jam hodie admittitur à doctiſſimis Viris: & quia Bavariæ Dux à ſeveritate & prudentiâ laudatur, narrabo quid ante annos paucos ibi acciderit. Divertit ad publicum hoſpitium Tibicen, ſupervenit Parrochus, & illum incepit injurijs laceſſere. Proteſtatur miles ſe eſſe do-

Qui invadit linguâ etiam occidi poteſt.

Caſus judicatus in Bavariâ.

Digitized by Google

mi ſuæ (quamdiu enim in hoſpitio ſolvit, domi ſuæ eſt) nec teneri nec velle iniurias tales tolerare; ridet Parrochus, graviora effutit & diſco ictum minatur: diſco inquam parvo, quo honorem potiùs militis quàm corpus læderet: ille impatiens ferrum ſtringit, & Sacerdotem inſolentem transverberat. Occumbit Parrochus; capitur Tibicen, conjicitur in tutiſſimos carceres; examinatur res; & integerrimus Dux, ubi omnes circumſtantias didicit, jus dixit & hæc verba, *Melius fuiſſet quod habuiſſet patientiam nebulo; at ſuo jure fuit uſus. Emittatur, jubeaturq; numquam iterum ad has partes redire.* Audivi à Viris Magnis, & hiſtoriam ad noſtrum intentum reduco. Quoniam vel ipſa verè accidit, vel effingitur ut aliæ ſolent. Si primum, ſtat pro nobis Sereniſſimus & Pientiſſimus Dux & eiuſdem Theologi & Juriſperiti; ſi ſecundum, ſtant pro nobis, qui narrarunt; ſunt enim Viri magni, & id enarrant, ut ſui Principis æquitatem & integritatem commendent. Gregorius Caraſa Clericorum Regularium Præpoſitus Generalis de Monomachia ſeu de Duello librum eruditiſſimum ſcripſit, illumque Romæ edidit, anno M. DC. XLVII. & Eminentiſſimo Petro Aloyſio Cardinali Caraſæ dedicavit, & tametſi multa ſcribat preſſiùs & ſtrictiùs, tamen *Tract.* 4. *ſect.* 6 *Reſponſ.* 6. *num.* 16. *pag.* 347. ſic inquit. *Probabile eſt, quod ſi Miles in exercitu, Vir Equeſtris in aulâ Regiâ, officio, dignitate, Ducis aut Principis favore, ob ignaviæ ſuſpicionem excidere debeat, niſi identidem provocanti ſe ſiſtat, non audere aliquos Doctores damnare, qui meræ defenſionis gratiâ paruerit.* [Bene hominis mentem aſſequor, & aſſequeris: at deficit aliquid, & ſenſus hiat: illum enim, qui provocatus comparet, ne honorem perdat, ab aliquibus non damnari, non jam probabile, ſed certum & evidens eſt; unde probabilitas non debet afficere hanc propoſitionem; *Aliqui damnare non audent*, quæ eſt certa: Sed hanc, *Provocatus in tali aut tali caſu poteſt comparere*; quæ incerta eſt.] Sed ſubjungit, *idem ſentientium, ſi ad pugnandum laceſſens alterum, crebra convitia & contumelias adjiciat quâ ille moleſtiâ & ſubeundo dedecore aliter liberare ſe non poſſit, niſi armis congrediatur. Ita expreſſè* Layman *ſect.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *numer.* 4. *qui pro prima parte huius Concluſionis citat Navarrum cap.* 15. *numer.* 3. & 4. Conſonat Caraſa Leſſio *de Iuſtitia & Iure libr.* 2. *cap.* 9. *numer.* 83. & 84. Hurtado *de ſpe & Charit. vol.* 2. *diſp.* 170. *ſect.* 13. §. 106. Filliucio *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 8. §. *Sextò quæro. numer.* 145. Imò omnibus: *primò*, quia contrariam ſententiam defendunt ut probabilem multi, non ut certam: & ſi illa eſt probabilis, etiam noſtra: vel Dialecticam vel Moralem ignoramus. *Secundò*, quia quotquot Authores negant Duellum honoris causâ poſſe iniri, aut dicunt honorem non perdi Duelli recuſatione, aut aliâ poſſe viâ recuperari; & ideò fugiunt controverſiam, non ſolvunt; deberent enim reſpondere, An-ne tunc ſaltem gladio honorem ſuum tueri nobilis poſſit, cùm certum ſit verè ſe honore exuendum, ſi credatur ignavus; nec aliam viam ſuppetere, ut eumdem defendat? Quam in his terminis Quæſtionem pauci tractant; & omnes, quos legi, reſpondent aſſertivè.

An provocatus poſſit acceptare duellum?

Probabilitas afficit utramque contradictionis partem.

An honore duelli recuſatione perdatur?

MCXLIV.

Tres priores Poſitiones probavi; quartam objicis, inquiriſque An bona conſequentia ſit, quæ à ſæculari ad Virum Religioſum diducitur? *Reſpondeo primò*, vitam Religioſos, etiam invaſorum excidio, ſi aliter nequeant, tueri poſſe.

De Religioſis.

poſſe. *Reſpondeo ſecundò*, poſſe & opes. *Anne honorem & famam etiam?* Parvi ſe, qui parvi illum vel hanc: & parvi utrumque, qui honorem aut vitæ aut divitiis poſtponit. Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus, & quia ſæculares plura defendenda habent, ſingula videntur defenſuri remiſſiùs. At Religioſus, qui vult diſſolvi & eſſe cum Chriſto; cur gladio vitam? qui nihil habet proprii; cur gladio opes? & tamen in omnium opinione iſtas & illam gladio tueri poteſt. Ergo à fortiore, ſiquidem unicum honorem retinuit, quo ſervato Deo & Patriæ in plurimis poterit ſervire; quo læſo, in nullis paucis-ve; tenebitur intenſiùs honorem, quàm ſæcularis defenſare. Quam ob rem in hac materiâ, ſicut de ſæculari ſic etiam de Religioſo philoſophari oportet: & ſi aliquod diſcrimen ſtatuendum ſit, dicendum Religioſorum honorem neceſſarium eſſe non Religioni uni & Cognatis, ſed quibuſcumque proximis, & debere ideò majori diligentiâ & rigore defendi.

Religioſus honorem retinet.

MCXLV. *Dianæ opinio.* Nunc ad Dianam venis, qui *part.* 7. *tract.* 10. *Reſol:* 17. *pag.* 240. ſic ait. *Sed ut verum fatear, quomodo poteſt admitti Religioſum poſſe cū morte alterius defendere, non ſolùm honorem & famā, quæ ex virtute naſcitur, ſed etiam quæ ex ſapientia? Et tamen hoc ultimum etiam Amicus admittit: non eſt igitur talis opinio admittenda. Dico igitur* Primò, In his Dianæ verbis nullam me videre demonſtrationem: illis ergo nō redditur contraria ſententia improbabilis. Dico ſecundò, in eiſdem nullam rationem videre probabilem, adeoque opinionem Dianæ non reddi probabilem, ſi anteà non erat. Dico tertiò, videri Dianam admittere, poſſe Religioſum etiā cum invaſoris morte defendere honorem ex virtute ortum; nō tamen poſſe ortum ex ſcientia: quod eſt dicere poſſe defendere divitias natas ex virtute, non verò natas ex literis & ſciētiâ. Et quis obſecro in pecunijs aut opibus radicem & originem quæſivit? Et, ſi illam nemo, cur ad illam Diana in honore recurrit? Hæc paucula de Diana, quem fortè legit Cenſor; cùm noluit Amici ſententiam admittere. Sed quia breviſſimè mentem ſuam exponit Amicus, volo eiuſdem ſententiam ad ſequētes Concluſiones reducere, quas ipſe admitteret omninò, ſi legeret.

Impugnatur.

PRIMA ſit. *Non ſemper perditur honos, cùm putatur; præcipuè, ſi calumniæ oppetant Viros ſanctos & pios.* Volo intelligi. Non dico honorem non perdi cùm ſolùm perditur apud improbos, & manet apud ſanctos & pios; hoc enim, tametſi ab aliquibus dictum, eſſe evidenter falſum æſtimo: aliàs enim, qui tibi coram improbis falſum teſtimonium imponeret, non peccaret: ſed dico Virum Sanctum & pium non facilè poſſe honorem & famam perdere, licet centeni calumniatores oblatrent. Et oſtendo: nam ut omnibus conſtat, præſcripta multorum annorum pietas eſt in antiquâ honoris poſſeſſione, nec minui poteſt unius aut alterius improbi loquacitate. Solē obſcurū dicat Noctua: & Ego, qui contrarium proprijs oculis video, nō habebo minoris ſolis radios, ſed Noctuā cęcutire dicā. Jeſuitas eſſe Pelagianos dixerunt Janſeniani, & dicunt: An-ne ideò occidi poterūt? minimè. Quoniam quot radios Noctua ſoli, tot Janſenius Societati detraxit: quotquot n. prudentes Pſeudo-Auguſtinum legunt, non dicunt Jeſuitas eſſe Pelagianos, ſed Janſenium eſſe calumniatorem. Præſcripta enim ſæculo integro Societatis pietas, tanto Martyrum ſanguine condecorata & roborata, non eſt quæ obſcuretur tetro anhelitu unius aut alterius MCXLVI.

Vide num. 260. ubi hanc quæſtionem examino.

An Ieſuitis Ianſenius nocuerit.

Hollandi. Suos Benedictini & Ciſtertienſes, ſuos Dominicani, Auguſtiniani, Franciſcani ; & quod mirabilius omninò, ſuos etiam Capucini habent Æmulos, qui gravia effutiunt; nec tamen occidi poſſunt, quia non nocent. Ventis flectitur navis, & invertendæ ſimilis promovetur ad portum : calumnijs flectitur Religionum authoritas? eſto: Ergo illæ ſimiles collapſuris ad utriusque gloriæ portum per labores & tribulationes, patientiâ & tolerantiâ conducuntur.

Sicut philoſophatus ſum de honore orto à virtute, ſic de illo etiam qui naſcitur ex ingenio & ſcientiâ. Cognoſcimus Virorum eminentium doctrinam; & cùm audîmus Ariſtotelem ſtupidum fuiſſe, levem in reſolvendo Thomam, craſſumq; in differẽdo Scotum, non minoris hos facimus, ſed accuſatoris ignorantiam & malevolentiam percipimus. Fruſtrà igitur ad ferrum ut honorem recuperaret, Religioſus recurreret qui nec honoris micam perdit, cùm à malevolis traducitur & accuſatur.

MCXLVII. SECUNDA. *Sæpè honos ingenui & innocentis Viri verè læſus, aut perditus, poteſt meris verbis; & ſi iſtis non, ſaltem remediis Iuridicis juxta Leges & Canones recurari & recuperari.* Et addo *in tali caſu nõ poſſe honoris defendendi aut recuperandi gratiâ ad gladiũ & ſanguinem recurri.* Conſultò dixi *Sæpè*, res enim ita implicantur aliquando, ut nec verba nec Juris remedia ſufficiant. Ut meliùs Concluſionem exponam, exempla præcedentia reſumo. Appellarunt de Pelagianiſmo Patres Jeſuitas Janſeniani, & inquiris primò; An fuerint Calumniatores? & ſecundò, An potuerint occidi? Reſpondeo ad primum, eorumdem de libero arbitrio doctrinam Lutheranâ & Calumnianâ; multo eſſe duriorem & pernitioſiorem;

Janſenij liberũ arbitrium.

& in Bayo & Janſenio quater damnatam ab Eccleſiâ : adeoque *Patres Ieſuitas eſſe Pelagianos*, quod ipſi dicunt, eſſe meram calumniam : *Ianſenium multis definitis à Tridentino Canonibus clarè & directè contradicere*, quod nos dicimus, eſſe veritatem ſinceram : quod etiam Urbanus VIII. & Innocentius X. pronuntiarunt. *Et reſpondeo ad ſecundum*, Janſenium occidi non poſſe, ſi viveret; nec hodie Janſenianos poſſe, qui ſuperſunt. Cùm, quia tametſi nocere voluerint, non potuerunt: proprium enim ipſi, cùm calumniantur, honorem prodigunt, Societati non detrahunt. Ut detraxerint, verbis fuerunt ſufficienter retuſi, cùm in Theſibus publicis Lovanii oſtenſum & defenſum Janſenium fuiſſe Calumniatorem & Thraſonem, Fidei Articulorum à Tridentinâ Synodo contemptorem, eiuſque doctrinam à multis olim Hæreticis defenſam & à Concilijs, Pontificibus, & Patribus Eccleſiæ condemnatam. Ut verba non ſuffecerint, adhuc debuerunt non occidi, qui poterant Jure compeſci, videlicet à Sede Apoſtolicâ, & à Rege Catholico, & ab alijs Principibus. Sed hoc ultimum non videbitur omninò certũ, qui enim docent te poſſe furem perſequi & vi cogere ut rem furto ablatam reſtituat, & hoc etiam in caſu, quo poſſis eamdem juridicè recuperare; idem poterunt de honore dicere, non enim video claram aliquam diſparitatem. *Sed quid, ſi ne juridice quidem* poſſit honorem aliquis recuperare? Concluſio

Ianſenius occidi à Ieſuitis non potuit.

Nota id bene.

TERTIA reſpondebit. Sic inquam: *Sæpe honos ita perditur ut non poſſit verbis, ut non poſſit remediis Iuris, ut nec poſſit ſanguine recuperari* : Addo igitur, *injuſtè in tali caſu ad gladium privatũ recurri.* Rem dilucido. Toleti, dum Guardianum ibidem ageret Quiroga meus, quiſpiam ex magna MCXLVIII.

Caſus bene notandus.

Digitized by Google

magna familia adoleſcens noctu deambulans incidit in ſatellites publicos, opponit ſe imprudēter poteſtati politicæ; capitur tandem, & die ſequenti per plateas ordinarias conductus ducentis flagellis à Carnifice excipitur. Turbantur cognati & amici: confugiunt ad Juvenis infœlicis Avunculum, qui ſub illud tempus in Aulâ humanitùs erat omnipotens; obtinetur Reſcriptum Regium, quo præcipitur, ut eidem honor publicè reſtituatur: hoc eſt, ut circūduceretur præceps & temerarius Judex in mulâ ſine ephippio, ut ſervi ſtabularii ſolent; & in equo albo & ditiſſimè phalerato adoleſcens, per eaſdem plateas, præcone priorem condemnante ſententiā, & alteram vociferante. An-ne poſſet honos grandiùs & ſolenniùs reſtitui? At Quiroga (eumdē etiam ictus videbatur cōcernere ratione ſanguinis) & multi Politici & Senes judicarunt hanc ipſam honoris reſtitutionem fore alteram infamationē, nec ad aliud profuturam, quā ut nobilem illum flagellatum à Carnifice diſcerent, ſi qui neſciebant. Ergo Juvenis ſtans conſilio prudentiſſimo noluit ſibi honorem reſtitui (nullo n. reſtitui modo poterat) adnavigavit Indiam, ut ſaltem eſſet in pretio apud externos, qui ſuæ gentis nobilitatem ſcirent, & illud infortunium neſcirent. An-ne in tali ille caſu (videlicet, poſtquā flagellis fuit exceptus) potuit interficere Judicem? Negativè reſpōdeo; quia nec ſic honorem ſuum recuperaret: inde enim oriebatur infamia, quòd flagellatus à Carnifice fuiſſet; quod ipſum infectū non poterat reddi, etiam fuſo Judicis ſanguine.

Hinc ad Eccleſiaſticos redeo, & affirmo ſæpe ipſos honorem perditum recuperare non poſſe morte calumniatoris; ſæpe plus fore honori, obfuturam homicidii ſuſpicionem occulti, quàm calumniam priorem: & in tali caſu honorem illos non recuperare occidendo, ſed perdere. Et his omnibus conſideratis totam doctrinam meam ad terminos ſequentes reduco.

Conclusionum Conclusio. *Si* MCIL.
Titium Sacerdotem Albericus infamat; perfidè nimirùm & iniuſtè: ſi verum ſit Tity opinionem & authoritatem calumniis his graviter lædi (nam leves iacturæ indignæ ſunt remediis gravibus) ſi verbis non ſe poſſit defendere; ſi eum Reſpublica protegere & defendere nolit aut nequeat: & tandem, ſi ſuum honorem verè tueri poſſit occidendo Albericum, & non aliter: in tali inquam circumſtantiarum concurrentiā ſtando Iuri naturæ poterit Titius Albericum occidere: & ſi poſſit, etiam aliquando debebit; eo videlicet caſu, quo & debeat ſuum honorem defendere. Conſultò dixi *ſtando Iuri naturæ*; hoc enim conſtans & æternum eſt, & Humana mutantur quotidie & alterantur.

De Iure naturæ.

An-ne eadem doctrina poterit admitti ſtando Civili aut Canonico? Reſpondeo hanc, quam modo proponis, eſſe quæſtionem de facto, nec ab ſpeculatione pendere. Addo Amici doctrinā eſſe novam & Legibus vulgatis juniorē, atque ideò nihil de illa à Pontificibus, Cæſaribus, aut Regibus fuiſſe diſpoſitū.

De Iure Civili & Canonico.

Dices ex hac doctrinā multa ſuboriri inconvenientia, & ideò rejiciendam eſ- MCL.
ſe. Et reſpondeo hanc, *Ex tali aut tali Aſſertione magna pericula & damna ſuboriuntur, Ergo eſt falſa*, non eſſe bonam conſequentiam: quod demonſtro clariſſimè. [Simus, Amice Lector, Tu & Ego Viri potentes acresq; agamus ſub Rege N. & viderimus oculis proprijs Reginā mancipio proſtitui, & inde ortum ſpurium, qui Princeps & Regni hæres dicatur. Cōgreget Magnates infamiæ ſuæ ignarus Rex; comitia celebret, filium coro-

Notanda pro Morali Dialectica.

Caſus obſervatione dignus.

Digitized by Google

naturus. At inſurgimus nos, coronationi contradicimus, Reginam de adulterio appellamus, ſubolem ſpuriam rejicimus. O quanta (bone Deus) in tali caſu inconvenientia ſequerentur! ô quanta damna! Eſſent Principes qui à nobis, eſſent qui contrà ſtarent. Potentia potentiæ opponeretur. Turbaretur Reſpublica, civilia excitarentur bella, quæ illam fortè deſtruerent. Et tamen his omnibus inconvenientibus non obſtantibus Aſſertio noſtra vera eſſet.]

Ex inconvenientibus improbabilitas ſequi non poteſt. Reſtrictiones mentales. Occultæ compenſationes. Occiſio iniqui judicis. Actuum internorũ immunitas.

Hinc eſt, quòd ego judicem ſumma inconvenientia ſequi ex multis Opinionibus, quæ hodie circumferuntur, nec tamen ideò illas improbabiles eſſe. Multa enim ſuboriuntur ex Reſtrictionibus mentalibus; multa ex occultis Compenſationibus; multa ex licentia occidendi iniuſtum Judicem aut teſtem, quam nonnulli cõcedunt; multa etiam ex illa opinione, quæ docet, de occultis non judicare Eccleſiam; multa ex aliis; quibus tamen non obſtantibus inconvenientibus illæ ſententiæ in terminis, quibus hodie in Scholis traduntur, ſunt ut minimùm probabiliſſimæ, & à nemine damnari poſſunt.

MCLI. *An ſit mortiferũ imponere falſum teſtimoniũ ob defenſionẽ honoris cũ moderamine inculpatæ tutelæ?*

Hæc omninò viderentur ſufficere, ſed volo adhuc breviter unicam inſtantiam adjungere. Sic diſcurro. Conformius rationi videtur honorem defendere gladio, quàm mendacio: generoſius & ſanctius famam defendere occidendo aggreſſorem, quàm ei falſum teſtimonium imponẽdo cum moderamine tutelæ, (id enim ſemper ſubintelligitur) At non eſſe mortale peccatum hoc ultimum probabile eſt: Ergo illud prius. Maiorem probo, Quia homicidium ex naturâ ſuâ malum non eſt, multi enim interimuntur juſtè: & mendacium ita malum eſt, ut nec divinitùs diſpenſari aut cohoneſtari poſſit in omnium Thomiſtarum ſententiâ; imò etiam in opinione Scotiſtarum plurium, qui putant poſſe Deum diſpẽſare in aliquibus præceptis Decalogi. Probo minorem etiã, videlicet eſſe probabile non peccare mortaliter, qui imponit falſum teſtimonium alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat: quia illud eſt probabile, quod aſſeritur à Viris doctis probiſque: & hæc doctrina habet pro ſe viginti aut plures Viros magnos & doctos, qui ſi dicantur non ſufficere, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. Vide Gaſparũ Hurtadum *diſp. 4. de reo, difficult. 1.* Dicaſtillum *de Iuſt. lib. 2. tract. 2. diſp. 12. part. 4. dub. 2. n.* 404. Dianâ *part. 9. tract. 8 reſol. 43. pag.* 356. & nota obiter illum gravem Religioſum cucullatum gymnopodam, cuius meminit Dicaſtillus fuiſſe P. Quirogam, Patrum Capucinorũ decus, qui mihi teſtatus eſt ſe nunquam Dicaſtilli ſententiam improbabilem cenſuiſſe aut dixiſſe, ſed quia in Gynicæo Imperatricis à Comitiſſa N. tradebatur Virginibus nobiliſſimis & audaciſſimis, quæ ut in ſimilibus locis ſolet, illâ doctrinâ abutebantur, pronunciavit hanc eſſe doctrinam pernitioſam & præcipuè inter fœminas, & maximè ſi ſint ingenioſæ & audaces: & hanc ob cauſam curaviſſe, ut omnis illius doctrinæ uſus (erat enim abuſus) ab Auguſtâ omnibus Pediſſequis inhiberetur.

Quirogæ opinio.

MCLII. *Logicam reformandam.*

Hinc patet Logicã reformari debere; & totam illam Dialecticæ partem, quæ à ſimili, ab exemplo, à minori ad maius, à maiori ad minus, ab impoſſibili, ab incõvenienti, ab abſurdo, & innumera alia, quæ ab Authoribus paſſim traduntur in Moralibus claudicare, & expungi aut reſcribi debere. Hanc Ego ob cauſam Moralem, Grammaticam, Moralem Logicam, & Moralem Philoſophiam ſcripſi, quas præmittam Novæ

totius

totius Theologiæ Moralis editioni, quam apparo.

Sic ſentio ſalvo ſaniore & doctiore judicio: & nomen meum ſubſcribo, Viennæ apud Montem ſerratum, 21. die Januarij, Anno M. DC. L.

Quanta ſit Theſeon Viennenſium authoritas? Hæc tunc ſcripſi de hac materia: ſed quia Theſes Viennæ ut num. 195. dixi, à Theologicâ Facultate approbantur, & habent non jam unius Doctoris, ſed totius Univerſitatis authoritatem, placet unam exſcribere, quæ firmare præcedentia videbitur.

Eodem igitur Anno die 8. Auguſti ſub R. P. Hermanno Horet, Sacræ Theologiæ Doctore & Profeſſore, & nunc Eleonoræ Imperatricis Confeſſario D. Willibaldus Wachter Melicenſis Ordinis S. Benedicti, diſputavit, de Juſtitiâ & Jure, & num. LIII. propugnavit hanc Theſin. *Nota ſingulariter.* [Reus etiam, neſciens ſe aliter ab injuſto teſte coram judice defendere non peccat contra juſtitiam ſi occultum illius crimen aperiat vel falſum ei affingit: quia poſſum ſine peccato injuſtitiæ occidere meum juſtum invaſorẽ contra quem aliter me tueri nequeo ergo neq; peccatũ erit injuſtitiæ, ſi auferam alteri famam ut me cõtra ipſum injuſtè invadentem defendam cum minus ſit auferre famam quã vitã. Atq; ideo quoq; falſum inſtrumentum fingere ad probandum falſum crimen teſtis me injuſtè invadentis non erit crimen contra juſtitiam ſed peccatum graviſſimum contra juſtitiam legalem & Rempubl. cuius maximè intereſt ne falſificentur ſcripturæ & ſigilla publica, aliàs enim periret fides actuum publicorum.] *Hucusq; illi.*

VII.

MCLIII. Legiſti hanc doctrinam, & inquiris, *An homo Religioſus, qui fragilitati cedẽs fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens ſe proſtituiſſe viro tanto, rem enarrat, & eumdem infamat, poſſit illam occidere?*

Quid ſcio? At audivi ab eximio Patre N. S. Theol. Doctore magni ingenij & doctrinæ Viro. [Potuiſſet Amicus hanc Reſolutionem omiſiſſe; at ſemel impreſſam debet illam tueri, & nos eamdem defendere: doctrina quidem eſt probabilis, ſed quâ poſſet uti Religioſus, & Pellicem occidere, ne ſe infamaret: &c.] Tu rem accuratè perpende.

VIII.

An licitum ſit fugientem inſequi ad recuperandum honorem propter acceptam alapam vel fuſtem, illumque vulnerare & repercutere?

Hanc quæſtionem doctiſſimè & eruditiſſimè pertractat Diana *part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 48. & adducit Patrem Dicaſtillum, qui *de Iuſt. & Iur. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub* 6. *n.* 74. affirmativam partem judicat ſpeculativè eſſe probabilem. P. Gaſparem Hurtadum, *qui tract. de Iuſt. & Iur. diſp.* 11. *diff.* 11. mordicùs eamdem propugnat, & ait. [Victoria *Relectione de jure belli n.* 5. Navarrus *cap.* 15. *n.* 4 Rodriquez *cap.* 136. *n.* 11. Mercadus *in ſumm. lib.* 6. Lopez 1. *part. cap.* 62. Henriquez *de irregularit. cap.* 10. & Petrus Navarra *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 380. docent id eſſe licitum percuſſo; quantum ſit neceſſarium, ut percuſſus non maneat ignominiâ affectus: quod etiam ſentit Bonacina *de reſtitut. diſput* 2. *quæſtion. ultim. ſect.* 1. *punct.* 10. & meritò; quia ſtatim repercutere fit in actuali ipſa congreſſione antequam invaſor ad alia divertatur, aut jam alibi quietus exiſtat, quia adhuc ſaltem moraliter &c. & honor nondum eſt ſaltẽ moraliter *in facto eſſe amiſſus,* ſed MCLIV.

tamen

tantùm eſt amiſſio illius *in fieri*, & inchoatio amiſſionis, & repercuſſione amiſſio honoris non perficitur, quia eâ percuſſione impeditur, ne ſit in facto eſſe: Ergo id eſt licitum percuſſo.] Hanc ſententiam probabilem vocat Diana *part.8.tract.7.reſol.48.* nam contrariam dicit eſſe ſatis probabilem & ſemper in praxi conſulendam.

MCLV. Non volo examinare, Utrùm hæc opinio ſit probabilis? Malo enim id ſupponere; quis enim probabilitatem extrinſecam negaturus erit ſententiæ tanto & tantorum ſcriptorum numero ſtabilitæ? quis intrinſecam tantis rationibus firmatæ? Sed infero. *Ergo, qui fecerit, quod hæc opinio eſſe licitum docet, non operabitur ſuadente Diabolo, nec poterit probabiliter dici culpam mortalem commiſiſſe.* Ergo hac doctrinâ inſtructus, progredere, & Caſum ſequentem meditare.

Conſequẽtia notanda.

Caſus utinam rarus. *Petrus in oppido N. Parrochus, Canonis protectus clypeo, quod vulnerare poſſet, vulnerari non poſſet; ſubditos ipſos ſuos, ſæpè aggrediebatur, & ne excuſari poſſent juſta & neceſſariæ defenſionis prætextu, ut impegerat colaphum, vel percuſſerat fuſte, vel ſtatim fugiebat, vel ſubmittebat arma dicens:* Jam ego ab invaſione deſiſto, jam defenſionis propriæ cauſa me percutere nequis, vel alias in Excommunicationem incurres. *Sic ſuos ruſticos vexavit ſæpè, qui vel ſolo Excommunicationis vocabulo perterriti, omnia patiebantur, & interim Parrochus graſſabatur impunè. Sed quia non omnium ingenia ſunt ſimilia, accidit incideret Parrochus in quemdam Procuratorem, natione Cantabrum, qui faciliùs ageret pugnis, quàm verbis: nempe in hominem, qui multum doctrinæ & parum haberet patientiæ; Huic ipſi Parrochus apertâ manu impegit alapam & fugit. Inſequitur & aſſequitur Cantaber, & tamdiu trivit calcibus, quamdiu vidit univerſos applaudere: ut cœperunt aliqui ſe interponere, ne diceretur exceſſiſſe, ceſſavit. Accuſat Procuratorem Parrochus, Parrochum Procurator. Hærent Conſiſtoriales: negare enim non audent eſſe probabilem Gaſparis Hurtadi ſententiam; quam fuit ſecutus procurator, ut ait.*

Hunc Ego Caſum Lectoribus ponderandum propono; & quia pro Parrocho judicare non ſcirem, & contra nollem, interrogo, An toleranda ſit Ruſticanorum Parrochorum audacia, qui frequentiſſimè ſuos ſubditos manibus vulnerant aut percutiunt? An huic malo ſatis caveatur Officialium diligentiâ; maximè ſi clericus ſit pauper; nam vidi ſæpè clericos divites graviter puniri ob res leves, & pauperes committere graves impunè: non enim omnia ſciunt Epiſcopi; & Miniſtri aliquando contra clericos, qui ſolvere non poſſunt, nihil agunt? An ne deberet dici, licere percuſſis à clericis ſequi Hurtadi ſententiam, & fugientes aſſequi & repercutere? Deus bone! Quanta ex altero capite bona, quanta ex altero mala ex hac doctrinâ ſequerentur! Quã modeſti & moderati redderentur clerici aliqui ſolo repercuſſionis metu: & quantâ etiam temeritate ſæculares hac etiam doctrinâ abuterentur! Hæreo fateor, hærebóque, & audiam doctiores libentiſſimè.

IX.

De Caſtratione.

PRopoſuit mihi duas queſtiones quidam Theologus Eruditiſſimus ex Ordine Carmelitarum excalceatorum, & quia mihi non ſatisfeci cùm ei volui, illas, meo Lectori repono. MCLVI.

Prima eſt, *An conſentientem filium pater caſtrare poſſit, ut voce & cantu Eccleſiæ ſerviat?* Secunda, *An ſe aliquis caſtrare poſſit,*

Digitized by Google

poſſit, ut careat tentationibus carnis, ſi ſe imparem reſiſtendo cognoſcat?

Ad primam reſpondet aſſertivè Salonius *in 2.2 tom. 1. quaſt. 65. art. 5. contr. 2.* ubi ait. [Hinc ſequitur licere quidem parentibus, filijs, quos voce plurimùm Eccleſiis profuturos ſperant, amputare virilia, & efficere eunuchos, ſed ita ut fiat ſine periculo vitæ & de corũ conſenſu. Quia licet huiuſmodi eunuchi utiles etiam ſunt bono communi Eccleſiarum, non tamen neceſſarii: tum etiam, quia poſtquam ſunt eunuchi non manet eis facultas ad quemcumq; ſtatum; cùm ex jure Clerici eſſe non poſſint, nec ex Conſtitutione Sixti V. coniugati: electio autem libera eſt; quo fit neminem faciendum eſſe eunuchum, niſi conſentiat.] Conſonat Salonio Sasqualigas *in ſuis Deciſionibus Moralibus, deciſ.* 458. & probat, *Primò*, quia excellentia vocis in ordine ad cantum eſt magni facienda. *Secundò*, quia ſuavis vox eſt perfectio quædam corporalis, quæ pluribus membris præfertur: quis enim in mundo eſſet, qui rogatùs, An mallet carere bonâ voce aut uno pedis digito, mallet digitum habere, quàm vocem? *Tertiò*, quia Principum favor, & authoritas apud Magnates res eſt notabilis momenti, quæ tametſi ſit bonitas quædam moralis, multis eſt phyſicis anteferenda. Legimus n. in Imperio Romano Eunucho Cæſarem & Publicam rem gubernante, multos caſtratos fuiſſe, ut ſibi hoc ſolo vulnere authoritatem conciliarẽt. *Quartò*, quia inde adquirunt Cantores ſtipendia opulenta, qui aliàs fortè deberent oſtiatim mendicare. Et quidẽ ſuſtentationis eſſe habendam rationem vel inde evidenter colligitur, quòd ſuſtentatio conſervationẽ individui concernat, & caſtratio conſervationi ſpeciei opponatur; ubi notari debet ſtrictiſſimè teneri hominem cõſervare individuum, qui tamen vel non tenetur cõſervare ſpeciem, vel ut plurimùm tenetur ſatis laxè. Hanc eamdem Tannerus ſententiam veram judicat, quia contrariam 2.2. *diſp.* 4. *quaſt.* 8. *dub.* 5. *nu.* 101. tantummodò vocat veriorem.

At videmus multos Sacerdotes Eunuchos: ergo ſolet concedi diſpẽſatio.

Sententia præcedens impugnatur. MCLVII.

Sed contra hanc opinionem inſurgit Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 38. & *part.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 25. §. *ſed quia.* & *part.* 6. *tract.* 8. *reſ.* 36. & ſubſcribens D. Thomæ 22. *quaſt.* 65. *art.* 1. Tãnero *in* 22. *diſp.* 4 *quaſt.* 8. *dub.* 5. *num.* 101. Bittershuſio *in Novellas Iuſtiniani part.* 12. *cap.* 12. *num.* 8. Gudelino *de Iure noviſſimo lib.* 5. *cap.* 17. & præter Layman. Megalium, alioſque ipſo Dianâ citato Pater Theſaurus *in Praxi. part.* 2. *verb. Membr. mutil. cap.* 1. §. *Amplia ſecundo.* Bonacina *de cenſuris diſp.* 7. *quaſt.* 2. *punct.* 2. *n.* 34. Lezzana *in Summa Quaſt. Regul. tom.* 3. *verb. Homicidium num.* 4. & *verb. Irregularitas num.* 75. quibus addo Baſilium Pontium de Leone *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 67. *num.* 1. & *leg.* 4. *ff ad leg. Cornel. de ſicariis.* Et quidem hi ſcriptores adducunt aliquas rationes, quæ quia evidentes non ſunt, debebunt à nobis enodari.

An liceat abſcindere membra? & quando? An homo ſit membrorum Dominus?

PRIMA eſt. Tametſi liceat aliquando membrum aliquod abſcindere, id licet ratione ſolìus neceſſitatis, ut bene obſervat D. Thomas citatus. Et ratio eſt, quia nemo eſt Dominus ſuorum membrorum ut patet *ex lege* 13. *Liber Homo, ff. ad Aquil.* & omnium Theologorum & Juriſperitorum conſenſu.

SECUNDA. Quia membra ſunt propter bonum totius: quando igitur mẽbrum aliquod toti corpori adduceret perniciem, ratio naturalis, dictat illud reſcindi, & abjici poſſe; quod etiã procedit ex cauſa extrinſeca adveniente; & ideò ſi quis ligatis manibus in bello, vel

Digitized by Google

An aliquis poſſit vel pedem vel manum abſcindere, ut evadat?

alio loco injuſtè detineatur cum vitæ probabili periculo, poteſt ſibi membrũ abſcindere, ſi aliter evadere non poſſit. Similiter ſi quis haberet manum ferro alligatam, aut parieti ſagittâ affixam, videret flammam ignis jam jam invadentem, aut hoſtes irruentes, licitè poteſt vi brachiũ relictâ manu extrahere, ſi nullum aliud eſt remedium. Sic etiam qui à canibus detentus mortem timeret, nec aliter evadere poteſt, licitè poteſt ſibi membrum abſcindere. Et qui domi incluſus ab hoſtibus interficiendus detineretur, licitè poteſt cum manifeſto periculo fractionis pedis vel manus ſe per feneſtram dimittere. Item qui manum habet viperæ veneno tactam, ne venenum cor comprimat & moriatur, licitè poteſt eam abſcindere. Igitur ex ſententia D. Thomæ, & omnium Theologorum dicendum eſt quod tunc quis poteſt diſponere de membris ſuis, quando eorum abſciſſio eſt neceſſaria pro ſalute totius corporis, vel alicuius membri principalis. Et ideò rectè infert Joannes Wigers *de juſt. & jure, tract.* 2. *cap.* 2. *dubio* 19. *n.* 110. quod extra neceſſitatem nemini licet ſe mutilare, ſive membro aliquo ſe privare, neque curare id fieri per alium. Hinc D. Thomas *ubi ſupra in reſponſ. ad* 3. dixit membrum non eſſe præſcindendum propter corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter toti ſubveniri nõ poteſt.

Tertia pendet à præcedentibus, & eſt ſolutio rationum quas propoſuerat Pasqualigus. Nam abſcinditur membrum non ex neceſſitate, ut corpus vel aliquod eius membrum principale in ſuo eſſe conſervetur ne pereat, ſed ut vox tantũ dulcis & ſonora conſervetur. Ergo nulla ratio naturalis dictat in iſto caſu, ut uni membro damnum inferatur, immo prorſus abſcindatur pro meliorandâ tantùm voce, nam vox dulcis & ſonora non eſt medium neceſſarium pro tuendâ ſalute totius corporis, vel alterius membri principalis; neq; cum voce aſperâ & diſſonanti corpus vel aliquod eius membrum eſt in ſtatu pereundi. Ergo nõ tenetur aliquod membrum illi ſuccurrere cum tanto detrimento ſui, quia non adeſt ſtatus neceſſitatis, in quo ex ratione naturali teneretur abſciſſionem pati. Nec ſi vox ex dulci & ſonora efficiatur aſpera & diſſonans, ſequitur ex hoc ut corpus vel mẽbrum aliquod principale pereat, unde aliud teneretur cum ſui detrimento illi ſuccurrere, & nos non ſumus in caſu in quo quis vocem, & loquelam amitteret niſi abſcinderetur.

Quarta. Non n. honor apud Principes, aut ampla ſuſtentatio poteſt efficere ut licita ſit alicuius membri detrũcatio, ut vult Pasquiligus, cui quidem concedimus, quod excellentia vocis ſit permagni facienda, ſed non eſt neceſſaria. Ergo caſtratio nõ erit licita, quia non ſumus in caſu conſervandi ſuppoſitum in ſuo eſſe ne pereat, ſed tantùm meliorandi, & perfectionandi.

Ut his argumentis ſatisfaciam, proponam Quæſtionem ſecundam, & utramque connectam, dicamque *Certiùs eſſe poſſe ſe caſtrare propter vitam æternam, quod legimus feciſſe Origenem, & multos ſanctos attentaſſe, aut deſideraſſe, quàm propter ſuavitatem vocis.* Quam ob rem cæteris paribus, qui dicant poſſe puerũ caſtrari propter vocem, videntur debere dicere eumdem poſſe propter vitam æternam, nimirùm ad ſedãdas tentationes carnis, ſi hac ipſe viâ fugere poſſit, quas experientiâ teſte didicit à ſe ſuperari nõ poſſe: hoc eſt, non ſolere: agimus enim non de impotentiâ phyſicâ, ſed de morali.

Quæſtio adhærens.

Veræ ſententiæ fundamenta.

Sed

MCLVIII Sed ex quibus Principiis debebit hæc difficultas ſolvi? Non ex aliis exiſtimo, quàm ex ipſiſſimis quibus utuntur Adverſarij; qui videntur, aut non bene illa perpendiſſe, aut Dialectico occulto aliquo morbo laborare. Sit igitur.

FUNDAMENTUM I. *Homo non eſt Dominus ſuæ vitæ.* Patet: quia quidquid Ethnici dixerint aut fecerint, certum eſt Suicidium interdici in Decalogo.

FUNDAMENTUM II. *Homo non eſt Dominus ſuorum membrorum; adeoq; Dominij nomine non poterit ullum excidere, etiamſi membro illo carere poſſit.* [Hęc ultima verba addidi, quia caput, etſi homo eſſet membrorum Dominus, non poſſet excidere; ſed hoc ex alio diverſo capite; nimirùm, quia vitæ non eſt Dominus, nec poteſt ſine capite vivere.] Oritur ex præcedenti hæc Aſſertio. Nã ſi eſſet Dominus membrorum & non vitæ, non poſſet ullum excidere cum vitæ diſpendio, at ceſſante mortis certitudine (aut ſaltem periculo) poſſet.

An homo vivere queat ſine capite?

FUNDAMENTUM III. *Homo eſt uſufructuarius vitæ ſuæ.* Patet: eſſet enim nimis infœlix, ſi inter alias miſerias, quibus inficitur, etiam haberet hanc, quod eſſet ſuæ vitæ mancipium, illique deberet univerſa præponere: habet enim homo etiam infamis animam, quam debet præponere vitæ; & nobilis honorem, quem pretioſiorem vitâ fatentur omnes, qui ex bonis parentibus nati.

Nota id bene.

Anima & honos vita potior.

Hinc eſt Hominem non poſſe vitam prodigere, poſſe expendere, quod fecerunt Martyres, faciunt & Milites, & ſuo etiam modo Confeſſores, qui vitæ annos auſteritate & rigore monaſticæ cõverſationis abbreviant: corpus enim Antonij, Pauli, Hylarionis, &c. Auguſtini, Benedicti, Bernardi, Dominici, Franciſci, Ignatij, &c. non ut Medici, ſed ut Monachi Religioſi tractarunt.

Aliud eſt prodigere, & aliud expendere.

FUNDAMENTUM IIII. *Homo eſt uſufructuarius ſui corporis.* Patet, quia conceſſo uſufructu vitæ, uſusfructus corporis negari non poterit.

FUNDAMENTUM V. *Vſufructuarius debet uti re illæſâ ſubſtantiâ.* Utitur illæſâ ſubſtantiâ, cùm ad melius. Quam ob rem [NB] qui locat hortum, poteſt putare arbores, non ſolùm in caſu extremæ neceſſitatis, nimirùm, ſi aliter debeant illæ perire; ſed etiam in caſu quo imputatæ nullum aut malum fructum ederent, & multum & bonum putatæ.

Vſufructus

CONSEQUENTIA I. *Cùm igitur melior ſit Cantor qui Eunuchus, colligitur pueros poſſe ad conſervandam vocis ſuavitatem caſtrari.* Patet, nam adverſarij ipſi non negant magni debere fieri vocis excellentiam, vocis ſecuritatem, ſtipendij opulentiam, & apud Reges & Principes authoritatem. Et hæc conſequentia ſatisfacit Quæſtioni primæ.

CONSEQUENTIA II. *Cùm etiam non jam maximi, ſed ſummi, debeat fieri conſcientiæ tranquillitas & ſecuritas, colligitur hominem, qui aliter neſcit carnis tentationes ſuperare, poſſe ſeipſum caſtrare, ut vel ſic reddat ſuam ſalutem ſecuram.* Colligitur ex præcedentibus.

Dices. Meliùs eſt nubere quàm uri, dixit Paulus; melius eſt caſtrari quàm uri, non dixit; ergo in tali caſu, nubere debet, ſe autem caſtrare non debet; imò nec poteſt. *Et reſpondeo* Paulum agere de hominibus, qui poſſunt matrimonium contrahere: non de illis qui voto ſolenni, aut alio legitimo impedimento ſunt incapaces, ut id contrahant & hinc nova oritur difficultas, quæ rogat, *An adoleſcens cœlebs, qui poteſt matrimonio legitimo incendium concupiſcentiæ extinguere, poſſit matrimonio relicto ad remedium caſtrationis recurrere?* Nolo omnia ſolvere, & ideò inter alias hanc

Objectio.

Quæſtio incidens.

etiam Quæſtionem Lectori decidendam relinquo.

Argumentis à Dianæ adductis reſpondetur.

MCLIX. *Angelico Doctori reſpondetur.* *Ad primum* dico, rationem D. Thomæ eſſe debilem: hæc enim conſequentia, *Petrus nō eſt Dominus ſuorum membrorum, Ergo nullum poteſt excidere extra caſum extremæ neceſſitatis*, eſt ſimilis huic *Locatarius non eſt Dominus huius horti, nec harum arborum: Ergo nullum ramum (ſeu arboris membrum) putare poterit extra caſum extremæ neceſſitatis.* Et tamen hanc ultimã eſſe malam nemo negare poterit: nam non Dominus arborum ſolus, ſed etiam Uſufructuarius poteſt ramos putare & excidere, nō ſolùm ut conſerventur arbores vivæ, ſed etiam ut meliorem & uberiorem fructum faciãt: imò & ut pulchriores ipſæ ſint, dantur enim plurimæ ſteriles, quæ hortos ornant, & putari ſolent ad maiorem corporis vegetativi ornatum. Cùm igitur homo ſuorum membrorum Uſufructuarius ſit, non poterit illa prodigere, at expendere poterit: expendit non ſolùm ſi excidat ne totum pereat, ſed etiam ſi excidat ut meliùs habeat: nam & cauteria interdum inuruntur, & venæ ſecantur ad melius. Hinc patet, quid debeat reſpōderi

Ad ſecundum. Admitto enim omnes eos caſus in quibus Homo dicitur poſſe membrum excidere: & addo omnes illos firmare Fundamentum ſecundum, non verò noſtram ſententiã oppugnare. Aſſero igitur præter illos caſus, qui in extrema neceſſitate fundantur, etiam poſſe citra extremam neceſſitatem ob magnum bonum totius; nimirùm tale, quod præponderet damno, quod reſultat ex vulnere.

Ad tertium reſpondeo eodem modo; nam admitto vocis ſuavitatem non eſſe neceſſariam ad ſalutē ſimpliciter, addo tamen eſſe neceſſariam ad meliùs: h. e. ad conſervandam vitam digniorem, opulentiorem, & honorificentiorem.

Ad quartum, nego non debere tanti favorem & gratiam apud Principes; ut membrum ideò excidi poſſit. Peto enim ab ipſo Dianâ, An nō mallet, ſi ſine peccato fieri poſſet, habere honores, quos deſiderat, etſi deberet unico digito pedis, ad nihil neceſſario, carere? Stat igitur favorem & amicitiam Principū non eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſeu conſervationem propriæ vitæ: & tamen poſſe Hominem illam adſequi etiam ſibi inutilis membri diſpendio, vel ut meliùs loquar, impendio. Vel qui tanti rem illam facit, quæ caſtrator excîdit, dicat obſecro, in Viro religioſo & votis ſolennibus obſtricto, illa ad quid in ſenſu cōpoſito & practicè poteſt ſervire? Ergo eſt ſimilis rei, quę in aliis occaſionibus prodeſſe poſſet, at jam nocere poteſt ſoletque, & ſervire & prodeſſe non poteſt.

X.

Diana *part.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 36. *§. Adde.* Subſcripſit paucas lineas, quæ utramq; Quæſtionem tollerent, ſi admitterentur. *Adde*, inquit, *contra ſupradictam caſtrationem, quod Eunuchi vehementer libidine inflãmantur. Ergo ſunt in maximo ſalutis periculo: quia eis matrimonium inire ab Eccleſia eſt interdictum. De vehementiſſima autem eorum Venere vide Bonacinam, Wigers, Baſilium Pontium*, &c. Porrò, ſi tam laſcivi illi ſunt, errat totus Orbis terrarum, qui in opinione contrariã hæret, hærebitque: erravit miſerrimè Origenes, qui ut caſtè viveret, illa abſtulit, quæ impediebant: errarunt multi Sancti, qui caſtrari voluerunt: errarunt multi religioſi pii & docti, qui hodie interrogant, an id poſſint facere ſine peccato? Et cur hæc omnia aggero? maiora ſum dicturus audacter: ſi Bonacina Wigers, MCLX. *An Eunuchi magis ſint laſcivi quàm integri*

gers,

Digitized by Google

gers, & Baſilius non errat, Chriſtus errat; quoniam Matthæi capite XIX. objicientibus Diſcipulis ſuis, *Si ita eſt cauſa*

Chriſti Domini verba. *hominis cum uxore, non expedit nubere*: reſpondit Chriſtus, *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt; & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat*. Et hæc conſiderans verba, duo colligo,

Expoſitio. *Primum*: Non videri illa aliquam abſurditatem imbibere, ſi de caſtratione reali & phyſicâ; aut potiùs de utraq; aut de caſtratione præciſâ à reali & morali explicentur. *Secundum*: malè Chriſtum uſum fuiſſe caſtrationis metaphorâ, ſi caſtrati nō poſſint meliùs faciliùſque conſequi vitã æternam: nam eâdem metaphorâ ſumitur *calor*, pro luxuriâ; & quis laudaret eum qui diceret, *ſunt calidi* (homines complexionis igneę & cholericæ) *qui de matris utero ſic nati ſunt: & ſunt calidi, qui ab aliis calefacti ſunt: & ſunt calidi* (laſcivi, molles) *qui ſe calidos* (laſcivos & molles) *fecerunt propter regnum cœlorum*. Ergo ſtat Eunuchorum Venerem eſſe violentam, & ut multis placet contranaturalem, & quidquid ab illis tentatur, non à tentationis vehementiâ, ſed à malâ voluntate exoriri, quæ naturam ſupra vires excitat: quod ipſum demonſtrare videntur irrationales animantes, quæ ſolo ſenſûs appetitu excitantur; ipſæ enim, ſi ſemel caſtratæ, libidinis ardorem non ſentiunt: clarè enim differentiam, inter Arietem & Verbecem, Taurum & Bovem, &c. percipimus.

Eunuchorum venus violenta & contranaturalis.

Nota id attentè.

Cæterùm, ſi loquamur ex ſuppoſitione, quod vera ſit eorumdem Authorum opinio, *ad primam Quæſtionem reſpondeo*, hominem caſtrari non poſſe, ſi moraliter certum ſit à libidinis vehementia ſuperandum: nam abſente evidentiâ morali, ratio quæ ab ipſis obiecta non urget; nam Dubium nō eſt Regula morum, & Probabilitas ad neutram partem prędeterminat. *Ad ſecundum reſpondeo* caſum tolli, nam ſi caſtratio non ſit utilis ad ſedandas carnis tentationes, ſed nociva, non poterit adhiberi ut medium, ſed rejici debebit potiùs ut venenum mortiferum; quod ipſum hypotheſin deſtruit, & quæſtionem immutat.

XI.

De Gravida.

Quærunt aliqui, *An gravida ad vincendas tentationes carnis teneatur jejunare etiam cum periculo prolis?* MCLXI.

Reſpondet aſſertivè Fagundez; at negativè Homobonus & Diana *par. 1. tract. 9. reſol. 30.* Si objicias pro Fagundezio illã debere ponere omnia remedia, quæ ſint neceſſaria, ne peccet: reſpondebunt hi, præter jejunium alia etiam ſuppetere remedia, nimirùm orationem, Sacramentorum frequentationem, pia conſilia, &c. Sed hoc non eſt contradicere illi, ſed caſum tollere: eoſdem enim Authores interrogo, Quid debeat gravida fœmina facere, quæ adhibitis his ultimis remediis adhuc ſtimulis carnis torquetur & vincitur? An non in tali caſu illa tenebitur ad jejunium recurrere etiam cum prolis evidente periculo? Et certè eſſe aliquas perſonas, quæ totâ die orant in choro, quæ quotidie vel fere communicant, quæ inter ſanctos habitant, & bonis conſiliis erudiuntur, nec tamen ſemper carnis tentationes exſuperant, eſt manifeſtum: An ne iſtæ non tenebuntur jejunare etiam cum prolis naſciturae periculo?

Agimus de fœminâ gravidâ, & hæc ipſa quæſtio gravida eſt & plurimas parere poteſt. Unam propono. Inquiro,

Quæſtio ſuboriens. *An-ne ad ſedandas tentationes carnis teneatur aliquis jejunare cum vita propriæ evidente periculo?* Et, ut magis rem urgeam & exponam, ex periculo ad evidentiam tranſeo, & notabilem caſum (ſit poſſibilis aut impoſſibilis) ad tribunal produco. *Caſus notandus.* [Scit Joãnes, ſi tales cibos comedat, ſe arſurum libidine & conſenſum daturum, habet enim experientiam ſufficientem ut formet judicium moraliter certum & evidens. Scit etiam, ſi abſtineat, ſe moriturum: quia vel medicinales illi ſunt, & morbus Joannis nullo alio remedio juvatur: vel alijs cibis ille caret, & ideò hos comedere debet vel mori. Quæritur igitur quid in tali caſu facturus ſit? An debeat velle vivere & peccare: an debeat potiùs velle non peccare, & abſtinere cibis ad vitæ conſervationem neceſſarijs?]

Reſolutio Quiroga. Reverendiſſimus Pater Didacus Quiroga, Auguſtæ confeſſarius, pientiſſimus & doctiſſimus ſenex, Viennæ anno 1649. hoc ultimum tenendum cenſuit. Cuius opinio, ſi vera eſt, multos tollet ſcrupulos, aperietque viam ſecuriſſimam Religioſis, qui jam poterunt, talem vitam inſtituere, quæ tentationibus non ſit obnoxia, etſi auſteritas tanta ſit, quæ citò illos ſit conſumptura: & cùm agitur de mortificatione ceſſabunt omnes excuſationes in peccatis. Volebam heri ut jejunares, ut indueris cilicio, ut diſciplinam ſeveriorem exciperes, & te excuſaſti valetudinis nomine, quia ſimiles mortificationes tuæ ſanitati nocent. Audio Quirogam, & iterum illas præcipio, etſi noceant: conſcientiæ enim ſecuritas non ſanitate ſolùm, ſed etiam vitâ dignior eſt. At dices Quirogæ opinionem improbabilem. Bene. Ergo da ſyllogiſmum clarum & evidentem, qui contrariam evincat.

XII.

De Abortu.

MCLXII. ERuditiſſimè de abortu diſputat Diana *part. 7. tract. 5.* & fundans Reſolutionem ſuam Bullis Sixti V. Gregorii XIII. & aliorum Pontificum definit, *Abortum eſſe fœtûs immaturi ejectionem*: *Abortus quid? & quotuplex* & divisit in eiectionem fœtûs nondum animati, & fœtûs jam animati. Hanc ipſam diſtinctionem à parte rei ſubſiſtere omnes Philoſophi, omnes Theologi, omnes Canoniſtæ & Juriſtæ, omnes Conſcientiâ conſulti, omnes Judices & Confeſſarii ab ineunte Eccleſiâ ad noſtrum ævum ſuppoſuerunt: quam ob rem, ſi *An detur opinionum præſcriptio?* datur in rebus ſpeculativis præſcriptio, videtur hæc jam in ſcholis doctrina à multis annorum centuriis præſcripſiſſe. At quia multa ſupponuntur etiam hodie, quæ non examinantur, & quoties diſcutiuntur deprehenduntur erronea; ideò non ſtatim eſt admittenda hæc conſequentia, *Hac doctrina eſt communis; Ergo contraria non eſt probabilis.* *An ſit omnis opinio, quæ cõtra communẽ, improbabilis?* Proderit igitur diſquirere An debeat admitti hæc claſſica & ſolennis diviſio.

Opinio prima. Prima ſententia aſſerit; & eſt omnium aut ferè Phyſicorum, Medicorum, Theologorum, Ethicorum, Politicorum, & Juriſtarum: nimirùm omnium aut ferè Eccleſiaſticorum & ſæcularium, qui ad hunc diem in ſcholis Eccleſiæ Romanæ floruerunt.

Opinio ſecunda. Secunda negat: & eſt Thomæ Fieni apud Lovanienſes Medicinæ Doctoris, & Profeſſoris Primarij; *Thomas Fienus quantus?* Viri quidem expertiſſimi & ſapientiſſimi; cuius doctrinam ſummam ſummæ divitiæ, quas moriens reliquit, teſtantur. Is igitur *ſpeciali libello, qui inſcribitur de vi formatrice fœtûs, quæſtion.* 8. *concl.* 11. *edito anno* 1620. cuius etiam *De infuſione Animæ rationalis.* meminit Diana *part. 7. tract. 5. reſol. 6.* evin-

evincere conatus eſt, primâ, ſecundâ, aut tertiâ ad ſummum die embryonem animâ rationali informari. Ergo ſtando huic ſententiæ non poterit fieri aut procurari abortus fœtûs inanimati: quia primâ die abortus procurari non ſolet, fortè non poteſt; & ſi procuretur primâ aut ſecundâ, fœtûs probabiliter animati; & ſi tertiâ aut deinceps, fœtus certò animati erit eiectio. Omnis ergo abortus eſt eiectio fœtûs animati: omnis igitur eſt homicidium. Corruit igitur diviſio abortûs, quam prima ſententia conſtituit.

An omnis abortus ſit homicidium?

At dices Fieni ſententiam improbabilem eſſe. Et ridebo: nam probabilis ſententia illa eſt, quæ habet rationes fortes; & quis obſecro leves audebit judicare illas, qui Fienum Virum tam doctum convicerunt. Quod ſi ipſæ leves ſunt, poterunt demonſtrativè elidi, cur ergo non ſunt demonſtrativè eliſæ? Scripſit contrà Expertiſſimus D. du Chardin, Vir doctiſſimus; at in eiuſdem libro multas ego rationes pulchras & eruditas, at demonſtrationes non reperio. Stat igitur opinionem Fieni eſſe ab intrinſeco, hoc eſt, à ratione probabilem. An-non & ab extrinſeco probabilis eſt etiam cenſenda? maximè. Nam Lovanienſis Univerſitas doctiſſima, caſtiſſima, puriſſima, erroneas opiniones non tolerat, & tamen hanc, quæ Theologiæ Moralis potiorem partem interturbat, prælegi, dictari, & doceri permiſit, permiſit imprimi; & impugnatam permiſit novo libro & ſtudio defendi.

Dominus du Chardin.

MCLXIII *Opinio tertia. Ioannes Marcus, quantus?*

Tertia etiam negat, ſed ex oppoſitis principiis: & eſt Magnifici D. Joannis Marci, in Univerſitate Pragenſi Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, & etiam Profeſſoris Primarij, Regni Bohemiæ Phyſici, (Græcè ἀρχιάτρος, Hiſpanè *Protomedici*) Viri verè doctiſſimi; quem Lovanij exiſtens doctrinæ gratiâ amavi, & modo hîc Pragæ inter amicos ſpeciales enumero. Hîc igitur anno 1635. Librum ſubtiliſſimum edidit, & inſcripſit, *Idearū operatricium Ideam*: quē legerunt approbaruntque P. Franciſcus de Padua, SS. Theologiæ Generalis Lector, ac in Cōventu B. V. Mariæ ad Nives Præſidens: P. Bonaventura Tantarella à Caravinea Philoſophiæ & Theologiæ Doctor; & Ordinis Carmelitarū Cōmiſſarius Generalis. Et in ipſo iſto libro D. Joannes Marcus, probat non geri in utero fœtū animatū animâ rationali, ſed tunc tantùm animâ donari rationali, cùm emittitur; idque tam gravibus fundamentis confirmat; ut non ſit cuiuſcumq; Philoſophi aut Theologi congruentem reſponſionem dare. At quia facile eſt obloqui, Liber dū ſudaret ſub prælo, multas calumnias, imò & accuſationem aut traductionē paſſus, defendi & explicari debuit, ut maiori authoritate & applauſu prodiret, quod ipſum ipſemet Joānes Marcus ſcribit in Proemio, quod vocat *Defenſionem Ideārū, adverſus adulterinas & ſuppoſititias Ideas*: unde unam aut alteram periodum exſcribo. *Dum hæc prælo cudūtur*, ait, *accidit præter opinionem, ut rumore neſcio quo hic meus Tractatus doctrinam perabſurdam & à Fide ſanctâ alienam continere vulgaretur. Qui rumor à levibus initiis eouſq; proceſſit, ut etiam Venerabile Capitulum* (ſic vocat Archiepiſcopale Conſiſtorium) *in ſuſpicionem veniret, Librumq; à Theologis revidendum cenſeret: quod etiam factum. Interea velut Hæreticus & infamis, & qui oleū & operam perdidiſſet, ludibrio habebar. Tametſi verò graviſſimorum Virorū Cenſurâ, qui Librum legerunt, & cum quibus pleraq; hic controverſa diſſerui, rumor hic notatus evanuit: ſiquidem teſte Hieronymo falſus rumor citò opprimitur: quia tamen, &c.* Ecce Librum

An Anima in nativitate infundatur?

Liber Ioānis Marci accuſatur:

Secundâ cur i examinatur;

& Cenſurâ ſecundâ approbatur.

Digitized by Google

brum accuſatum Domini Conſiſtoriales judicarunt doctrinâ continere probabilem, & tamen continet hanc opinem, quam ipſe Author etiam hodie verbo & calamo; privatim, publicè, in Theſibus, in Lectionibus, in Conſiliis, in Colloquio etiam familiari, prout datur occaſio, propugnat.

Profectò, ſi Doctori Joanni Marco ſubſcribamus, dicamusq; omnem fœtū quamdiu in utero eſt, carere animâ rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cùm paritur, rejicere omninò debebimus eamdem Abortus diſtinctionem, & dicere in nullo Abortu homicidium committi.

MCLXIV. *Quæſtio incidens prima:* His poſitis inquiro *Primò*, An Thomæ Fieni, & Joannis Marci ſententiæ ſint probabiles? Si n. tales dicantur multa ſunt in Tractatu de Abortu, quem Parte VII. edidit Antoninus Diana, quæ aliter reſolvi debent. Quòd ſi eaſdem improbabiles judices, vellem duas demōſtrationes (morales aut reales) à te habere: alteram, quâ oſtendas, eaſdē nullo probabili fundamento ſuffultas; alterā, quâ convincas non habere illas authoritatem externam, quæ ſufficiat ad extrinſecam probabilitatem. Et *Secundò*, ſtando primæ ſententiæ, inquiro etiam, An qui dicunt primò ſemen carere omni animâ, ſecundò affici vegetativâ, tertiò ſenſitivâ, & quartò tandem rationali, debeant uno modo judicare de omni abortu, qui non ſit fœtûs animâ rationali præditi: an verò dicturi ſint gravius eſſe peccatum ejicere fœtum vegetantem, quàm carentē omni omninò vitâ? an addituri, adhuc gravius eſſe emittere fœtum ſentientem? Quod ſi hæc ipſa graviòritas admitti debeat, inquiram *Tertio*, An hæc ipſa gravitatis differentia ſit circumſtantia purè aggravans, an formalitas conſtitutiva novæ ſpeciei? quod eſt inquirere, An qui procuravit abortum, ſatisfaciat dicendo, *Procuravi abortum*; an debeat diſtinguere fœtum à fœtu, & dicere, *ſemel procuravi abortum embryonis nullâ vitâ præditi; iterum præditi vitâ vegetativâ; bis præditi vitâ ſenſitivâ; ſemel præditi animâ rationali*, &c? Quòd ſi dicas non poſſe ſciri, quâ-nam animâ ille informetur, non ſolvis quæſtionem, ſed tollis; quia ſicut ex Philoſophorum & Theologorum ſententiâ cōſtat, quâ die infunditur Anima rationalis, ſic etiam conſtat quâ ſenſitiva aut vegetativa, & errores, qui committi poſſent circa has, etiam poſſunt committi circa illam: & in die conceptionis præcipuè; eſt enim commune apud gravidas male numerare ſuos menſes; hic enim, ſicut etiam in aliis multis rebus, affectibus ducuntur fœminæ, & quia in ipſis deſideria & odia intenſiſſima, ſæpe tempus vel minimâ ſuſpicione numerando prævertunt, ſæpè tædio morantur, ut rarò earumdem numeris credendum ſit: poſſunt enim & ſolent à vero computu integro menſe deviare.

Quæſtio incidens altera: (margin, beside "Et Secundò")

Quæſtio incidens tertia: (margin, beside "Tertio")

Ignotiſſimus eſt cōceptionis dies.

In fœminis nihil mediocre.

XIII.

De Suicidio.

MCLXV. *Suicida dicitur, qui ſe ipſum interimit.* Eſt quæſtio gravis, *An detur caſus, in quo aliquis licitè ſe poſſit occidere?* Et quia ne unum quidem legi, qui doceat poſſe ſe hominem ſtrangulare, aut pugione confodere, volo hîc tantiſper hærere, & ſubtiliter dialecticari.

Reus in cauſa criminali ſe accuſare licitè poteſt. An intendum teneatur? Poſſe reum ſe accuſare in causâ capitali, communiſſima ſententia eſt: imò ſunt qui dicant dari caſum, in quo ſe aliquis accuſare teneatur: cui ſententiæ inſiſtentes ante annos paucos, in quapiam nobiliſſimâ Civitate Italiæ doctiſſimi Theologi obligaverunt diſcipulos cujuſdam hæretici, ut ſuem

Magi-

Magiſtrum, ac per conſequens, ut ſemetipſos (erant enim criminis complices) accuſarent, ut notavit Diana *part.1.tract.4.reſol.8.* Cùm reus damnatur ad ſumendum venenum, cum poſſe illud ſumere & ebibere, ſunt qui affirment: quia non aliter poteſt aliquis perire veneno, quàm ſi id ebibat. *Cur igitur non poterit condemnari ut ſe ſtrangulet; aut etiam ſe pugione confodiat?* Reſpondent id non poſſe; quia, ſi faceret, ſemetipſum occideret. Bene. Sed hoc ipſum quæritur, An-ne reus ſeipſum poſſit occidere præcipiente Republicâ? Ut meliùs intelligas dubium, ſuppone non dari duo præcepta, alterum ſtatuens, *Vt nemo ſe occidat*, & alterum, *Vt nemo occidat proximum:* ſed dari unicum præceptum ſimpliciſſimum, *Non occides.* Ergo tam teneor me non occidere, quàm non occidere proximum: & ſi differentia aliqua deberet admitti, ſtrictiùs tenerer erga vitam proximi, quam erga meam: gravius enim eſt diffamare proximum quàm ſeipſum: gravius dilapidare bona aliena, quam propria. Ergo valde moderatè procedemus, ſi dicamus, eodem modo teneri hominem abſtinere ab homicidio ſui, quo ab homicidio alterius: At eſt in Republicâ authoritas, ut poſſit carnifici præcipere, ut occidat alterum hominem reum: ergo & erit, ut eidem, ſi reus ſit, præcipiat, ut occidat ſeipſum, vel detur evidens & clara diſparitas. Conſultò evidentem & claram diſparitatem poſtulo: quoniam ſi merè probabilis datur, nulla datur; eſt enim opinio probabilis illa, contra quam nihil adducitur, quod ſit pluſquam probabile.

Damnatus poteſt venenum, ſi ſententia præcipiat, ebibere.

Homo nec poteſt ſe occidere, nec proximum.

Opinio probabilis, quæ?

XIV.

MCLXVI.

Similitudo & conſequentia poſtulat, ut alium caſum difficilem etiam ſubjungam. Solicitat Antoniam Petrus, & ipſa ſe fragilem ſentit: vim ille imponit, & ipſa periculum proximum judicat, è quo non poſſit probabiliter evadere innocens. Ergo, ne mortaliter peccet conſentiendo libidini, cùm aliter ſe à Petri invaſione liberare non poteſt, illum licite occidit, & vi repellit vim; & ſe conſcientiamque ſuam ſecuram reddit. Hanc tenent ſententiam univerſi: nemo enim condemnat caſtam virginem, qui laſcivum invaſorem interimit: nemo aſſerit debere illam ſtuprum permittere potiùs, quàm ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sed quid dicendum erit, ſi non poſſit invaſorem occidere, nec aliter ejus manus evadere quàm per feneſtram exiliendo? An ſe præcipitare poterit, & hoc modo periculum peccandi effugere? Et quid dicendum tandem, ſi Antonia invadat ſemetipſam? Quid eo caſu, quo pruriente ſeminis abundantiâ & urgente conſuetudine peccandi, illa evidenter videat ſe peccaturam eſſe? An-ne in tali poterit caſu contra ſeipſam procedere cum moderamine inculpatæ tutelæ? Debet ponere remedia omnia, quæ ipſam ſecuram reddant. Nempe jejunia, diſciplinas, cilicia, & orationem: Quid, ſi omnia hæc poſuerit, nec ſufficiant? Sed negas caſum eſſe poſſibilem: quia putas omnia mortificatione vinci, omnia oratione impetrari. Sed quid obſecro dicendum erit, ſi caſus poſſibilis ſit?

Fœmina, ob pudicitiæ defenſionẽ poteſt oppreſſurum occidere.

An & ipſa ſe è feneſtrâ exſilire?

Digitized by Google

ſit? Quid ſi Deus auxilia efficacia eidem neget? Quid ſi Antonia hæc ipſa neganda à Deo prævideat, aut eſſe concedenda certò & evidenter non videat? An in tali caſu poterit dicere, *Potius mori, quàm peccare?* An non in tali caſu poterit ſibi mortem conſciſcere? Et, ſi hoc non, an ſaltem, ſe poterit ita flagellis excipere aut ferire, ut exceſſu doloris tentatio ſuperetur, & hoc etſi prævideat è vulneribus his ſe morituram? An non in tali caſu finis macerationis & flagellationis eſſet continentia, & morbus aut etiam mors, ſi fortè ſequeretur, eſſet omninò præterintentionalis.

MCLXVII. *Hiſtoria certiſſima & mirabilis.*

In Monaſterio N. quiſpiam Religioſus Sacerdos, qui Sanctus eſſe vellet, & peccare ſoleret, tædio ſui affectus, cùm ſe ſemel Deo reconciliatum judicaret, ne iterum in novas miſerias laberetur, generali confeſſione præmiſsâ, & Miſsâ multis lachrymis recitatâ, cellam iniit: ſacra Biblia aperit: & plicato folio illud Jobi 7. 15. *Elegit ſuſpendium anima mea*, notat, laqueum collo aptat, & ſe à trabe ſuſpendit. Intrat Præſes rei neſcius; infortunio percellitur. Suum confeſſarium conſulit, & ejuſdem inſtinctu crines attondet, ne corona videatur; faciem vulnerat & deformat; cadaverque in fluvium, qui tranſit apud Monaſterium, præcipitat. Nocte illud totâ aquæ fluxu ſubvehitur, & mane hæret in littore apud pagum, qui diſtat tribus leucis. Extrahunt nudum, & vulneratum corpus ruſtici: occiſum à latronibus credunt, & ſepeliunt. Agri erant grandini obnoxii, & annis ſequentibus mirè ſervantur. Miraculum inclamant ruſtici, & adſcribunt emerſo, & ſepulturam ejus multo flore coronant: & tamen etiamnum dicitur pagus à cœli inclementiâ præſervari.

An homicidium eſſe peccatum poſſit hodie aliquis invincibiliter ignorare?

Hic ego tantiſper te moror, & doceri volo, quid de hoc homine judices? An-ne ſibi mortem conſciſcendo peccavit? Si non: cur non peccavit? Si ſic: cur illud ſubſequitur prodigium? An-ne decredendum eſt ruſticis, & cœli tranquillitas attribuenda eſt naturalibus cauſis? An-ne ruſticæ devotioni potiùs, quàm meritis illius ſummerſi? An ad ignorantiam invincibilem recurri poteſt, debetque, & dici, illum inſuperabili ignorantiâ excuſari? An-ne in Republicâ bene gubernatâ hujus rei poteſt inveniri ignorantia inculpabilis? Quid igitur ſentiendum, aut dicendum?

FVN-

Digitized by Google

FUNDAMENTUM LVI.

De peccatis Luxuriæ, quæ ſexto præcepto interdicta.

Luxuria completa & incompleta naturalis & contranaturalis.

MCLXVIII. LUxuriæ actus completus in ſeminis deciſione conſiſtit; & eſt duplex naturalis & contranaturalis. Ille eſt ſeminis deciſio naturâ ſuâ ad generationem ordinatus [ago de ordine operis; ſcio enim ad diverſos imò & oppoſitos interdum ordinari fines, opus ipſum ex intentione operantis.] actus naturalis luxuriæ eſt, copula inter marem & fœminam, & nominatur *Fornicatio*; & in Matrimonialem & extramatrimonialem ſubdividitur. Prior inter conjuges, & inter non conjuges reperitur poſterior: quæ, ſi ſit inter Cælibes dicitur *ſimplex*; ſi alter aut uterque ſit conjugatus, dicitur *adulterium*: ſi ſit contra votum, *ſacrilegium*: & *ſtuprum*, ſi ſit virginis: & ſi ſit fœminæ invitæ & repugnantis, *Oppreſſio*. à quâ non multùm differt *Raptus*. Et tandem, quæ committitur à cognatis intra gradus prohibitos, nominatur *inceſtus*. [Stando textui Hebræo aut etiam Latino, nimirùm ſoli & nudo, demonſtrare ſimplicem fornicationem eſſe peccatum impoſſibile eſt. Se ſubrigit puriſſima veritas ſupra Grammaticorum Cothurnum, qui enim Calepino duce Theologicas quæſtiones ediſſerunt, ſortientur fortunam Eraſmi. Obſcura eſt legis littera, & ejuſdem eam authenticè explicare & proferre; nempe Legiſlatoris Dei. Cùm igitur Deus Eccleſiæ Romanæ revelaverit fornicationem ſimplicem eſſe mortale crimen, quiſquis contrarium deliret, eſt Hæreticus.

Simplex fornicatio: Adulteriũ: Sacrilegiũ: Stuprum: Oppreſſio: Raptus: Inceſtus.

An ſimplex fornicatio ſit peccatum?

Deus legiſlator.

MCLXIX. SI qua in totâ Theologiâ materia non eſt bene examinata, iſta eſt, quæ à nobis, in præſentiarum illuſtranda: nam cùm omnes eam fugiũt, nemo illi convenientem & ſufficientem lucem adhibet. Plurimum debent Thomæ Sanchez Theologi, qui primus ſolus-ve ſordes omnes ex profeſſo explicavit; ſed quia poſt magni hominis reſolutiones adhuc multis in locis manent tenebræ, opus erit ut radicitùs ſingula examinem.

I.

SEd etiam occurrit, an futurum ſit hoc ipſum examen laudabile? Ut *An expediat ſordes*

Digitized by Google

radicitùs examinare? exactè reſpondeam, hiſtoriam notitiâ dignam recenſebo. [Erat olim Compluti quidam Doctor, qui Thomæ Sanchez opera deteſtabatur, qui & perſonam; aſſerens virum religioſum, debuiſſe Chriſtum potiùs, cruci ſuffixum, quàm tot laſciviendi ſpecies & modos cogitare: debere ejuſdem libros ab Eccleſia interdici, nec dignos qui ab hominibus caſtis legantur. Addebat alia multa, quæ paſſio & odium in Jeſuitas dictabat Et quia ſemel præſente Patre Petro Bivero pientiſſimo & excellentiſſimo Theologo debuit humiliari & juvari. *Defenduntur Herculei labores Thomæ Sanchez.* [Ponamus Thomam Sanchez non ſcripſiſſe, inquit Pater Biverus, ponamus me eſſe hominem militarem & ad Veſtræ Eximiæ Dominationis pedes provolvi; & talia & talia confiteri, & petere, an ſint peccata? & ſi ſint, an venalia aut mortalia? pœnitens in confeſſione interrogandi habet jus: confeſſarius obligationem reſpondendi; non qualitercunque, ſed reſpondendi bene; peccaturus ſi ex ignorantiâ craſsâ mortale dicat quod eſt veniale, probabile quod eſt improbabile; aut contrà. Ergo in tali caſu debebit ſingula mente volvere, & accuratè examinare. Ergo ſummoperè gaudebit, ſi habeat Theologum, à quo poſſit juvari. Ergo adiret in tali caſu Thomam Sanchez, ſi hæc omnia ab ipſo ſciret accuratè diſcuſſa. Ergo valde utilis eſt labor Thomæ Sanchez, & ſummè neceſſarius Theologis, qui volunt audire confeſſiones bene: qui enim pœnitentes decipiunt, audiunt male: & decipiunt, qui peccati mortalis actionem damnant, quam excuſat aliqua ſententia probabilis.] Sic Biverus. Dedit manus Theologus, & Confeſſariis valde eſſe illos libros utiles confeſſus eſt.

II.

JEci jam primum lapidem, & reſpondi implicitæ objectioni; quoniam etiam nonnulli de Caramuele fortè dicent quod Theologus ille Complutenſis de Sanchez. Ergo ulterius progredior, & inquiro, Quid ſit ſemen? Variant Authores, & alii ſudorem eſſe docent, alii ſpumam, alii excrementum, alii lac, alii ſanguinem, alii non eſſe ſemen in homine antequam formetur in renibus, alii ponunt officinam in teſtibus, & tunc primum humorem illum ſuperfluum converti in ſemen, cùm per eos tranſit. Sed alii altius de ſemine philoſophantur, dicuntque illud eſſe integralem animalis partem, ſicut manum & pedem, & in actu venereo non fieri ſed excidi & emitti: & alii etiam aliter philoſophantur. Non eſt animus examinare iſtas ſententias; non enim Phyſica hîc, ſed Theologica tracto: ſed, eaſdem ſupponere, & quid conſequenter ad ſingulas dicere debeamus explicare. Præter ſemen datur etiam ſeminalitas, quæ ſe habet ad ſemen, ut carnoſitas ad carnem, & ſanguinoſitas ad ſanguinem, & eſt humor quidam ceroſus, qui circumit ſemen, & tuetur, ne ab adjacentibus contrariis corrumpatur. Ergo non debebit eſſe ejuſdem conſiderationis deciſio ſeminis & deciſio ſeminalitatis. Cùm digitus exciditur, ſentitur dolor: cùm deciditur ſemen, delectatio. At etiam dolor ſentitur, cùm digitus premitur aut torquetur: ergo etiam delectatio aliqua ſentiri poterit, ſine ullâ deciſione ſeminis, ſi illud tantùm prematur aut torquetur.

MCLXX. *Quid ſemen ſit?* *Quid ſit ſeminalitas?* *Nota id bene.*

Digitized by Google

Et ſi paritatem non admittas, da demonſtrativam rationem, obſecro, cur illam, non debeas admittere. Demonſtrativam, inquam, quamdiu enim non demonſtrabitur diſparitas, manebit probabilis hæc paritas. Hujus humoris, quem non eſſe ſemen dico, & ſeminalitatem appello, meminit Jacobus Marchantius in Horto paſtorum, *Cap.* 6. *Reſ.* 13. ubi ſic ait. [Notent Confeſſarii, quandoque aliquos confiteri, ſe paſſos pollutionem, cùm reverà non fuerit perfecta pollutio, ſive ſeminis aut ſpermatis effuſio: Ex genitalibus enim ultra urinam & ſperma ſive ſemen, humor quidam tertius exoriri quandoque ſolet, qui aliquid immunditiæ generat & ex commotione partis genitalis in viro facile ſtillat, ſine impetu delectationis, ut fieri ſolet in ſeminis deciſione. Ideoque humor ille fluens non intelligitur hic ſub nomine perfectæ pollutionis, nec illius ſolius periculo ſe exponere eſt mortale, quia ex levi commotione oriri poteſt in Juvenibus, puta ex oſculo leviter dato, vel à tactu etiam levi faciei aut manus perſonæ alterius ſexûs. Interim adverto quod in confeſſionibus dicant aliqui ſe paſſos pollutionem, cùm ſolùm paſſi fuerint aliquid levis hujus immunditiæ ſive ſeroſi humoris ſine delectatione.] De hoc humore Paulus Layman *Theolog. Moral. libro* 3. *ſect.* 4. *de temp. num.*19. agit, & inter deſtillationem & pollutionem diſtinguit, & docet inter nugas eſſe mortale, cauſam præbere pollutioni, non tamen diſtillationi, & citat Sanchez *libr.* 9. *diſp.* 45. *in ult.* ſed ante *num.*18. Idem Layman docuerat eſſe mortale illam diſtillationem pejerare. Sed cur Authores iſti grave in periculo pollutionis, & leve in periculo diſtillationis confitentur eſſe peccatum? Quia in diſtillatione non deciditur ſemen verum, ſed ſeminalitas, in quâ non conſiſtit ratio ſeminis vera, ſed eſt humor ſolummodò requiſitus ad melius, ut nimirùm ſemen conſervetur, claudatur, & foveatur. Circa terminos magnitudinis & parvitatis duas habent opiniones Phyſici; alii enim ejuſmodi terminos admittunt, alii negant. Cur ergo in ſemine non poterimus eodem modo philoſophari? Cur non poterimus dicere Doctoris Joannis Marci ſententiam, quæ docet minimam qualemcunque particulam ſeminis ad generationem ſufficere, eſſe verè probabilem: ſed probabiliter etiam poſſe teneri & defendi contrariam. Immò ſtando doctrinæ Zenonis, & dicendo continuum ex punctis componi, non putarem probabilem eſſe ſententiam Joannis Marci, nam animalis corpus organicum eſt, & centena organa non poſſunt formari uno aut altero ſeminis atomo. Pone igitur Materiam illam, quæ deciditur, requirere centum indiviſibilia, ut ſit & nominetur ſemen. Ergo, qui viginti decideret, decideret materiam, quæ ſemen non eſſet, nec poſſet ad generationem conducere.

Nota hoc.

Nota & hoc.

De terminis magnitudinis & parvitatis.

An dentur in ſemine?

Nota hoc.

III.

MCLXXI. HÆc omnia Phyſica, ſed & aliquod Theologicum fundamentum debebo adjungere. Suppono eſſe communem & probabilem opinionē Scoti quæ docet deciſionem ſeminis extra Matrimonialem ideo eſſe mortaliter peccaminoſam (NB.) quia à Deo

Digitized by Google

Omnia mala, quia prohibita; & non prohibita, quia mala ſunt.

interdicta fuit; adeoque, ſi per impoſſibile non interdixiſſet illam Deus, non fore peccatum. Suppono eſſe etiam communem & probabilem opinionem contrariam, quam Angelicus Doctor & omnes Thomiſtæ defendunt; videlicet eandem deciſionem ſeminis præſcindendo ab omni divino Decreto & præcepto eſſe malam ſecundum ſe & peccaminoſam mortaliter. Dico hanc opinionem, D. Thomæ eſſe probabiliſſimam; quis enim ita eſſet audax & temerarius, qui integræ Scolæ dogmata improbabilitatis condemnaret? Cæterum ſtando nudæ rationi non auderem hanc, Divi Thomæ opinionem nominare probabilem; ſunt enim objectiones nonnullæ, quibus reſpondere non ſcio: & inter alias hæc, quæ ſequitur.

Doctrina D. Thomæ eſt probabilis.

Ratio quæ claram ſolutionem deſiderat.

Fornicatio, inquam, mortiferum peccatum eſt, etiam quæ à ſolutis commiſſa: at ſi ſtaremus D. Thomæ principiis, deberet interdum eſſe licita: ergo Scoto debemus conſtare, & dicere, fornicationem ex ſe neè malam nec bonam eſſe, ſed indifferentem; eſſe nunc malam, quia à Deo interdicitur; fore bonam, ſi præciperetur; & bonam fuiſſe, ſi quando à Deo præcepta fuit. Porrò D. Thomas 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 2. *in corp.* probat fornicationē eſſe peccatū ſic: *Quia quod eſt contra ordinem naturæ peccatum eſt, at contra naturæ ordinem eſt quod filii bene non educentur: ergo ita illos generare, ut non bene educentur, peccatum eſt: ſed qui extra matrimonium generantur, non bene educantur; ergo matrimonium, eſt de Iure Naturæ: ergo omnis vagus concubitus militat contra jus naturæ.* Reſpondeo non tam concedendo, quàm condonando totum ſyllogiſmum priorem, & negando minorem ſubſumptam, video enim nonnullos legitimos male educari, nonnullos illegitimos bene, adeoque aſſero, ſubſumptum D. Thomæ univerſaliter acceptum eſſe falſum. At ſanctus Doctor hanc reſponſionem articulo citato prævidit: & idcircò ſubjunxit: *Nec obſtat, ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens ſufficienter provideat proli de educatione; quia id quod cadit, ſub legis determinatione, judicatur ſecundum id quod in aliquo caſu poteſt accidere.* Et tamen ego non video, quo D. Thomas modo ſuam opinionem defendat.

An illegitimi male educentur?

Primò enim falſum eſt filios illegitimos malè educari, qui enim ab adulterâ habiti, inter legitimos nutriuntur educanturque: qui à ſolutâ, exponuntur, communiter à Republica curantur: dantur enim in Civitatibus Xenodochia, in quibus ejuſmodi infantibus & puellis de omnibus neceſſariis providetur.

An etiam pauperes?

Secundò ſi hæc ratio ſufficeret, pauperes & mendici non poſſent matrimonia contrahere, quia ipſi communiter loquendo, male educant filios, carent enim mediis ut illis magiſtros procurent, ſcientiâ ut inſtruant, authoritate ut corrigant.

Nota bene hanc rationem.

Tertiò, ut demus, illegitimos filios communiter male educari, & legitimos communiter bene: rationem & reſponſionem D. Thomæ reſumo, & contra ſuum authorē torqueo. Sic inquam. *Finis & ratio formalis legis interdicentis vagos concubitus teſte D. Thomâ ceſſat aliquando per accidens, non in communi ſed in particulari. At probabile eſt legem, quando ejus finis & ratio formalis ceſſat per accidens in caſu aliquo particulari; ceſſare obligationem legis pro eodem caſu: Ergo quando ratio formalis & finis legis, quæ vagos interdicit concubitus, ceſſat per accidens in aliquo caſu particulari, tunc probabiliter*

De ceſſatione finis legis in aliquo particulari.

ter

ter ceſſabit obligatio illius legis. Major eſt evidens eſt, enim obvia, & qui dubitet, relegat textum D. Thomæ. Minor eſt evidens, vel qui dubitet legat Dianam *part.1.tract.10.reſol.27.& 28.* [Noto te aliquâ æquivocatione, laborare: Nota bene quæ dico. In majori & minori poſitiones modales aſſumo: quidquid enim ſit de dicto Majoris, eſt evidens, illud teneri à D. Thoma; & quidquid ſit de dicto minoris, eſt evidens illud eſſe probabile.] ergo oritur eſſe evidens conſequens nimirùm *Probabile eſt Fornicationem, ſi provideatur proli, non eſſe peccatum mortale.* At fornicationem eſſe peccatum mortale, non jam probabile, ſed certum eſt, & tamen hæc certitudo à D. Thomâ nec probatur, nec probari poteſt: ſed à ſolo Scoto demonſtratur: ergo deſerere Thomiſtas debemus & cum Scotiſtis dicere, omnem fornicationem eſſe graviter malam, quia omnem interdixit Omnipotens; ejus enim eſt imperare, & hominum illi obedire. Sic diſcurro, & aliquem audire Thomiſtam bene reſpondentem ab annis plurimis deſideravi.

IV.

MCLXXII. *De amiſſione ſeminis tactibus procurata?*

ADdo caſum curioſum. Quidam vir conjugatus intra vas ſeminavit, & illicò membrum virile extraxit manente fœminâ valdè irritatâ libidine. Ad hæc poſtea tactibus ſe excitando ſeminavit; & inquirit, an hoc faciens mortale peccatum incurreret. Negat Sanchez & Bonacina: & hæc eadem negativa ſententia probabilis vocatur à Leſſio, Filliucio, Homobono, & Zanardo apud Dianam *part.2.tract.17.reſol.38.* & ratio horum Authorum eſt, quoniam per illos tactus actus conjugalis qui conſiſtit in utriusque ſeminatione, completur.

Corollarium I. Ergo quando amaſius ſemine intra immiſſo membrum virile extrahit manente pellice valde irritatâ libidine, ſi hæc poſteà tactibus ſe excitando ſeminet, non committit novum peccatum mollitiei, ſed peccatum fornicationis complet, quæ conſiſtit in ſeminatione utriusque Amaſii.

Corollarium II. Ergo quando duo Juvenes ſe mutuis tactibus excitant, & unus ſemine effuſo diſcedit manente altero libidine valde irritato, ſi iſte tactibus propriis proſequatur & ſemen emittat non committit novum peccatum ita ut debeat in confeſſione dicere *mutuis ſemel tactibus apud alterum haſi, quousque ipſe in pollutionem inciderit, & & ſemel in mollitiem incidi propriis tactibus.* Sed prius complet, & ſatisfaciet in confeſſione dicens *ego & alter nos mutuo contactu polluimus.* An & de ſodomiâ, &c. poteris pariter philoſophari? Singula Corollaria conſidera.

FVN-

****

FVNDAMENTVM LVII.

De peccatis contra Naturam.

MCLXXIII VAria ſunt, ſed præcipua reduci poterunt ad quatuor capita; videlicet, Mollitiem, Sodomiam, Beſtialitatem, & Dæmonialitatem. Anne diſtinguuntur ſpecie? Illa modaliter tantùm diſtingui D. Thomas & multi cum ipſo pronunciant. Si meam quæris ſententiam. Reſpondebo, accedere ſolere circumſtantias aliquas accidentales, quæ debent à luxuria præſcindi: at in luxuriæ genere omnia hæc quatuor videri ejuſdem infimæ ſpeciei, & ſolummodò differre modaliter; quod ipſum tam clarum exiſtimo, ut putem non poſſe ab aliquo viro docto negari. Cæterùm, ſi mordicus velis ea diſtingui ſpecie, per me ſtat, diſtinguantur.

Quæ ſint peccata contranaturalia? & quomodo inter ſe diſtinguātur?

MCLXXIV. SOrdes ſunt immundiſſimæ & debent examinari bene: qui enim parcunt calamo in his materiis, confeſſarios non juvant: parcant igitur caſtiſſimi lectorum oculi, parcant aures, dignenturque Theologi ſummâ attentione legere, quæ ſummâ attentione ſcribuntur.

I.

De delectationibus moroſis.

Delectatio moroſa duplex.

DUpliciter haberi poſſunt, vel cogitando fœminam cum deſiderio cognoſcendi eam vel ſine tali deſiderio, aut forte cum deſiderio contrario, nimirùm cum voluntate cogitandi illam tantùm, & fruendi delectatione illâ ſenſuali, quæ cogitationem conſequitur. Delectatio, quæ procuratur priori modo, eſt ex conſenſu in fornicationem, & eſt peccatum mortale, & reducitur ad eam ſpeciem, ad quam ipſamet fornicatio, debebitque pœnitens exponere ſtatum ſuum, ſtatum fœminæ; nempe utrùm fuerint cælibes, conjugati, Religioſi, &c. hæc clara ſunt, nec hic ſentiſco aliquam difficultatem.

Ad ſecundam claſſem delectationum moroſarum devenio, & inquiro, Cur delectatio illa moroſa, quæ habetur de virgine cogitatâ, cum expreſsâ voluntate non acceptandi illam, etiamſi daretur libera occaſio, & ipſa vellet, ſit peccatum mortale? An quia teſte Galeno, omnis laſciva delectatio eſt incœpta pollutio? Sed hoc non eſt evidenter verum; & quia ſuperiùs dolorem cum delectatione compoſui, ſic diſcurro. [Cùm exciditur digitus magnum dolorem patior, & hæc ipſa exciſio eſt peccaminoſa mortaliter: non enim licet homini ſua prodigere membra,

Cur moroſa delectatio peccatum ſit?

An omnis delectatio ſit initium pollutionis?

bra, quorum non eſt Dominus ſed uſufructuarius. At manus dexteræ digitis indice & pollice ſiniſtræ digitum comprimo, & quia fortiter dolorem intenſiſſimum ſentio, An ne mortaliter peccavi? aſſeris & affirmas omnem digiti dolorem eſſe digiti exciſionem inchoatam. Ego rideo; nimirùm & reſolutionem, & rationem: premere enim manu aut forcipe digitum peccatum non eſt nec dolor ille aut preſſio, eſt digiti exciſio inchoata. Et quid, ſi de delectatione moroſâ eodem modo philoſopharetur aliquis? quid, ſi diceret primò; pollutionem eſſe peccatum mortale. Secundò, eſſe etiam mortale peccatum pollutionem etſi incompletam. Tertiò delectationem moroſam fore mortaliter peccaminoſam, ſi tanta ſit ut pollutio graviter inchoata dicatur, non verò ſi non ſit quædam inchoata ſeminis deciſio, ſed compreſſio alteratio aut luxatio.] Obſecro ut huic difficultati ſatisfacias. Egi de delectatione moroſâ; quo nomine intelligere volo delectationem illam carnalem & laſcivam, quam quis habet cogitando fœminam, quam vult non tangere; quia, ſi velit illâ abuti, jam eſſet conſenſus in copulam aut in aliud peccatum.

II.

De Humectate.

MCLXXV. *De ſemine & ſeminalitate vide num. 970.* Moroſam delectationem aut etiam moroſus tactus non ſemper ſequitur pollutio, nam frequenter ſtillat ceroſa aliqua humectas, quam docent Theologi pollutionem non eſſe: & tamen volunt aliqui ſufficere ad peccatum mortale, ſed cur? nam, ſi pars ſit ſeminis, modò magnitudinis terminum non attingat, quem ſemen requirit, ſemen non eſt; quidquid autem ſemen non eſt, decidi ſine crimine poteſt. *An omnis pars ſeminis ſit ſemen?* Sed neque pars ſeminis eſſe videtur ille humor, qui vocatur Humectas: ſed potius quædam ſeminalitas, quam non video cur non poſſit quis decidere ſine mortali. An forte ideò ſeminalitas decidi non poteſt, quia ſe exponeret homo periculo ſemen verum concomitanter excidendi? Sed hoc periculum in humectate non apparet: *An ſit peccatum decidere ſemē indirectè?* Et ut appareat, ſi ſemen corruptum poteſt directè expelli, etſi indirectè & concomitanter ſemen verum & vivum expellatur, etiam poterit directè ſeminalitas, etſi concomitanter ſemen vivum ſequatur: Ergo cùm hæc claudicet ratio: alia debebit adduci. An forte ideò ſeminalitas eadem decidi nequit, quia eſt neceſſaria ad ſeminis conſervationem? *An ſeminalitas conſervet ſemen?* Hic ego incipere rem lucem videre, nam ſi Petrus haberet veſtem, quâ ſe à frigore protegeret, quâ ſublatâ deberet neceſſariò perire, idem eſſet illum denudare ac occidere. Ergo idem erit ſeminalitatem extrahere, ac ſemen corrumpere; ſed nondum quieſco. Primò, quia non demonſtratur, extractâ ſeminalitate ſemen verum corrumpi. Secundò, quia ſumere pharmacum, quo ſemen corrumpatur nonnullis non videtur mortale: Ergo, qui licitè poteſt corrumpere ſemen ponendo pharmacum, poterit ſeminalitatem auferendo. *An hoc pharmacis licite corrumpi poſſit?* Tu mediteris ſingula, & quid dicendum ſit, & quomodo probandum, oſtende.

***

Digitized by Google

III.

De pollutione.

MCLXXVI. *Cur mollities ſit peccatũ mortale? Quid ſit ſemen?* TE Thomiſta alloquor & interrogo, Anne pollutio ſit peccatum mortale? Reſpondes aſſirmative & bene. At ſub peto cur peccatum ſit, & reſpondebis male. Quid eſt ſemen? Sudor, ſpuma, lac, ſanguis, excrementum (ſic loquuntur Philoſophi doctiſſimi; nec tu demonſtrabis contrarium: imo ſic multi etiam Thomiſtæ) Ergone ante omnem Dei prohibitionem eſt malum ex natura rei ſudare, ſpumare, minuere lac, paucas ſanguinis guttas emittere, aut corporis excrementum egerere? Non intelligo. Ergo ad te converto oculos Scotiſta, & cur pollutio ſit peccatum interrogo, & reſpondes phlebotomiam eſſe licitam, quia non fuit interdicta à Deo, & ſi Deus *Cur venæ ſectio licita?* lege latâ inhiberet ſectionem venæ, debere hominem potius mori, quàm venam ſecare. tranſis ad pollutionem, & ais, ejuſmodi deciſionem ſeminis (ſive ſeminis nomine intelligamus ſudorem, ſive ſpumam, ſive lac, ſive ſanguinem, ſive excrementum) ex naturâ rei & ante omne Dei præceptum non eſſe mortaliter malam: Addis, quod eadem non eſſet hodie peccatum, niſi Deus illam interdixiſſet. De facto illam Deum vetuiſſe aſſeris, & ideo eſſe mortale peccatum, & debere potius hominem mori, quàm pollui (nempe etiam in caſu quo laboraret ſeminis abundantiâ, nec aliter mortem poſſet evitare, quàm ſi ſemen emitteret) & hoc ego profundiſſime intelligo. Standum igitur ab Scoto eſt, & dicendum D. Thomæ doctrinam fortiſſime arietari cùm agimus de materia venereâ.

Quomodo defendi queat D. Thomæ doctrina? An-ne eſt defenſabilis D. Thomæ doctrina? Si dicatur ſemen eſſe ſudorem, ſpumam, lac, ſanguinem, aut aliud qualecunque excrementum, & ponatur non dari divinum præceptum, quod pollutionem interdicat, non ſcirem defendere pollutionem eſſe peccatum, nec tamen dicam indefenſabilem eſſe Theologicam Angelici Doctoris ſententiam; poſſemus enim dicere ſemen eſſe integralem hominis partem, ſicut manum, aut brachium, & eſſe rationi abſonum partes integrales excidere. Si dicas has poſſe excidi ob conſervantiam totius, & inferas pollutionem in eo caſu eſſe licitam, quo eſſet totius hominis conſervationi neceſſaria, urgebor; & ut bene reſpondeam ab aliquo Thomiſta juvabor, qui ergo doctior me ſit dignetur huic obſervationi reſpondere, quin recurrat ad doctrinam Scoti.

IV.

THomiſtas æquè ac Scotiſtas torquet hæc ſequens ratio, & debet habere ſolutionem claram & manifeſtam, ne dicatur incertum eſſe quod ſupra omnem quæſtionis aleam eſſe verum tenemus. Sic diſcurro. [Pollutio, ideò eſt peccatum, quia eſt ſeminis ad prolem ordinati infæcunda deciſio, ſed hæc ratio non ſufficit: ergo. Probatur minor proximior eſt proli fœtus ipſe quam ſemen: at fœmina, quæ vel deberet mori, vel Embryonem aut fætum emittere, poteſt Theologorum conſilio contra Embryonem contra fætum (imo etiam contra ipſum infantem animâ rationali præditum) ſicut contra invaſorem procedere cum moderamine inculpatæ tutelæ, & dato caſu quod aliter nequeat vitã ſervare, MCLXXVII. *An abortum aliquando ſit licitus?*

illius

illius emiſſionem directè & poſitivè procurare; & eundem defacto etiam emittere. Ergo à fortiori poterit directè & poſitivè procurare emiſſionem ſeminis in caſu, quo illud invadat hominem & iſte nequeat ſe conſervare aliter quàm ſemen ſuperfluum decidendo. Nec hinc volo tantum ſequi poſſe ſemen corruptum emitti: quia argumentum, æquè probat de non corrupto vivo & ſano; nam aliqui ſeminis corruptione, & alii laborant incorrupti abundantiâ. Ergo ratiocinii propoſiti ſolutionem exſpecto.

V.

MCLXXIIX *An uti gravidâ aut vetulâ ſit peccatum contra naturam?*

MUlta de mollitie ſacræ literæ ſevera & notatu digniſſima: ſæpe enim molles *viros ſanguinum* dicunt, quod impedire generationem ſit quodammodo hominem interimere. At peto cur mollitiei peccatum tam enorme ſit, & tamen concubitus cum gravidâ aut vetulâ, in quo æquè impeditur generatio, toleretur? Si dicantur naturales actiones ſecundum ſe conſideratæ, nec bonæ nec malæ eſſe, & tota earumdem malitia ab interdictione pendere, quod Scoto placuit, & hodie à doctiſſimis Viris defenditur, ceſſabit quæſtio: ſtante enim rationis paritate, aut etiam idemtitate, dici poterit mollitiem à Deo interdici, & matrimonialem copulam cum gravidâ aut vetulâ permitti: hanc fore illicitam ſi divinitùs interdiceretur illamque fore licitam, ſi permitteretur. At audire Thomiſtas vellem, ipſi enim ante omnem Dei interdictionem mollitiem eſſe malam contendunt, & deberent damnare omnes matrimoniales copulas, quæ ſine probabili generationis ſpe ſolent haberi: cùm igitur non poſſint damnare has, nec dicere mollitiem eſſe licitam, videntur debere deſerere Angelici Doctoris Fundamenta, & Scoticæ opinioni ſubſcribere, & dicere moralem omnem peccatorum malitiam ab interdictione Dei pendere, Deoque per impoſſibile nihil interdicente nullum peccatum ab hominibus committi poſſe. *Conſequentia doctrinæ poſtulat ut de ſpadonibus ac impotentibus aliqua ſubjiciamus.*

VI.

QUærunt Theologi, *an ſi frigidus aut eunuchus haberet rem cum muliere, deberet hanc circumſtantiam in confeſſione aperire?* hanc quæſtionem movet Diana, *part.3.tract.4.reſol.*139. nec quid ſentiat exponit Filliucius *Tom.*2. *tract.*18.*part.*2.*cap.*1.*num.*23. rem valde dubiam aſſerit, addit communem eſſe ſententiam, quæ docet non eſſe hanc circumſtantiam quæ ſpeciem mutet. At contra Henriquez *libr.*5. *de Pœnit. cap.*6.*num.*3. *in Gloſſa lit. M.* Leſſius *lib.*4. *cap.*3. *dub.* 6. *num.*45. & Sanchez *Tom.*2. *lib.*7.*diſp.*5.*num.*14. MCLXXIX. *An copula eunuchi & impotentis ſit contra naturam?*

Sed ſupponamus differre ſpecie, in quâ ergo ſpecie erit hæc copula collocanda? [Infertur (inquit Sanchez) coitum cum impedimento impotentiæ, ut ſi frigidus vel eunuchus coeat habere circumſtantiam diverſæ ſpeciei neceſſariò confitendam, quæ ratio prohibitionis matrimonii inter hos nempe impotentia generandi, & ſic fruſtratio finis ad quem natura coitum deſtinavit, militat etiam in copulâ illicitâ: quare hic coitus reducitur ad peccatum contra naturam.] Conſonat Henriquez, & alii.

Eſto; ſed inquiro eorundem inſiſtendo ſententiæ, An fornicatio fri- *De naturali & ar-*

Digitized by Google

tificiali impotentia.

gidi & fornicatio calidi ſi iſte tali cautela coëat ut non poſſit ſubſequi generatio, ſint ejuſdem ſpeciei? nam ſicut dare cibos naturâ ſuâ venenoſos ac dare natura bonos ſed arte venenatos, perinde eſt; videretur non differre fornicatio naturâ impotens ab illâ, quæ habet impotentiam ab arte.

Suppeto. An uterque aut alter, ſiquidem peccavit contra naturam ſi dicantur peccata hæc nō differre ſpecie, ſatisfaciat dicendo *Alienis tactibus pollutus ſum.* An fœmina, quæ ſe proſtituit frigido, meram pollutionem commiſerit, nec peccaverit aliter, quam ſi digitis amaſii in vas naturale venerem expleviſſet?

VII.

MCLXXV. *De ſedanda prurigine.*

QUæri à nonnullis ſolet, An pudendarum partium fricationes, quæ ordinantur ad ſedandum pruritum, ſint licitæ? & quia multâ in ipsâmet interrogatione implicantur, debent ipſi termini exponi, ut ſub diſtinctione ſatisfaciam. *Reſpondeo igitur* pruriginem eſſe duplicem, aliam ſenſualem, laſcivam aliam. Senſualis tactum afficit, & eo modo partes illas compungit, quo ſolet vel manum vel caput, nullo luxuriæ argumento aut indicio, laſciva ex ſeminis activitate & concupiſcentia procedens, venerea eſt, & hominem aliter alterat. Priorem ſedare poteris, non ſecundam; hæc enim ipſa hujuſmodi fricatione adaugetur.

Prurigo duplex.

Dico igitur non eſſe peccatum partes interiores aut fricare aut ſcalpere in eum finem, ut ſenſualis prurigo ſedetur, præſcindendo aut diſſentiendo à voluptate venereâ, quæ excitabitur: eſſe tamen peccatum, ſi in eum finem fricatio illa fiat, ut ſedetur luxurioſa prurigo, hæc enim non aliter quàm deciſione ſeminis poteſt ſedari: ergo quærendum aliud remedium eſt, vel formandum indifferens dictamen & naturalis ille impetus Deo & naturæ omninò relinquendus. Ratio diſparitatis in eo eſt, quod quando unum medium duos affectus habet, bonum & malum, poteſt pientiſſimè illud in ordine ad bonum adhiberi, præſcindendo à malo, qui ſi reſultet contra tuam intentionem eveniet. Sic nobilis & honeſta adoleſcens ſe poteſt licite ornare & componere, modò honeſtè, tametſi evidenter prævideat à procis eſſe concupiſcendam: quoniam ornatus ille decens duos effectus habet, & manutenere authoritatem illius ingenuæ virginis, & juvenes laſcivos abripere: & ipſa virgo priorem effectum intendit; & erga ſecundum, ſi conſcia, involuntaria tamen eſt. Sic etiam ille, qui ſe ab invaſore defendit, movet enſem & ejuſdem motûs duos effectus conſiderat: ſecuritatem ſuam & aggreſſoris mortem, intenditque imò elicit illum eumdem motum in ordine ad primum effectum, & ab ſecundo, aut abſtrahit, aut diſſentit. Sic etiam Chirurgus, qui medendo partibus internis polluitur, cognoſcit clarè quod ille verendarum partium contactus duos habet effectus, & ſanitatem dare ægroto, quod ſui muneris & officii eſt; & excitare in ſe motus venereos, & tandem eum in involuntariam pollutionē inducere: & tamen poteſt actiones omnes ſuæ arti & ægro neceſſarias facere, in ordine ad recurandam illius ſibi commiſſam valetudinem, præſcindendo aut diſſentiendo à motibus venereis.

De actibus præterintentionalibus.

De puellarum ornatu.

De occiſione invaſoris.

De Chirurgo.

teis, qui tactibus illius aut vulnerum examine excitantur.

Hinc ſummæ conſequentia doctrinæ ad propoſitum caſum. Scio ex fricationibus poſſe ſequi effectus duos, & ſedationem ſenſibilis pruriginis, & venereæ pruriginis exſcitationem: addo illum qui ſenſibili pungitur poſſe liberè partes illas ſcalpere, in eum finem ut illam pruriginem ſedet, etiamſi evidenter videat veneream delectationem aut forte pollutionem movendam. Modò ab hac illicitâ delectatione præſcindat, aut quod ſecurius eſt, poſitivè diſſentiat. Monendus tamen ille, qui ſimilia patitur, ne ſe ipſum decipiat, & linguâ proferat diſſenſum, & contra mentem eat, quæ fortè liberè adſentitur, & illam eandem actionem dirigit in malum finem: lubrica enim res luxuria, & qui vexatur illâ vix permittitur bene diſcurrere; debetque cavere ne ſe exponat conſentiendi periculo; quoniam ubi ſenſus eſſet materialiter malus, conſenſus eſt formaliter peccaminoſus.

Habenda eſt ratio periculi.

Nota I.

MCLXXVI. *De ebrietate.* Scribo hæc in Germania, quæ cum majori patientia ebrios tolerat, quàm Hiſpania & Italia. Inquiro, *An ad ſedandam ſitim ſemper bibere liceat?* Non moveo hic dubium hoc, quod gulæ luxus ad luxuriam pertineat, vel non pertineat, ſed quod ratio poſtulet, ut ſicut de luxuriâ, ſic etiam de luxu diſcurramus. Reſpondeo igitur primò *ſi licet fricare pudenda ad ſedandum pruritum, etiamſi adſit periculum (aut certitudo) pollutionis modo non ſit periculum (aut certitudo) conſenſus in eam, licebit ad ſedandam ſitim bibere etiamſi adſit periculum (aut certitudo) ebrietatis modo non ſit periculum (aut certitudo) conſenſus.* Breviter paritatem propoſui & diſparitatem benè poſitam & probatam omninò videre deſidero.

De ægris an bibere licite poſſint?

Reſpondeo ſecundò ad ægrorum in Hiſpaniâ ardentibus febribus laborantium ſolamen. *Hauſtus aquæ aut cujuſcunque liquoris creſcente febri interdum exitialis eſt, ſemper valde nocivus; & tamen, ſi liceat fricare pudenda ad ſedandum pruritum, etiamſi adſit periculum (aut certitudo) pollutionis, modo non ſit periculum (aut certitudo) conſenſus in illam; licebit etiam ægroto bibere ad ſedandam ſitim, etiamſi adſit periculum (aut certitudo) gravis aut etiam lethalis nocumenti, modò non ſit periculum (aut certitudo) conſenſus in illud.* Patet, quia ſicut præviſa & tamen non intenta pollutio, dicitur præter intentionem evenire; ita etiam præviſa & non intenta ebrietas, ita etiam proviſum & non intentum ſalutis nocumentum, præter intentionem eveniet.

De incendiario.

PETIS *An ad ſe calefaciendum, poſſet Petrus ignem accendere, etſi prævideat probabiliter aut etiam certò totam hoc inde ſylvam alienam combuſtum iri, ſi tamen abſit periculum aut certitudo conſenſus in ejuſmodi ſylvæ aut civitatis combuſtionem?* An non reſpondere poſſet aliquis ex eadem Doctrinâ.

Omitto plurima alia, quæ occurrunt; omnia enim debent aut ſimul admitti, aut ſimul rejici; niſi fortè detur diſparitas, quam difficillimè experturus. Sunt ergo difficillima, quæ facillima multis videntur. Habeo ſolutionem ad ſingula, ſed quia nolo te prædeterminare tuam potius ſolutionem exſpecto.

Nota id bene.

Nota II.

An ebrietas ſit mortale peccatum?

Sed ebrietas contra quod Decalogi præceptum militat? unde habetur certò & evidenter eſſe mortaliter ma-

Digitized by Google

malam? An-ne etiam Thomiſta docebit eſſe malam & mortaliter peccaminoſam ante omnem prohibitionem divinam? Ergo rationem det nimirum demonſtrativam & quæ per accidens nõ claudicet, in aliquo caſu particulari.

VIII.

MCLXXXII. *Quatuor caſus propoſiti. Primus.* QUatuor caſus proponere volo, qui videntur diverſi, & fortè ſi bene examinentur, coincident, & erunt unus. Attendite. Joannes laſciviens cum Antoniâ tactibus mutuis delectantur: & eò rem produxit, ut uterque in mollitiem inciderit. *Secundus.* Poſteà membrum virile in vas naturale produxit cum animo decidendi ſemen extra vas, quod Antoniâ conſentiente fecit: *Tertius.* deinde communi conſilio copulam habuere perfectam cautelâ adhibitâ ne illam ſequeretur conceptus. *Quartus.* Tandem eo convenerunt modo quo conceptus vitari non poſſet, eo tamen conſilio, ut poſteà abortus procuraretur; quod & factum: & quia pœnitentiâ ducuntur, & confiteri volunt, Qualiter peccaverint, interrogant.

Reſolutio. *Reſpondeo*, illos ſi narrarent rem ut facta, ſatisfacturos bene; quod omnes confeſſarii laudabunt. At ipſi volunt ſolas explicare circumſtantias, quas debent, & illas ſubticere, quas poſſunt, & quia ſe quatuor mortalia peccata commiſiſſe ſciunt; interrogant, An ipſa diſtinguantur puro numero, & poſſint ſatisfacere integritati confeſſionis dicendo *Quater mutuis tactibus polluti ſumus?* Illis videbatur quod ſic, quod probant per ſingula peccata diſcurrendo. *Primum* enim mera mollities fuit tactibus mutuis procurata: *ſecundum* diſtingui non videtur à primo; nam, ſi licet incipere copulam matrimonialem in vaſe præpoſtero, modò in naturali concludatur, & talis copula non appellatur Sodomitica, non mutabitur pollutionis ſpecies ſi incipiatur in vaſe naturali ſi tamen extra vas perficiatur. & quidquid ſit de inceptione præpoſterâ, ſaltem à nemine poterit dici eum qui manuum tactibus excitatur in vaſe concludit, incepiſſe habere mollitiem & in fornicatione concluſiſſe: ſed tamen dici debebit: Ergo ille, qui in vaſe naturali incepit, & in manibus ſcorti perfecit, non eſt dicendus commiſiſſe fornicationem inceptam, & per mollitiem concluſiſſe; ſed tantùm commiſiſſe mollitiem, & nihil aliud. *Ad tertium* veniunt, putantque perinde eſſe in copulâ extrahere membrum & ſeminare extra vas, ac non extrahere ſi ſeminetur ita ut generatio ſequi nequeat. quoniam extra-ſeminatio mala eſt, non quà extra-ſeminatio, ſed quà ſeminatio inutilis ad generationem, quæ inutilitas æquè in ſecundo ac in tertio reperitur in quarto majorem difficultatem non inveniunt, perinde enim reputant conceptum impedire, quàm fœtum per abortum emittere, utrumque enim æquè impedit novi hominis generationem. Concluduntque hæc quatuor fuiſſe peccata ejuſdem infimæ ſpeciei, & ſolo numero diſtincta; omniaque ad ſpeciem pollutionis reduci; quia in omnibus datur pro materiali effuſio ſeminis, & pro formali non conceptionis procuratio, quæ in omnibus eadem eſt. Cæteras circumſtantias accidentarias judicant, forte etiam aggravantes, non tamen in confeſſione declarandas, ſi illos dicas per gradus aſcendiſſe, propiuſque ad generationem acceſſiſſe, quàm in primo id

Digitized by Google

id concedent, ſed dicent. *Magis & minus ſub eodem genere non mutare ſpeciem*, & hoc exemplo clariſſimo dilucidabunt. Jubetur ſub pœnis graviſſimis ne quis impediat adeuntes Romam, & tamen Iſidorus Joannem ſexto ab urbe lapide impedivit, Petrum tertio, nec tamen dicitur duo peccata commiſiſſe diſtincta ſpecie: ergo, ſi ad caſum poſitum redeamus, eodem modo debebimus philoſophari. *Primò* enim interdicitur ne ſemen effundatur extra matrimonium. *Secundò* ex hypotheſi quod intra vel extra effundatur, ne effundatur ita, ut generatio ſequi non poſſit. *Tertiò*, ab hac ſecundâ lege liberalitate Dei excipitur matrimonialis copula habita cum gravidâ, vetulâ aut infirmâ: ergo qui ita ſemen emittunt ut generationem impediant, ſive propius ad illam acceſſerint, ſive remotius hæſerint, eodem modo quoad ſpeciem peccabunt. Confirmatur quia quæ procuraret abortum fœtus nondũ animâ vegetativâ præditi, & fœtûs vegetantis, & fœtûs ſentientis, non committet tria peccata diſtincta ſpecie: ergo major aut minor diſtantia gravitatem fortè addit aut minuit, non tamen mutabit ſpeciem. *Ita illi.*

Tu rem examina, & utrum ipſi probabiliter loquantur expone.

Quæſtio Incidens.

An peccata contra naturam diſtinguantur ſpecie.

MCLXXXIII. *Sodomiæ nomen ſolet ſumi dupliciter.* Res erat heri certa & facilis; negativam enim ſententiam docuerat D. Thomas, quem ſequebantur univerſi Doctores, apud quos nomen *Sodomiæ* univerſaliter & particulariter ſolebat ſumi: & laxiùs ſumptum omnia contra naturalia peccata, & ſtrictius præpoſteram maſculorum commixtionem ſignificabat: At hodie aliqui inter hæc peccata ponunt gradus eoſque ſpecie diſtinctos, quos non intelligo. Porrò *Sodomiæ* nomine omnia peccata contra naturam ſolere intelligi conſtabit ex Marchantio cujus verba dabo *num.*1000.

Contra noſtram hoc eſt, omnium aut fere antiquorum ſententiam objiciunt, quod nimium Sodomiæ execrabilem malignitatem diminuamus, ſiquidem nolumus eam ſpecie à pollutione diſtingui: & nos hoc ipſum negamus omninò & demonſtramus clare nimium (ô nimium) illos pollutionis propudioſam excuſare malitiam, quam tot gradibus infra ſodomiam collocãt. Sane D. Thomæ ſententia ſeverior eſt multò quàm ipſorum. Dicimus ergo cum Doctore Angelico Sodomiam eſſe in eodem gradu malitiæ quo ab illis collocatur, & in hoc eſt mirabilis partium conſenſio: in quo ergo deficimus? In eo, quod nos non ſubſtantiali ſpecie ſed accidentali aut modali pollutionem à ſodomia diſtinguentes, pollutionem horribilem eſſe culpam dicamus teneamuſque quoad Deum vix molles diſtingui à Sodomitis, quos totus orbis terrarum deteſtatur: At ipſi pollutionis nimiùm malitiam attenuant: & debent homines ab illâ terreri, non allici. Sed hoc ipſum argumentum morale eſt, ad ſcholaſtica veniamus. Sic diſcurro *ut Phyſicus de Phyſicæ & rebus naturalibus naturaliter, ſic Ethicus de moralibus moraliter philoſophatur*: moralitates enim omnes ad inſtar realitatum concipiuntur [imò illæ multorum opinione ſunt quædam relationes veræ & reales, hoc eſt, reales denominationes extrinſecæ] nam alias eſſent formalita-

Ethicæ conſonantia.

Quid ſint moralitates?

ſitates chimæricæ, nec veritati indagandæ ſervirent. Igitur moralitatum diſtinctionem examinaturus, præcognoſcat realitatum diſtinctiones, neceſſarium eſt.

Rerum diſtinctio.

Pono igitur ex communi doctrinâ rerum alias diſtingui ſpecie eſſentiali & intrinſecâ, alias accidentali extrinſecâ, alias magnitudine & gravitate, alias modo concomitante aut circumſtantia aliqua eſſentiali & intrinſecâ. Specie diſtinguitur homo à bruto, albedo à nigredine: accidentali extrinſecâ. Homo albus ab Homine nigro: magnitudine aut gravitate, à Gigante Pigmæus, Homo parvus à magno, una auri uncia ab unâ librâ: modo aut circumſtantiâ Homo ſedens à jacente aut ſtante, veſtitus à nudo. Addunt juniores aliqui diſtinctionem ſpecificam intrinſecam inadæquatam, ut maris & fœminæ differentiam exponant: non enim audent dicere illos diſtingui ſpecie, & tamen majorem numericâ differentiam reperiunt: plus enim differt Petrus à Joannâ quam à Franciſco. Hac doctrinâ præmiſsâ facile erit peccatorum ſpecificationem & diſtinctionem reperire: & quia de luxurie agitur, breviter (non enim mundæ aures longos de hac immundâ materiâ diſcurſus tolerant) ſpecies explicabimus.

De diſtinctione inadæquatâ.

MCLXXXIV *Naturaliũ & contranaturaliũ peccatorũ diſtinctio.*

Dico igitur Primò, luxuriem in connaturalem & contranaturalem dividi ſpecificè intrinſecè adæquatè, eo omnino modo quo Animal in rationale & irrationale; ſubſtantia in corpoream incorporeamque. Unde concluditur peccatum fornicationis & peccatum contranaturale diſtingui ſpecie ut Homo ab Equo diſtinguitur in ſententia communi.

Fornicationis ſpecies.

Dico Secundò, fornicationem habere ſuas ſpecies ſubalternas, non quidem intrinſecas, ſed extrinſecas, & accidentales: non enim pertinent ad luxuriæ lineam & ſextum præceptum Decalogi, ſed ad alias lineas & ad alia præcepta. Singulas ponamus & explicemus. Illæ ſunt; *Simplex fornicatio, Adulterium, Oppreſſio, Inceſtus, Sacrilegium.* Simplex fornicatio ſimplex peccatum eſt, reliqua duas malitias imbibunt, & duplici opponuntur præcepto, adeoque duo peccata ſunt uni & eidem reali actioni increſcentia. Adulter enim & fornicatur & injuriam infert marito; imò ut doctis non paucis placet, ſi baptiſatus ſit, Chriſto, Sacramento & eccleſia; adeòque quintum & ſextum Decalogi præceptum violat. Oppreſſor utitur corpore alieno invitæ fœminæ: & ideò fornicatur furaturque: & qui infamiam infert, moraliter etiam occidit, & peccat contra quintum, ſextum, ſeptimum. Inceſtuoſus fornicando, ſanguinis reverentiam deſpicit, præceptum poſitum aut à Deo aut ab Eccleſiâ violat; & peccat contra quartum & ſextum. Sacrilegus, & fornicatur & votum violat, & peccat contra ſecundum ſextumque.

Adulteriũ eſt duplex peccatum. *Item Oppreſſio.* *Calumnia:* *Inceſtus:* *Sacrilegiũ.*

Dico Tertiò, peccata contra naturam non differre ſpecie intrinſecâ, hoc eſt non contrahi per differentias eſſentiales & incommunicabiles alii diviſo: Animal enim contrahitur per rationalitatem & irrationalitatem; quæ ideo eſſentiales differentiæ dicuntur quia nullum aliud genus contrahunt præter animal. Si enim aliud contraherent, eſſentiales non eſſent. MCLXXXV

Addo nec omnia diſtingui ſpecie extrinſecâ; quia differentiæ, quibus contrahuntur non ſunt nova peccata in alia Decalogi præcepta impingentia. Conſulto dixi *non omnia*, nam in pec-

Digitized by Google

peccatis contra naturam poſſet dari ratio ſcandali, aut etiam ſacrilegii; & ex multorum ſententiâ etiam inceſtûs: ſed hic de ſpeciebus intrinſecis ſpecialiter agimus, non enim has externas negamus. Teneo diſtingui magnitudine & gravitate intra eamdem ſpeciem; quæ diſtinctio naſcitur à diſtinctione modali: puto enim illa diſtingui, ut homo parvus ſedens ab homine magno jacente, in quibus relucet diſtinctio magnitudinis, gravitatis, & modi.

MCLXXXVI *Mollities; an mortale peccatum ſit?*

Primus contra naturam peccandi modus, eſt mollities quam tametſi Sanchez (ſi credibile hoc eſt) non eſſe peccatum docuerit ſi ob ſanitatem fiat, eſſe mortaliter peccaminoſam Doctores univerſi tenemus; ſed minus gravem reliquis culpis contra naturalibus. Et quia patris Sanchez mentionem fecimus, audiendus eſt Beyrlinchius *verbo mollities.* ubi ait. *Non defuerunt qui ob ſanitatem fieri abſq; gravi peccato poſſe docuerunt. Adſcribitur hæc ſententia Thomæ Sanchez in tractatu de matrimonio in primâ illius editione. At in poſterioribus videtur Auctor, aut alius ejus nomine ſententiam ſuam retractaſſe, & communem aliorum amplexum eſſe.* Hoc crimen, ſi probetur, lege punitur arbitraria, præcipue ſi commiſſum alienis tactibus: & Madriti unius piſtoris vidua ante annos aliquot ob hoc crimen flagellis publice excepta eſt.

Beyrlinch.

Sodomia.

Secundus eſt Sodomia mollitie multò gravior, quæ commiſſa cum perſona diverſi ſexûs videtur adhuc gravior eſſe. Ignem illa cœleſtem Sodomæ & Gomorræ promerita, hodie etiam igne ſolet piari: nec mirum peccata intra eamdem ſpeciem graviùs puniri ſi graviora, nam ejuſdem ſpeciei eſt occidere regem & unum patrem familiàs privatim, & furari quatuor imperiales & mille; & tamen hæc peccata pro gravitate puniri ſolent, licèt ejuſdem ſint infimæ ſpeciei.

Beſtialitas.

Tertius eſt beſtialitas, quæ gravior adhuc reliquis eſt, huic nonnulli Dęmonialitatem ſeu concubitum cum Dęmone adjungunt, de quo non libenter tractabo; quia multa de Sagis lego, plura audio, quæ non videntur omninò vera, & aliqua quæ nec poſſibilia.

Hac ergo doctrinâ præmiſſâ aliquas concluſiones ſubſcribamus, in quibus ſi fortè aliquid aliter dicatur quàm debeat, tuum erit illud corrigere, reformare, elimare. Sit igitur concluſio

Pollutionũ diverſitas.

Prima. *Pollutio tactibus alienis à procuratâ propriis differt.* Nam, qui ſe tactibus polluit propriis, alteri non eſt ſcandaloſus: & qui alienis, facit ut alter ſuo peccato cooperetur, & ipſe regulariter pollutioni alterius ſaltem inceptæ cooperatur. Regulariter enim loquendo interiores viri partes tangi ab altero ſine delectatione venereâ impoſſibile eſt: & ubi talis datur delectatio, ſi Galeno & Medicis credimus, initium pollutionis eſt.

MCLXXXVII *Quid ſit pollutio?*

Secunda. *Pollutio in eo conſiſtit quod ſemen extra vas debitum effundatur.* Hæc videtur eſſe ratio formalis; & quia multis modis contingit, hi ipſi modi à multis curioſè enumerantur: non quidem ut formales differentiæ, quæ contrahunt genus, ſed ut circumſtantiæ quædam aggravantes aut comitantes. Hinc eſt eum qui ſemel inter alterius ubera, iterum in ore, iterum inter fœmora pollutus eſt, ſatisfacere in confeſſione dicens: *Ter alienis tactibus pollutus ſum.*

Exemplis hæc doctri-

Porrò hanc negationem contrahi, non quidem per differentias ſpecificas,

Digitized by Google

na illuſtratur. ſed per materiales aut modales, poteſt exemplis clariſſimis dilucidari. *Miſſæ omiſſio.* Præcipitur ut audias miſſam, illam omittis ter; ſemel deambulando per campum, iterum ludendo pilâ iterumque dormiendo; & commiſiſti tria peccata ejuſdem infimæ ſpeciei, nec teneris aliter confiteri, quàm dicendo *Ter miſſam præceptam omiſi.* Si cauſa omiſſionis ſit novum peccatum, debebit in confeſſione explicari, ut ſi quis omittat miſſam quod maluerit eſſe apud amaſiam: at tunc non committet peccatum diverſæ ſpeciei, ſed duo peccata. *Furtum.* Præcipitur ne fureris; ne rem aliam capias invitò domino: furaris ter, ſemel aurum, iterum argentum, & demum veſtes; nec tamen tria furta diſtincta ſpecie commiſiſti, ſed ſatisfacies ſi confeſſario dixeris, *Ter ſum furatus:* quod ſi in furto ſit aliqua circumſtantia præcepto ſpeciali interdicta, tunc illud non erit furtum alterius ſpeciei, ſed erit moraliter duplex peccatum. *Occiſio.* Præcipitur etiam ne occidas, & Petrum interimis glande, Joannem enſe, Franciſcum ligno, Antonium laqueo, & præſcindendo à dedecore in genere homicidii commiſiſti quatuor peccata, quæ numero tantum diſtincta. Iterum occidiſti Joannem impetens caput; Fauſtum impetens cor, Paulum impetens ventrem; & commiſiſti ejuſdem ſpeciei peccata. *Pollutio.* Et eodem prorſus modo de peccato contra naturam philoſophandum eſt: conſiſtit in illâ negatione, quam expoſui; videlicet, quod ſemen extra vas debitum effundatur. Semel poſitâ contranaturali effuſione, quod effundatur huc vel illuc perinde eſt. *Scandalū eſt novum peccatum.* Si detur in hoc peccato complex, dabitur novum peccatum ratione ſcandali, & cooperationis ad peccatum alienum. Si iſte complex ſit excommunicatus, ſi ſit obſtrictus voto, ſi Matrimonii vinculo, ſi cognationis nexu, ſi ſit infidelis, ſi dæmon, &c. accedet nova circumſtantia, quam qui dicunt ſpecialiter interdictâ, debent dicere novum eſſe peccatum: nam ſicut intelligimus multos actus phyſicos eſſe unicum peccatum mortale: ſic etiam poſſumus & debemus interdum intelligere, unum actum Phyſicum eſſe duo peccata: *Multi actus moraliter identificantur.* qui enim Jejunii die devorat carnes alienas non committit unum peccatum diverſæ ſpeciei, ſed duo, quæ in uno actu Phyſico conjunguntur per accidens: & ideò poterit confiteri dicendo, *Semel comedi carnes die Jejunii. Semel furatus ſum* nec tenebitur explicare eamdem eſſe materiam, quam & furatus fuit & comêdit.

MCLXXXVIII. *Pollutio cū viro & cum fœminâ.*

TERTIA *Pollutio procurata tactibus viri non videtur differre ſpecie à procurata tactibus fœminæ.* Sed utra gravior? Videretur quod prior; qui enim virum tangit non ſolùm actu, ſed & potentiâ tactibus deordinatis utitur; illi enim non poſſunt ad finem naturalem ordinari: qui autem fœminam deordinat tactus, qui poſſent naturali commixtioni ſervire, ſi vellet. Videretur gravior eſſe poſterior, quia ex tactibus cum viro pollutio cum aliquali neceſſitate naſcitur, quæ deeſt, cùm quis fœminam tangit, quâ poteſt naturaliter uti: & quia major hic eſt in peccando contra naturam libertas & major ad aliter peccandum facilitas, poſſet dici gravius & majus hoc peccatum.

Sodomia cum viro & cum fœminâ.

QUARTA *Sodomia cum viro aut cum fœminâ non videntur differre ſpecie.* Quia in utrâque reperitur eadem formalis contranaturalitatis ratio. Sed utra gravior? Videretur prior deordinatior, quia in illâ utitur vir ſexu & vaſe im-

improprio: qui tamen in poſteriore ſexu utitur debito, at non vaſe. Videretur poſterior, quia faciliùs poſſet committere fornicationem, quàm Sodomiam, qui habet mulierem, & peccata ſemper judicantur graviora, quæ poſſent faciliùs vitari.

Sodomia proprie quid?

QUINTA. *Nomen Sodomiæ propriè ſignificat maſculorum in vaſe præpoſtero commixtionem.* Sed cur? quia ſic voluerunt Nomenclatores, & voces ab arbitrio dependent, quod exemplo clariſſimo dilucidatur. Habes in domo tuâ duo cubicula ejusdem figuræ & magnitudinis, in altero ſtudes, & in altero cœnas, non diſtinguentur ſpecie, & tamen illud non dicetur *Cœnaculum* ſed Muſæum, & iſtud non *Muſæum* ſed *Cœnaculum*. Ergo non erit mirum, ſi ejusdem ſit ſpeciei præpoſtera venus cum viro aut cum fœminâ exercita, & nihilominùs Nomen *Sodomiæ* proprie ſignificet priorem, & poſterior aut careat nomine, aut *Sodomia* impropriè, aut etiam *Sodomia impropria* nominetur. Solent nonnulli vocare Sodomitas fœminas, quæ tactibus mutuis ſe polluunt; at etiam impropriè loquuntur: ipſæ enim committunt peccatum analogum illi, quod viri, qui ſe polluunt tactibus mutuis, quos nemo propriè ſodomitas appellat.

An fœminæ ſint Sodomitæ?

MCLXXXIX

An agere & pati ſit ejusdem ſpeciei?

SEXTA. *In Sodomiâ agere & pati multum differunt.* An ſpecie? negant multi, & inter ipſos ſpecialiter recenſendus eſt Alphonſus de Leone *tract. de officio & poteſt. confeſſarii part. 1. de collect. 9. num. 216. & 218.* ubi ſic ait [Ego dicerem, ſalvo meliore judicio, non eſſe neceſſariò exprimendum an fuerit agens vel patiens, quia tale peccatum eſt, ejusdem ſpeciei, & ideò quia gravius eſt peccatum agentis quàm patientis, ideoque majori pœna punitur, non ſequitur eſſe diverſæ ſpeciei; cum magis & minus non varient ſpeciem.] *Ita ille:* cui ſubſcribit Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 159.* qui ait [Si quis verecundiam haberet confitendi ſe in actu ſodomitico fuiſſe patientem, ſufficit ut dicat *Toties Sodomiam exercui.*]

Major pœna non infert diſtinctionem ſpecificam in peccatis.

Impugnatur Leonis & Dianæ ſententia.

Et quidem ut hæc ſententia ſit probabilis, ſupponit primò virum aut fœminam patiendo delectari, & ſe delectando initium pollutionis habere. Secundò pollutionem completam & inceptam eſſe ejusdem ſpeciei, nec debere pœnitentem exprimere an tantùm cœperit, an compleverit? tertiò pollutionem tactibus alienis procuratam Sodomiamque non differre ſpecie, ſed tantùm materialiter & modaliter: ſicut pollutio habita tactu manuum aut tactu femorum. Porrò iſta tria, debet ſupponere qui nolit actionem à paſſione in Sodomiâ diſtinguere: unde Dianam, qui de primo & ſecundo nihil dicit, & tertium negat, aſſerere, ſine inconſequentiâ non poteſt, circumſtantias agentis & patientis non debere in confeſſione explicari.

MCXC.

Quid ſit beſtialitas?

SEPTIMA. *Beſtialitas eſt pollutio habita tactibus beſtiæ:* & poteſt committi multis modis. Nam tactus ſunt partium exteriorum, aut vir reverâ membrum inducit in vas præpoſterum beſtiæ maſculæ, aut in præpoſterum beſtiæ fœminæ, aut in vas naturale beſtiæ fœmineæ: aut tandem mulier proſtituit ſe beſtiæ maſculæ. In his omnibus ſordidiſſimis criminibus non datur circumſtantia ſcandali; non enim beſtiæ ſcandalo ſeduci poſſunt: at dantur hic multi modi decidendi ſemen extra vas, qui videntur eſſe ejusdem peccati materialitates differentes. [Porrò, ſi ex coitu hominis & beſtiæ proles oriri poſſit, videretur graviſſimum illud pec-

An ex homine & bruta proles naſcantur?

peccatum, quod ejuſmodi generationi occaſionem præberet; at non ideò ſtatim diverſam conſtitueret ſpeciem, qui enim ſe polluit, non committit diverſæ ſpeciei culpam, ſi ex effuſo & corrupto ſemine vermes aut alia naſcantur animalcula.]

MCXCI. *Dæmonialitas.* Octava. *Luxuria Dæmoniaca quà luxuria, non videtur differre à pollutione; at quà Dæmoniaca complectitur novum peccatum: & ideò non tam eſt diverſa ſpecies peccati contra naturam, quàm duplex peccatum.* Eſt enim luxuria & ſacrilegium: nunquam enim hoc ſcelus committitur ſine pacto contractu & amicitia hominis Dæmonisque: & quæcunque dæmonis invocatio, advocatio, confœderatio, & amicitia, peccatum graviſſimum eſt.

Inſtrumenta luxuriæ. Nona. *Sunt, qui venerem expleant inſtrumentis inanimis, quod ipſum poſſunt viri, & ſolent fœminæ: qui etiam peccandi modus non videtur ſpecie diſtingui à pollutione, cùm tota contra-naturalitatis ratio in hac negatione conſiſtat; nimirùm, quod ſemen extra vas debitum effundatur.* Ego quidem, ſi ſtarem opinioni contrariæ, quæ peccata contra naturam vult ſpecie diſtingui, neſcirem cur non etiam deberem addere *Inanimalitatem* ſpecie diſtinctam à reliquis quæ Eſſet effuſio ſeminis inanimo inſtrumento procurata. *Inanimalitas.*

De mente Doctoris Angelici.

MCXCII. Peccata contra naturam eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei, & differre materialiter & merè modaliter docuit D. Thomas 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 11. Rogat enim, *An peccatum contra naturam ſit ſpecies luxuriæ?* Et poſtquam Aſſertivè reſpondit, illud ſubdividit his verbis: *Dicitur vitium contra naturam, quod quidem poteſt pluribus modis contingere, uno quidem modo ſi abſq; omni concubitu causâ delectationis venereæ pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidem* Mollitiem *vocant: alio modo, ſi fiat per concubitum ad rem non ejuſdem ſpeciei, quod vocatur* Beſtialitas. *Tertio, ſi fiat per concubitum ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel fœminæ ad fœminam, ut Apoſtolus dicit ad Rom.* 1. *quod dicitur* Sodomiticum vitium. *Quartò, ſi non ſervetur naturalis modus concumbendi aut quantū ad inſtrumentum non debitum aut quantum ad alios monſtruoſos & beſtiales cōcumbendi modos.* Ecce in modos & non in ſpecies ſubdividit Doctor Angelicus contra-naturale peccatum. *Modi peccandi contra naturam.*

An hæc distinctio modalis aſſerta ſit à D.Thoma? Videntur expreſsè tenere hanc ſententiam fuiſſe D. Thomæ multi Authores: illam à D. Thomâ ſe fatetur didiciſſe Filiucius *tract.* 30. *in Decalog. præcept. VI. cap.* 7. & 8. *num.* 132. Armilla *verb. luxuria. num.* 5. Tabiena *ver.* 6. *eod. num.* 6. *libr.* 20. *tract.* 46. *cor.* 7. Aſtenſis *libr.* 2. *tit.* 46. *art.* 7. & alii. Matthias Felliſius *in Decal. præc.* 6. *cap.* 8. Joannes à Graphiis *deciſionum aurear. part.* 1. *libr.* 11. *cap.* 88. *num.* 1. Navarrus *de præcept. VI. cap.* 16. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 159. ſic ait [Notandum eſt hic etiam obiter cum Filliucio & aliis probabile eſſe quod peccata omnia contra naturam ſint unius ſpeciei, infimæ, & non ſubalternæ, licèt contraria ſententia ſit magis probabilis.]

Ægrè fert P. Petrus Oviedo *tractatu VI. de vitiis & peccatis contr.* 5. *punct.* 3. 5. 7. *num.* 54. opinionem, quæ docet peccata contra naturam eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei: ægrè illam, quæ docet hoc ipſum ſenſiſſe docuiſſe & ſcripſiſſe D. Thomam. & arripiens calamum valde iratum ſic inquit [Circa diſtinctiones omnium peccatorum contra natu- MCXCIII. *Negat Oviedus.*

Digitized by Google

naturam docuit Filliuc. *Tom.2. tract.30. c.8.q.3.n.131.* probabile eſſe omnia peccata eſſe ejusdem infimæ ſpeciei, quia eadem ſemper videtur malitia, nempè exercendi actum venereum modo, ex quo non poſſit ſequi generatio. Deinde quia ſi omnes ſpecies prædictæ eſſentialiter differrent, aliæ plures poſſent aſſignari, veluti ſi expleatur voluptas venerea inter mammillas, inter toros brachiorum, aliisve partibus. Hoc confirmat authoritate D. Thomæ, 1.2.q.154.*art.*11. ubi ponit vitium contra naturam tanquam determinatam ſpeciem abſque ullâ mentione ſpecificæ diverſitatis, quem ita interpretatur Armilla *verbo luxuria n.*5. his verbis [Vitium contra naturam licet ſit una ſpecies ſecundum San. Thomam art. 11. multis tamen modis exercetur] eodem ait Tabienam *verbo.Luxuria.n.*6. & Aſtienſem *lib.*2.*tit.*46. *art.*7. Sententia hæc eſt valde ſingularis, & in praxi intolerabilis omninò. Inprimis illi non ſuffragatur D. Th. qui ſicut Armilla, & alii intelligi debet de ſpecie ſubalternâ: nunquam enim trahendi ſunt Doctores ad ſingulares ſententias diſcrepantes à communi Doctorum conſenſu, quando juxta hunc interpretationem patiuntur, & nonniſi temere in re graviſſimâ propter verba univerſalia obiter, & non nimis clarè prolatam Doctorum authoritatem, quis poteſt ſibi fingere ad praxim ſimilium opinionum tutam in conſcientia judicandam. Inſuper ratio Filliucii nullius eſt momenti; quia non quælibet diverſitas explendi voluptatem veneream fundat diverſam diſſonantiam, etſi modi valde diverſi eam fundent. Primum ſuadent exempla ab ipſo adducta. Secundum clamat hominum communis apprehenſio, quis enim majorem diſſonantiam non concipit in concubitu beſtiali, ſeu hominis cum beſtiâ, quàm in ſimplici pollutione, etiamſi uterque actus æquè generationi opponuntur. Ex hoc efficax argumentum contra ſententiam deſumo. Peccata diſtinguuntur in ſpecie propter diverſas diſſonantias: ſed diverſa diſſonantia eſt in concubitu rationalis cum irrationali, quàm in ſimplici immunditiâ ſeu pollutione: ergo diſtincta ſpecies. Sola minor indiget probatione, quam hominum apprehenſio negare non permittet, omnes enim magis horrent Beſtialitatem & Sodomiam, quàm pollutionem propriis vel alienis tactibus procuratam. Sit ergo firmum cum communi Doctorum ſententiâ quam defendit ipſe Filliucius *ibid.* Immunditiam Sodomiam Beſtialitatem ſpecie diſtingui, nec de neceſſitate has ſpecies diſtinctè in confeſſione explicandi prudens dubium poteſt inſurgere in parte negativâ.] *Hæc Oviedus:* ſingula nos conſideremus.

An ſit ſententia hæc ſingularis?

An magis & minus mutent ſpeciem?

MCXCIV. *Impugnatur Oviedus.*

PRIMÒ argumentabatur quia hæc ſententia eſt valde ſingularis: ergo non admittenda.

Reſpondeo primò, negando antecedens & conſequentiam. Antecedens, quia multorum eſt; nec debet ſingularis dici, quæ D. Thomæ, quæ aliorum plurium excellentiſſimorum: Imo Ovidi ſententia doctis videtur ſingularis: paucos enim aut ferè nullos veteres aut Juniores inveniet qui expreſſè doceant *Eſſe improbabilem noſtram ſententiam.* Ergo ſingularitatis notam in eumdem regerimus. Habet bonum ingenium & monendus eſt, ut dignetur videre, quam ipſe ſenten-

 tiam

tiam vocet ſingularem, illa enim eſt hæc *Probabile eſt peccata contra naturam non diſtingui ſpecie.* Porro ſi hæc eſt ſingularis, ei oppoſita nimirùm. *Improbabile eſt peccata contra naturam non diſtingui ſpecie,* omnium eſt. Sed quorum omnium bone Deus! illam enim vix pauci defendunt. Sententia ergo Oviedi eſt ſingularis, & illa eſt communis quam ipſe ſingularem appellat.

Nota id bene.

An ſingulares ſententiæ improbabiles ſint?

Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam: quia multæ hodiè ſingulares ſententiæ defenduntur, nec ideò vocantur improbabiles. Sæpè enim ad extrinſecam & authenticam probabilitatem ſufficit unus Doctor.

MCXCV. *An hæc opinio ſit intolerabilis?*

Secundò arguit Oviedus, quia hæc ſententia eſt omninò intolerabilis in praxi. Sed cur? ſi eſt probabilis, cur erit ipſa intolerabilis? an quia poſſet aliquis probabilitate abuti? ergo & ſacra Biblia intolerabilia etiam ſunt, illis enim plurimi hæretici abutuntur. *Præterea* hæc opinio nihil immutat in praxi civili; ergo politicè eſt tolerabilis: nihil in praxi ſacramentali; quia ſtando illi ſententiæ, quæ docet circumſtantias maximè aggravantes, debere in confeſſione exponi, (quæ probabilis, & aliquorum eſt) eodem modo debebit confiteri, qui D. Thomam, ac ille qui Oviedum ſequatur: ſi ſequamur contrariam, ſemper debebit explicari circumſtantia complicis, & ſic non multum practicè mutatur. Si cæteræ omittantur, quid inde, ſi pœnitens probabili opinione fundatur? vel aliàs omnes opiniones benignæ probabiles, dicendæ erunt intolerabiles in praxi, quia illis poſitis modus confitendi mutatur.

An circumſtantiæ aggravantes ſint in confeſſione exponendæ?

MCXCVI. *An bene citemus D. Thomam?*

Tertiò arguit, quia male citatur pro iſtâ ſententiâ D. Thomas, qui debet de ſpecie ſubalternâ exponi.

Cùm iſtam rationem relego jurare auderem D. Thomam non fuiſſe lectum ab Oviedo: non dico Totum D. Thomam, ſed neque hunc articulum, quem allegamus. Putat Oviedus D. Thomam dixiſſe, *peccata contra naturam non diſtinguuntur ſpecie* & dicit debere intelligi de ſpecie ſubalternâ. Sed D. Thomas non fuit locutus ſic; ſi enim fuiſſet locutus ſic, fortè poſſet intelligi, ut Oviedus vult, non tamen deberet, *primò*, quia generaliter dicta non debent potiùs ad unam ſpeciem, quàm ad aliam reduci, niſi cogat evidentior authoritas quam ex D. Thomâ non dabit, *ſecundò*, quia negatio univerſalis nota eſt, & omnia negat, niſi probetur limitatio. *Præterea* poſtulo ab eodem Oviedo, quot Authores ad probabilitatem requirantur? Lege totum punctum I. controverſiæ 3. Tractatus V. in quo quærit Oviedus, qualis debeat eſſe ſententia, quæ dicatur probabilis? & videbis eundem unico authore eſſe contentum, etſi cum aliquibus limitationibus, quæ nunquam ſuadebunt Armillam, Tabienam, Altienſem (quibus addo Fillincium, alioſque) non facere opinionem probabilem: at ipſi docent, hanc fuiſſe ſententiam D. Thomæ: ergo ut minimum hanc opinionem fuiſſe à D. Thomâ electam, propugnatam, & traditam, erit probabile. Sed, ſi littera D. Thomæ examinetur, erit evidens ejus fuiſſe ſententiam, quam eidem iſti Authores adſcribunt. Non enim ita deprimendus eſt Sanctus Doctor, ut differentiam quæ eſt inter ſpecies & modos ignoraſſe dicatur: At ipſe agens de peccatis luxuriæ, ea in ſpecies dividit; agens ſtatim de peccatis contra naturam, ea dividit in modos: ergo ſenſit Angelicus Doctor, illa

Quo intelligi modo debeant Poſitiones univerſales.

An author unicus ad probabilitatem ſufficiat?

Digitized by Google

illa ſpecifice, & iſta diſtingui modaliter. Legatur obſecro contextus ne illeſum contra authoris mentem claram, & rationem etiam claram obtorqueri dicatur.

MCXCVII. QUARTÒ, Quia contra D. Thomæ ſententiam clamat hominum communis apprehenſio; quis enim majorem diſſonantiam non reperit in concubitu beſtiali, quàm in ſimplici pollutione, tametſi uterque actus æquè generationi opponatur? Sed reſpondebit D. Thomas magis & minus non arguere ſpecificam aliquam diſtinctionem, & ideò conceſſo antecedente, poterit negare conſequentiam, & conſequens. Confirmat hanc quartam rationem Oviedus aut potiùs aliis verbis reponit, quæ proderit conſiderare ſic enim ait. [Peccata diſtinguuntur ſpecie propter diverſas diſſonantias: ſed diverſa diſſonantia eſt in concubitu rationalis cum irrationali, quàm in ſimplici pollutione, ergo diſtinguuntur ſpecie. Minorem putat certam: majorem probat: quia omnes magis horrent Beſtialitatem aut Sodomiam, quàm pollutionem propriis vel alienis tactibus excitatam.]

Magis & minus non variant ſpeciem.

At ego Sodomiam beſtialitatem eſſe majora crimina quam pollutionem probari; ab Oviedo video: at illas eſſe ſpecie inter ſe, aut ſpecie à pollutione diſtinctas ab eodem vel leviter ſuaderi non video. *Omnes enim magis horrent:* ait; ſed quid inde? omnes enim magis horrent graviora, etiam in eadem ſpecie.

QUINTÒ idem author num. 56. ut Rimetur diſtinctiones ſpecificas, ad pœnarum gravitatem recurrit, ſed inefficaciter, ut me ratio docet, & confirmat Alphonſus de Leone *tractat. de offic. & poteſt. confeſſarii part. I. Recollect. 9. num.* 216. *&* 218. cujus jam verba dedi num. 989. nam in materiâ furti V. G. non omnis qui furatur materiam peccati mortalis laqueo ſuſpenditur, & tamen furtum decem aureorum & furtum millium diſtingui non poſſunt ſpecie.

An ex graviore pœnâ colligatur ſpecifica peccatorũ diſtinctio?

An furta diſtinguãtur ſpecie?

Authores qui diſtinctionem ſpecificam negant.

Multos poſſem producere, ſi liberet MCXCVIII
Bibliothecas alias examinare: perluſtrabo meam, & quid occurrat dignum notatione explicabo.

Henriquez *in ſummâ Theol. Mor. tom. I. libr. II. cap. 16. num. 6.* ut probet mutationem ſitûs in copulâ matrimoniali non eſſe mortale peccatum, debet aſſumere medium certius & clarius & tamen ſic argumentatur. [Quidam ſatis putant, ſi in confeſſione vir explicet, ſe cum fœminâ habuiſſe rem contra naturam, aut extra vas naturale, non deſcendens ad explicandum modum & partem aut locum corporis, quaſi hæc in genere moris ſint unius ſpeciei, nec cauſat tam magnum horrorem ſi vir & fœmina in uno lecto, quamvis præpoſterè, miſceantur, quàm ſi duo viri inter ſe vel duæ fœminæ conſpiciantur luxuriari, in quocunque corporis loco, aut quocunque modo.

Henriquez. An mutare ſitum in copula peccatum ſit?

Angelus *verb. Interrogationes. num. I.* hæc habet. *Confitetur mulier, quod fuerit cognita extra vas debitum, non quærat poſtea confeſſarius, in quo loco, vel quomodo, & hujusmodi: ſicut faciunt quidam qui potiùs ſunt contaminatores, quàm confeſſores.* Ergo putavit Angelus totam ſpecificam malitiam peccati contra naturam conſiſtere in hoc quod ſemen fundatur extra debitum vas, & cætera pertinere ad materialem fuſionis modum, nec debere in confeſſione exprimi: Hæc verba pulchra appellat, Diana

Angelus.

part.

Digitized by Google

Diana. *part.3.tract.4.reſol.99.* ergo eisdem ſubſcribit. Ergo Angeli & Dianæ ſententiâ qui Ovidedum ſequeretur, contaminator eſſet potiùs quàm Confeſſarius. Fagundez. Conſonat Angelo Fagundez *pracep.2.libr.4 cap.2.num.8.* dicens. *Si mulier aut vir confitetur habuiſſe copulam extra vas naturale, non eſt exquirendum in quâ parte corporis, quia ſufficit habere cognitionem hujus peccati contra naturam, & non oportet ſcire illas circumſtantias,&c.* Et hinc ego *Commentar. in regulam D.Benedicti.* Caramuel. num.983. [*Eſt probabile quod peccata omnia contra naturam ſint unius ſpeciei infima, & non ſubalterna; ita Filliucius & Diana licèt contrariam (ſententiam) ſentiăt probabiliorem. Vide meam moralem Theologiam in additionibus ſub finem ubi viginti ſex Authores cito pro hac ſententiâ*] Et in ſyntheſibus moralibus de caſtitate ſic inquam; *Peccata contra naturam (nempe Beſtialitas, Sodomia, Mollities) ſunt contra devotam caſtitatem, non tamen diſtinguuntur ſpecie, etſi ratione ſcandali in confeſſione ſint explicanda. Ita D.Thomas teſte Filliucio, Armilla & aliis.* Et quidem huic ſyntheſi ſubſcripſere Lovanii P. Andreas à Turri S.Th.Doctor & Profeſſor Ord.Prædicatorum, P. Petrus Damaſus de Coninck Ord. S.Auguſtini S.Th. Doctor & Profeſſor, Henricus Loyens J.U. Doct.& decretorum Profeſſor Regius & ex Soc.Jeſu omnes omninò S.Theologiæ Profeſſores; videlicet Adrianus Cromius, Joannes de Jonghe, Ignatius Derkennis, Ludovicus de Scildere, & Franciſcus de Cleyn, & ex patribus Scotiſtis hibernis, P. Patritius Brenanus, P.Auguſtinus Eganus, P.Reymundus Caronus & alii.

Prodiit hic commentarius Brugis ſub finem anni 1639. & tametſi à multis examinatus nemo eſt qui hanc propoſitionem momorderit. Anno 1643. editum fuit melliflui Doctoris Scholion meis illuſtrationib9 dilucidatum, & in fine eædem Theſes paucis verbis ad majorem claritatem ſubjunctis: nam eodem paragrapho de caſtitate dictum, *peccata contra naturam (nempè Beſtialitas, Sodomia, mollities) ſunt contra devotam caſtitatem, non tamen diſtinguuntur ſpecie etſi ratione ſcandali in confeſſione ſint explicanda,* (datur proximo ſcandalum in Sodomiâ & mollitie alienis tactibus procuratâ; non tamen in mollitie commiſsâ ſine alterius contactu) *Ita D.Thomas teſtibus Filliucio &c.*

Subjungi etiam poterit Ludovicus Carbo. Carbo S. Theologiæ in gymnaſio Peruſino Profeſſor qui edidit Compendiū totius ſummæ Theologicæ & 22. *quaſtione* 154 *art.11.* diſtinguit peccata contra naturam non ut ſpeciem ab ſpecie, ſed ut gravius à minus gravi; & concludit, *gravitatem magis attendi ex abuſu rei, quam ex omiſſione debiti uſûs,* & meritò, quoniam ratio formalis ſpecifica in hac omiſſione conſiſtit; gravitas autem aut potius gravioritas in abuſu. Unde ſumi debeat gravitas? Pater Dominicus Soto, Segobienſis, Ordinis prædicatorum *in 4. ſentent. diſt.41.quaſt.unica.art.4.* ſeptem luxuriæ ſpecies enumerat, D. Thomam citat, & ſequitur; nec tamen peccatum contra naturam in novas ſpecies ſubdividit; Dominicus Soto. imò citat Auguſtinum, qui relatus in Canone *Adulterii 32.quaſt.7.* ſic ait libro de Adulterinis conjugiis, *Horum omnium peſſimum, quod contra naturam ſit, ut ſi vir membro* (mulieris) *non ad hoc conceſſo utatur.* S.Auguſtinus. Ecce totum malitiæ fundamentum in negatione ponitur ab Auguſtino, & ex eo à Soto: Adeoque ſicut in omnibus una eſt negatio, unica etiam erit ſpecies. Alexander Peſantius Romanus Philoſophiæ Theologiæ, Alexander Peſantius.

Digitized by Google

gię, & J.U.D. edidit commẽtaria brevia in univerſam Theologiam D. Thomæ Venetiis anno 1606. & Paulo V. Pontifici Maximo dicavit. At 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 11. tractat cum D. Thoma de Luxuriæ ſpecie; cumq; D. Thomas peccatum contranaturale in modos dividat, videretur debuiſſe Commentator hujus vel majoris diſtinctionis meminiſſe, ſi majorem cognoſceret; at quia nihil omninò dicit cenſendus eſt, non putaſſe diſtingui ſpecie peccata contranaturalia, nec modalis diſtinctionis, quę intra eãdem ſpeciẽ eſt, fuiſſe ſolicitum: utpote purè materialis, & quæ non pertinet ad

MCXCIX. forum ſacramentalis confeſſionis.

I. Nider. Joannes Nider Ordinis Prædicatorum Theologus *in Præceptorio, ſive Orthodoxâ & accurata decalogi explicatione, præcepto 6. cap. 2. num. 6.* quid nomine peccati contranaturalis intelligendum ſit, deſcribit; & ait. *Sexta ſpecies luxuriæ eſt peccatum contra naturam, per quod intelligitur omnis inordinata effuſio ſeminis extra vas ſibi debitum in ordine ad generationem.* Docet deinde quanta circumſpectione debeat prudens Concionator procedere cùm vitia carpit, & vitæ puritatem commendat. *Prædicando,* inquit, *de hoc vitio publicè, debet quilibet cautus eſſe, & tantum in genere de ipſo loqui: taliter tamẽ, ut qui rei ſunt, ex hoc valeant cognoſcere culpam ſuam. Sed ſpecies & modos hujus turpitudinis non expedit coram populo particulariter explicare: ne puræ aures maculentur, & ne quis facere diſcat, quod ignorabat.* Ecce admittit ſpecies & modos; non ergo omnia peccata contra naturam in Nideri ſententiâ diſtinguuntur ſpecie, ſed ſunt, quæ diſtinguuntur tantummodo. & qui concionatores inſtruxerat, ſe reponit, ut etiam erudiat Confeſſarios; ſic enim progreditur.

Quàm cauti eſſe debeant Concionatores?

Quilibet tamen diſtinctè in Confeſſione, ſi reus eſt, ſe debet accuſare; & confeſſor prudens de hoc cautè ubi opus rimari, ſed poſſit quis ſtatim objicere: Peccatum hoc cõtra naturale in ſpecies & modos diviſum aſſeri, nec tamen illas aut iſtos recenſeri; ſcrupulum removet his verbis. *Sunt autem hujus nefandiſſimi peccati multi modi, ſecundum Tho. ubi prius* (Nota bene non agit de ſpeciebus, ſed de modis) *Primus vocatur Immundities, ſive Mollities; puta quando ſine concubitu voluntariè procuratur pollutio, causâ delectationis venereæ: & fit per contactum proprii genitalis, ſive alieni, & per quoſcunq; alios modos illicitos, quibus hujusmodi pollutio procuratur voluntariè, & propter experiri delectationem veneream. Secundus modus & pejor fit, quando non ſervatur naturalis modus concumbendi; Et hoc quantum ad inſtrumentum, vel quia non ad debitum vas ſcilicet, quod à naturâ ad generandum deputatum eſt: aut quantum ad alios concumbendi modos beſtiales, aut monſtruoſos. Tertius eſt pejor ſecundo, & propriè vocatur Sodomiticum peccatum, quod fit per concubitum ad non debitum ſexum: puta cum maſculus concumbit cum maſculo, aut fœmina cum fœminâ. De hoc peccato loquitur Apoſtolus Rom. 1. Quartus eſt peſſimus, qui dicitur Beſtialis; & fit per concubitum rei non ejusdem ſpeciei, ut cum quis concumbit cum beſtia.* & concludit *Hoc peccatum ſextæ ſpeciei videlicet vitium contra naturam eſt graviſſimum inter omnia peccata carnis Secundum Auguſt. de adulterinis conjugiis.* Quibus verbis poſſe clariora reperiri, non Credo. Sed poſtulas, quæ ſint cõtranaturalia peccata diſtincta ſpecie, ſi iſta ſolo modo diffideant? Et reſpondeo ſacrilegium addere novam circumſtantiam peccato, etiã contranaturali ad aliam pertinentem ſpeciem, Addo poſſeque Adulterium & Inceſtum Sodomiticum etiam admitti.

Nota benè

Dantur peccata contra naturam diſtincta ſpecie; & quæ illa?

Eeee Pro-

Tabula Romana & Bambergenſis.

MCC. Prodiit Bambergæ apud Auguſtinum Crineſium doctiſſima Tabula impreſſa ad Exemplar Romanum, anno ∞DCXXII. Superiorum permiſſu, cui Titulus, *De definitione & diſtinctione peccati ad animarum curatos pertinens.* & in ipsâ verb. *Luxuria.* Sic lego: *Luxuria eſt peccatum generale, quia habet ſpecies, quæ ſunt; Vitium contra naturam, Fornicatio, Stuprum, Adulterium, Raptus, Inceſtus, Impudicitia, Sacrilegium.* & ſtatim. *Vitium contra naturam, à quo impoſſibilis eſt generatio prolis, fit quatuor modis* (nota bene; non dicit *ſpeciebus* ſed *modis*) & enumerantur, *Mollities, Beſtialitas, Sodomia, & concũbendi illegitimus modus.* Ergo & Pontifex Romanus, & Epiſcopus Bambergenſis cùm talem Tabulam Paſtoribus jubent, aut permittunt proponi, putant peccata contra naturalia non ſpecificè, ſed merè modaliter diſtingui.

Summus Pontifex. Epiſcopus Bambergenſis: &c.

Marchantius.

Hujus etiam ſententiæ videtur eſſe Jacobus Marchantius, qui *in horto Paſtorum Tract. IV. lectione XI.* ſic inquit *Hoc peccatum continet contaminationes varias, quæ committuntur extra concubitum naturalem perſonarum diverſi ſexûs.* Et inferius, *Licèt verò generaliter nomine* Sodomię *omnia vitia contra naturam accipiantur, ſpecialiter tamen* Sodomia *ſignificat peccatum, quo perſonæ ejuſdem ſexus commiſcentur, vel perſona diverſi ſexus extra vas naturale.* Et in Reſolutionibus Paſtoralibus agens de ſola pollutione videtur hoc nomine omnes ſordes contra naturales comprehendere.

Sodomiæ nomine intelligitur quodlibet peccatũ contra naturam.

Pollutio nomen eſt generale.

Feliſius.

Matthias Feliſius Ordinis S. Franciſci, Provinciæ Inferioris Germanię Miniſter, in catholicâ Præceptorum decalogi elucidatione præcepto 6. cap. 8. de peccato contra naturam. *Vitium contra naturam*, ait, *licèt una ſit Luxuriæ ſpecies ſecundum D. Thomam* (Nota bene & ſententiam tenet, & eam eſſe Angelici Doctoris affirmat) *multis tamen modis abominalibus ac execrabilibus adimpletur.* Jacobus de Graffijs à Capua *deciſ. aurearum part. 1. lib. 11. de Mollitie cap. 88. num. 1.* ſic ait. *Quia vitium contra naturam poteſt multipliciter* (hoc eſt, *multis modis*) *contingere ſecundum S. Tho. 22. quæſt. 154 art. 11 verſ. reſpondeo. Uno quidem modo, ſi abſque concubitu cauſâ delectationis venereæ pollutio procuretur, quod quidem pertinet ad peccatum Immunditiæ, quæ Mollities appellatur. Alio modo ſi fiat per concubitum ad rem non ejuſdem ſpeciei, quod Beſtialitas vocatur. item, num. 2. Rurſum ſi fiat ad concubitum, ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel fœminæ ad fœminam, ſecundum Apoſtolum Cap. 1. ad Roma. quod vocatur peccatum Sodomiticum. Ultimo ſi non ſervetur naturalis modus, aut quantum ad inſtrumentum, aut quantum ad alios monſtruoſos, & beſtiales concumbendi modos, & de hoc diximus ſupra, capit. 82. numer. 17.* Docet igitur *Primò* peccata contra naturalia non ſpecie ſed modo diſtingui; *ſecundò* hanc eſſe D. Thomæ ſententiam.

Iacobus de Graffiis.

Navarrus.

MCCI. Navarrus de 6. præcepto non Mœchaberis, capite 16. *Sexta* (ſpecies) *eſt contra naturam, quando non ſolùm peccatur contra rationem naturalem, ut in ſpeciebus ſit prædictis, ſed etiam cõtra ordinem, quam natura ad habendam copulam Carnalem ordinavit, juxta utrumq; Thomam, ut contingit cum peccat vir cum viro, fœmina cum fœminâ, aut vir cum fœmina extra vas naturale, quod graviſſimum & abominabile, & indignum ut nominetur peccatum eſt: quamvis contingat inter maritum & uxorem. Ejuſdem ſpeciei eſt etiam cum peccatur cum animali bruto, quod beſtialitas dicitur, & eſt omnium, quæ ſunt contra naturam maximum juxta S. Thomam.* Ecce Navarrus multa docet, quæ debent accuratè reſumi. *Primò* enim rationem formalem

Nota bene.

Ratio formalis hu-

lem

Digitized by Google

jus peccati.

lem cõſtitutivam peccati contra-naturalis aſſerit eſſe apponi Ordini, quem natura ad habēdam copulam carnalem ordinavit; qui cum unus ſit, oppoſitio etiam una eſſe debet; ubi enim una ſola datur ratio ſpecificativa, una ſola dari poteſt ſpecies. *Secundò* contranaturale peccatum Viri cum Viro, fœminæ cum fœminâ, aut etiam viri cum fœmina in hac unica ſpecie conſtituit. *Tertiò* hanc ſententiam utrique Thomæ adtribuit. Nec contra militant quę ſubſequuntur.

Nota & hoc.

Advertendum. item quod non dixi prædictas ſex ſpecies luxuriæ eſſe ſpecies ſpecialiſſimas, ſed potius genera ſubalterna, quæ ſub ſe alias ſpecies continent: nam ſub ſpecie Inceſtus continentur Inceſtus cognatorum diverſorum graduum. quæ ſunt diverſæ ſpeciei ſpecialiſſimæ: & ita non ſufficit confiteri babuiſſe rem cum cognatâ, ſi habuit cum cognata primi ſecundi vel tertij gradus: ſed oportet exprimere gradum quia circumſtantia illa licet non mutet ſpeciem generalem, ſive genus Inceſtûs, mutat tamen ſpeciem ſpecialiſſimam: quod ſufficit ad hoc, ut ſit neceſſariò confitenda juxta tradita.

An inceſtûs gradus ſit in confeſſione explicandus?

Non inquam, contra hæc militant, nam ſicut exemplum ab inceſtu deſumpſit, ſumpſiſſet clariùs à peccatis contranaturalibus, ſi illa crederet diſtingui ſpecie. Accedit quod expreſsè dicat ſe ſequi D. Thomam, adeoq; ſicubi obſcurè loquitur, debet ad præcedentia & doctrinam D. Thomæ explicari. Accedit, quod ipſe expreſſè dicat eſſe omnia ejuſdem ſpeciei, etiam cum peccatur cum bruto. / Azorius *Inſtitution. Moral. Tom. 3. part. 3. lib. 3. cap. 22. de beſtialitate.* Quærit *Primò*, An hoc peccatum ſit unius ſpeciei, an verò diſtinguatur ſpecie pro diverſitate belluarum, cum quibus fit? *Reſpondet, & ſe rectè reſpondere aſſerit citato pro ſe* Cajetano *in 22. q. 154. art. 1. ad Dubium 3.* ſolùm eſſe unius ſpeciei; quoniam licèt ſpecie differant belluæ, unîus eſt tamen rationis turpitudo, nimirùm copulam habere cum re alterius ſpeciei. Hīc ego. Si diſtinctio beſtiæ & beſtiæ hoc peccatum nefarium nō diſtinguit, nec diſtinguet diſtinctio hominis & beſtiæ, viri & fœminæ, manuum aut cujuſcumq; partis contactus. Ratio eſt, quia vel tota ratio formalis conſtitutiva hujus peccati conſiſtit in negatione vaſis debiti, vel in materiâ etiam poſitivâ, cui ineſt talis negatio: ſi primum, omnia contra naturalia crimina ſunt unius ſpeciei: ſi ſecundum, beſtialitatis peccatum multiplicandum eſt juxta brutorum differentias; maximè in illorum ſententiâ, qui ea diſtinguunt ſpecie. non enim reperitur diſparitatis ratio.

Azorius.

In beſtialitate non dãtur ſpecies diverſa?

Quærit ſecundò idem Azorius: An coitus cum Dæmone ſuccubo, vel incubo, ſit peccatū ejuſdem ſpeciei cum beſtialitate? & Reſpondet, ex eodem Cajetano ubi ſupra *eſſe ejuſdem ſpeciei ſecundum eſſe naturale, una tamen eſt rationis turpitudo, nimirum Coitus cum re alterius ſpeciei.* ſed hoc mihi videtur mirabilius. plus enim homo à dæmone differt quam ab aliâ beſtiâ. ergo tenendum eſt materiales circumſtantias non conſiderari, ſed totam malitiam in ſolâ negatione debiti inſtrumenti conſiſtere.

Quærit tertiò. An in confeſſione ſit exprimenda circumſtantia belluæ, vel rei cum quâ eſt habita copulâ? *Reſpondit ſatis eſſe ſi in confeſſione dicatur quod fuerit coitus cum re alterius ſpeciei.*

Joannes Gerſon *Opuſculo de cognitione peccatorum venialium & mortalium. Conſideratione* 17. Clariſſimè ſuam mentem exponit, & non jam omnia peccata contranaturalia, ſed univerſaliter loquendo, omnia peccata carnis ad eandem infimam ſpeciem moralem reducit *Luxuria*, ait, *de ſe eſt contra mandatum*

MCCII. Gerſon.

An omnia peccata carnis ſint ejuſdē infimæ ſpeciei?

Ratio formalis peccati.

Dei. Ecce vir doctus in oppoſitione operis & legis rationem peccati cõſtituit. Et quia ſpecies Luxuriæ non cognoſcit, ad modales differentias deſcendit, & ait. *Fit multis modis.* & ſingulos recenſet accuratè. *Aliquando eſt Luxuria*, inquit *in primo motu cogitationis; & ibi eſt peccatum veniale quia conſenſus non eſt perfectus.* Ecce admittit peccata venialia etiam in materiâ Luxuriæ, propter conſenſum incompletum. SECUNDO *poteſt haberi conſenſus ad delectationem quæ eſt in opere Luxuriæ, quod eſſet peccatum mortale, & ibi eſt peccatum mortale:* Noto illud, *quod eſſet peccatum mortale.* & infero non omne opus Luxuriæ ad Gerſonis mentem eſſe mortiferum; dantur ergo in hoc genere venialia propter parvitatẽ materiæ. *Et ſimiliter accidit in aliis peccatis, uti aliquis poſſet tantum delectari in cogitando, quomodo ſuus inimicus haberet magnum dolorem aut infortunium, quod peccaret mortaliter; poſito quod hoc maleficium non vellet facere ſuo inimico.* Et hoc eſt omnino verũ; ſi illa delectatio ex odio aut invidâ procederet. Sed fundamentum hujus veritatis eſt difficile, & alibi penitùs explicandum. *Similiter perſona poteſt cogitare de delectatione, quam habent, illi qui peccant per luxuriam, & in hoc habere beneplacitum per deliberationem perfectam, quod peccabit mortaliter, poſito quòd nolit tale opus facere. Aliud eſſet ſi quis acciperet delectationem in his, quæ de ſe non ſunt niſi veniale peccatum.* Ecce iterum admittit peccata venialia Luxuriæ, ratione materiæ. *quia* conſenſus in peccatum veniale, non eſt niſi veniale peccatum. TERTIO *poteſt haberi conſenſus ad opus naturale extra matrimonium, & ibi eſt ſemper peccatum mortale.* QUARTO *aliquando non ſolùm tenetur mala voluntas in corde, imò etiam nutritur ipſa à foris in videndo, & loquendo vel tangẽdo ſe vel aliam perſonam, & ibi ſemper eſt mortale peccatum, ſicuti voluntas ex quâ ſequitur opus eſt peccatum mortale. Ecce videtis quod peccata mortalia fiunt ſæpè quando tenetur mala voluntas & ſpecialiter choreis, & in aliis jucunditatibus ſæculi.* ALITER *dicendum foret, ſi non habeatur mala voluntas ab intus, nam, videre pulchritudinem mulieris fieri poteſt ſine peccato, vel quòd non erit niſi peccatum Curioſitatis. debet etiam cavere perſona, (fœmina dico) quod non det cauſam peccandi alteri per viſum aut tranſitũ ſuum, aut ſermonem aut tactum, quia ibi eſſet peccatum, poſito quod non vellet peccare carnaliter, quia etiam debent caveri pericula, quæ eveniunt per malos motus, qui inde exurgunt.*

Conſenſus ſemiplenus.

Materia parva in genere luxuriæ.

An dentur delectationes moroſæ in iraſcibili? Et an ſint peccaminoſæ mortaliter?

Materia iterũ parva.

MCCIII. *S. Antoninus.*

D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus *in ſuâ Theologia de 6. præcept. Capitul.* 18. ſic inquit. *Si maſculus operatus eſt turpitudinem cum maſculo, vel fœmina cum fœminâ, vel vir cum fœminâ extra vas debitum, quod dicitur Sodomiticum & eſt graviſſimum omnium. Si cum brutis operatus eſt nefas, quod dicitur beſtialitas. Si diebus feſtivis aliquod horum operatus eſt, quod magis grave. Et ſecundum aliquos hujuſmodi circumſtantias inter ſe eſt confiteri, quia mutant ſpeciem peccati. Quod ſi in Eccleſiâ vel in loco ſacro aliquod horum commiſit, ultra hoc quod fecit, operatus eſt ſacrilegium, & ob hoc gravius peccatum.* Obſervo multa; notabo aliqua. PRIMO tam certum fuiſſe D. Antonino contra-naturalium criminum differentias eſſe ſpecificas & debere in confeſſione Sacramentali exponi, quam circumſtantiam temporis & loci mutare ſpeciem. quarum priorem negamus, & poſteriorem non niſi cũ magnis limitationibus admittimus. SECUNDÒ, noto illud *ſecundum aliquos*, & infero contrariam ſententiam, quam habet D. Antoninus, fuiſſe ſuo tempore communem; malè enim aliquibus adſcri-

ſcriberet, quod ab omnibus, aut à pluribus affirmaretur. *Tertiò*, omnia illa ad mentem hujus Doctoris ſola gravioritate diſtingui. Hoc ſonant illa verba. *Graviſſimum omnium; magis grave, &c.*

Henricus de Haſſiâ. Henricus de Haſſia *in Regulis ad cognoſcendum differentiam inter peccatum mortale & veniale* juxta editionem anni 1483. apud Albertum Kume Moguntinum §. Luxuria ſub medium. *Nimius*, inquit, *abuſus propriæ uxoris poteſt eſſe mortale penes primam regulam, dum finis in tali voluptate conſtituitur licet minus quam, &c.* [Nimius omninò rigor.] *ſed ſuper omnia deterius & mortaliſſimum eſt per tertiam regulam contra legem naturæ, peccatum contra naturam, vel cum ſexu indebito, vel cum alia ſpecie.* Nec tamen diſtinguit ſub hac peccati contranaturalis ſpecie inferiores ſpecies.

An uti propriâ uxore ſit peccatum; & ſi aliquando ſit mortale?

MCCIV. *Layman.* Paulus Layman *libr. 3. ſect. 4. de Temperantia & oppoſitis vitiis. num. 9.* enumerat ex D. Thoma 22 *quæſt. 154. art. 1.* & ex *c. lex illa 3. 6. 4. 1.* ſex ſpecies Luxuriæ: nimirùm: ſimplicem fornicationem, Adulterium, Inceſtum, ſtuprũ, peccatum contra naturam; & illis addit ſeptimam, quæ eſt Fornicatio ſacrilega: ergo peccata contra naturã non diſtinguit ſpecie. deberet enim hoc ipſum adnotare. Confirmatur hæc ipſa conſequentia. nam ſuam ſententiã Laym. probat authoritate D. Thomæ: at D. Thomas hic & ſæpe alibi docet dari non ſpecies, ſed modos peccandi contra naturam: ergo eandem ſententiam Layman tenuit.

Angelus de Clavaſio. Doctiſſimus Vir Angelus de Clavaſio, Vir verè magnus, Ordinis Minorum Vicarius Generalis in ſummâ Angelica de caſib. conſcientiæ §. luxuria ſub initium., *eſt peccatum mortale, cum conſentit in operationem. Unde ſi eſt pollutio, ſolum ſine alterius commixtione, ſic dicitur mollities vel immunditia. ſi vero coitus fit ad rem alterius ſpeciei, ſic dicitur beſtialitas. Si a. ad rem ejuſdem ſpeciei, ſed indebiti ſexus; ſic dicitur Sodomia. Si quartò fit ad rem ejuſdem ſpeciei & debiti ſexûs; ſed non ſervatur naturalis modus coëundi: vel quantum ad inſtrumentum non debitum, vel quantum ad monſtruoſos concubẽdi modos. Sic hi quatuor modi dicuntur peccatum contra naturam.* *Modi peccandi.* *Si cum alio ejuſdem ſpeciei, & indebito vaſe, & debito modo fit pollutio; Aut eſt cum ſolutâ, & ſic eſt fornicatio, aut cum conjugatâ & ſic eſt adulterium, & hujuſmodi. Et ſic ſemper peccatum mortale, ſi eſt voluntaria præter matrimonium.*

Ecce peccata contra naturam non in ſpecies, ſed in modos diſtinguit. ſed & paulo ſuperius dixerat, *ſed nota quod Luxuria habeat initium in corde cogitando cauſa delectationis: & iſtud eſt peccatũ mortale ſecundum diſtinctionem poſitam ſuperius cogitatio moroſa. multo magis ſi ultra cogitationem peccati mortalis addatur ſenſus; puta quod vult delectari in videndo, loquendo, tangendo, & hujuſmodi, licet nolit conſumare opus. Item eſt peccatum mortale deliberatus conſenſus in opus ſi facultas adeſſet. Matth. V. Qui viderit mulierem, ſcilicet deſiderando corde deliberatè ad mechandũ, jam mechatus eſt, ſcilicet propter peccatum mortale: & illius ſpeciei cujus eſt materia, quam appetit; puta ſi ſolutam, fornicatio; ſi conjugatam, adulterium; & hujuſmodi: quæ circumſtantia eſt confitenda, cum mutet ſpeciem, ſecundum aliquos ſed ego non credo* [nota bene & verba & rationem adjunctam] *quia ſolum eſt contra unam prohibitionem, ſc. non concupiſces proximi tui uxorem vel contra aliud: non rem licet ſit bonũ confiteri Dno.* Vides Angeli fundamentum ethicum, ut probet eum, qui deliberatè voluit uti ſolutâ hodie & heri conjugatâ cõmiſiſſe duo peccata ejuſdem ſpeciei nec teneri hanc exponere in confeſſione circumſtantiã, aſſumit,

Digitized by Google

Vnde ſumenda ſit ſpecifica peccatorũ diſtinctio? *Omnia peccata, quæ ſunt contra eandem prohibitionem, eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei.* ſubſumo Atqui omnia peccata contra naturam, ſunt contra eandem prohibitionem, ergo legaliter loquendo ſunt modi diverſi peccandi ſub eadẽ ſpecie.

Dices hinc ſequi Adulterium, Sacrilegium, ſimplicem fornicationem, & peccata contra naturam eſſe ejuſdem ſpeciei, quia omnia militant contra eãdem Legem. Et reſpondeo non ſequi; in adulterio enim præter fornicationem, quæ eſt contra prohibitionem ſextam, res aliena ſumitur contra ſeptimam, & infertur conjugi dedecus contra quintam, & in copula Sacrilegâ violantur ſecunda & ſexta, illa voti, hæc fornicationis ratione.

MCCV. *Taurinus.* Reverendiſſ. Dn. Taurinus Dandulo Archiepiſ. Cretenſis, in Compendio pro catholicæ fidei inſtructione §. Luxuria ſub finem, *Item committendo peccatum carnis cum corporis pollutione. Et hoc committitur tot modis, quot modis iniquitas carnis poteſt ſatisfacere ſuæ voluntati Libidinoſæ. Quorum modorum tanto eſt unius gravior altero, quanto unus magis diſplicet Deo quàm alter.* Modi ergo iſti ſola differunt gravioritate.

Chainus. Barthol. de Chainus de Mediolano Ordinis minorum in ſuo interrogatorio ſive confeſſionali præc. 6. de prohibitione mechiæ. *Sextum præceptum eſt,* ait, *non mechaberis: Hoc præcepto, ut dicunt Doctores noſtri, prohibetur omnis concubitus, qui eſt præter legem matrimonij, & quod hoc ſemper eſt mortale in omnibus ſpeciebus ſuis* 36. *quæſt.* 1. *Ideo tanquam neceſſario confitendis, debet confeſſor de ipſis omnibus interrogare: non tamen omnes de omnibus, ne quis diſcat peccatũ quod neſcit, ſed à longè, prout convenit cuilibet confitenti, prudenter ſemper & honeſtè. Et cùm ultimam peccati ſpeciem habuerit, ulterius non procedat ad alias particulares circumſtantias non neceſſarias propter periculum evitandum, quod Eccleſiaſ.* 13. *dicitur Qui tetigerit picem inquinabitur ab eâ.*

Idem eodem loco ſub finem. *E converſo, ſi peccavit contra naturam voluntariè pollutionem procurando per ſemetipſum, vocatur peccatum immunditiæ vel mollitiei, ſive hoc procuravit proprijs manibus vel alijs modis. de modis enim non eſt curandum. ſi maſculus cum maſculo turpitudinem operatus eſt, vel fœmina cum fœmina, vel vir cum muliere extra vas debitum, dicitur ſodomia, vel ſodomiticum vitium, de quo Apoſt. Rom.* 1. *Si cum brutis operatus eſt nephas & dicitur beſtialitas.*

Prodijt Monachij hoc Anno MDC MCCVI. XLVI Liber Theologiæ Moralis reſeratus viginti quatuor ſocietatis Jeſu Doctoribus (nimirùm, Suario, Vaſquez, Molnia, Toleto, Valentia, Sanchez, Azorio, Salas, Laymanno, Lugone, utroque Coninch, Rebellio, Reginaldo, Leſſio, Caſtro, Palaus, Saâ Petro Hurtado, Fagundez, Gordono, Granado, Turriano, Bardello, Filliucio) digeſtus à P. Antonio Eſcobar, & quadragies impreſſus; & quidem tanto Authorum ſtrepitu, videtur nihil poſſe tradi, quod tantis hominibus dignum non ſit. & Tamen Tract. 1. exam. 8. cap. 2. num. 77. *Scio,* inquit *probabile eſſe, omnes* (peccandi contra naturam modos & differentias) *eſſe unius ſpeciei* hodie videtur inter Doctores, qui vivunt communiſſima. Illam eſſe probabilem tenet Diana, & ejus compendiſta, qui ait *Probabile eſt omnia peccata contra naturam eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ & non ſubalternæ Filliucius, etſi contraria ſit probabilior Diana part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 101. *& part.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 56. *Hucuſq; ille.*

Eſcobar. *Nota bene*

His poſitis contra illos, ſi qui ſunt MCCVII. qui hanc opinionem improbabilem dicunt,

Digitized by Google

Probabilitas noſtræ ſententiæ demonſtratur. dicunt, ſic arguam.[Vos ipſi & univerſi omnes Doctores aſſeritis, illam eſſe opinionem probabilem, quæ à quatuor vel ſex doctoribus talis eſſe cenſetur; atqui hæc non jam à ſex ſed à viginti ſex aut pluribus admittitur: ergo ſequitur neminem poſſe dari, qui illius probabilitatem neget.]

Modus confitendi. Hac ſententiâ ſemel admiſsâ ſequitur neceſſariò pœnitentem ſatisfacere, ſi ita in confeſſione ſua peccata exponit, ut confeſſario ſpecies & numerus peccatorum innoteſcat, etſi nulla circumſtantia, tametſi notabiliter aggravans, modo ſpeciem non mutet, exprimatur. *An circumſtantiæ aggravãtes debeãt exponi in confeſſione.* Hoc enim communior ſententia affirmat, nam illa, quæ jubet circumſtantias aggravantes in confeſſione explicari, nimis eſt dura & difficilis, ne dicam videri impoſſibilem, & Synodo Tridentinæ contrariam.]

Hæc dicta ſunt pro aliquibus Mollitiei defenſoribus, qui mihi ipſi ſunt auſi dicere, eſſe cõnaturalem. Veteres hanc ſpecierum diſtinctionem in hujuſcemodi peccatis non noverunt, juniores ignorant, & *Sodomiæ* nomine omnes ſordes contranaturales intelligunt. Satis miſera eſt humanæ conditionis fragilitas, non indiget Mollities advocatis, tenendum eſt illam eſſe peccatum graviſſimum, ejuſdem cum beſtialitate (horrendo Crimine) ſpeciei, tametſi peccatum minus grave circumſtantiarum ratione. Sic anno præterito ſentiebam, viginti ſex aut plurium authoritate illuſtriũ virorum manuductus; contra quos ſi quis Mollitiem voluerit propugnare, ejusque malitiam nefandam diminuere, per me ſtat, tacebo. Jam nihil ſentio; nihil dico: de ſordibus diſputare non volo. ſi demonſtravi intentum, Deo ago gratias; ſin minus, quid ſentire debeam ſcio, quid aliqui doceri velint, neſcio. Controverſiam integram in medium pono, illam totam Lectori pio judicandum relinquo. Relinquo, inquam, quia de ſordibus loqui multa non placet. Interim, qui viginti ſex aut plures pro meâ ſententia authores dedi, non ero nimius poſtulator, ſi tres aut quatuor pro contrariâ poſtulem nominari. nam huic aſſertioni, *Probabile eſt omnia peccata contra naturam eſſe ejusdem ſpeciei*, aſſonare poteſt hæc, *Omnia peccata contra naturam non ſunt ejuſdem ſpeciei*; unus enim & idem Doctor poteſt utramq; defendere. Solùm opponitur hæc, *Non eſt probabile peccata contra naturam eſſe ejuſdem ſpeciei*: ſed & hæc rationibus & authoribus caret. Multos & multas examinavi, fateor: Vix autem unam fortem, vix unum vel debilem pro illâ legiſſe affirmo. Tu hæc omnia relege, & ſingulorum verba & ſententias conſidera.

FUNDAMENTUM LVIII.

De Materia parva.

MCCVIII DAtur quantitas parva in materia Luxuriæ præſcindendo à periculo: quod nobis & doctiſſimis plurimis viris manifeſtum videtur.

Variæ ſunt hominum conſtitutiones & temperamenta.

An & iſtud deficere poterit? Quid dicam? Puto varias & toto cœlo differentes eſſe hominum complexiones & conſtitutiones. Hiſpanis, Gallis, Italis, calidiores ſunt Braſili; frigidiores Germani, Dani, Scythæ. Ex eadem regione vel gente alij ſunt continentes, alii exhauſti; laborant illi ubertate ſeminalium humorum, qui vel minimo tactu alterantur; langueſcunt iſti, & datâ etiam operâ alterari non poſſunt. Et cur ad regiones & gentes; cur ad diverſos recurro homines, ut judicium efformem? unus & idem diverſo tempore, diverſo loco, ſi diverſis nutriatur cibis, aut diverſis præoccupetur ideis, ſibi ſolet eſſe diſſimilis. Quamob rem in obſcuriſſima hac materia nihil univerſim aſſerendum, aut etiam negandum exiſtimo; ſed debere in teſtem advocari experientiam, & perſonales circumſtantias ſpecialiter conſiderari.

Multi negant materiâ parvam, & tamen hæc omnia concedunt, quos non facile intelligere valeo.

Judiciũ de periculo pendet ab experientia.

MCCIX. REducunt ad dubium aliqui rem certam & claram; qui, quantum capio verbis ſolùm diſcrepant à vera ſententia. Aliud eſt inquirere, *An in fornicatione detur materia parva?* aliud & omninò diverſum, *An in re venerea?* Sanè in fornicatione materia parva dari nequit: quoniam quæcumq; fornicatio, licet parva ſit, gravis eſt; nec de hoc quis quam mortalium dubitat. Sic ſimiliter dicere poſſemus, non dari parvitatem materiæ in homicidio, quoniam qualecumque homicidium mortiferum peccatum eſt. Non aliter in genere blaſphemiæ nihil leve reperire quis poterit. Et ut univerſaliùs loquar, idem eſt, ac ſi diceremus, non dari materiam levem in genere peccati mortalis: quicquid enim culpa mortalis eſt, gravis etiam materia eſt.

In fornicatione nõ datur materia levis.

Quæſtio igitur eſt, *Vtrùm in re venerea detur materia parva?* hoc eſt, *Vtrum in genere luxuriæ ſit dabilis aliqua ſenſualis delectatio, quæ ita ſit levis, ut ex ſe non inferat peccatum grave?*

Conſultò *ex ſe* dixi: quia licèt contingeret nullam dari delectationẽ moroſam ſine culpâ mortali, non ſtatim veniret materiæ parvitas deneganda; moroſitas enim quæ ex ſe eſſet levis, poſſet

Conſiderari ſemper debet periculũ.

poſſet cenſere gravis ratione periculi, aut alterius circumſtantiæ adjacentis, Conſideratâ ergò moroſitate venereâ ſecundum ſe: peto. *Vtrùm aliquando, aut ſit aut poſſit eſſe levis?*

I.

Authores pro noſtra ſententia.

MCCX. NEgativam ſententiam nunquam intelligere potui, nec illam auderem contra mediocriter doctos propugnare. Eam vidi aliquoties defendi, nunquam bene; ideò ſubſcribo Sancio *de matrim. lib.9 diſp.46.num.9.27.& 40.* Zenardo *in direct. confeſſ. part.1. de Sacram. matrim. cap.41. quæſt.28.* Salas *in 1.2. diſp.6. ſect.21 num.141.* Villalobus *in ſumm tom.2. tract. 40. dub.9 numer.8.* Maldero *in 1.2 quæſt 74. artic.10.* Quibus etiam favere videntur Seraphimus Freitas *in addit. ad tract. de confeſſ. ſolicit. quæſt.7. num 33.* Sancius *in ſelectis diſp. 11. num.22.* Miranda *in manuelu prælatorum Regularium quæſt.28 art.17. concluſ.1.* ubi in omnibus rebus excepto juramento aſſertivo reperit materiam levem, & ait, *Certiſſimum eſt* (nonne conſtanti animo & ſine aliquâ formidinis ſpecie loquitur) *quod in omni materia excepto perjurio parvitas materiæ excuſat à peccato mortali.* Ergo etiam in venereâ, hæc enim periurium non eſt. & ut probet, ſubjungit. *Hæc concluſio eſt communis omnium Theologorum reſolutio, cum D. Tho. 2.2. quæſt.19. art.4. & quæſt.66. art.6. Eſt etiam communis reſolutio Iuriſperitorum ſuper canonem d.25 & c. etſi de ſimonia & l. ſcio. de reſtit. in integrum.* Putavit ergo Miranda ſuam ſententiam eſſe certam & omnium. Citari etiam poteſt Marchantius *in Quæſt. Paſtoral. ad Decalogum c.6. q.2.* ſed & D. Antoninus Diana pro ſuâ in mea ſcripta benevolentiâ nonnullos mihi in ſuis Litteris Authores ſuggeſſit, quos addam cùm meas chartas recognoſcere poſſim. Dabo tamen doctiſſimum Patrem Baſæum; qui *in Florib. verbo Impudicitiâ pag.372. num.76.* citaverat me *in commentarii hujus diſput. 69. num. 1052.* aitque. *Inter hos* (non conjugatos) *etſi* (oſcula) *non ſint cenſenda peccata mortalia, tamen increpandi ſunt, qui hoc faciunt tanquam operis arguentis animum nimis mollem & libidini deditum. Et* Sylvium *22. quæſt.154. art.4 concluſ 6.* etiam pro ſua ſententia adlegat. Sed & verbo. *Peccatum. I. num.7. pag.520.* ſic infit. *An in rebus venereis detur materia parvitas excuſans à mortali? affirmant Sanchez de matrimon. lib.9. diſput 46. num.9. Navarrus prælud. 9. num. 12. Clavis regia lib.8. cap.6. num.1. Salas. 1.2. d.6.5.21. num.149. Vaſquez. 1. 2. diſp. 108. num.3 P. Soto de doctr. ſol. 26. & hanc ſententiam probabilem ſpeculativè docet Vaſquez. Malderus, quia ſi in cæteris datur materia parvitas, cur non in hoc? Quidquid ſit de ſpeculativa probabilitate hujus ſententiæ, negativa eſt ſuſtinenda aut communior & tutior in praxi. Sanè pro hujus quæſtionis elucidatione non gravabor hic verba docti D. Ioannis Caramuel in Commentar. in Regulam Benedicti diſputat.69. & 70. levis tactus, &c.* (Verba mea habes in ſuo loco) *& paulo ſuperiùs* (num. 1053. 6) fatetur idem author (nempe Caramuel) *periculoſum eſſe aſſerere dari materiam parvam, quia* (inquit) *qui putat hanc vel illam actionem ſenſualem eſſe levem, dum illam elicit, ſæpè ſe exponit periculo ulteriori &c.* Hucuſque Baſæus, qui cum ſuam opinionem communiorem & tutiorem nominet, dicendus omninò eſt noſtram dicere communem & tutam. Conſtat igitur ex præmiſſis Authorum

Thomas Sancius. Zenardus. Salas. Villalobus. Malderus. Seraphimus Freitas. Ioannes Sancius. Miranda. Omnes Theologi. D. Thomas Omnes Iuriſperiti. Marchantius.

Baſæus. Sylvius. Sanchez. Navarrus. Clavis Regia. Salas. Vaſquez. Malderus. Caramuel

Digitized by Google

teſtimoniis dari laſcivas actiones, quæ ſint leves.

MCCXI. Iſti Authores ſufficerent, ut aliquis certum, aut ſaltem probabile dictamen formaret; ſed quia nonnulli numero Authorum delectantur, alios etiam adjungam; *Cajetanus* quoniam Cajetanus *in Summula ver. luxuria.* [Poteſt autem dupliciter ſuperfluitas venereorum inveniri. Primò, ſecundum ſolas circumſtantias, ut contingit inter conjuges. Et ſic communiter eſt venialis luxuria.]

Intra limites matrimonii copulam ſolere eſſe venialiter peccaminoſam videtur docuiſſe Auguſtinus, nam teſtimonia, quę congerit Cornelius Janſenius *S. Auguſtinus.* in ſuo Auguſtino pro hac poſitione fortia ſunt. Conſonat D. Thomas. 2.2. *quæſt.* 35. *art.* 3. *in corp.* & *quæſt.* 36. *art.* 3. & *quæſtion.* 153. *art.* 3. & *in* 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 3. & *quæſt.* 2. *De veritat. quæſt.* 25. *art.* 5. *ad* 7. & *De malo quæſt.* 15. *Azor.* *art.* 2. & 3. & ſæpè alibi, Azorius Inſtit. *Moral. tom.* 3 *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 21. [Secunda eſt opinio aſſerentium non eſſe peccatum mortale, ſed veniale graviſſimum. *Sylveſter.* Sic Sylveſter *verb. debitum conjugale; quæſt* 4. *Angelus.* Angelus *eodem verbo, num.* 25. *Roſella.* Roſella & Cajetanus *in ſumm.* *Cajetanus* *verb. matrimonium.* Sotus 4. *diſt.* 21. *quæſt.* *Sotus.* 1. *art.* 4. Navarrus *in Manuali cap.* 16. *Navarrus.* *num.* 42. Hæc opinio eſt probabilior, quoniam, ut omnes communiter docent *Albertus.* ex Alberto & S. Thomâ, *S. Thomas.* hic modus non impedit prolis generationem: nam in fœminis dicitur eſſe vis naturalis attractiva ſeminis virilis, & vis naturalis retentiva;] His verbis addit unam lineam quæ lima indiget [Omnes communiter docent, conjugatos ſic peccantes eſſe graviter objurgandos.] Sed cur graviter objurgandos? Dixerat eſſe peccatum veniale, &, ut puto, venialibus gravis objurgatio non reſpondet. Sed hoc miſſum faciamus, & alios producamus Authores.

Azorius *Inſtit. Moral. tom.* 3. *part.* 3 *lib.* 3. *Item cap.* 26. *Azor.* [Primo quæritur, An choreæ ſint dãnandæ ut peccata mortalia? Reſpondeo ex communi opinione omnium, quos jam retuli, non eſſe damnandas ut peccata mortalia, quoniam ex ſe illicitę non ſunt, ſed tantum ex mala intentione, aut abuſu, aut ex probabili periculo libidinis in aliquo, aut ex aliqua alia circumſtantia.]

Henriquez *in ſumma Theologiæ Moralis tom.* 1. *lib.* 11. *de Matrimonio cap.* 16 *nu.* 6. MCCXII *Henriquez.* [Qui inverſo modo ſeu præpoſterè ſuccumbens cognoſcit uxorem intra vas, quidam probabiliter damnãt peccati mortalis, & vix obligatur uxor ita reddere. At probabilius eſt non excedere veniale ſecluſo ſcandalo: quia non ſolet impediri generatio prolis: matrix enim fœminæ habet attractivam retentivamque ſeminis, ut ſtomachus reſpectu cibi. Dum hæc confitentur, curet confeſſarius, ne niſi honeſtis verbis explicentur, & acriter increpandi ſunt de gravi veniali, niſi ſubſit cauſa, *An dentur venialia gravia?* ut ne gravida à pingui marito compreſſa abortum patiatur: confeſſarius in iſtis nimium non inquirat, ſatis eſt ſi in communi doceat, aut reprehendat abuſum, contentus neceſſarijs circumſtantijs in re lubricâ. quidam ſatis putant ſi in confeſſione vir explicet ſe cum fœmina habuiſſe rem contra naturam, *Nota bene* aut extra vas naturale, non deſcendens ad explicandum modum & partem aut locum corporis, quaſi hæc in genere moris ſint unius ſpeciei; nec cauſat tam magnum horrorem, ſi vir & fœmina uno lecto quamvis præpoſterè miſceantur, quàm ſi duo viri inter ſe, vel duæ fœminæ conſpiciãtur luxuriari in quocumque corporis loco, aut quocumq; modo.

Digitized by Google

modo. Nec tamen debet confeſſarius omittere neceſſarias interrogationes pro ratione ſtatûs aut perfectæ conſuetudinis.]

MCCXIII *Baſæus.* Baſæus verb. Luxuria numero 24. [*Quinta ſpecies peccati contra naturam, eſt conjunctio naturalis facta modo indebito, ut quando maſculus ſuccumbit fœminæ, & fœmina ſupergreditur; vel quando copula fit præpoſterè retro accedendo, ſed in vaſe naturali: vel quando copula fit ſedendo, aut ſtando: hæc conjunctio inter conjuges eſt peccatum, quoties intervenit tanta deordinatio, ut ſequi non poſſit generatio. quia tamen generatio in prædictis caſibus raro impedıri poteſt, rarò etiam contingit peccatum mortale in prædicta conjunctione niſi adſit aliqua prava intentio; ordinariè tamen non deeſt graviſſimum peccatum veniale niſi aliqua neceſſitas excuſet.* Et citat *libr.5. cap.13.in fin.* *Leſſius.* Leſſium *libr.4. cap.3.dub.13.num.*89. *Sanchez.* Sanchez *libr.9.diſputat.16. numer.3.* *Filliucius.* Filliucium *tractat.* 30 *cap.*8. *Regenald.* Reginaldum *libr.31.numer.* 235. *Diana.* Conſonat Diana *part.1.tractat.* 7 *reſolution.*35. Ecce vir pius & doctus concedit peccata venialia in modo: An-ne etiam in ſubſtantia Luxuriæ? Etiam: ait enim *ibidem numer.*19. juxta editionem primam, quâ nunc utor. *Procurare magnam commotionem ſpirituum ordinatorum ad pollutionem vel ad magnam diſtillationem per media alias etiam licita, eſt peccatum mortale: quia talis alteratio eſt inchoata quædam pollutio, & ad pollutionis conſummationem eſſentialiter ordinatur. Secus* (NB) *ubi levis quædam deſtillatio & ſpirituum commotio procuraretur; excuſaretur enim à mortali id procurans ratione parvitatis materiæ ceſſante pollutionis periculo.* Et citat pro hac ſententia *Sanchez.* Sanchez *de matrimonio libro 9.diſputatione.17. numero 8.* & *Bonacina.* Bonacinam *de matrimòn. quæſt.4.p.10.numer.13.*

Adjungi etiam poterit his Authoribus Jacobus Marchantius qui *in Hort. Paſtorum cap.6.reſolution.* 13. *Marchantius.* inter deſtillationem & pollutionem diſtinguit, docetque non eſſe peccatum mortale ſe exponere periculo deſtillationis. Ergo omnis delectatio luxurioſa, quæ periculum deſtillationis non excedit ad hujus Authoris mentem nō eſt peccaminoſa mortaliter. Imò nec oſculum leviter datum, nec attactus levis faciei aut manûs perſonæ alterius ſexûs: illud enim & hunc expreſsè damnat de veniali. Videatur ſupra num. 970. & Layman *lib.3.ſect.4.num.*19. docet non eſſe peccatum mortale inter conjugatos præbere diſtillationi cauſam. Quæ ſunt valdè notanda.

Joannes Gerſon *opuſculo de cognitione peccatorum venialium & mortalium. Conſideratione XVII.* MCCXIV *Gerſon.* [Quintò cogitari poteſt de peccato carnis ad confitendum vel ad cavendum, vel ſolum per conditionem, dicendo, ſi non eſſet cōtra mandatum Dei talis res fieret, aut talis: & ibi ſæpè non eſt peccatum, vel non eſt niſi veniale. Sed tamen quòd caveatur malus conſenſus contra mandatum Dei, & quod talis cogitatio non inflāmet ſe nimis. De hoc peccato ſcripſi diffuſiùs alibi in uno tractatulo nominato Speculum animæ.] Nota illud *peccatum veniale*; nota illud *nimis*. Ergo dantur in genere Luxuriæ venialia: & illa moroſa delectatio eſt mortalis, quæ inflammat nimis, & venialis quæ non inflammat nimis.

Dixerat paulò antè, [Luxuria aliquando eſt in primo motu cogitationis, & ibi eſt peccatum veniale; quia conſenſus non eſt perfectus. Secundò

poteſt haberi conſenſus (nempe completus) ad delectationem, quæ eſt in opere Luxuriæ, quod eſſet peccatum mortale, & ibi eſt peccatum mortale, ſi quis acciperet delectationem in his, quæ de ſe non ſunt niſi veniale, non eſt niſi veniale peccatum.] Ergo inter laſciva opera cognoſcit alia, quæ venialia, & alia quæ mortalia ſint.

Haſſia. Henricus de Haſſia *in Regulis ad cognoſcendam differentiam peccati mortalis & venialis.* §. *Luxuria.* ſic inquit. [Sunt motus aliqui interiores, & etiam exteriores, ad peccatum Luxuriæ pertinentes, ſed imperfecti, & in illa ſpecie quædam ſunt venialia & quædam mortalia peccata. horum tamen limitatio non eſt faciliter in ſcriptis ponibilis.] Ergo etiam motus exteriores aliquando ſunt leves, & culpam venialem inducunt.

MCCXV. *Petrus Marchantius.* P. Petrus Marchantius Ordinis S. Franciſci Commiſſarius Generalis, in rebus Moralibus doctiſſimus & expertiſſimus, *in ſui Tribunalis Sacramentalis tom.* 2. *tractat.* 7. *tit.* 1. *quæſt.* 2. *reſolut.* 2 ſic inquit. [Oſcula & amplexus, quæ vel ex affectu libidinoſo procedunt, vel cum affectu libidinoſo ſunt conjuncta, extra conjugium, ſive ad concubitum carnalem ordinentur, ſive in delectatione carnali & libidinoſa ex ipſo oſculo oriente ſiſtant, naturâ ſuâ ſunt peccata mortalia, niſi levitas materiæ, aut imperfectus conſenſus excuſet. Dixi (niſi levitas materiæ, aut imperfectus conſenſus excuſet) admitto enim levitatem materiæ in motibus carnis, qui facilè ſubrepunt, & à quibus homo vix in ejuſmodi liber eſſe poteſt. Vnde levitatem non attendo in ipſo oſculo, ſi oſculum aliàs impudicum ſit, & ad libidinem tendat, ſed levitatem in motu carnis levi & ſubreptitio, ratione cujus oſculum non infigitur, vel qui ex oſculo aliàs non inhoneſto conſurgit. Imperfectionem autem conſenſûs pono in inadvertētia & motibus ſive primò-primis, ſive ſecundò primis, &c.] Ecce in Luxuriæ genere duas claſſes Doctiſſimus vir venialium peccatorum conſtituit; & in alterâ illa, quæ materiæ parvitas, & in altera, quæ conſenſus ſemiplenus à lethali gravitate excuſat. Editus fuit liber iſte Gandavi an. 1642. quem nomine & commiſſione Eminentiſſimi D. D. Cardinalis Franciſci Barbarini conſultis Viris doctis approbavit Illuſtriſſimus Dn. Dn. Franciſcus Vander Burch Archiepiſcopus & Dux Cameracēſis, S. P. J. Princeps, &c. quem etiam Nicolaus Breydel S. Theologiæ Licentiatus, librorum Cenſor, P. Provincialis Matthias Hauſeus, & P. Cuſtos Cuſtodum Laurentius Dingeon approbarunt. Omnes igitur iſti ut minimum judicarunt eſſe probabilem ſententiam, quæ docet in rebus Venereis dari materiam parvam de facto. Dico attentè *de facto*, non enim Marchantij Reſolutio eſt purè ſpeculativa, ſed practica. *Franciſcus Vander Burch. Nicolaus Breydel. Matthias Hauſeus. Laurent. Dingeon.*

II.

Rationes pro eadem ſententia.

PRobatur doctrina horum Authorum, primò à pari. In cæteris præceptis datur materia parva: ergo etiam in caſtitatis præcepto. MCCXVI *Rationum paritas.*

Das diſparitatis rationem; quod fragilitas humana ſit maxima, & periculum videatur evidens. Sed hæc ratio, nec eſt vera, nec ſufficiens. Sanè non *De periculo.*

Digitized by Google

non vera: quoniam non video, cur non poſſit Petrus leviter fœminæ pedem pede comprimere, quin ſe exponat evidenti periculo conſensûs in ulteriorem actum: Quis credat non eſſe poſſibile, quod Paulus ex levi vel ſenſuali curioſitate aſpiciat tranſeuntem fœminam, quin velit ulteriùs progredi & liberiùs peccare? Præterea. Eſto detur tale periculum concomitans, quod revera non ſemper datur. Eſto non poſſis digitum mulieris ſtringere vel leviter ſine periculo evidenti conſenſus: an ideo neganda eſſet materiæ parvitas? minime. Sanè dicendum eſſet, levem tactum habere duas malitias diſtinctas, alteram intrinſecam, alteram extrinſecam. intrinſeca eſſet malitia levis, utpote quæ ſumeretur ab actûs quantitate, quæ revera eſt levis: extrinſeca eſſet

Periculum proximũ quid? gravis, quoniam ſumeretur à periculo, quod ſupponitur evidens & grave. *Evidens* dixi: non enim eſt proximum ſi ſit probabile: quoniam ſi illud probabiliter ſubſit, probabiliter etiam non ſubeſt.

Parvitas phyſica. Probatur ſecundò. non poteſt eſſe intrinſecè materia gravis moraliter, quæ entitativè eſt parva: atqui poteſt dari commotio Venerea, quæ entitativè ſit parva: ergo poteſt dari ſenſualitas, quæ ſit materia parva. Major eſt vera: Leges enim non poſſunt obligare graviter, ſi materia ſit levis, ut probavi in Commentario in Regulam D. Benedicti *num.*41. Minorem efficaciter probo. Datur commotio venerea gravis, datur & inſenſibilis: ergo poterit dari talis, quæ ſit inſenſibili major, & gravi minor. Patet conſequentia: nam datis duobus extremis, etiam media debent deſignari. quod dentur cõmotiones Venereæ inſenſibiles conſtat clariſſimè. Primò quia cõtingit quempiam aliquando ſine advertentia habere aliquam humectatem: hæc autem inſenſibiliter ſtillat, quæ ſine commotione Venerea ſtillare non poteſt: ergo datur venerea commotio, quæ ſit inſenſibilis verè. *Secundò.* Galenus *in medicinali arte*, cui ſubſcribunt Joannes Argenterius *comm.*1.*pagina mihi* 20. Nicolaus Bieſius *ibidem à pag.* 14. *ad* 29. Diſtinguit inter corpus ſanum & neutrum: Neutrum in tertio modo, idem *Corpus*
eſt quod ægrotum medicè. Morbum *neutrum.*
medicum dicunt humorum deordina *Morbus*
tionem, tam levem, quæ ab ægro per- *medicus.*
cipi non poſſit. Tali morbo laborant univerſi aliquibus diebus antequam infirmentur graviter. Senſibilem mor- *Morbus*
bum illum appellant, qui eſt quantita- *ſenſibilis.*
tis ſenſibus proportionatæ: habent enim ſenſitivæ potentiæ ſuos terminos magnitudinis & parvitatis. Utrumq; morbum poſſemus definire ſic. Morbus medicus ſeu neutrius corporis ille eſt, qui ſubjacet ſpeculationi medicæ, & non praxi, quoniam ab ægro, non percipitur, quando eſt, ſed innoteſcit à poſteriori gravior factus. Morbus ſenſibilis ille dicitur, qui à dolente percipitur quando eſt, & ſubeſt medicinæ praxi. Ex qua doctrina arguo ſic. Ma- *Ratio à*
gis ſenſibilis eſt dolor, quàm luxuria: *fortiori.*
atqui dantur dolores medici, hoc eſt, inſenſibiles; ergo in re venerea dabuntur etiam commotiones medicæ, quæ *Cõmotio*
ſenſu percipi non poſſint. Majorem *medica.*
probat Luxuriæ ipſa moroſitas, quæ tarda eſt, & quodammodo doloris antipes: is namq; eſt vivax, acutus & celer: tactum luxuries moroſè afficit, quem dolor acutè & celeriter pungit: unde vix videmus dormientes à luxurie excitari, dolentes è contrà vix quieſcere & dormire. Verùm

MCCXVII. *An in Luxuria genere detur materia nulla?*

Admittis dari commotionem veneream inſenſibilem, & nihilominùs negas dari materiam parvam. quia commotio modica ſeu inſenſibilis non jam parva, ſed materia nulla eſt, quidquid autem laſcivum & ſenſibile ſit, erit materia magna.

Concedo commotiones modicas ſeu inſenſibiles non eſſe culpabiles venialiter: illud autem quod ſubſumitur, gratis aſſeritur. Quia, ſi dolor modicus augeretur ſucceſſivè & continuè, quouſq; eſſet dolor magnus, debuiſſet neceſſariò priùs fuiſſe parvus, quàm magnus: ergo ſimiliter, ſi commotio venerea modica continuè creſcat, & fiat magna, priùs erit parva, quàm magna. ergo impoſſibile eſt negare levem quantitatem in hoc genere.

Objectiones. Prima de mente Aquavivæ. Hæc materiæ parvitas in ſocietate nō defenditur.

Reſolutioni noſtræ refragantur aliqui, quorum fundamentis eſt ſatisfaciendum. *Primò* dicunt ſententiam hanc non eſſe probabilem: quoniam, ſi talis eſſet, non deberet à quopiam viro docto interdici. Atqui Claudius Aquaviva juſſit ſocietatis Theologis, docerent in re venereâ quantitatem parvam: ſententia ergo contraria non eſt probabilis.

An opiniones probabiles interdici poſſint, & ſoleant?

Reſpondeo negando majorem: nam opiniones probabiles interdici poſsūt, & ſolent laudabiliter, cùm cauſa exigit. Virginem v.g. cum peccato conceptam fuiſſe probabile eſt, ſed defendi nō poteſt, ob rationes & cauſas legitimas, quibus ductus decrevit Pontifex, ut ſentētia benignior doceretur, & defenderetur: ergo ſimiliter aliæ opiniones, licèt probabiles, proſcribi poſſunt. Quid, ſi etiam Aquaviva non condemnet materiæ parvitatem in re venereâ, ſed in fornicatione? Hoc examinent, quibus vacat, & quorum intereſt. Quid ſi etiam aliquis dicat eumdem Aquamvivam

Aquaviva qualis?

fuiſſe virum in alijs qualitatibus magnum, non tamen in re ſcholaſticâ & ſpeculativâ; totus enim regimini & praxi incumbens, non poterat ſubtiliſſima ſcholaſticæ rei arcana penetrare? Sed & hoc alij examinent.

MCCXVIII. *Objectio ſecunda de mente Sāciꝗ.*

Dices male pro meâ ſententiâ citari Sancium; is enim Author ea, quæ priùs leviter dixerat, re meliùs expenſâ retractavit *in ſumm. tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 12.* Reſpondeo hujus ſententiæ probabilitatem non pendere à reſolutione Sancij: nam ut vidimus, à multis præter Sāncium defenditur. Sed neq; Sancius dicendus eſt priorem ſententiam retractaſſe; illam enim tenuit dum liberè ſcripſit, contrariam autem, non ratione aliquâ ſolidiore, ſed præcepto Generalis coactus *in ſumm. tom. 2.* amplexus eſt.

An Sanchezij Retractationes, illius ſint?

Retractationes Sancij docti judicāt ab alio factas. Beyerlinckius *verbo. Mollities. §. Quid ſit.* ſic ait. [Adſcribitur hæc ſententia Thomæ Sanchez in tractat. de matrim. in primâ illius editione: at in poſterioribus videtur Auctor, aut alius ejus nomine ſententiam ſuam hic retractaſſe, & communem aliorum complexum eſſe.] Ecce dubitat an Sancius, an alius opiniones primæ editionis mutaverit?

MCCXIX. *Objectio tertia de mēte Dianæ.*

Inſtas iterùm: Diana vir Doctiſſimus edidit Reſolutiones benigniſſimas, nihilominùs *part. 3. tract. 5. reſolut. 1.* putat periculum eſſe, aſſerere dare in re venereâ parvam ac levem quantitatem.

Dabo duas ſolutiones. *Prima eſt* Dianam ſexcenties admittere quantitatem levem in materiâ venereâ, ſemel aut iterum negare. Sumus optimi amici, & ſuis me ſæpè honorat literis, & meas libēter legit: at quia ſemel ſcripſerat, multis Romanis hanc opinionem diſplicere, ſed à ſe licèt contra ſe in mei gratiam aliquando verbis puris defendi, reſcripſi epiſto-

epiſtolam in quâ Viro doctiſſimo & amiciſſimo egi debitas gratias, illamque non meam ſolùm, ſed & ſuam eſſe opinionem probavi teſtimoniis clariſſimis. Totã ſubſcripſi hoc ſyllogiſmo: [Ubicumq; datur veniale, quod conſensûs ſemipleni ratione non excuſatur, hoc eſt, ubicumq; reperitur veniale cõmiſſum cum conſenſu pleno, ponitur Levitas objectivæ materiæ: At Diana in re venereâ ſexcenties admittit peccata venialia, quæ ob ſemiplenum aſſenſum, non excuſat: Ergo ille ſexcenties admittit materiam parvam in re venereâ. Et minorem ejuſdem teſtimonia demonſtrant.] Hæc dicta ſint, ut oſtendatur Diana nobiſcum conſentire, quem ſtudioſus Lector legat & accuratè examinet.

Secunda ſit, quod non conceſſo, ſed condonato nobis Dianam eſſe contrarium, ejus ingenium veneror: ejus induſtriâ multas opiniones evaſiſſe probab les, quę anteà non erant aſſero: vocoq; invidum, qui non confirmet. Addo tamen, cum tametſi magnum, unum Authorem eſſe, nec ipſius nec Tanneri, Caſtri, Baſilij, Pontij, Leſſij, Rebellij, & Aquavivæ authoritatem tantam, ut ob illam contraria pars non judicetur probabilior, & ſi rationem cõſulamus, certa. *Periculoſum eſt*, ait Diana, *aſſerere dari materiam parvam.* Fateor: [quia, qui putat hanc vel illam actionem ſenſualem eſſe levem, dum illam elicit ſæpè ſe exponit periculo: unde ſi hoc ſit alterius rei etiam levis, erit remotum, non enim datur proximum ſi materia ſit parva, ut inferiùs videbimus: ſi periculum ſit evidens, & rei gravis erit peccatum mortale;] ideò doctiſſimè Malderus docet, ſpeculativè poſſe admitti materiã parvam; practicè autem (hoc eſt ratione periculi frequenter imminentis) non

Hæc verba, quæ parẽtheſi hac [ ] quadratâ clauditur, citantur, laudãtur que à Baſæo in flor. verb. Peccatum.

poſſe: nam actio ex ſuâ naturâ levis, poterit eſſe peccaminoſa graviter, ſi graviter ſit periculoſa. Ego autem loquor de malitiâ intrinſecâ actionum omni alio periculo præciſo. A ratione argumentaris ſic. [Nulla eſt tam parva fornicatio, quæ non ſit peccatum formale: Ergò nulla tam parva fornicatio, quæ non ſit peccatum mortale; ergo nulla eſt tam parva delectatio laſciva, quæ non ſit culpa gravis. Probat Filliucius conſequentiam: Quia delectatio ſortitur morem actûs, atqui actus mortiferè peccaminoſus: ergo & quæcumque delectatio.

I. p.520. num.7. in Antuerpienſi editione. MCCXX. Objectio quarta.

Negatâ primâ conſequentiâ ad Filliucij probationem reſpondeo diſtinguendo majorem. Delectatio levis ſortitur morem actûs, nego: gravis, concedo. Vel aliter. Delectatio levis ſortitur morem actûs leviter, concedo; ſortitur illum graviter, nego. Concedo ſubſumptam minorem: & eodem prorsùs modo diſtinguo conſequens. Si Filliucius agat de delectatione gravi, concedo; ſi de levi, nego.

Arguis iterum, Omnis delectatio venerea ſecundum Galenum eſt inchoatio quædam pollutionis: Atqui omnis actus inchoatus pollutionis eſt mortalis: ergo quæcumq; delectatio. Et ego Galeno duobus modis reſpondeo. *Primò*, à nullo hucuſq; Phyſico demonſtratum delectationem moroſam in deciſione ſeminis conſiſtere, fortè enim ſeminis luxatio, compreſſio, aut titillatio citra omnem ſciſſionem aut deciſionem cauſat delectationem, juxta ea quæ numer. 974. dicebamus. Sed condonando Galeno in omni delectatione laſcivâ decidi ſemen, reſpondebo *ſecundò*; diſtinguendo. Omnis delectatio venerea eſt pollutionis inchoatio? remota vel proxima, levis vel gravis, parva vel magna,

Objectio quinta.

An omnis delectatio ſit pollutionis inchoatio?

gna, concedo: eſt ſemper inchoatio proxima gravis & magna? nego. Similiter, omnis actus pollutionis, qui graviter eſt inchoatus, erit peccatum mortale: non autem qui fuerit inchoatus leviter. Unde ſequitur quamcumq; delectationem gravē eſſe mortaliter peccaminoſam: non quamcumque levem. Si enim objectio hæc eſſet efficax, nec egeret diſtinctione, etiam ſequens eſſet demonſtrativa: unus hauſtus vini eſt principium ebrietatis, omnis enim ebrietas incipit ab uno hauſtu: atqui ebrietas eſt peccatum mortale; ergo & unus hauſtus.

III.

Quænam ſint illæ actiones laſcivæ, quæ ſunt leviter peccaminoſæ?

MCCXXI. ALiqui aſſerunt manuum levē contactum, pedis appulſum, oſculum, & ſimilia ſublato ulteriori periculo non eſſe gravia. Ego à delectationis quantitate culpæ magnitudinem metior, & ex meis principiis ſic philoſophor. Illa delectatio, quâ octies major ſufficeret ſemen decidere, eſt gravis & mortaliter peccaminoſa: quæcumq; minor, eſt levis. Patet, quia ex meis principijs, quæ alibi probavi, completi operis octava pars eſt materia minima peccati gravis. Ergò delectatio, quæ eſt minor octavâ parte delectationis completæ (ni aliud periculum ſubſit) erit culpa venialis. Delectationem completam, eam dico, quæ ſemen decideret, ſi remaneret.

IV.

De materiâ nullâ moraliter.

MCCXXII. PEtis Utrùm in re venereâ debeat admitti etiam materia nulla: nempè, quę phyſicè ſit aliquid, & prudentum opinione nihil?

Reſpondeo affirmativè. Quia commotio medica quamdiu inſenſibilis remanet, verè & realiter commotio venerea eſt; ſed ſicut nec leviter ſenſibilis eſt, ita nec leviter peccaminoſa.

Præter commotiones medicas aut inſenſibiles, etiam aſſero ſenſibilem, quæ ſit minor ſexageſima-quartâ parte completæ delectationis, eſſe materiam nullam: nempe moroſitatem illam, quæ mortaliter eſt inſenſibilis. Probatur: quoniam non eſt cenſenda moraliter interdicta delectatio illa, quæ moraliter loquendo, nec percipi nec cognoſci poteſt. Sed quis ſciet eam cognoſcere? nemo, nemo. At non ideò non erit qualis dicitur, ſi in rebus notioribus (puta in officio divino) fiat periculum, & à paritate rationis argumentum ſumatur.

V.

POno calamum monens doctum & pium Lectorem me ſemper loqui de delectatione ipſâ parvâ à periculo incrementi, & conſenſûs ulterioris præciſâ quia ubi datur conſentiendi in rem gravem, proximum & indubitatum periculum, centies dixi non abeſſe peccatum mortale.

Iterum iterumque literarum ad D. Antoninum Dianam virum doctiſſimum, & optimè de Eccleſiâ meritum mentionem fecerim, & jure illas interlegere cupis: igitur ut tuo ego deſiderio ſatisfaciam, illas ſubjungo.

LITERÆ

ad Doctiſſimum D. Dianam.

SUnt, qui amicos ſtultè diligunt, & in ipſis nō caret ſuâ laude dilectio; pingitur enim Amor cæcus, & docemur inter- MCCXIII. *Amor duplex.*

interdum experientiâ eoſdem eſſe amentes & amantes. Sunt, qui prudenter; & in ipſis commendatur integritas: mentis enim ſinceritas, quam Amor non obnubilat, eximia eſt. Et tu inter iſtos ultimos, me diligis; & quia prudenter, non ita me, ut meos etiam errores mecum diligere aut etiam approbare videaris. Legis ſcripta mea curioſè, & quia me amas, etiam mones, ubi inter vortices & ſcopulos debeam vela dirigere moderatiùs & cautiùs. Sed quia præcipua, quæ ſcriptitas, Materiam paruam in Luxuriâ concernunt, aſſero me illam defendiſſe & defendere, ductum rationibus & authoritatibus, & contrariam, ni velim abuti ingenio, & mentiri conſcientiæ, non poſſe. Rationes in Commentario in Regulam Divi Benedicti luculenter expreſſi; addidi authoritates, & quia te Legendo proficio, patere Doctiſſime Vir, ut quid in Tuis doctiſſimis Libris didicerim, ſincerè & diſtinctè proponam: & ut clariùs procedam hanc Epiſtolam in tres Partes diſtinguam; Agam in primâ de parvitate materiæ in ipſâ ſubſtantiâ Luxuriæ; & in ſecũdâ de parvitate materiæ in Luxuriæ accidentibus modificantibus; & demum in tertiâ de periculo.

PARS I.

MCCXXIV. VT probem vir Doctiſſime & Eruditiſſime, Te frequentiſſimè materiam parvam in genere Luxuriæ admittere, hunc analogiſmum præmitto. [*Vbicumque datur veniale, quod ſemiplenus conſenſus non cauſavit, ad materiæ levitatem recurritur* (nam poſito conſenſu pleno & gravitate materiæ, peccatum non erit veniale, ſed mortale) *At Diana meus ſæpiſſimè admittit peccata venialia in genere Luxuriæ, etiam poſito conſenſu pleno* (quod ipſum clariſſimis teſtimonijs probabo) *Ergo Diana meus admittit in genere Luxuriæ parvitatem materiæ.*] Ut minorem demonſtrem, obſecro digneris attentè legere & conſiderare ſubſequentes paragraphos, & Te leges in illis, videbiſque me parvam in genere Luxuriæ materiam potiſſimùm à Te didiciſſe.

I.

Prima, quæ occurrunt, ſunt fortiſſima clariſſima, & doctiſſima verba. MCCXXV.
[Notandum eſt pollutionem prævisam, ſed non intentam, ex actionibus peccaminoſis tantum venialiter in genere Luxuriæ, non eſſe peccatum mortale; ut ex tactu v. gr. levi manûs, viſu, verbis aliquantulum libidinoſis: &c. Ita Suarez, Henriquez, Sanchez, Villalobos, Leſſius, & alij apud Tannerum *in part. 2 diſp. 4. quæſt. 8. dub. 6. num. 123.* quorum ſententiam *num. 126.* probabilem putat.] ſic tu habes *part. 1. tract. 7. reſol. 65.* At dices te loqui ad aliorum mentem. Sed ſi hoc reſpondeas, nec dices verum, nec ad rem. Non ad rem; quia ſunt magni illi Authores, quos pro materiâ parvâ citas, & hi mihi ſufficerent. Non verum; quia ſubiungis, [Notentur hæc, quia ſæpius in praxi occurrere poſſunt.] Ergo, ut bene Confeſſiones audiam, & de peccatis bene judicem, jubeor à Te notare tactum levem manûs, viſum tantiſper laſcivum, verbum aliquantulum Libidinoſum eſſe materiam levem in genere luxuriæ, & pollutionem prævisam, & ex his levibus peccatis exortam eſſe in eodem genere materiam parvam, ac proptereà non niſi leviter peccaminoſam.

At ego oro, ut adnotes me nunquam totâ vitâ meâ tam abſolutè le- *Diana laxius ſentit,*

Digitized by Google

quàm Caramuel. vem admiſiſſe materiam in genere libidinoſo, ſemper enim ago præſcindendo à periculo, quod fortè à parte rei ſeparari non poteſt.

Et ut quid ſentiam dicam, puto pollutionem non poſſe eſſe venialiter peccaminoſam, quoniam materia gravis eſt, & in materiâ gravi poſitâ mente clarâ minimeque turbatâ, nunquam venialiter peccatur. Ergo ſi peccaminoſa illa eſt, mortalis eſt: aut aliàs, quod exiſtimo, quia illa, de quâ agis, mortalis non eſt, nullo modo peccaminoſa eſt.

II.

MCCXXVI. HÆc verba, quæ dedi, & tua, & clara ſunt: addam æquè expreſſa, aut clariora. *part. 2. tract. 15. reſol. 31.* interrogas, An pollutio præviſa, & non intenta, quæ oritur ex verbis, non quidem turpibus, ſed amatorijs, & affectuoſis, dictis ab illis, qui volunt conjungi matrimonio, ſit mortalis? Reſpondes negativè; & ſic probas. [Pollutio licèt præviſa, non tamen intenta, ex causâ venialiter peccaminosâ non eſt peccatum mortale: Sed illa verba, ex quibus provenit pollutio, ſunt tantùm peccata venialia (N.B.) Ergo talis pollutio, non erit peccatum mortale.] Sic dialecticaris Vir Eximie, & in hoc Ego ſyllogiſmo multa invenio quæ Majorem impugnent, multa quæ ex Minore ſequantur; dabo aliqua: interim videamus quo Tu modo nobis ſuadeas ſingulas propoſitiones.

Majorem hac ratione confirmas [Quia, cùm pollutio non ſit in ſe volita, ſed in causâ, in quâ prævidetur, in tantum mala erit, in quantum mala eſt cauſa: in tantum enim culpa eſt, in quantum eſt voluntaria: ſi ergo cauſa eſt venialiter mala, talis erit & pollutio.] Progrederis, & hanc ſententiam ſic defendi à Vaſquez *part. 1. tom. 1. diſp. 115. cap. 3. numero 9.* & in *opuſc. de reſtit. cap. 3. §. 2. dub 6. numero 14.* Salas *in part. 2. tom. 2. quæſt. 74. tract. 13. diſp. 6. num. 18.* Henriquez *in ſumm. lib. 11 cap. 16. num. 6.* Leſſio *de Iuſtitiâ libr. 4. cap. 3. dub. 14. numer. 100.* & noviſſimè à Bonacinâ *tract. de Matrimon. quæſt. 4. punct. 10. num 9.* qui docet, *Pollutionem non eſſe peccatum mortale, quando provenit ex causâ venialiter luxurioſa, & leviter in pollutionem influente.* Et tandem à Filliucio *in quæſt. Morall. tom. 2. tract. 30. cap. 8. num. 152.* ubi ait *Tunc ſolùm reperiri culpam mortalem in causâ ratione pollutionis præviſæ & non intenta, quando abſque non urgente neceſſitate exercetur actio ex naturâ ſuâ turpis, & per ſe tendens ad actus venereos excitandos & conſumandam pollutionem, qualis tantùm eſt in actionibus mortalibus pertinentibus ad ſextum præceptum, ut cogitationibus moroſis, aſpectibus, & tactibus mortalibus: ſi enim ſint tantùm veniales, ex defectu plenæ advertentiæ, vel ex ſuo genere, ut quia ob curioſitatem tantùm, tunc tantum erit venialis pollutio, inde ſequuta.*] Sic conaris perſuadere majorem. Nolo judicare, An illa pollutio ſit mortalis, nam in meâ Theologiâ præterintentionali illud examino, ubi affirmo illam aut fore præter intentionem aut ex intentione; ſi nullo intenta modo, nec venialiter eſſe peccaminoſam; ſi intenta in causâ, non ſolùm leviter peccaminosâ, ſed etiam indifferente aut etiam materialiter bonâ, eſſe malam mortaliter: Sed hæc ſubtilia ſunt, & quæ nos ab ſcopo amoverent: Ibi videri poterunt, nam volo ſtare intento meo, & ex tuis verbis hanc brevem conſequentiam

quentiam

Digitized by Google

quentiam diducere. *Tu, & tecum Vaſquez, Salas, Henriquez, Leſſius, Bonacina & Filluciuſ aſſerunt, pollutionem prævisſam non tamen intentam, tunc eſſe venialiter peccaminoſam, quando provenit ex actione Laſcivâ, quæ vel ex inadvertentiâ vel ex ſuo genere ſit peccatum veniale: Ergo Te judice, & horum ſex Authorum ſententia dantur laſcivæ actiones quæ non ſolùm ob inadvertentiam, ſupponuntur enim prævisſa, ſed etiam ex ſuo genere ob parvitatem materiæ, ſint peccata venialia.*

Tranſis ad Minorem, & quæ intuli, concedis & admittis expreſsè. ais enim: [Reſtat modò probare Minorem, & oſtendere verba illa (affectuoſa & amatoria) dicere, eſſe tantùm peccatum veniale, quod docet & probat Ioann. Salas *in part. 2. tom. 2. tract. 13. diſp. 6. ſect. 24. numer. 163.* & Sanchez *numer. 37.* ubi ait. *Loqui verba amatoria, quæ vulgò* requiebros *appellamus, ut videlicet* Cor meum, Bonum meum, Anima mea, *ob ſolam vanitatem, & ad conciliandum vanum amorem, non excedunt culpam venialem.* Quæ quidem doctrina intelligenda eſt ſecluſo ſcandalo & periculo proprio vel alieno, videlicet illa verba audientis, ut ſuccedebat in noſtro caſu. Ergo concludendum eſt pollutionem ex talibus verbis ſequentem, non eſſe peccatum mortale; quia, ut diximus, provenit ex causâ tantùm venialiter peccaminoſâ, & non adeſt periculum conſenſûs & delectationis. Unde Henriquez, *ubi ſupra*, ait, Non eſſe peccatum mortale, ſi quis pollutionem patiatur ex viſione fœminæ curioſâ, vel eſu cibi calidi, aut lectione etiam turpi, quia hæc non ſunt, ait ille, cauſa phyſica & moralis, quæ provocent pollutionem.] Ecce admittis actiones laſcivas parvas & veniales, non quidem advertentiæ defectu, ponis enim non ſolum eſſe viſas; ſed in ipſis futuram pollutionem prævisſam, ſed ob parvitatem materiæ.

Verba amatoria; Hiſp. Requiebros.

Cæterùm, quia nonnulla immiſcuiſti, quæ limâ indigent, volo paucula recognoſcere, & videre quomodo conſentiam concluſioni. Hæc erat: *Non peccat mortaliter fœmina, quæ profert verba amatoria & affectuoſa, etſi prævideat* pollutionem inde ſequuturam, mòdò illam non intendat. Probabas, quia tametſi prævisſa, non erat volita in ſe, ſed in causâ venialiter peccaminoſâ; Porrò, ſi habet cauſam venialiter peccaminoſam, fallitur Henriquez cum ait, ejuſmodi pollutionem non habere cauſam phyſicam aut moralem: & falleris tu, cum Henriquezij verba contra tuam concluſionem radicitùs militantia, ad ejuſdem probationem aſſumis. Prætereà, ſi verba Sanchezij intelligi debent ſecluſo periculo audientis, cur poniſ illa verba *ut ſuccedebat in noſtro caſu*? non enim in caſu ponitur affuiſſe periculum audientis, ſed dicentis. Ergo debebat non abſolvi illa fœmina. Quoniam, ſi ipſa experiebatur ſe incidere in pollutionem ex illo amatorio colloquio, debebat præſumere aut ſupponere in eamdem incidere amaſium, quem ipſa inducebat in maximum conſentiendi periculũ, qui cenſeri poſſit conſenſurus omninò, ni darentur rationes graviſſimæ; nam certitudo hîc phyſica haberi non poſſet; non enim honeſta virgo auderet ſuper hoc amaſium ſuum interrogare. Tandem incidere in pollutionem hæc mulier dicitur, & in caſûs propoſitione carere delectatione, & in ſolutione carere periculo delectationis, MCCXXVII

tionis; quæ ſummè diverſa videntur. Porrò dari pollutionem in corpore medioc riter ſano ſine delectatione impoſſibile eſt: ut eſſet hoc poſſibile, adhuc impoſſibile eſſet illam dari ſine delectationis periculo: quæ omnia claudo Reſolutionem alterius caſûs referendo. [Eram olim Bruxellis, & me vexabat ſuis contemplationibus & revelationibus quædam virago, aliàs timoratæ conſcientiæ, quæ inter alios favores ſibi divinitùs conceſſos iſtum ſe experiri dicebat; nimirùm, in conjugali copulâ nullam delectationem aut ſenſualitatem ſentire; & tamen ſana & r buſta erat, & filiolos habebat ſpecioſos. Petij, An ſ. ntiret dolores in partu? & affirmativè reſpondenti, Delectatio, aio, dolorque miſeria ſunt correlativæ, & tunc primùm incipiam credere te ſine delectatione concipere, cùm te ſine dolore eniti.] Cur plura? Pollutio ſine delectatione non datur.

III.

MCCXXVIII. *An verenda brutorum confricare mortale ſit?*

ILlum, qui confricat verenda brutorum, communiter peccare venialiter docuit Sanchez *de Matrim. tom. 3. libr. 9. diſp.* 46. *num.* 15. quia inde non excitatur vehemens delectatio. Ergo delectatio, quæ non vehemens teſte Sanchez eſt materia parva. Hujus quæſtionis meminiſti *part. 2. tract.* 17. *reſ.* 37. & propriam ſententiam non aperis; at *part.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 31. §. *Quæritur ſecundò.* Stas à contrariâ ſententiâ.

Sed & Sanchez *loco citato, diſp.* 44. *num.* 16. alia venialia etiam peccata in genere Luxuriæ admittit propter parvitatem materiæ.

IV.

DElectationem voluntariam, quam habet conjux, etiamſi commoveatur ſenſitivè in abſentiâ alterius conjugis, excuſas à peccato mortali, tum alibi, tum etiã *part. 3. tract. 4. reſol.* 200. Ergo etiam hîc admittis parvitatem materiæ. *De coniugum delectationibus.*

V.

SAnchez *de Matrim. tom lib. 9 diſp.* 44. *num.* 16. admittit poſſe conjugatum ſe tangere voluptatis causâ, & hoc cum peccato veniali. Citatur à Te *part. 3. tract. 4. reſol.* 215. Reſumis hanc quæſtionem *part. 4. tract. 4. reſol.* 137. & addis Gaſparem Hurtado *tract. de Matrim. diſp.* 10. *diff.* 20. *num.* 47. Petrum Ochagaviam *de ſacra. tract. 5. de Matrim. quæſt. num.* 9. doceſque hanc eamdem opinionem tanquam probabiliorem defendi à Ioanne Præpoſito *in 3. part. D. Thom. queſt. 6. dub.* 26. *num.* 188. MCCXXIX. *De tactibus coniugum.*

VI.

INterrogas *part. 3. tract. 5. reſol.* 88. Anne licitum ſit aſpicere coitum beſtiarum, ſeu verenda turpiter commota? An etiam verenda & coitus hominum? Et ais P. Iacobum Granadum *in 2. part. D. Thoma contr. 6. tract. 4. diſp. 7. numer.* 3. approbare doctrinam Sanchez & reſpondere his verbis. [Non damnatur de mortali inſpicere verenda beſtiarum, etiam turpiter commota. Quod verò attinet ad coitum, licèt ſine neceſſitate ſit mortale ſtudioſè aſpicere concubitum licitum, vel illicitum hominum, eo quod nimirum ſenſualitatem commoveat, & ſit periculo nimis obnoxium, de coitu verò beſtiarum videtur id de ſe non eſſe mortale, quia non multum provocat ad luxu- MCCXXX. *De aſpectu rerum laſcivarum.*

Digitized by Google

luxuriam. Denique adverto non eſſe mortale aſpicere ullum coitum ita breviter,& quaſi per tranſennam, ut non ſufficiat ad notabilem commotionem, & idem dicendum eſt,ſi ille, qui aſpicit attentâ propriâ complexione non ſubit periculum prædictæ commotionis. Ita Granado,qui etiam addit peccatum mortale eſſe ex propoſito,& ſine neceſſitate aſpicere perſonam alterius ſexûs nudã,ut ſi vir fœminam&fœmina virum intueatur, imò,&ſi ſolùm videat verenda illius; quia id valde pugnat cũ honeſtate naturali,& quia eſt notabilis cauſa magnæ cõmotionis ſenſualitatis. Putat tamen hoc nõ eſſe mortale in eo, qui ob curioſitatem adeò leviter, & per tranſitum aſpicit,ut non ſit occaſio dictæ commotionis; ſimiliter ſi attentâ complexione, quis prudenter ſibi perſuaderet, nullum eſſe periculum magnæ commotionis, non damnaretur ad mortale, etiamſi ex propoſito inſpiceret.]Ita ille. Mones Lectorem, ut in his materijs cautè procedat & fugiat:ergo periculum obiicis; nam ſi ex naturâ ſuâ iſtæ actiones ſunt malæ, non jam in hac materia cautè, ſed nullomodo eſt procedendum.

Nota hoc, quia eſt doctiſſimè poſitum.

Nota hoc iterum.

VII.

MCCXXXI. QUæris *part.4.tract.4. reſol.* 136. An oſcula ſint peccata mortalia? citas pro negativâ Sylvium,Salas,&c. An benè alibi examino: hîc tamen dico illos locis à te allegatis mihi non favere, nec ſtare pro parvitate materiæ, quam propugno. Sed volo addere verba, quæ ſubſcribis, hæc enim noſtræ ſententiæ favent. Notandum eſt etiam obiter, inquis, aliquos Doctores aſſerere in ſupradictis oſculis & tactibus & univerſim in rebus venereis dari parvitatem materæ; & ita tenet ex ſocieatate Ieſu cum aliquâ formidine Leonardus Leſſius *lib. 4.cap 3.dub.8.num.*58. *&* 59. & ex Dominicanorum materia Samuel Lublinus *in ſummulà caſuum cõſc. verb. Oſculũ. num* 3.ubi ſic ait [Inter ſolutos,quamvis ejuſdem ſint ſexûs mortale crimen eſt oſculari & tangere, ob ſolam veneream delectationẽ ex hujuſmodi tactibus conſurgentem, niſi parvitas materiæ excuſet.Ita ille,& alij.]

VIII.

IN fine *reſolutionis* 136. quam habes *part.4.tract.* 4. citas *reſolutionem primam tractatus.* 5. *partis* 3. in quâ interrogas, An in rebus venereis datur materiæ parvitas? & reſpondes aſſerentem ſententiam fuiſſe Thomæ Sanchez *de Matrim.libr.9 diſp.*46.*numer* 9. 27.*&* 40.Zenardi *in direct.Confeſſar.par.* 1.*de ſacram.matrim.cap.* 41. *quæſt.* 28. & Salas *in part.* 2.*diſput.* 6.*ſect.* 21.*numer.* 149.quia,ait ille, *Cur in cæteris præceptis detur parvitas materiæ, & non in hoc?* Hanc etiam ſententiam docere inquis Villalobos *in Sũmâ tomo* 2.*tract.*40.*dub.* 9,*num* 8.ubi ſic aſſerit. [Tanbien ſe ha de advertir, que ſe puede hallar en eſte pecado parvidad de materia, como en otros, quales ſon los tocamientos leves,como de la mano de una muger, y del pie,con torcerle los dedos, o piſarle el pie,como dizen Navarro, y Cajetano,no obſtante, que algunos adminoten aqui parvidad de materia.] Ita ille. Ubi,ut video, Villalobos tangere mulieris manum, premere pedem, ſtringere digitos,&c.iudicavit eſſe materiam parvam, & citavit Navarrum, Cajetanumque, Doctores ſcrupuloſiſſimos, qui veritatis pondere hanc habuerunt ſententiam. Iubes prætereà legi Seraphinum Freitam *in addit. ad* MCCXXXII.

Digitized by Google

Tract.de Confeſſ.ſollicit.q. 7.*numer.* 33.& Sancium *in Selectis,diſp.*11 *num.*12. obediam, cùm detur occaſio; recognovi te jubente Malderum, qui hanc ſententiam ſpeculativè eſſe probabilem, docuit *in part.*2.*quæſt.*74.*art.*10.]

IX.

MCCXXXIII. SUcceſſu temporis plures legiſti Authores, & dari materiam parvam in rebus venereis inveniſti apud plures, & illos nobis liberè communicaſti. *Parte* enim *quintâ tractatu V.* qui totus eſt de parvitate materiæ, habes reſolutionem V. quæ noſtræ controverſiæ reſpondet. Ibi citas Iacobum Marchantium *in quæſtionibus Paſtoralibus ad Decalogum,cap.*6.*quæſt.*2. ubi inquit. [Oſcula etiam judicantur mortalia, licèt quis non intendat copulam, nec in eâ delectetur, ſed ſolùm illam voluptatem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur quærat, non intendendo ulteriorem. Hæc eſt communior, & tutior ſententia. Altera tamen, quæ dicit ſolùm eſſe venialia, ſi abſit periculum conſenſûs ulterioris, & periculum pollutionis, non videtur improbabilis. hanc tenet Martinus de Magiſtris, & aliqui Recentiores, in eamque inclinat Navarr. *de pœnitent. diſtinct.*1. *capit. ſi cui in fine.* Atque rationes hujus ſententiæ proſequitur fusè Leſſius *lib* 4.*cap.*3.*dub.* 8. Certè difficile planè eſt Confeſſariis peccati mortalis mox condemnare juvenes nubiles, & procos, quos paſſim reperies aliquibus oſculis uti erga procas, aut puellas, quas viſitant, nec ſibi hi vel hæ formant conſcientiam gravis peccati, licèt aliquā inde voluptatē perceperint, vel quæſierint, modò ſi nulla intervenerint voluntas alicujus attactûs impudici, vel periculum actûs aut conſenſûs ulterioris. Difficile etiam eſt denegare eis abſolutionem ſacramentalem, ſi à ſimilibus oſculis abſtinere noluerint, cùm afferant impoſſibile moraliter eſſe, ut nō intercurrant quādoque oſcula cum aliquâ voluptate, eò quòd deceat ipſos converſari inter puellas ad ambienda matrimonia, & honeſtas recreationes, & familiaria colloquia eis exhibere. Ratio igitur, cur non videantur ſtatim peccati mortalis condemnandi, eſt, quia voluptas illa ex oſculo capta videtur ſpectare ad parvitatem materiæ in hoc genere peccati, & ſolùm remotè diſponere ad voluptatem mortalem, quæ in concubitu carnali eſt; ſicut ergo voluptas illa venialis cenſeri poteſt, ſicut quæ remotè diſponunt ad alia peccata mortalia, ſolùm in genere peccati venialis cenſentur. Verbi gratia litigium diſponit ad homicidium, hauſtus immoderatus ad ebrietatem, non tamen mox ſunt peccata mortalia. Quapropter etiam voluptas illa inter ſponſos & ſponſas non cenſetur peccatum, ſi ſit ſine periculo pollutionis, quia nimirùm remotè ſolum diſponit ad actum principalem conjugii: ratione verò ſponſalium jus eis ad illa competit, quæ ſunt ſolùm diſpoſitio, & præparatio ad matrimonium. Itaque in aliis, quàm ſponſis, judicabitur voluptas illa exigua, ſicque venialis, niſi cum magno libidinis ardore ſit conjuncta. Unde adverto multos, qui peccati mortalis condemnant, ſic loqui, *qui oſculis vacant libidinosè.* Ita loquitur Cajetanus, Armilla, & alii: ideoque videntur loqui de replicatis oſculis, & cum morâ & ardore libidinis datis.] Huc uſque Marchantius. Qui etiam infra *in Coroll.capit.*8. ſic aſſerit. [Octavus caſus eſt de oſculis

Digitized by Google

oſculis inter juvenculos,& juvenculas, ex quib. aliqua ſenſualis delectatio impura oritur. Atque de his jam dictum eſt, ſi fiant cum ardore,& morâ, puta replicatis diu in ore oſculis ob periculum morale, mortalem ordinariè culpam afferre. Si verò in tranſitu fiat oſculum, cui vix inhæret, licet voluptas, ſeu delectatio aliqua captetur, poſſe ſecundùm opinionem multorum veniale id judicari ob parvitatem materiæ. *Quæ ſint oſcula libidinoſa?* Immò quidam hæc negant vocari *libidinoſa oſcula* quæ paſſim à Summiſtis condemnantur peccati mortalis: illa enim ſolùm inter libidinoſa recenſent, quæ fiunt ex intentione delectationis concubitûs, ſive pollutionis, aut ſimilis actûs luxurioſi.] Ita ille.

X.

MCCXXXIV. PRogrederis,& S. Auguſtini fortiſſimam periodum adducis, ex quâ cõſtat ſanctiſſimum Eccleſiæ Hipponenſis Pontificem materiam parvam in genere luxuriæ admiſiſſe. Agens contra Julianũ *libr.2.cap.*10. ſic inquit. *S. Auguſtini opinio.* [Quantum enim ad nos attinet ſine peccato ſemper eſſemus, donec ſanaretur hoc malum, ſi ei nunquam conſentiremus ad malum; ſed quibus ab illo rebellante, etſi non lethaliter; ſed venialiter, tamen vincimur, in his contrahimus, vnde quotidie dicamus, *Dimitte nobis debita noſtra.* Sicut conjuges quando modum generationis neceſſarium cauſâ ſolius voluptatis excedunt, ſicut continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliquâ delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, ſed intentionem mentis, non ſicut oportet, ne illo incidat, inde avertentes, aut ſi inciderint, inde rapientes.] Hæc adduxiſti ex Auguſtino. Et interrogo, An putes eſſe D. Auguſtini ſententiam, quam impugnas? Si non putas: deberes huic teſtimonio reſpondere. Si putas: deberes ob oculos ponere demonſtrativas illas rationes, quę te cogunt aſſerere omni carere probabilitate Divini Auguſtini doctrinam. Contemnat Auguſtinum, qui velit; hoc tamen unicum ſciat, in quæſtionibus pluribus multò gravioribus Pontifices & Eccleſiam Romanam, ut invenirent veritatem, ad Auguſtini doctrinam confugiſſe.

XI.

STatim adducis Caietanum & alios doctos negantes delectationem venereum ex ſolo viſu captam eſſe mortaliter peccaminoſam. Et ſubſcribis contra rationes, quæ tametſi non ſint demonſtrativæ, nunquam tamen habituræ ſunt demonſtrativam ſolutionem. MCCXXXV.

XII.

CItas præterea Baldellum *tom.*1. *lib.* 3 *diſp* 14. *num.* 4 & Lopez de Texedâ *tom.*1. *libr.*2. *tract.*3. *contr.*13. *num.*73. aſſerentes Clementem VIII. definiviſſe in Officio S. Inquiſitionis non dari in rebus Venereis parvitatem materiæ. Peto oſtendi Clementis VIII. authenticam definitionem; conſiderari verba; nam cùm ipſemet Authores examino, qui contrà dicuntur ſentire, à nobis ſtant,& ſemper ad periculum confugiunt, quod etiam accuſamus omnes, qui materiam parvam excuſamus: ergo fortè Clemens VIII. nihil pronunciavit de hac re: fortè loquutus eſt, ut Doctor: & ſi ut Pontifex, fortè ad periculi circumſtantiam recurrit, quam nos ſemper damnamus. MCCXXXVI

XIII.

UT videas qualiter hallucinentur in hac MCCXXXVII.

Digitized by Google

hac materiâ multi Authores, prodeſſet ex tuis libris exſcribere Decretum Claudij Aquavivæ pientiſſimi Viri, quod eſt tenoris ſequentis.

Quia nonnullorum Opinio, qui docent etiam in re venereâ exiguam aliquam delectationem deliberatè quæſitam, propter levitatem materiæ excuſare à peccato mortali, plurimum obeſſe poſſet non ſolùm bonæ ſocietatis exiſtimationi, ſed etiam puritati morum, quam tum in noſtris, tum in externis tanti ſemper facit ſocietas, & quia propter periculum in quod inducit, ac moralem impoſſibilitatem diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam levem à gravi, à doctis admodum, gravibuſque ſocietatis Patribus, cum quibus negotium hoc communicavimus, in praxi omninò falſa, maximè periculoſa, ac puritati valde contraria judicatur, re maturè conſiderata ſtatuendum in Domino duximus, ne quis in ſocietate in poſterum vel publicè, vel privatim, non modò ut veram vel probabilem, ſed ne ut tolerabilem quidem, nullâ ratione eam doceat, aut placere ſibi ſignificet, aut ſecundum illam conſilium cuiquam det, quod omnibus in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipimus, & ſub pœnâ excommunicationis ac privationis lecturæ, vocis activæ, & paſſivæ, nec nõ etiam inhabilitatis ad quælibet officia, ac alijs pœnis arbitrio noſtro infligendis. & ad profeſſionem tales intelligant ſe minimè eſſe admittendos, & ubi de re ſatis conſtiterit, provinciales ſtatim exequi debebunt, noſque primo quoque tempore monere, ut re examinatâ ſtatuere poſſimus, an qui rem tanti momenti, atque à nobis tam ſerio commendatam neglexerit, retineri in ſocietate expediat, atque, dum (quod futurum ſperamus) gravius aliquid in hanc doctrinam à ſuprema Romana ſede ſtatuatur, volumus etiam ut poſt manifeſtationem huius decreti, ſi quis in poſterum aliquem ex noſtris contra ſupradicta deliquiſſe noverit, teneatur in virtute ſanctæ obedientiæ Superiori aperire. Romæ 24. Aprilis 1612. Claudius Aquaviva.

Nota bene. Nocivam ait, & non improbabilem.

Ecce ad periculum recurrit.

Ago tibi immortales gratias, quod illius magni Viri Decretum edideris, ut aperiantur eorum oculi, qui Claudij authoritate inducti contradixerunt Caramueli. Vbi obſecro Claudius Aquaviva declarat tangere fœminæ vel digitum ſecluſo ulteriore periculo eſſe culpam mortalem? Porrò Concluſioni non debemus majorem certitudinem dare, quàm præmiſſis: nec in univerſales poſitiones trahere, quæ cum limitatione dicuntur. Dicit primò Aquaviva *quamcumque actionem laſcivam eſſe malam mortaliter propter periculum in quod inducit.* Ergo, ſi per impoſſibile abeſſet tale periculum, non eſſet mortaliter mala; Ergo ſtat mea doctrina, quam Claudius Aquaviva præſcribit. Dicit ſecundò, *tenendum eſſe non dari materiam parvam ob moralem impoſſibilitatem diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam levem à gravi*: Ergo neget omnem conſenſum ſemiplenum, & pleraque peccata venialia, neget omnem hæreſim materialem, omnem ignorantiam invincibilem, quia ſæpiſſimè in ejuſmodi materijs & aliis ſexcentis ſimilibus impoſſibile eſt practicè diſtinguere peccatum veniale à mortali. MCCXXX. VIII.

Sed addo quempiam Doctorem ſocietatis Virum magnæ pietatis & eruditionis coram me vituperaſſe cujuſdam Iunioris ſententiam, quæ docebat, Ieſuitas non poſſe tenere Auguſtini opinionem, materiam parvam concedentis in re Venereâ: dicebat enim Patres Societatis non poſſe illam docere aut conſulere, poſſe tamẽ habere & juxta illam ſuas conſcientias dirigere: quod mihi viſum eſt cautiſſimè & doctiſſimè dictum.

Et

Digitized by Google

MCCXXXIX *An aliquis Ieſuita neget parvitatem materiæ?* Et concludo Claudium Aquavivam, ſi contra nos aliquid pronuntiaſſe dicatur, fuiſſe unum Doctorem: & in causâ, quod noſtra ſententia nullum Patris ſocietatis contra ſe, poſſe habere videatur. Quâ enim ſinceritate citare potero pro unâ ſententiâ homines pientiſſimos, ſubditiſſimos, & obedientiſſimos, qui velint nolint debent loqui prout ipſis indicitur à ſuperioribus: ergo ſocietatis Authores ſententiæ Aquavivæ probabilitatem non addunt; in hac enim materiâ ſuperiorum imperio diriguntur. At vellem audire quid dicere Ieſuita poſſet Petro, qui ſic conſiteretur.

Quomodo ſe gerere in cōfeſſione Ieſuita poſſit; debeatve? [Me accuſo, quod manum fœminæ tetigerim cum alteratione aliquâ levi & ſufficienti ad peccatum veniale.] Dicetne Pater Ieſuita Petrum peccaviſſe mortaliter? Negabit ille; & putabit ſe ſacrilegam confeſſionem facturum, ſi ſe accuſet de mortifero, quod non commiſit. An ne dicet opinionem Petri non eſſe probabilem? loquetur contra dictamen Pater, ſi hoc dicat: & reponet Petrus potiùs Patris ſententiam non eſſe probabilem: Confeſſarium ſequi pœnitentis ſententias, & juxta pænitentium dictamen judicare. Ergo Confeſſarius Ieſuita audiens Petrum, tacebit, & abſolvet omnino: vel dicito, quid faciet?

XIV.

MCCXL. *De mente Caramuelis.* TRactas iterum eamdem controverſiam *part. 7. tract. 11. reſol.* 28. & ibi citas me, & producis quæ ſcripſi in Regulam D. Benedicti num. 1052. & ſequentibus. Interim dum multa exſcribis, omittis meo judicio præcipua: cur enim non etiam exſcribi curaſti hanc periodum, quam meo damno omiſiſti. Ibi ſic Ego. [*Periculoſum eſt, ait Diana, aſſerere dari materiam parvam. Fateor: quia qui putat hanc vel illam actionem ſenſualem eſſe levem dum illam elicit, ſæpè ſe exponit periculo ulteriori. Vnde ſi hoc ſit alterius rei etiam levis, erit remotum; non enim datur proximum ſi materia ſit parva; ſi periculum ſit evidens & rei gravis, erit peccatum mortale: ideò doctiſſimè Malderus docet ſpeculativè poſſe admitti materiam parvam, practicè autem (& hoc ratione periculi frequenter imminentis) non poſſe: nam actio ex ſuâ naturâ levis, poterit eſſe peccaminoſa graviter, ſi graviter ſit periculoſa. Ego autem loquor de malitiâ intrinſecâ actionis omni alio periculo præciſo.*] Hæc ibi Ego, quæ legiſti, & etiam legit Baſæus, qui me aliter citat & exponit. Nam in floribus *verb. Peccatum. 1. nu. 7. pag. 520. juxta editionem Antuerpienſem* ſic inquit. [Sanè pro majore hujus quæſtionis elucidatione, non gravabor hîc apponere verba docti D. Ioannis Caramuel, &c. Fatetur idem Author (Caramuel) periculoſum eſſe aſſerere dari materiam parvam, quia qui putat hanc vel illam actionem ſenſualem eſſe levem, dum illam elicit ſe exponit periculo ulteriori.] Hæc Baſæus, & verè ad mentem Caramuelis: qui in eodem Commentario diſputationem illam LXIX. claudit his clariſſimis verbis [*Pono calamum, monens doctum & pium Lectorem me ſemper loqui de delectatione ipſâ parvâ, à periculo incrementi & conſenſûs ulterioris præciſa; quia ubi datur conſentiendi in rem gravem proximum & indubitatum periculum, centies dixi non abeſſe peccatum mortale.*]

XV.

MCCXLI. *Arauxus quantus?* IN eâdem Reſolutione XXVIII. citas Magiſtrum Franciſcum Arauxum [Quantum Virum! Eum audivi præ-

 ſidentem

Digitized by Google

ſidentem & diſputantem Salmanticæ, & ſi illi mundus paucos ſimiles habet, multum habet. Erat Theologiæ Thomiſticæ Primarius Cathedraticus; ſeu dictaret, ſeu loqueretur, admirabilis; quem amavi & ſuſpexi; & omnes qui vel ejus virtutes, vel doctrinam viderunt, eum amarunt.] Is igitur contra te nominatim inſurgit, & parvitatem materiæ defendit, in ſuis eruditis Commentarijs in 12. D. Thomæ.

Addis ſapientiſſimo Arauxo Laurentium Landmeter in Regulam Divi Benedicti. Eum in Regulam D. Auguſtini ſcripſiſſe ſcio: at ejus commentarium in Regulam D. Benedicti nondum vidi.

XVI.

MCCXLII. ROgo Eximie & Sapientiſſime Domine mi: Cur non aſſentiris Arauxo, quem tantum eſſe meritò fateris? Cur non alijs etiam Viris doctis? Cur non Caramueli, quem tanto affectu honoras? Cur non D. Auguſtino, cujus eſſe ſententiam Caramuelis fateris? Reſpondes *part.7.tract.11.reſ.28.§. verum*, dicens [*Ego his Authoribus non poſſum adhærere; quia non deſunt, qui cenſeant dictam doctrinam eſſe cenſurâ dignam.*] Sed quid inde, ſi doctiores diſſentiunt: & hanc ipſam cenſuram cenſurâ rigoroſâ condemnant?

XVII.

MCCXLIII IOannes Antonius Saura *in voto Platonis de examine Propoſitionum. cap.* 13. ſic ait. [Propoſitio periculoſa in moribus illa eſt, quæ ſpeculativè conſiderata aliquam habet veriſimilitudinem & apparentem colorem probabilitatis: verum in praxi moraliter loquendo ſine gravis culpæ reatu non poteſt executioni mandari. Hoc periculum in causâ eſt, ut ſimiles propoſitiones juſtiſſimè poſſint condemnari: quales ſunt nonnullæ opiniones circa materiam levem in rebus venereis.] Ita Saura, cui conſonare ais Tranſmieram *tract. de oblig. revel. queſt. 4. cap. 4. num.* 4. Ioannem Machadum *de perfect. confeſſ. tom. 1. libr. 2. tract. 19. docum. 1. numer.* 4. Et jubes videri Texedam *in controv. Theol. Moral. tom. 1. libr. 2. tract. 3. numer. 11. contr.* 1. qui contra Sanchez, & per conſequens contra Arauxum invehitur.

Sed ut rem fatear Saura non placet, & nihilominùs à me eſt. Non placet, quia ſtrident omnia quæ de periculoſâ propoſitione dicit, non enim in praxi committitur peccatum mortale, niſi detur dictaminis ſpeculativi directio. Dixi à me ſtare Sauram, quia materiam parvam in genere luxuriæ ille periculi ratione condemnat; cui ego omninò conſentio, ſunt enim mortaliter peccaminoſæ actiones laſcivæ, etſi videantur parvæ ſecundum ſe, ſi adſit lethalis peccati periculum. Et falſum eſt iſtud ſemper abeſſe in actionibus naturâ ſuâ parvis; tametſi non audeam aſſerere nullam omninò actiunculam reperiri in individuo poſſe, quæ careat evidenti periculo. Imò hoc ipſum docet apertè Saura; nonnullas enim opiniones circa materiam parvam in rebus venereis condemnat: & ego etiam nonnullas. Non ergo Saura univerſas condemnat. Ergo aliquas non condemnat. Admittit igitur nonnullas occaſiones in quibus in peccatis luxuriæ detur materiæ parvitas.

PARS II.

TRanſeo ad Luxuriæ accidentia, in quibus etiam reperio materiam ali- MCCXLIV.

aliquando parvam. Reperio inquam in tuis Reſolutionibus, quas ſummo fructu & ſtudio pertinaci dìvolvo.

QUÆRO PRIMÒ. *An omittere modum communem in copula, & alio extraordinario abuti, ſit mortale?*

Et tu *part.1.tract.7.reſol.35.* diſſolvis hanc quæſtionem his verbis. RESPONDES PRIMÒ, quidquid aliqui aſſerant, negativè. Et ita non peccat mortaliter Vir, qui vult habere copulam cum uxore vel à latere, vel ſedendo, vel præpoſterè, aut ſuccumbente; niſi adſit periculum effundendi ſemen extra vas. Quia eſt abuſus ac naturalis ordinis perverſio in ſolis accidentibus, dum vas legitimum ſervatur. Et ita docet Sanchez *de Matrim. tom. 3. libr. 9 diſp. 16. numer. 3.* & alij penes ipſum. ADDIS SECUNDÒ, quod interdum hoc effici poſſit & ſoleat ſine culpâ veniali, ubi non captandæ voluptatis gratiâ hoc accid t, ſed aliquâ juſtâ cauſâ interveniente, puta ſi nimium obeſus ſit vir, aut ſit periculum ne ſuffocetur fœtus. SUBIUNGIS TERTIÒ, quod uxor ten tur reddere debitum, etſi illud petat vir cum culpâ veniali: puta ſi velit inordinato ſitu habere copulam. Ita Sanchez *ubi ſupra num 8* licèt contrarium tibi, & Henriquez *libr. 11. cap. 16. numer. 6. in Gloſſa. litt. O.* & aliis judicetur probabile.

Si hæc ita ſunt Eximie & Eruditiſſime vir, concedis in Luxuriâ materiam parvam accidentalem; quod probare volebam.

Et quidem hanc ipſam Reſolutionem recognoſco, & has poſitiones pronuntio.

Prima ſit. *Mutans ſitum in copula non peccat mortaliter.* Certam putas, & puto: nec aliorũ vociferationes curas, quia putas te ratione efficaci ſuffultum, & ideò non arroganter ſed generosè dicis, *Reſpondeo, quidquid aliqui aſſerant, negativè.* Patere igitur, ut quando me puto ratione manifeſtâ muniri, in mea abundem ſententia, quidquid aliqui aſſerant, vel contradicant.

Secunda. *Mutans ſitum in copula non peccat venialiter.* Oſtendo. Omne peccatum etiam veniale eſt contra aliquam legem; At nulla eſt quæ præſcribat modum copulæ; Ergo quisquis ita utitur uxore ut nullum ſit ſeminis effundendi periculum, non peccat venialiter. Vel qui contrarium ſomniet, talem legem oſtendat. *An detur lex de modo copulæ?*

Tertia. *Si daretur lex exponens modum ſervandum in coniugali copula, qui ſitum ſine cauſa mutaret, peccaret venialiter.* Patet; quia violare legem in aliquâ circumſtantiâ accidentali eſt veniale.

Quarta. *Quod ſecundo loco dicis, ſi ſupponatur id quod dixeras primo, indiget magno examine.* In legibus humanis valet diſcurſus tuus, quo Ego etiam interdum utor: at in lege divinâ videtur non habere locum, aut ſaltem non ſemper habere. In Commentario in Reg. D. Benedicti *num. 1391.* Sic diſcurro. [Sicut cauſa gravis (talis eſt morbus aut ſumma occupatio nata ex obligatione naturali, quæ ſemper eſt major poſitivâ) efficit ut poſſis ſine culpâ mortali Divinum officium quoad ſubſtantiam omittere: ſic ſimiliter cauſa mediocriter gravis (hanc vocant non urgentem ſed rationabi'em) efficiet, ut ſine peccato veniali poſſis omittere aliquid, quod in Divino officio eſt leve: vel in quantitate, ut unum aut alterum Pſalmum verbi gratiâ, vel in qualitate, ut Pſalmorum ordinem aut diſpoſitionem rubricarum.] At Tu in lege Divinâ (quoniam, ſi copulæ modus lege præſcriptus eſt, non niſi lege naturali

 & divi-

& divinâ præſcriptus eſt) hac Dialecticâ abuteris : & ut puto non bene: quia ſi hic modus diſcurrendi habet locum in lege naturali, cur non poſſem ſic philoſophari [Peccatum mortale eſt occidere, veniale mentiri ; Ergo ſicut graviſſima & urgentiſſima neceſſitas concedit Petro , ut poſſit occidere invaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ , levis & rationabilis cauſa concedet ut poſſit mentiri.] Tu rem conſidera : & me monere & reſolutione doctiſſimâ adjuvare digneris.

Licita ſunt aliquando homicidia: nunquam verò mendacia.

MCCXLV. Quarta. *Quod tertio loco affirmas, ſi ſupponantur quæ dicis primo & ſecundo, certum eſt.* Nam ſi ſitus in copula matari ſine causâ non poteſt, & cum rationabili poteſt , cùm maritus vult ſibi reddi debitũ tali modo etſi ipſe careat rationabili causâ, uxor rationabilem habet, & ſic peccanti venialiter in modo exigendi ſolvit illa ſine culpâ veniali.

Huic caſui eſt ſimillimus alter in materiâ toto cœlo diversâ, quem propono & reſolvo *in Comment. in Regulam D. Benedicti* , *num.* 1371. Quæro ibi, quî debeat ſocius cũ ſuo ſeniore horas Divinas recitare ? & quid facere poſſit, ſi ſenior mutet rubricas, & modum officii ? Et reſpondi poſſe ſocium opinari id fieri ex causâ. Sed quid ſi evidenter ſciat ſocius ſeniorem nullam habere cauſam ? Reſpondi in tali caſu ſeniorem peccaturum venialiter, ſupponitur enim rationabili causâ carere; at juniorem non item nam iſte cauſam rationabilem habet ; debet enim ſe accommodare voluntati & diſpoſitioni ſenioris. Hæc ita vera & clara ſunt, ut olim in Siciliâ interrogatus, eodem modo reſponderis, etſi tunc nec me legeris, nec alium qui iſtum Caſum tractaverit. Sic narras *part.* 7. *trac.* 11. *reſol.* 10.

Sed quia hoc dubiolum ſubcurrit, non volo ad aliam quæſtionem tranſire , quouſque illud etiam dilucidetur. Petitur , An volente juniore mutare modum officii Divini ſine rationabili causâ, poſſit illi ſenior morem gerere, & dicere ſe habere rationabilem cauſam ? Subpetitur. An volente uxore mutare modum copulæ ſine cauſa, poſito quod hæc alteratio in ipsâ ſit peccatum veniale , poſſit illi maritus condeſcendere, ita ut non ſit peccaturus venialiter.

In primo caſu regulariter reſponderem, non poſſe : nam ſenioris non eſt obedire, ſed jubere. Conſultò dico *regulariter*, nam ſi per accidens darentur rationes ob quas non expediret diſplicere, jam ſenior haberet rationabilem cauſam. In ſecundo benigniùs reſponderem : puto enim in uſu Matrimonii petentem ſuperiorem & majorem eſſe, nam petere quodammodo eſt præcipere, & reddere obedire eſt.

Sed & aliquid etiam ſubnotaturus ſum , ut paritas rationis obſervetur. Uxorem, quæ marito petenti debitum cum ſitus mutatione obedit , peccare venialiter aſſeris eſſe probabile : Socium , qui cum ſeniore mutante ſine cauſa rubricas legit , peccare venialiter obediendo, non aſſeris eſſe probabile : & tamen non eſt ovum ovo ſimilius, quam caſus caſui : Ergo vel utrobique eſt admittendum eſſe probabile peccare venialiter, qui obedit : vel utrobique erit negandum. Utrum tamen ? A doctioribus ſolutionem expecto.

PARS

Digitized by Google

PARS III.

MCCXLVI. *De periculo* VIdimus, Eruditiſſime & Eximie Domine, in Luxuriæ genere admitti à Te materiam parvam extrinſecam intrinſecamque. Videamus ergo, quo modo de periculo philoſopheris.

Ego quidem periculi cauſa interdum actiones leves eſſe mortaliter peccaminoſas dixi, & dico: & pro hac ipſa ſententia citor à Baſæo *in Floribus verb. Impudicitia pag.* 372. *numer.* 7.*b.* juxta ſecundam editionem nec puto eſſe hominem, qui alio nomine neget materiam parvam in hoc genere. Anne abeſſe poterit conſentiendi periculum?

I.

TU aſſertivè reſpondes *part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 31. Vbi hunc Caſum expendis. [Quædam mulier inter confabulationem cum Viro ſibi in matrimonium conjungendo, dicebat illi verba, non quidem turpia, ſed affectuoſa & amatoria, unde poſteà in pollutionem aut diſtillationem incurrebat, ſine ulla tamen delectatione vel periculo alicujus conſensûs, imò cum maxima diſplicentia, quia erat timoratæ conſcientiæ.] Poſito caſu, ſub his verbis conſuleris, An illa peccaret mortaliter? & ſi nollet deſiſtere ab ejuſmodi confabulationibus, an ei eſſet abſolutio deneganda? Et reſpondes, omninò illi conſulendum eſſe ab his ſermonibus abſtinere; ſed in rigore loquendo non eſſe denegandam abſolutionem.

Hunc caſum tuamque ad illum reſponſionem paulo ante produxi, ut oſtenderem, tibi eſſe familiariſſimam illã ſententiã, quæ docet dari in genere Luxuriæ parvitatem materiæ: ſed & illum reponere nunc volui, ut oſtenderem qualiter de periculo philoſopheris.

Non eſſe huic fœminæ negandam abſolutionem ais, & tamen illam ſcienter in pollutionem labi ponis. An non delectationis vehementia poterit eam rapere, ut in eamdem pollutionem conſentiat? Ergo vel datur periculum, vel non datur. Si datur periculum proximum conſentiendi, neganda erit illi abſolutio, & in rigore jubendum ut abſtineat à confabulationibus periculoſis, etiam cum damno perdendi ſponſum, imò cum damno perdendi vitam; non enim licet ſe exponere proximo periculo peccandi. Si non datur periculum (quod Caſus ſupponit, & me judice interdum erit verum, & univerſaliter faſum) Ego formabo argumentum à fortiori, & inferam, Nullum dari periculum ſufficiens ad peccatum mortale in eo, qui digitum fœminæ laſcivæ ſtringit, ſine pollutionis periculo. nam vehementiùs illicit ipſa pollutio, quàm quæcumque levis delectatio, & tamen in ipſa pollutione, ſcienter permiſſa, tu tale periculum non cognoſcis. Et quidquid de hac illatione ſit, lege obſecro totam illam reſolutionem, & invenies te admittere unum peccatum veniale in luxuriæ genere, quod committitur cum clara & libera notitia, quod tamen ob periculum non dicitur eſſe mortale.

II.

QUærunt aliqui, An ad expellendum ſemen corruptum, vel ad ſedan- MCCXLVII. *De fricationibus.*

dandum pruritum, liceat fricare verenda, cum periculo pollutionis, non tamen conſenſûs in eam? Ecce omnes, qui proponunt hunc caſum, & omnes qui reſolvunt, ſupponunt poſſe hominem ſcienter pati pollutionem ſine cõſentiendi periculo. Hunc tu caſum producis *part.* 2 *tract.* 16. *reſol.* 56. & pro aſſerente parte adducis Filiucium, Sanchez, Reginaldum, Bonacinam, Joannem Sancium, Villalobos, & multos Theologos ex Societate. Hic tu tenes aſſerentem ſententiam; nam, ſi illam hîc judicas improbabilem, quomodo ſcribis, *Hinc deducitur deciſio multorũ caſuum.* non enim ex doctrinâ improbabili caſuum reſolutio deſumitur. At quia dicis ſub hujus reſolutionis finem te tenere opinionem contrariam, dicamus, te prius Reſolutionem ſcripſiſſe, & longo poſt tempore ſubſcripſiſſe illa verba, *Sed an omnia ſupradicta* &c. opponũtur enim illis, quæ citavi. Sed quia *part.* 9. *tract.* 8. *reſol.* 31. §. *Quæritur quartò.* iterum te habere contrariam opinionem teſtaris, te eſſe in opinione Texedæ cõſentiamus; at ſaltem caſum admittis. Ergo poteſt quis fricare verenda certò ſciens dari pollutionis periculum, quin detur periculum conſentiendi in illam. Hoc admittis igitur; nam ſi non admitteres, non deberes reſpondere negativè, ſed dicere caſum eſſe impoſſibilem.

MCCXLVIII. Conſoni ſunt alij caſus, quos ibidem proponis. Nam ſi quæris, An poſſit chirurgus contrectare verenda infirmi curationis causâ, etiam cum pollutionis periculo, modò non ſit periculum conſentiendi? An curſor equitare queat, tametſi experiatur ſe involuntariò & ſine conſenſûs periculo in mollitiem incidere? An qui tali modo decumbit, ſi ſciat ſe ex tali ſitu in pollutionem ſine periculo tamen conſenſûs deventurum, teneatur vel lectum deſerere, vel alio modo decumbere? Quibus omnibus dubiis ſeu affirmativè ſeu negativè reſpõdeas, modò caſus admittas, quod facis, teneberis concedere, poſſe aliquem advertenter & plenâ mente pollutionem actualem pati ſine conſentiendi periculo.

III.

Agis de Comœdiarum auditione *part.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 35. & tametſi rem eſſe periculoſam & peccatum lethale judicaverit Comitolus *in Reſponſ. Mor. libr.* 5 *quæſt.* 21. tu benignè reſpondes, nec putas periculum eſſe inſeparabile. MCCIL. *De Comœdijs.*

IV.

Quæro, An fœmina quæ violenter cognoſcitur, peccet mortaliter? Et tu *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 31. poſtquam eruditiſſimè Authores pro utrâque ſententiâ attuliſti, ſic ais. [Dicendum eſt igitur cum Curiele, *in part.* 2. *D. Thomæ quæſt.* 6. *art.* 5. quod ſi fœmina non timeat periculum conſentiendi, videtur probabilis ſententia eorum, qui dicũt, quod ſolùm tenetur facere, id quod commodè potuerit, habitâ ratione periculi, in quo verſatur: ita, quod ſi ex vociferatione, aut aliâ reſiſtentiâ poſſit ſequi grave incommodum, ut mors, infamia, vel detrimentum in bonis ſuis, non tenebitur eâ (reſiſtentia) uti: quoniam oppreſſio in iſto caſu non habet rationem actionis liberæ reſpectu fœminæ; &c.] Ergo ſentis, Pater Eruditiſſime, poſſe fœminam pati oppreſſionem, ſine conſentiendi periculo. Inconſequentiam MCCL. *De fœminâ oppreſſâ.* *An teneatur clamare?*

tiam Ego admiror, quia in hoc caſu fingis mulieres ferreas aut adamantinas, & in alijs molles & ſachariceas: cùm tamen deberes mediam ſemper tenere viam, quam experientia docuit illos, qui varias confeſſiones audiunt.

V.

MCCLI. *De oſculis.* Difficilia ſunt & obſcura, quæ de oſculis inter ſponſos de futuro, tradis *part.4.tract.4.reſol.* 131. nolo examinare, An ſicut oſculum eſt quædam inchoatio copulæ conjugalis, ita & ſponſalia quędã ſint inchoatio matrimonij? nolo hîc examinare diſtinctionem inter ſponſalia abſoluta & conditionata; omnia modò condono; alibi examino; ſed ſolùm inquiro, An in oſculis detur certum & evidens; aut ut generaliùs loquar, an detur progrediendi ulteriùs periculum inevitabile & ſufficiens ad peccatum mortale: vel non detur? ſi non, habeo intentum; hoc enim hîc oſtendendum aſſumpſi. Si detur; quod *part.4.tract.4.reſol.*136. tueris, oſcula erunt inter ſponſos mortaliter peccaminoſa ratione periculi. Ergo vel peccatum aſſere, vel periculum nega.

VI.

MCCLII. Apud te *part.3.tractat.4.reſol.* 215. & *part.4.tractat.4.reſol.*137. reperio Thomam Sanchez, Gaſparem Hurtado, Petrum Ochagaviam, & Prępoſitum aſſerentem poſſe ſine culpâ mortali cõjugatum libidinosè ſua membra tangere, ſi abſit pollutionis periculum. Ergo crediderunt hi Authores non ſemper in tactibus libidinoſis eſſe ulteriùs progrediendi periculum.

HÆC PLACVIT

Doctiſſime Vir, ex tuis Reſolutionibus excerpere, ut oſtendam cõmunem te & veram ſententiam tenere, quam hodie non debes deſerere, niſi velis de inconſequentiâ ab Orbe literario accuſari. *Ideò, inquis, deſerenda communis eſt, quia nonnulli dicunt eſſe cenſurâ dignam opinionem, quæ levem materiam in genere Luxuriæ admittit.* Sed pace tuâ hęc ipſa ratio ſupponit falſum, & nihil omninò concludit. *Supponit falſum*: illi enim, qui ſeverius loquuntur, recurrunt ad periculum, & à nobis ſtant, actionem enim leviſſimam quamcumq; ſi habeat peccati mortalis periculum manifeſtum adnexum, non ſolùm in materiâ luxuriæ, ſed in aliâ quâcunq; graviter condemnamus. *Nil concludit omninò*, quia ſi ideò noſtra eſſet opinio deſerenda, quia cenſurâ digna dicitur à Junioribus pauculis; ideò etiam eorumdem opinio erit non admittenda, quia condemnatur ab omnibus: omnes enim qui, ut certam aut probabilem noſtram opinionem admittunt, omnes ipſi cenſuram adverſariorum damnant, & cenſurâ graviſſimâ inurere debent.

Meum fuit hæc ſincerè ad Te ſcribere: Tuum erit, celeberrime Vir, eadem recognoſcere, & ſecundo calamo dilucidare, ut mundus videat integer, cui debeat in hac controverſiâ (me judice, clariſſimâ & certiſſimâ) aſſentiri vel credere.

Vale.

FVN-

FVNDAMENTVM LIX.

De furto, quod inhibet Septimum Præceptum Decalogi.

MCCLIII. *Voluntas virtualis.*

FVrtum eſt acceptio rei alienæ invito domino. Qui immeritò invitus eſt, virtualiter eſt non invitus. Qui rem retinet invito domino, tametſi illam à volente ſuſceperit, virtualiter loquendo fur eſt. Qui rem pretio juſto vẽdit, licet ſummo; quam emerat juſto, licèt imo, non furatur. Sed quãta in furto quantitas requiritur ad peccatum mortale? in furtis filiorum videtur requiri duplò major, quàm in furtis peregrinorum: inter filios & peregrinos videntur debere poni amici ac famuli: & ſi cæteri tam parvi aurum facerent, quàm ego, non ſufficerent aurei mille ad peccatum mortale: at quia aliis ipſi ſunt apprehenſionibus inſtincti, pauci ſufficiunt. Sed quot? Vellem hîc aliquid ab aliquo docto demonſtrari. [Merces ultroneæ vileſcunt pro mediâ parte: amplius etiam interdum: pretia enim à venditorum & emptorum multitudine pendent.] Idem neceſſario dicendum de pecuniâ ultroneâ, vel conſequentia non ſervatur. Ergo ſi equus valeat centum aureis; & tu roges emptorem aliàs non empturum, debebis vendere quinquaginta: ergo ſi rogaris, aliàs non venditurus, poteris vendere ducentis; vel diſparitatem aſſigna.

Furtum quid? *Rerũ pretia.* *Quantitas magna.* *Merces ultronea.*

MCCLIV. *De Principum poteſtate.*

QUærunt aliqui, *An Princeps poſſit in furto diſpenſare?* Reſpondeo aliud eſſe facere, ne ablatio rei alienæ ſit furtum; aliudque toto cœlo diverſum, ut ipſa maneat furtum, & tamen peccatum non ſit. Addo prius poſſe Principem, non poſterius. Prius quidem facere ille poteſt, & primò ſi lege à populo acceptatâ ſanciatur, ut rapinæ & latrocinia non liceant, ſubrepſiones & furta liceant. & patet quia lex acceptata tranſit in contractum & concordiam, & in tali caſu nihil fur retineret invito domino, quia qui acceptavit illam legem, non eſt invitus. Illuſtratur exemplo. Decem amici recreationis causâ ſingulos aureos contribuunt, qui ſimul compacti abſcondantur à Petro, hac lege, ut omnes quærant, & ille qui eos inveniat, poſſideat. Inveniſti tu: qui eras ex illis decem; retine: quia nihil retines invitis dominis: quia tametſi vociferẽtur & occlament, ex pacto eſſe non inviti tenentur. Progrediuntur in ludo, & ſtatuunt,

Digitized by Google

tuunt, ut quicunq; ab alio ſubripiat pecuniã ex ſacco qu n ſentiatur, retineat. Subripuiſti tu centum aureos à Joanne; ille non ſ nſit, tui ſunt. Ergo ſicut conveniunt decem, poſſent centum, poſſet otaReſpublica.

Secundò lege non acceptatâ, ſi dentur rationes inſuperabiles, quę neceſſitent, ut ejuſmodi lex proferatur: quæ ſuppetent nunquam, vel rarò. Hinc aliquid adduci poterit pro militibus. Aliqui illos ſalvant nomine extremæ neceſſitatis; & neſcio cur omnes & ſemper illam pati dicantur? Multi ſunt divites, & abundant ſuperfluis. Reſpublica militum latrocinia, furta, &cæt. deteſtari videtur; at extorſiones victualium uno aut altero actu conſumendorum tolerare. Sed hoc ipſum loca & tempora r ſpicit & apud Hollandos & alias nationes limitatur.

Furta militum.

I.

MCCLV. *Eorundem neceſſitas.*

RESolvi rarò aut nunquam milites extremâ neceſſitate laborare: at quia gravi illos ſępè laborare negaturus non ſum, inquiris, an pauper nõ ſolùm in neceſſitate extremâ, ſed etiam in gravi poſſit ab opulentis neceſſaria ſubripere? Reſpondet affirmativè Diana *part 2. tract. 17. reſol. 29.* & citat Bonacinam, Malderum, Leſſium, Petrumà Navarrâ, Angel m, Emanuelem Sà, Medinam, Navarrum, Sylveſtrum. Infero. Ergo multi Europæ patibula onerant, dicuntur fures, & habentur infames, qui ſunt inno entes omninò, poſſentq; & deberent excuſari & ſalvari. Ergo in tribunalibus au iendus eſſet reus, qui contrà aſſeveret, ſe gravi neceſſitate laboraſſe.

An ſufficiat gravis neceſſitas, ut omnia communia dicantur?

Progredior. Sacerdos pauper, qui ex ſolo miſſarum ſtipendio victitat, ſatis eſt miſerabilis: & in gravi eſt neceſſitate conſtitutus, ſi non habeat quantum ſit neceſſarium ad ſuſtentationem diurnã. Ergo ſtando doctrinæ Dianæ, ſi nemo illi offerat ſtipendium pro miſsâ, ſubripere à divitibus poterit, quantum ſit neceſſarium ut ex neceſſitate illâ gravi egrediatur. Ergo poterit recipere ab ultrò offerentibus & miſſas poſtulantibus. Ergo poterit pro unicâ miſsâ accipere tot ſtipendia, quot ſufficiant ad ejus diurnam ſuſtentationem. & quid ad hoc ultimum Diana? *Hæc opinio,* ait part. 2. tract. 14. reſ. 8. *modò corruit; nam Sacra Congregatio in decretis,* &c. & me judice inconſequenter, nam vel corrruit reſolutio illa XXIX. tractatûs XVII. aut corruit hæc Cardinalium declaratio. Adhuc progredior & inquiro, quid intelligat Diana nomine gravis neceſſitatis? *Per gravem neceſſitatem intelligo,* ait Diana, *non quovis modo gravem, ſed valdè gravem, etſi non extremam; puta ſi fuerit neceſſitas morbi, famis, nuditatis,* &c: ergo ſi æger poteſt ſubripere à divite quantum ſit opus, ut habeat medicos & medicinas; famelicus ut expleat appetitum; nudus ut habeat decenter veſtes; poterit debitor, ut creditori ſatisfaciat; miles, ut habeat arma; captivus ut litrum; reus, ut advocatum: &c. & aperi tur latiſſimus campus, & vix manebunt furta in mundo.

Quid ſit gravis neceſſitas?

II.

VIdetur aliquibus locis Diana ſummâ inconſequentiâ laborare. Ego hoc dubium propono. Sunt, qui dicant ſacerdotem pauperem, modò ſingulis diebus celebret, poſſe à quibuſcunq; miſſas offerentibus, eleemoſynas aut ſtipendia accipere, etiam ſupra taxam determinatam ab Epiſcopo, ut habeat

MCCLVI. *De taxa miſſarum.*

I iii

Digitized by Google

beat pro victu moderato, veſte decenti, & domo congruâ; pro emendis libris convenientibus profeſſioni ſuæ, videlicet, ſpiritualibus, moralibus, canonicis, Theologis-ve; quod ipſum nonnulli ad alios eorum caſus extendunt. Vide Dianam *part.2.tract.14.reſol.8.*

Et ſcripturarum. Sunt qui dicant Notarios, Commiſſarios, & cæteros Juſtitiæ Miniſtros, ſi ſtipendia ipſis à lege ſtatuta non ſufficiant ad honeſtè vivendum, poſſe ſupra taxam accipere, quantum modeſtia & prudentia requirat. Vide Dianam *part.2.tract.17.reſol.60.*

At Diana ex his duabus ſententiis poſteriorem admittit; priorem negat, quamvis tamen videatur conſequentia doctrinæ poſtulare, ut admittatur utraq;, vel rejiciatur utraq;: nam diſparitatem non percipio.

Porrò, ſi Juſtitiæ adminiſtri poſſunt ſupra taxatum à Republica ſtipendium accipere: nulla erit taxa, quæ non ſubſit eidem exceptioni; nam ſi agatur de tritico & vino &c. poterit venditor uſurarius dicere, mutatis temporibus, & anni tempeſtatibus debere taxas etiam neceſſariò mutari.

Et conſequenter famuli, ſi ſtipendia ſibi aſſignata, nimis ſint parva, poterunt clanculo ſubripere, quantum judicent ſibi deberi.

Et tandem ſartores & alij Mechanici poterunt ſibi reliquias materiæ reſervare eo nomine, quod nimis parum recipiant pro manu facturâ.

Omnia hæc videntur ſequi, & tamen falſa non oriuntur ex veris: igitur, Lector candide, præmiſſas attentè conſidera.

III.

Olim Diana ruſtici confeſſionem audivit: ruſtici, inquam, qui ſubripuerat cujusdã Viri nobiliſſimi & prædivitis mulum, eundemq; per ſpacium multorum annorum locaverat: dubitabatq;, an ad ſolius muli, an etiam ad locationis reſtitutionem teneretur? At Diana ad locationis pretium reſtituendum illum non obligavit: ut conſtat ex *part.2. tract.17.reſol.50.* Sed bone Deus; reſtituitne ille ruſticus, quantum furatus fuerat? ſubripuerat mulum juvenẽ, fortem & utilem; poſt annos multos reſtituit decrepitum, exhauſtum, & inutilem: ſubripuerat mulum, qui valebat aureos centum, reſtituit qui vix valet decem: ergo in reſtitutione ille æqualitatem non ſervavit, & quidem Dianę non favent Navarrus, & Ludovicus Lopez quatenus docent, eum qui torquem aureum furto accepit, ſi illum locavit, non obligari ad reſtitutionem pretij locationis: eſt enim ſumma & nota diſparitas: quoniam aurum nec locatione teritur, nec deperit antiquitate: & illi quod dixerunt de torque aureo, non dicerent de veſte ſericâ: qui enim pretioſâ clamyde, quam ſuffuratus fuerat, multis annis abuſus fuiſſet, & poſtquam eſſet trita & vilis, ad pedes Navarri vel Lopezii veniret, juberetur procul dubio reſtituere, non clamydis attritæ reliquias, ſed valorem, quem habebat illa cùm intercepta, conſideratis etiam damni emergentis & lucri ceſſantis circumſtantiis, ſi quæ fuerant. Debuit igitur ruſticus reſtituere illi nobili unum mulum, qualem fuit furatus; deberetque examinare Confeſſarius, an ratione illius furti ille nobilis aliquod lucrum legitimum perdiderit, aut novum incurrerit damnum. MCCLVII. *De furto rerum cõſumptibilium. Nimirùm, Muli, Torquis aurei, Clamydis,*

Sic

Digitized by Google

MCCLVIII Sic puto. Sed ſi Dianæ adhuc conſtare velis, Serviam tibi â Dialecticâ & aliqua Corollaria diducam: quoniam ex Dianæ doctrinâ Sequitur

Cerei & candelarũ, Primò, cum qui furatus eſt cereum centum libris pendentem, & illo fuit uſus multis annis, ita ut jam vix pendeat decem libris, ſatisfacere, ſi reſtituat quod remanet, nec ad amplius teneri.

Veſtium, Secundò, cũ qui pretioſas veſtes furatus, eos locavit aut induit multis annis, & poſt quam illæ ſunt attritæ & parui valoris, ad tribunal accedit pœnitentiæ, ſatisfacere omninò ſi illas, quales quales, reſtituat; nec obligari poſſe ad amplius.

Servorum, Tertiò, cum qui ſervum juvenem furatus fuit, & poſtquam multis annis illo eſt uſus impendendo aut locando, poſſe eundem jam inutilem & ſeptuagenarium antiquo domino reſtituere, nec ad reſtitutionem ulteriorem teneri.

Arborum, Quartò, cum qui hortum alterum invaſit, & arboribus fructiferis multis annis fuit uſus, ut videſ... s eſſe exhauſtas & effœtas, poſſe hortum vero domino reſtituere, nec ad fructuum reſtitutionem & damnorum compenſationem obligari.

Vaſis vini. Quintò, cùm qui vas vino nobiliſſimo plenum inſcio vel invito domino accepit, & ebibit, aut vendidit, ſatisfacere damnũ perpeſſo, ſi vacuum vas reſtituat: puto enim paritatem ſubſiſtere, quid enim aliud eſt mulus juvenis, quã viribus plenus & qui ſervire poſſit: & quid mulus exhauſtus & ſenex, quàm viribus vacuus, et qui ad nihilum ſervire poſſit?

IV.

MCCLIX. *De auro invento.* PRoponit Diana *part. 2. tract. 17. reſol. 5.* hanc quæſtionem; videlicet, an qui deambulando civitatem inveniat crumenam fartam magnâ pecuniarum quantitate, & faciâ debitâ diligentiâ nõ reperit dominum, teneatur illas reſtituere pauperibus, an poſſit ſibi retinere? Ponit authores pro utraque ſententiâ & concludit. *His poſitis poterat Petrus ſibi retinere illas pecunias ſequendo hanc poſteriorem opinionem &c: quæ eſt probabilis & tuta in praxi.* Et ego, ſi hæc probabilia ſunt, peto mihi â Diana reſponderi rigore conſequentiæ ſervato. Ioannes noctu graſſatur per plateas, ſpoliavit nonnullos, quos nõ cognovit, nec cognoſcit: nunc pœnitentiâ ductus ad pedes mei Dianæ pervolvitur, & inquirit, an teneatur ad reſtitutionẽ? Fortè ſubdubitare poſſet, an teneretur examinare quinam fuerint damnum perpeſſi? quia, cùm hoc ipſum examen eſſet obnoxium probabili vel certo periculo, fortaſſis non deberet inſtitui. Sed non movet hoc dubium, ne implicet quæſtiones quæſtionibus, ſed aſſerit ſe debitam diligentiam adhibuiſſe, nec poſſe ſcire quibus debeat facere reſtitutionem. Si illum pauperibus facturum reſtitutionem Diana dicat, Ioannes reponet Dianam inconſequentiâ laborare & ſic diſcurret. In Jure teſte Dianâ & Sarmiento eadẽ reputantur *ignorari dominum rei, & rem nullum habere dominum*: Sed quando res non habet dominum, efficitur primò occupantis: ergo nõ ſolùm ille qui invenit, ſed qui rapuit, ſi ignoret dominum, non tenebitur ad reſtitutionem. Ergo, ſi tenetur raptor, tenebitur etiam inventor, quod vult Salonius, Navar. Sayrus, Rebellius, Reginaldus, Azor, Malderus, Sylveſter Covarruvias, Molina, Fernandez alijque; aut nulla conſequentia ſervatur. Si Diana eſſe diſparem rationem dicat, reiicere debebit ratiocinium Sarmienti & aliud ſubſtituere, quod libenter videbo.

Digitized by Google

ſidentem & diſputantem Salmanticæ, & ſi illi mundus paucos ſimiles habet, multum habet. Erat Theologiæ Thomiſticæ Primarius Cathedraticus; ſeu dictaret, ſeu loqueretur, admirabilis; quem amavi & ſuſpexi; & omnes qui vel ejus virtutes, vel doctrinam viderunt, eum amarunt.] Is igitur contra te nominatim inſurgit, & parvitatem materiæ defendit, in ſuis eruditis Commentarijs in 12. D. Thomæ.

Addis ſapientiſſimo Arauxo Laurentium Landmeter in Regulam D. Benedicti. Eum in Regulam D. Auguſtini ſcripſiſſe ſcio: at ejus commentarium in Regulam D. Benedicti nondum vidi.

XVI.

MCCXLII. ROgo Eximie & Sapientiſſime Domine mi: Cur non aſſentiris Arauxo, quem tantum eſſe meritò fateris? Cur non alijs etiam Viris doctis? Cur non Caramueli, quem tanto affectu honoras? Cur non D. Auguſtino, cujus eſſe ſententiam Caramuelis fateris? Reſpondes *part.7 tract.11. reſ.28. §. verum*, dicens [*Ego his Authoribus non poſſum adhærere; quia non deſunt, qui cenſeant dictam doctrinam eſſe cenſurâ dignam.*] Sed quid inde, ſi doctiores diſſentiunt: & hanc ipſam cenſuram cenſurâ rigoroſâ condemnant?

XVII.

MCCXLIII. IOannes Antonius Saura *in voto Platonis de examine Propoſitionum. cap.* 13. ſic ait. [Propoſitio periculoſa in moribus illa eſt, quæ ſpeculativè conſiderata aliquam habet veriſimilitudinem & apparentem colorem probabilitatis: verum in praxi moraliter loquendo ſine gravis culpæ reatu non poteſt executioni mandari. Hoc periculum in causâ eſt, ut ſimiles propoſitiones juſtiſſimè poſſint condemnari: quales ſunt nonnullæ opiniones circa materiam levem in rebus venereis.] Ita Saura, cui conſonare ais Tranſmieram *tract. de oblig. revel. queſt. 4. cap. 4. num. 4.* Ioannem Machadum *de perfect. confeſſ. tom. 1. libr. 2. tract. 19. docum. 1. numer. 4.* Et jubes videri Texedam *in controv. Theol. Moral. tom. 1. libr. 2. tract. 3. numer. 11. contr. 1.* qui contra Sanchez, & per conſequens contra Arauxum invehitur.

Sed ut rem fatear Saura non placet, & nihilominùs à me eſt. Non placet, quia ſtrident omnia quæ de periculosâ propoſitione dicit, non enim in praxi committitur peccatum mortale, niſi detur dictaminis ſpeculativi directio. Dixi à me ſtare Sauram, quia materiam parvam in genere luxuriæ ille periculi ratione condemnat; cui ego omninò conſentio, ſunt enim mortaliter peccaminoſæ actiones laſcivæ, etſi videantur parvæ ſecundum ſe, ſi adſit lethalis peccati periculum. Et falſum eſt iſtud ſemper abeſſe in actionibus naturâ ſuâ parvis; tametſi non audeam aſſerere nullam omninò actiunculam reperiri in individuo poſſe, quæ careat evidenti periculo. Imò hoc ipſum docet apertè Saura; nonnullas enim opiniones circa materiam parvam in rebus venereis condemnat: & ego etiam nonnullas. Non ergo Saura univerſas condemnat. Ergo aliquas non condemnat. Admittit igitur nonnullas occaſiones in quibus in peccatis luxuriæ detur materiæ parvitas.

Pars II.

TRanſeo ad Luxuriæ accidentia, in quibus etiam reperio materiam MCCXLIV.

ali-

Digitized by Google

aliquando parvam. Reperio inquam in tuis Reſolutionibus, quas ſummo fructu & ſtudio pertinaci divolvo.

Quæro Primò. *An omittere modum communem in copula, & alio extraordinario abuti, ſit mortale?*

Et tu *part.1.tract. 7. reſol.35.* diſſolvis hanc quæſtionem his verbis. Respondes Primò, quidquid aliqui aſſerant, negativè. Et ita non peccat mortaliter Vir, qui vult habere copulam cum uxore vel à latere, vel ſedendo, vel præpoſterè, aut ſuccumbente; niſi adſit periculum effundendi ſemen extra vas. Quia eſt abuſus ac naturalis ordinis perverſio in ſolis accidentibus, dum vas legitimum ſervatur. Et ita docet Sanchez *de Matrim. tom. 3. libr. 9 diſp.16. numer. 3.* & alij penes ipſum. Addis Secundò, quod interdum hoc effici poſſit & ſoleat ſine culpâ veniali, ubi non captandæ voluptatis gratiâ hoc accidit, ſed aliquâ juſtâ cauſâ interveniente, puta ſi nimium obeſus ſit vir, aut ſit periculum ne ſuffocetur fœtus. Subiungis tertiò, quod uxor tenetur reddere debitum, etſi illud petat vir cum culpâ veniali: puta ſi velit inordinato ſitu habere copulam. Ita Sanchez *ubi ſupra num* 8 licèt contrarium tibi, & Henriquez *libr. 11. cap. 16. numer.6.in Gloſſa. litt. O.* & aliis judicetur probabile.

Si hæc ita ſunt Eximie & Eruditiſſime vir, concedis in Luxuriâ materiam parvam accidentalem; quod probare volebam.

Et quidem hanc ipſam Reſolutionem recognoſco, & has poſitiones pronuntio.

Prima ſit. *Mutans ſitum in copula non peccat mortaliter.* Certam putas, & puto: nec aliorũ vociferationes curas, quia putas te ratione efficaci ſuffultum, & ideò non arroganter ſed generosè dicis, *Reſpondeo, quidquid aliqui aſſerant, negativè.* Patere igitur, ut quando me puto ratione manifeſtâ muniri, in mea abundem ſententia, quidquid aliqui aſſerant, vel contradicant.

Secunda. *Mutans ſitum in copula non peccat venialiter.* Oſtendo. Omne peccatum etiam veniale eſt contra aliquam legem; At nulla eſt quæ præſcribat modum copulæ; Ergo quiſquis ita utitur uxore ut nullum ſit ſeminis effundendi periculum, non peccat venialiter. Vel qui contrarium ſomniet, talem legem oſtendat. *An detur lex de modo copulæ?*

Tertia. *Si daretur lex exponens modum ſervandum in coniugali copula, qui ſitum ſine cauſa mutaret, peccaret venialiter.* Patet; quia violare legem in aliquâ circumſtantiâ accidentali eſt veniale.

Quarta. *Quod ſecundo loco dicis, ſi ſupponatur id quod dixeras primo, indiget magno examine.* In legibus humanis valet diſcurſus tuus, quo Ego etiam interdum utor: at in lege divinâ videtur non habere locum, aut ſaltem non ſemper habere. In Commentario in Reg. D. Benedicti *num.* 1391. Sic diſcurro. [Sicut cauſa gravis (talis eſt morbus aut ſumma occupatio nata ex obligatione naturali, quæ ſemper eſt major poſitivâ) efficit ut poſſis ſine culpâ mortali Divinum officium quoad ſubſtantiam omittere: ſic ſimiliter cauſa mediocriter gravis (hanc vocant non urgentem ſed rationabilem) efficiet, ut ſine peccato veniali poſſis omittere aliquid, quod in Divino officio eſt leve: vel in quantitate, ut unum aut alterum Pſalmum verbi gratiâ, vel in qualitate, ut Pſalmorum ordinem aut diſpoſitionem rubricarum.] At Tu in lege Divinâ (quoniam, ſi copulæ modus lege præſcriptus eſt, non niſi lege naturali

fidentem & diſputantem Salmanticæ, & ſi illi mundus paucos ſimiles habet, multum habet. Erat Theologiæ Thomiſticæ Primarius Cathedraticus; ſeu dictaret, ſeu loqueretur, admirabilis; quem amavi & ſuſpexi; & omnes qui vel ejus virtutes, vel doctrinam viderunt, eum amarunt.] Is igitur contra te nominatim inſurgit, & parvitatem materiæ defendit, in ſuis eruditis Commentarijs in 12. D. Thomæ.

Addis ſapientiſſimo Arauxo Laurentium Landmeter in Regulam D. Benedicti. Eum in Regulam D. Auguſtini ſcripſiſſe ſcio: at ejus commentarium in Regulam D. Benedicti nondum vidi.

XVI.

MCCXLII. Rogo Eximie & Sapientiſſime Domine mi: Cur non aſſentiris Arauxo, quem tantum eſſe meritò fateris? Cur non alijs etiam Viris doctis? Cur non Caramueli, quem tanto affectu honoras? Cur non D. Auguſtino, cujus eſſe ſententiam Caramuelis fateris? Reſpondes *part. 7. tract. 11. reſ. 28. §. verum*, dicens [*Ego his Authoribus non poſſum adhærere; quia non deſunt, qui cenſeant dictam doctrinam eſſe cenſurâ dignam.*] Sed quid inde, ſi doctiores diſſentiunt: & hanc ipſam cenſuram cenſurâ rigoroſâ condemnant?

XVII.

MCCXLIII Ioannes Antonius Saura *in voto Platonis de examine Propoſitionum. cap.* 13. ſic ait. [Propoſitio periculoſa in moribus illa eſt, quæ ſpeculativè conſiderata aliquam habet veriſimilitudinem & apparentem colorem probabilitatis: verum in praxi moraliter loquendo ſine gravis culpæ reatu non poteſt executioni mandari. Hoc periculum in cauſâ eſt, ut ſimiles propoſitiones juſtiſſimè poſſint condemnari: quales ſunt nonnullæ opiniones circa materiam levem in rebus venereis.] Ita Saura, cui conſonare ais Tranſmieram *tract. de oblig. revel. quæſt. 4. cap. 4. num. 4.* Ioannem Machadum *de perfect. confeſſ. tom. 1. libr. 2. tract. 19. docum. 1. numer. 4.* Et jubes videri Texedam *in controv. Theol. Moral. tom. 1. libr. 2. tract. 3. numer. 11. contr. 1.* qui contra Sanchez, & per conſequens contra Arauxum invehitur.

Sed ut rem fatear Saura non placet, & nihilominùs à me eſt. Non placet, quia ſtrident omnia quæ de periculoſâ propoſitione dicit, non enim in praxi committitur peccatum mortale, niſi detur dictaminis ſpeculativi directio. Dixi à me ſtare Sauram, quia materiam parvam in genere luxuriæ ille periculi ratione condemnat; cui ego omninò conſentio, ſunt enim mortaliter peccaminoſæ actiones laſcivæ, etſi videantur parvæ ſecundum ſe, ſi adſit lethalis peccati periculum. Et falſum eſt iſtud ſemper abeſſe in actionibus naturâ ſuâ parvis; tametſi non audeam aſſerere nullam omninò actiunculam reperiri in individuo poſſe, quæ careat evidenti periculo. Imò hoc ipſum docet apertè Saura; nonnullas enim opiniones circa materiam parvam in rebus venereis condemnat: & ego etiam nonnullas. Non ergo Saura univerſas condemnat. Ergo aliquas non condemnat. Admittit igitur nonnullas occaſiones in quibus in peccatis luxuriæ detur materiæ parvitas.

Pars II.

Tranſeo ad Luxuriæ accidentia, in MCCXLIV.
quibus etiam reperio materiam

ali-

Digitized by Google

aliquando parvam. Reperio inquam in tuis Reſolutionibus, quas ſummo fructu & ſtudio pertinaci divolvo.

QVÆRO PRIMÒ. *An omittere modum communem in copula, & alio extraordinario abuti, ſit mortale?*

Et tu *part.1.tract.7.reſol.35.* diſſolvis hanc quæſtionem his verbis. RESPONDES PRIMÒ, quidquid aliqui aſſerant, negativè. Et ita non peccat mortaliter Vir, qui vult habere copulam cum uxore vel à latere, vel ſedendo, vel præpoſterè, aut ſuccumbente; niſi adſit periculum effundendi ſemen extra vas. Quia eſt abuſus ac naturalis ordinis perverſio in ſolis accidentibus, dum vas legitimum ſervatur. Et ita docet Sanchez *de Matrim. tom. 3. libr. 9. diſp. 16. numer. 3.* & alij penes ipſum. ADDIS SECUNDÒ, quod interdum hoc effici poſſit & ſoleat ſine culpâ veniali, ubi non captandæ voluptatis gratiâ hoc accidit, ſed aliquâ juſtâ causâ interveniente, puta ſi nimium obeſus ſit vir, aut ſit periculum, ne ſuffocetur fœtus. SUBIUNGIS TERTIÒ, quod uxor tenetur reddere debitum, etſi illud petat vir cum culpâ veniali: puta ſi velit inordinato ſitu habere copulam. Ita Sanchez *ubi ſupra num.8* licèt contrarium tibi, & Henriquez *libr. 11. cap. 16. numer.6. in Gloſſa. litt. O.* & aliis judicetur probabile.

Si hæc ita ſunt Eximie & Eruditiſſime vir, concedis in Luxuriâ materiam parvam accidentalem; quod probare volebam.

Et quidem hanc ipſam Reſolutionem recognoſco, & has poſitiones pronuntio.

Prima ſit. *Mutans ſitum in copula non peccat mortaliter.* Certam putas, & puto: nec aliorū vociferationes curas, quia putas te ratione efficaci ſuffultum, & ideò non arroganter ſed generosè dicis, *Reſpondeo, quidquid aliqui aſſerant, negativè.* Patere igitur, ut quando me puto ratione manifeſtâ muniri, in mea abundem ſententia, quidquid aliqui aſſerant, vel contradicant.

Secunda. *Mutans ſitum in copula non peccat venialiter.* Oſtendo. Omne peccatum etiam veniale eſt contra aliquam legem; At nulla eſt quæ præſcribat modum copulæ; Ergo quisquis ita utitur uxore ut nullum ſit ſeminis effundendi periculum, non peccat venialiter. Vel qui contrarium ſomniet, talem legem oſtendat. *An detur lex de modo copulæ?*

Tertia. *Si daretur lex exponens modum ſervandum in coniugali copula, qui ſitum ſine cauſa mutaret, peccaret venialiter.* Patet; quia violare legem in aliquâ circumſtantiâ accidentali eſt veniale.

Quarta. *Quod ſecundo loco dicis, ſi ſupponatur id quod dixeras primo, indiget magno examine.* In legibus humanis valet diſcurſus tuus, quo Ego etiam interdum utor: at in lege divinâ videtur non habere locum, aut ſaltem non ſemper habere. In Commentario in Reg. D. Benedicti *num.* 1391. Sic diſcurro. [Sicut cauſa gravis (talis eſt morbus aut ſumma occupatio nata ex obligatione naturali, quæ ſemper eſt major poſitivâ) efficit ut poſſis ſine culpâ mortali Divinum officium quoad ſubſtantiam omittere: ſic ſimiliter cauſa mediocriter gravis (hanc vocant non urgentem ſed rationabilem) efficiet, ut ſine peccato veniali poſſis omittere aliquid, quod in Divino officio eſt leve: vel in quantitate, ut unum aut alterum Pſalmum verbi gratiâ, vel in qualitate, ut Pſalmorum ordinem aut diſpoſitionem rubricarum.] At Tu in lege Divinâ (quoniam, ſi copulæ modus lege præſcriptus eſt, non niſi lege naturali

Digitized by Google

& divinâ præſcriptus eſt) hac Dialecticâ abuteris : & ut puto non bene: quia ſi hic modus diſcurrendi habet locum in lege naturali, cur non poſſem ſic philoſophari [Peccatum mortale eſt occidere, veniale mentiri ; Ergo ſicut graviſſima & urgentiſſima neceſſitas concedit Petro , ut poſſit occidere invaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ , levis & rationabilis cauſa concedet ut poſſit mentiri.] Tu rem conſidera : & me monere & reſolutione doctiſſimâ adjuvare digneris.

Licita ſunt aliquando homicidia: nunquam verò mendacia.

MCCXLV. Quarta. *Quod tertio loco affirmas, ſi ſupponantur quæ dicis primo & ſecundo, certum eſt.* Nam ſi ſitus in copula matari ſine causâ non poteſt, & cum rationabili poteſt , cùm maritus vult ſibi reddi debitũ tali modo etſi ipſe careat rationabili causâ, uxor rationabilem habet, & ſic peccanti venialiter in modo exigendi ſolvit illa ſine culpâ veniali.

Huic caſui eſt ſimillimus alter in materiâ toto cœlo diversâ, quem propono & reſolvo *in Comment. in Regulam D. Benedicti* , *num.* 1371. Quæro ibi, quî debeat ſocius cũ ſuo ſeniore horas Divinas recitare ? & quid facere poſſit, ſi ſenior mutet rubricas, & modum officii ? Et reſpondi poſſe ſocium opinari id fieri ex causâ. Sed quid ſi evidenter ſciat ſocius ſeniorem nullam habere cauſam ? Reſpondi in tali caſu ſeniorem peccaturum venialiter, ſupponitur enim rationabili causâ carere; at juniorem non item nam iſte cauſam rationabilem habet ; debet enim ſe accommodare voluntati & diſpoſitioni ſenioris. Hæc ita vera & clara ſunt, ut olim in Siciliâ interrogatus, eodem modo reſponderis, etſi tunc nec me legeris, nec alium qui iſtum Caſum tractaverit. Sic narras *part.* 7. *trac.* 11. *reſol.* 10.

Sed quia hoc dubiolum ſubcurrit, non volo ad aliam quæſtionem tranſire , quouſque illud etiam dilucidetur. Petitur , An volente juniore mutare modum officii Divini ſine rationabili causâ, poſſit illi ſenior morem gerere, & dicere ſe habere rationabilem cauſam ? Subpetitur. An volente uxore mutare modum copulæ ſine cauſa, poſito quod hæc alteratio in ipsâ ſit peccatum veniale , poſſit illi maritus condeſcendere, ita ut non ſit peccaturus venialiter.

In primo caſu regulariter reſponderem, non poſſe : nam ſenioris non eſt obedire, ſed jubere. Conſultò dico *regulariter*, nam ſi per accidens darentur rationes ob quas non expediret diſplicere, jam ſenior haberet rationabilem cauſam. In ſecundo benigniùs reſponderem : puto enim in uſu Matrimonii petentem ſuperiorem & majorem eſſe, nam petere quodammodo eſt præcipere, & reddere obedire eſt.

Sed & aliquid etiam ſubnotaturus ſum , ut paritas rationis obſervetur. Uxorem, quæ marito petenti debitum cum ſitus mutatione obedit , peccare venialiter aſſeris eſſe probabile : Socium , qui cum ſeniore mutante ſine cauſa rubricas legit , peccare venialiter obediendo, non aſſeris eſſe probabile : & tamen non eſt ovum ovo ſimilius, quam caſus caſui : Ergo vel utrobique eſt admittendum eſſe probabile peccare venialiter, qui obedit : vel utrobique erit negandum. Utrum tamen ? A doctioribus ſolutionem expecto.

PARS

Digitized by Google

Pars III.

MCCXLVI. *De periculo* VIdimus, Eruditiſſime & Eximie Domine, in Luxuriæ genere admitti à Te materiam parvam extrinſecam intrinſecamque. Videamus ergo, quo modo de periculo philoſopheris.

Ego quidem periculi cauſa interdum actiones leves eſſe mortaliter peccaminoſas dixi, & dico: & pro hac ipſa ſententia citor à Baſæo *in Floribus verb. Impudicitia pag.* 372. *numer.* 7.*b.* juxta ſecundam editionem nec puto eſſe hominem, qui alio nomine neget materiam parvam in hoc genere. Anne abeſſe poterit conſentiendi periculum?

I.

TU aſſertivè reſpondes *part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 31. Vbi hunc Caſum expendis. [Quædam mulier inter confabulationem cum Viro ſibi in matrimonium conjungendo, dicebat illi verba, non quidem turpia, ſed affectuoſa & amatoria, unde poſteà in pollutionem aut diſtillationem incurrebat, ſine ullà tamen delectatione vel periculo alicujus conſensûs, imò cum maxima diſplicentia, quia erat timoratæ conſcientiæ.] Poſito caſu, ſub his verbis conſuleris, An illa peccaret mortaliter? & ſi nollet deſiſtere ab ejuſmodi confabulationibus, an ei eſſet abſolutio deneganda? Et reſpondes, omninò illi conſulendum eſſe ab his ſermonibus abſtinere; ſed in rigore loquendo non eſſe denegandam abſolutionem.

Hunc caſum tuamque ad illum reſponſionem paulo ante produxi, ut oſtenderem, tibi eſſe familiariſſimam illã ſententiã, quæ docet dari in genere Luxuriæ parvitatem materiæ: ſed & illum reponere nunc volui, ut oſtenderem qualiter de periculo philoſopheris.

Non eſſe huic fœminæ negandam abſolutionem ais, & tamen illam ſcienter in pollutionem labi ponis. An non delectationis vehementia poterit eam rapere, ut in eamdem pollutionem conſentiat? Ergo vel datur periculum, vel non datur. Si datur periculum proximum conſentiendi, neganda erit illi abſolutio, & in rigore jubendum ut abſtineat à confabulationibus periculoſis, etiam cum damno perdendi ſponſum, imò cum damno perdendi vitam; non enim licet ſe exponere proximo periculo peccandi. Si non datur periculum (quod Caſus ſupponit, & me judice interdum erit verum, & univerſaliter falſum) Ego formabo argumentum à fortiori, & inferam, Nullum dari periculum ſufficiens ad peccatum mortale in eo, qui digitum fœminæ laſcivæ ſtringit, ſine pollutionis periculo. nam vehementiùs illicit ipſa pollutio, quàm quæcumque levis delectatio, & tamen in ipſa pollutione, ſcienter permiſſà, tu tale periculum non cognoſcis. Et quidquid de hac illatione ſit, lege obſecro totam illam reſolutionem, & invenies te admittere unum peccatum veniale in luxuriæ genere, quod committitur cum clara & libera notitia, quod tamen ob periculum non dicitur eſſe mortale.

II.

MCCXLVII *De fricationibus.* QUærunt aliqui, An ad expellendum ſemen corruptum, vel ad ſedan-

dandum pruritum, liceat fricare verenda, cum periculo pollutionis, non tamen conſenſûs in eam? Ecce omnes, qui proponunt hunc caſum, & omnes qui reſolvunt, ſupponunt poſſe hominem ſcienter pati pollutionem ſine cõſentiendi periculo. Hunc tu caſum producis *part.2 tract.16.reſol.*56. & pro aſſerente parte adducis Filhucium, Sanchez, Reginaldum, Bonacinam, Joannem Sancium, Villalobos, & multos Theologos ex Societate. Hic tu tenes aſſerentem ſententiam; nam, ſi illam hîc judicas improbabilem, quomodo ſcribis, *Hinc deducitur deciſio multorũ caſuum.* non enim ex doctrinâ improbabili caſuum reſolutio deſumitur. At quia dicis ſub hujus reſolutionis finem te tenere opinionem contrariam, dicamus, te prius Reſolutionem ſcripſiſſe, & longo poſt tempore ſubſcripſiſſe illa verba, *Sed an omnia ſupradicta.* &c. opponũtur enim illis, quæ citavi. Sed quia *part. 9.tract.*8.*reſol.*31.*§. Quæritur quartò.* iterum te habere contrariam opinionem teſtaris, te eſſe in opinione Texedæ cõſentiamus; at ſaltem caſum admittis. Ergo poteſt quis fricare verenda certò ſciens dari pollutionis periculum, quin detur periculum conſentiendi in illam. Hoc admittis igitur; nam ſi non admitteres, non deberes reſpondere negativè, ſed dicere caſum eſſe impoſſibilem.

MCCXLVIII. Conſoni ſunt alij caſus, quos ibidem proponis. Nam ſi quæris, An poſſit chirurgus contrectare verenda infirmi curationis causâ, etiam cum pollutionis periculo, modò non ſit periculum conſentiendi? An curſor equitare queat, tametſi experiatur ſe involuntariò & ſine conſenſûs periculo in mollitiem incidere? An qui tali modo decumbit, ſi ſciat ſe ex tali ſitu in pollutionem ſine periculo tamen conſenſûs deventurum, teneatur vel lectum deſerere, vel alio modo decumbere? Quibus omnibus dubiis ſeu affirmativè ſeu negativè reſpõdeas, modò caſus admittas, quod facis, teneberis concedere, poſſe aliquem advertenter & plenâ mente pollutionem actualem pati ſine conſentiendi periculo.

III.

MCCIL. *De Comœdijs.* AGis de Comœdiarum auditione *part.2.tract.* 17.*reſol.* 35. & tametſi rem eſſe periculoſam & peccatum lethale judicaverit Comitolus *in Reſponſ. Mor.libr.*5 *quæſt.*21. tu benignè reſpondes, nec putas periculum eſſe inſeparabile.

IV.

MCCL. *De fœminâ oppreſsâ.* QUæro, An fœmina quæ violenter cognoſcitur, peccet mortaliter? Et tu *part.3.tract.6.reſol.*31. poſtquam eruditiſſimè Authores pro utrâque ſententiâ attuliſti, ſic ais. [Dicendum eſt igitur cum Curiele, *in part.2.D.Thomæ quæſt.* 6. *art.*5. quod ſi fœmina non timeat periculum conſentiendi, videtur probabilis ſententia eorum, qui dicũt, quod ſolùm tenetur facere, id quod commodè potuerit, habitâ ratione periculi, in quo verſatur; ita, quod ſi ex vociferatione, aut aliâ reſiſtentiâ poſſit ſequi grave incommodum, ut mors, infamia, vel detrimentum in bonis ſuis, non tenebitur eâ (reſiſtentia) uti: quoniam oppreſſio in iſto caſu non habet rationem actionis liberæ reſpectu fœminæ; &c.] Ergo ſentis, Pater Eruditiſſime, poſſe fœminam pati oppreſſionem, ſine conſentiendi periculo. Inconſequentiam *An teneatur clamare?*

Digitized by Google

tiam Ego admiror, quia in hoc caſu fingis mulieres ferreas aut adamantinas, & in alijs molles & ſacharaceas: cùm tamen deberes mediam ſemper tenere viam, quam experientia docuit illos, qui varias confeſſiones audiunt.

V.

MCCLI. *De oſculis.* Difficilia ſunt & obſcura, quæ de oſculis inter ſponſos de futuro, tradis *part.4.tract.4.reſol.*131. nolo examinare, An ſicut oſculum eſt quædam inchoatio copulæ conjugalis, ita & ſponſalia quędã ſint inchoatio matrimonij? nolo hîc examinare diſtinctionem inter ſponſalia abſoluta & conditionata; omnia modò condono; alibi examino; ſed ſolùm inquiro, An in oſculis detur certum & evidens; aut ut generaliùs loquar, an detur progrediendi ulteriùs periculum inevitabile & ſufficiens ad peccatum mortale: vel non detur? ſi non, habeo intentum; hoc enim hîc oſtendendum aſſumpſi. Si detur; quod *part.4.tract.4.reſol.*136. tueris, oſcula erunt inter ſponſos mortaliter peccaminoſa ratione periculi. Ergo vel peccatum aſſere, vel periculum nega.

VI.

MCCLII. APud te *part.3.tractat.4.reſol.* 215. & *part.4.tractat.* 4. *reſol.* 137. reperio Thomam Sanchez, Gaſparem Hurtado, Petrum Ochagaviam, & Prępoſitum aſſerentem poſſe ſine culpâ mortali cõjugatum libidinosè ſua membra tangere, ſi abſit pollutionis periculum. Ergo crediderunt hi Authores non ſemper in tactibus libidinoſis eſſe ulteriùs progrediendi periculum.

HÆC PLACVIT

DOctiſſime Vir, ex tuis Reſolutionibus excerpere, ut oſtendam cõmunem te & veram ſententiam tenere, quam hodie non debes deſerere, niſi velis de inconſequentiâ ab Orbe literario accuſari. *Ideò, inquis, deſerenda communis eſt, quia nonnulli dicunt eſſe cenſurâ dignam opinionem, quæ levem materiam in genere Luxuriæ admittit.* Sed pace tuâ hęc ipſa ratio ſupponit falſum, & nihil omninò concludit. *Supponit falſum*: illi enim, qui ſeverius loquuntur, recurrunt ad periculum, & à nobis ſtant, actionem enim leviſſimam quamcumq;, ſi habeat peccati mortalis periculum manifeſtum adnexum, non ſolùm in materiâ luxuriæ, ſed in aliâ quâcunq;, graviter condemnamus. *Nil concludit omninò*, quia ſi ideò noſtra eſſet opinio deſerenda, quia cenſurâ digna dicitur à Junioribus pauculis; ideò etiam eorumdem opinio erit non admittenda, quia condemnatur ab omnibus: omnes enim qui, ut certam aut probabilem noſtram opinionem admittunt, omnes ipſi cenſuram adverſariorum damnant, & cenſurâ graviſſimâ inurere debent.

Meum fuit hæc ſincerè ad Te ſcribere: Tuum erit, celeberrime Vir, eadem recognoſcere, & ſecundo calamo dilucidare, ut mundus videat integer, cui debeat in hac controverſiâ (me judice, clariſſimâ & certiſſimâ) aſſentiri vel credere.

Vale.

FVN-

FUNDAMENTUM LIX.

De furto, quod inhibet Septimum Præceptum Decalogi.

MCCLIII. *Voluntas virtualis.*

FVrtum eſt acceptio rei alienæ invito domino. Qui immeritò invitus eſt, virtualiter eſt non invitus. Qui rem retinet invito domino, tametſi illam à volente ſuſceperit, virtualiter loquendo fur eſt. Qui rem pretio juſto vẽdit, licet ſummo; quam emerat juſto, licèt imo, non furatur. Sed quãta in furto quantitas requiritur ad peccatum mortale? in furtis filiorum videtur requiri duplò major, quàm in furtis peregrinorum: inter filios & peregrinos videntur debere poni amici ac famuli: & ſi cæteri tam parvi aurum facerent, quàm ego, non ſufficerent aurei mille ad peccatum mortale: at quia aliis ipſi ſunt apprehenſionibus inſtincti, pauci ſufficiunt. Sed quot? Vellem hîc aliquid ab aliquo docto demonſtrari. [Merces ultroneæ vileſcunt pro mediâ parte: amplius etiam interdum: pretia enim à venditorum & emptorum multitudine pendent.] Idem neceſſario dicendum de pecuniâ ultroneâ, vel conſequentia non ſervatur. Ergo ſi equus valeat centum aureis; & tu roges emptorem aliàs non empturum, debebis vendere quinquaginta: ergo ſi rogaris, aliàs non venditurus, poteris vendere ducentis; vel diſparitatem aſſigna.

Furtum quid? — *Rerũ pretia.* — *Quantitas magna.* — *Merces ultroneæ.*

MCCLIV. *De Principum poteſtate.*

QUærunt aliqui, *An Princeps poſſit in furto diſpenſare?* Reſpondeo aliud eſſe facere, ne ablatio rei alienæ ſit furtum; aliudque toto cœlo diverſum, ut ipſa maneat furtum, & tamen peccatum non ſit. Addo prius poſſe Principem, non poſterius. Prius quidem facere ille poteſt, & primò ſi lege à populo acceptatâ ſanciatur, ut rapinæ & latrocinia non liceant, ſubrepſiones & furta liceant. & patet quia lex acceptata tranſit in contractum & concordiam, & in tali caſu nihil fur retineret invito domino, quia qui acceptavit illam legem, non eſt invitus. Illuſtratur exemplo. Decem amici recreationis cauſâ ſingulos aureos contribuunt, qui ſimul compacti abſcondantur à Petro, hac lege, ut omnes quærant, & ille qui eos inveniat, poſſideat. Inveniſti tu: qui eras ex illis decem: retine: quia nihil retines invitis dominis: quia tametſi vociferẽtur & occlament, ex pacto eſſe non inviti tenentur. Progrediuntur in ludo, & ſtatuunt,

Digitized by Google

tuunt, ut quicunq; ab alio ſubripiat pecuniã ex ſacco quin ſentiatur, retineat. Subripuiſti tu centum aureos à Joanne; ille non ſenſit, tui ſunt. Ergo ſicut conveniunt decem, poſſent centum, poſſet tota Reſpublica.

Secundò lege non acceptatâ, ſi dentur rationes inſuperabiles, quę neceſſitent, ut ejuſmodi lex proferatur: quæ ſuppetent nunquam, vel rarò. Hinc aliquid adduci poterit pro militibus. Aliqui illos ſalvant nomine extremæ neceſſitatis; & neſcio cur omnes & ſemper illam pati dicantur? Multi ſunt divites, & abundant ſuperfluis. Reſpublica militum latrocinia, furta, &cæt. deteſtari videtur; at extorſiones victualium uno aut altero actu conſumendorum tolerare. Sed hoc ipſum loca & tempora reſpicit & apud Hollandos & alias nationes limitatur.

Furta militum.

I.

MCCLV. *Eorundem neceſſitas.*

RESolvi rarò aut nunquam milites extremâ neceſſitate laborare: at quia gravi illos ſępè laborare negaturus non ſum, inquiris, an pauper nõ ſolùm in neceſſitate extremâ, ſed etiam in gravi poſſit ab opulentis neceſſaria ſubripere? Reſpondet affirmativè Diana *part 2. tract. 17. reſol. 29.* & citat Bonacinam, Malderum, Leſſium, Petrumà Navarrâ, Angelum, Emanuelem Sà, Medinam, Navarrum, Sylveſtrum. Infero. Ergo multi Europæ patibula onerant, dicuntur fures, & habentur infames, qui ſunt innocentes omninò, poſſentq; & deberent excuſari & ſalvari. Ergo in tribunalibus audiendus eſſet reus, qui contrà aſſeveret, ſe gravi neceſſitate laboraſſe.

An ſufficiat gravis neceſſitas, ut omnia communia dicantur?

Progredior. Sacerdos pauper, qui ex ex ſolo miſſarum ſtipendio victitat, ſatis eſt miſerabilis: & in gravi eſt neceſſitate conſtitutus, ſi non habeat quantum ſit neceſſarium ad ſuſtentationem diurnã. Ergo ſtando doctrinæ Dianæ, ſi nemo illi offerat ſtipendium pro miſsâ, ſubripere à divitibus poterit, quantum ſit neceſſarium ut ex neceſſitate illâ gravi egrediatur. Ergo poterit recipere ab ultrò offerentibus & miſſas poſtulantibus. Ergo poterit pro unicâ miſsâ accipere tot ſtipendia, quot ſufficiant ad ejus diurnam ſuſtentationem. & quid ad hoc ultimum Diana? *Hæc opinio*, ait part. 2. tract. 14. reſ. 8. *modò corruit; nam Sacra Congregatio in decretu,* &c. & me judice inconſequenter, nam vel corrruit reſolutio illa XXIX. tractatûs XVII. aut corruit hæc Cardinalium declaratio. Adhuc progredior & inquiro, quid intelligat Diana nomine gravis neceſſitatis? *Per gravem neceſſitatem intelligo*, ait Diana, *non quovis modo gravem, ſed valdè gravem, etſi non extremam; puta ſi fuerit neceſſitas morbi, famis, nuditatis,* &c: ergo ſi æger poteſt ſubripere à divite quantum ſit opus, ut habeat medicos & medicinas; famelicus ut expleat appetitum; nudus ut habeat decenter veſtes; poterit debitor, ut creditori ſatisfaciat; miles, ut habeat arma; captivus ut litrum; reus, ut advocatum: &c. & aperitur latiſſimus campus, & vix manebunt furta in mundo.

Quid ſit gravis neceſſitas?

II.

VIdetur aliquibus locis Diana ſummâ inconſequentiâ laborare. Ego hoc dubium propono. Sunt, qui dicant ſacerdotem pauperem, modò ſingulis diebus celebret, poſſe à quibuscunq; miſſas offerentibus, eleemoſynas aut ſtipendia accipere, etiam ſupra taxam determinatam ab Epiſcopo, ut habeat

MCCLVI. *De taxa miſſarum.*

 beat

Digitized by Google

beat pro victu moderato, veſte decenti, & domo congruâ; pro emendis libris convenientibus profeſſioni ſuæ, videlicet, ſpiritualibus, moralibus, canonicis, Theologis-ue; quod ipſum nõnulli ad alios eorum caſus extendunt. Vide Dianam *part.* 2.*tract.* 14.*reſol.* 8.

Et ſcripturarum. Sunt qui dicant Notarios, Commiſſarios, & cæteros Juſtitiæ Miniſtros, ſi ſtipendia ipſis à lege ſtatuta non ſufficiant ad honeſtè vivendum, poſſe ſupra taxam accipere, quantum moleſtia & prudentia requirat. Vide Dianam *part.* 2.*tract.*17.*reſol.*60.

At Diana ex his duabus ſententiis priorem negat, poſteriorem admittit; cùm tamen videatur conſequentia doctrinæ poſtulare, ut admittatur utraq;, vel rejiciatur utraq;: nam diſparitatem non percipio.

Porrò, ſi Juſtitiæ adminiſtri poſſunt ſupra taxatum à Republica ſtipendium accipere: nulla erit taxa, quæ non ſubſit eidem exceptioni; nam ſi agatur de tritico & vino &c. poterit venditor uſurarius dicere, mutatis temporibus, & anni tempeſtatibus debere taxas etiam neceſſariò mutari.

Et conſequenter famuli, ſi ſtipendia ſibi aſſignata, nimis ſint parva, poterunt clanculo ſubripere, quantum judicent ſibi deberi.

Et tandem ſartores & alij Mechanici poterunt ſibi reliquias materiæ reſervare eo nomine, quod nimis parum recipiant pro manu facturâ.

Omnia hæc videntur ſequi, & tamen falſa non oriuntur ex veris: igitur, Lector candide, præmiſſas attentè conſidera.

III.

OLim Diana ruſtici confeſſionem audivit: ruſtici, inquam, qui ſubripuerat cujuſdã Viri nobiliſſimi & prædivitis mulum, eundemq; per ſpacium multorum annorum locaverat: dubitabatq;, an ad ſolius muli, an etiam ad locationis reſtitutionem teneretur? At Diana ad locationis pretium reſtituendum illum non obligavit: ut conſtat ex *part.*2. *tract.*17.*reſol.*50. Sed bone Deus; reſtituitne ille ruſticus, quantum fuerat furatus? ſubripuerat mulum juvenẽ, fortem & utilem; poſt annos multos reſtituit decrepitum, exhauſtũm, & inutilem: ſubripuerat mulum, qui valebat aureos cẽtum, reſtituit qui vix valet decem: ergo in reſtitutione ille æqualitatem non ſervavit, & quidem Dianę non favent Navarrus, & Ludovicus Lopez quatenus docent, eum qui torquem aureum furto accepit, ſi illum locavit, non obligari ad reſtitutionem pretij locationis: eſt enim ſumma & nota diſparitas: quoniam aurum nec locatione teritur, nec deperit antiquitate: & illi quod dixerunt de torque aureo, non dicerent de veſte ſericâ: qui enim pretioſâ clamyde, quam ſuffuratus fuerat, multis annis abuſus fuiſſet, & poſtquam eſſet trita & vilis, ad pedes Navarri vel Lopezii veniret, juberetur procul dubio reſtituere, non clamydis attritæ reliquias, ſed valorem, quem habebat illa cùm intercepta, conſideratis etiam damni emergentis & lucri ceſſantis circumſtantiis, ſi quæ fuerant. Debuit igitur ruſticus reſtituere illi nobili unum mulum, qualem fuit furatus; deberetque examinare Confeſſarius, an ratione illius furti ille nobilis aliquod lucrum legitimum perdiderit, aut novum incurrerit damnum. Sic

MCCLVII.
De furto rerum cõſumptibilium.
Nimirùm, Muli,
Torquis aurei,
Clamydis,

Digitized by Google

MCCLVIII Sic puto. Sed ſi Dianæ adhuc conſtare velis, Serviam tibi â Dialecticâ & aliqua Corollaria diducam: quoniam ex Dianæ doctrinâ ſequitur

Cerei & candelarũ, Primò, eum qui furatus eſt cereum centum libris pendentem, & illo fuit uſus multis annis, ita ut jam vix pendeat decem libris, ſatisfacere, ſi reſtituat quod remanet, nec ad amplius teneri.

Veſtium, Secundò, eũ qui pretioſas veſtes furatus, eos locavit aut induit multis annis, & poſt quam illæ ſunt attritæ & parui valoris, ad tribunal accedit pœnitentiæ, ſatisfacere omninò ſi illas, quales quales, reſtituat; nec obligari poſſe ad amplius.

Servorum, Tertiò, eum qui ſervum juvenem furatus fuit, & poſtquam multis annis illo eſt uſus impendendo aut locando, poſſe eundem jam inutilem & ſeptuagenarium antiquo domino reſtituere, nec ad reſtitutionem ulteriorem teneri.

Arborum, Quartò, eum qui hortum alterum invaſit, & arboribus fructiferis multis annis fuit uſus, ut videt hs eſſe exhauſtas & effœtas, poſſe hortum vero domino reſtituere, nec ad fructuum reſtitutionem & damnorum compenſationem obligari.

Vaſis vini. Quintò, eum qui vas vino nobiliſſimo plenum inſcio vel invito domino accepit, & ebibit, aut vendidit, ſatisfacere damnũ perpeſſo, ſi vacuum vas reſtituat: puto enim paritatem ſubſiſtere, quid enim aliud eſt mulus juvenis, quã viribus plenus & qui ſervire poſſit: & quid mulus exhauſtus & ſenex, quàm viribus vacuus, et qui ad nihilum ſervire poſſit?

IV.

MCCLIX. *De auro invento.* PRoponit Diana *part. 2. tract. 17. reſol. 5.* hanc quæſtionem; videlicet, an qui deambulando civitatem inveniat crumenam fartam magnâ pecuniarum quantitate, & factâ debitâ diligentiâ nõ reperit dominum, teneatur illas reſtituere pauperibus, an poſſit ſibi retinere? Ponit authores pro utraque ſententiâ & concludit. *His poſitis poterat Petrus ſibi retinere illas pecunias ſequendo hanc poſteriorem opinionem &c: quæ eſt probabilis & tuta in praxi.* Et ego, ſi hæc probabilia ſunt, peto mihi â Diana reſponderi rigore conſequentiæ ſervato. Ioannes noctu graſſatur per plateas, ſpoliavit nonnullos, quos nõ cognovit, nec cognoſcit: nunc pœnitentiâ ductus ad pedes mei Dianæ pervolvitur, & inquirit, an teneatur ad reſtitutionẽ? Fortè ſubdubitare poſſet, an teneretur examinare quinam fuerint damnum perpeſſi? quia, cùm hoc ipſum examen eſſet obnoxium probabili vel certo periculo, fortaſſis non deberet inſtitui. Sed non movet hoc dubium, ne implicet quæſtiones quæſtionibus, ſed aſſerit ſe debitam diligentiam adhibuiſſe, nec poſſe ſcire quibus debeat facere reſtitutionem. Si illum pauperibus facturum reſtitutionem Diana dicat, Ioannes reponet Dianam inconſequentiâ laborare & ſic diſcurret. In Jure teſte Dianâ & Sarmiento eadẽ reputantur *ignorari dominum rei, & rem nullum habere dominum:* Sed quando res non habet dominum, efficitur primo occupantis: ergo nõ ſolùm ille qui invenit, ſed qui rapuit: ſi ignoret dominum, non tenebitur ad reſtitutionem. Ergo, ſi tenetur raptor, tenebitur etiam inventor, quod vult Salonius, Navar. Sayrus, Rebellius, Reginaldus, Azor, Malderus, Sylveſter Covarruvias, Molina, Fernandez aliique; aut nulla conſequentia ſervatur. S. Diana eſſe diſparem rationem dicat, reiicere debebit ratiocinium Sarmienti & aliud ſubſtituere, quod libenter videbo.

Digitized by Google

Dico interim, utrique (inventori & raptori) eſſe certum, rem illam habere aliquem dominum: eundemque invitum (Sua enim recuperare deſiderat tam qui ſpoliatus fuit, quàm qui perdidit) utrumque ignorari, utrumque ſibi velle reſtitui, meliori nempe modo qui ſit poſſibilis: nimirùm realiter & materialiter, ſi hoc poſſit fieri, aut aliàs ſpiritualiter. Hæc omnia certa ſunt: anne, cùm utrobique omnia pari paſſu ſuccurrant, de inuentore & raptore eodem modo erit philoſophandum? qui neges, paritatem enerua.

MCCLX. *An inventa debeant dari pauperibus?* Antequam ponam calamum, intelligere volo illorum Doctorum doctrinam, quæ docet crumenam illam reſtitui debere pauperibus. Et quo jure pauperibus, quæ nunquam fuit pauperum? Anne res perditæ ad illos pertinent? Oſtendant humanam legem aliquam, quia hoc divina nō præcipit, fortè recurrent ad Hiſpaniam, in quâ res ejuſmodi, quarum dominus ignoratur, lege publicâ Præmonſtratenſibus conceduntur, unde & corruptâ illa voce nominantur *Moſtrencæ*. *Res moſtrenca.* An & hæc lex etiam hodie obſervatur? an ad gentes alias extenditur? an illâ ſtante res illæ non quibuſcunque pauperibus poterunt dari, ſed ſolummodò pauperibus religioſis ordinis Præmonſtratenſis? Sed quia in ejuſmodi ordine Religioſi nihil ſibi adquirere poſſunt, & ſunt opulenta Monaſteria, quâ ſinceritate dicentur data pauperi, quæ Præmonſtratenſi Monaſterio? nam tametſi ſinguli pauperes ſint Monaſterium tamen non eſt pauper. *An aliquis ſibi pauperi poſſit reſtitutionem facere.* Prætereà, jus pauper habeat (ſit qualecunque illud) ſi inventor, aut latro ſit pauper, cur non poterit ſibi crumenam appropriare, cujus ignorat dominum; maximè cùm Beneficiarius, qui Canonici officij recitationem neglexit, & tenetur ad reſtitutionem, ſibi poſſit illam reſtitutionem facere, ſi pauper ſit? Poſtremò, ſi ideò danda pauperibus crumēa eſt, quod ille qui perdidit aut exſpoliatus fuit, velit ſibi ſaltem Spiritualiter reſtitui, ſiquidē materialiter nequit: colligitur eum qui res inferioris ordinis injuſtè perdidit, habere jus ad res altioris ordinis: quod fortè non omnes admittent. Vt ut ſit, ſi crumena elargienda eſt pauperibus; nomine veri domini, qui ignotus, elargienda eſt; ut eleemoſynæ merito fruatur, & mendicorum qui ſępe nebulones ſunt, orationes illum juvent; ergo, ſi inventor aut raptor illius crumenæ dives ſit, & tamen ad Deum converſus pro vero Domino oret, jeiunet, communicet, aut alias virtutes excellentes exerceat, ſatisfaciet ſpiritualiter, nec tenebitur pauperibus facere reſtitutionem. Tu (acute & erudite lector) ſingulas inſtantias perpende, & omnes has quæſtiones ſolve.

V.

SÆpe conſultus fui de Eccleſiaſticorum aliquorum exorbitantibus expenſis: & quod ſentio proponam. Puto diſtinguenda eſſe bona hæreditaria & labore adquiſita à bonis eleemoſynarum. MCCLXI. *De prodigalitate eccleſiaſticorum.* Puto Petrum Presbyterum, ſi à ſuis Parentibus hęreditatem adquirat, eſſe illius dominum, & adquirere tale & tantum Dominium, quantum & quale habeat, qui hæreditatem transmiſit. Puto etiam poſſe Presbyterum honeſtâ aliquâ arte aut induſtriâ lucrari pecunias, & in ipſis verum & abſolutum dominium, verumque dominii adquirendi titulum reperio in Regulâ D. Benedicti; nam juxta caput LIX *De filijs nobiliū vel pauperum quomodo ſuſcipiantur*, poteſt Monaſterium adire hæreditatem, & adquirere bona, quæ Parentes Religioſorum

gioſorum poſſidebant: & juxta caput XLVIII. *De opere manuum quotidiano.* & cap. LVII. *De artificibus Monaſterij.* Poſſunt manibus propriis Religioſi operari, & arte facta pretio mediocri vēdere (mediocri inquam qui ſummo non poſſunt) & judico Monaſterium eſſe abſolutum dominum, & ſi aliunde non obſtet, poſſe ratione proprietatis in qualeſcunque uſus has pecunias impendere. Monaſterium dico, non Abbatem, non Prælatum; nam hic non eſt earundem rerum dominus, Sed Miniſter, Supremus tamen; habens quidem bene adminiſtrandi Supremam authoritatem, & male adminiſtrandi nullam. Et me judice benè adminiſtrat, quamdiu bonos mores & uſus ſui Communitatis ſequitur, non quando malos; & (ut nihil dicam de pellicibus, quas raro habuiſſe Regulares audimus; quas tamen Equites ordinum militarium & Parochi cum magno Sæcularium ſcandalo non raro poſſident) exiſtimo omnem profanitatem, omnē ebrietatem, & omnem actionem peccaminoſam, non uſum ſed abuſum eſſe.

Tranſeo ad bona ex eleemoſynis adquiſita. Antonius Religioſus mendicans (Prior, Guardianus &c.) & ex pecuniis, quas dedit monaſterio Sæcularium pietas & devotio, pretioſiſſima vina & cibos delicatiſſimos procurat, & genio indulget, & tamen ad reſtitutionem non teneri dicitur, & ego non credo. Comedit panem aquamque bibit vetula pauper & vidua, ut nummulos pauculos corradat, quos elargiatur monaſterio; & Antonius ejuſdem monaſterij Superior, eiſdem emit ultra marina vina, exquiſitoſque cibos, ut ſe ſaginet: & tamen ad reſtitutionem non tenetur? non adquieſco. Eodem ego modo de Abbatibus & Monachalibus Prælatis philoſophor, nam etiam noſtra monaſteria Principum liberalitate fundata & populi devotione aucta, ideò hodie eleemoſynis novis non indigent, quia ſufficiunt eleemoſynæ antiquæ, ut honeſtè nutriantur. Audivi ſemel Angelum Manrique, Ordinis Ciſtertienſis Generalem, poſtea in Salmāticenſi Univerſitate Theologiæ Profeſſorem Primarium, *Se non habere animum ut vel unicam gallinam iuberet emi ad proprios uſus*, & tamen erat nobiliſſimus, doctiſſimus, & liberaliſſimus; ſed ſic loquebatur, quia videbat pecunias, quas jeiunando Sæculares congeſſerunt, ut Monaſterio darent, non eſſe à Prælato prodigendas aut decoquendas, ſed ad ordinarium modeſtumque Religioſorum uſum & pauperum levamen ſervandas. Scio eundem, cùm Monaſterium. N. Viſitaret, & in menſâ Salmonem recentem videret magno pretio, ut in Hiſpaniâ is ſolet, procuratum, noluiſſe tangere, & poſteà graviter punivit Cellerarium. Scio alia quę eſſet perlongum recenſere. Et tamen cognoſco etiam Abbates, quibus iniurius eſt œconomus, Si aliquid in provincia exquiſitum ſummo emi pretio poſſit, & in menſa abſit. Omitto maiora & pejora, quia ſi hæc non concedo, quid ſim dicturus de gravioribus, Scitur.

Digitized by Google

FVNDAMENTVM LX.

De Invidia, Mutuo, Uſuraque.

MCCLXII. SI præter Decalogum poſuit novum aliquod Præceptum Deus, quo indixit, ne creditores peterent aut reciperent, quæ aliàs eis debebantur, potuit facere, & hoc ipſum præceptum erit obſervandum omninò, & qui violaverit, non ſolum procedet illicitè, ſed & invalidè, adeoque non adquiret dominum validè, ſed tenebitur ad reſtitutionem. Porrò ſi ejuſmodi reperitur præceptum, ſtandum eſt juniorum Theologorum doctrinæ: Sed nos nihil credimus temerè, & ideò illam novam legem negamus: & præſentem doctrinam his præceptis ſubſtruimus. I. *Ama proximum ſicut teipſum.* II. *Non furaberis.* Non ergo tenebitur creditor amare debitores pluſquam ſeipſum, nec illis cedere, quod eorundem non eſt. Qui petit mutuum, debet reddere indemnem creditorem: creditor, qui poſtulat ut indemnis reddatur, nihil injuſtum poſtulat. Qui indemnis redditur, & tamen non vult mutuum dare, invidus eſt: quia in tali caſu ipſi eſt perinde favere & non favere, adeoque non ideò proximo favorem negat, quia ſe amat, ſed quia illum non amat, quia illius bono torquetur, miſerijs & damnis delectatur.

De mutuo. *De amore Dei & Proximi.* *In mutuo debet creditor ſervari indemnis.*

MCCLXIII. RAtio puri mutui non bene cognoſcitur à multis Theologis, qui ſupponunt mutuatario aliqua divinitus invito & læſo mutuatore concedi: quod nunquam probant. At ego puto primò, hoc eſſe purè mutuum, nimirum; *Mutuo tibi mille aureos, quibus eges, & ego non egeo; hac lege, ut me reddas ſecurum, quòd illos mihi reddes cum indiguero, vel petiero.* Puto ſecundò, exulcerato hoc tempore in Europa vix poſſe dari purum mutuum, nemo enim præſtare poteſt ſecuritatem. Æſtuat bellis Hibernia, Scotia, Anglia: æſtuat Belgium, Hiſpania, Italia: ardet Germania, Polonia, Dania, Suecia, item Græcia: & nulla eſt in tota regione provincia, in qua multi non iverint cubitum divites, qui manè ſurrexerint pauperes. Obſidentur urbes: intercipiuntur etiam: & accidunt caſus inopinati. Excellentiſſimus Dominus de Colubrat majoris ſecuritatis gratiâ theſaurum ſuum Lincio Pragam invexit: nempe ad ſuperiorem, ad parvam, ad armatam, in qua ſeptuaginta majora tormenta & tota nobilitas erat. Ingreſſus eſt per equos citos vigeſimâ quintâ die Iulij. an. 1648. horâ unâ vel alterâ poſt occaſum Solis; & vix fuerat ſex horis domi ſuæ, cùm à

Mutui formula. *Præſens Europæ ſtatus.* *Colubrat.*

pauculis

Digitized by Google

pauculis Suecis ditiſſimi intercipitur civitas, & cum reliquis ille capitur & exſpoliatur. Perdidit theſauros omnes ille ſuos; antiquos, novos; & poſtea debuit amicorum & cognatorum pecuniâ emere vitam; Secundò domum; tertiò libertatem; nempe ſeorſim, nam diverſis temporibus ſingula à Suecis vendebantur ſub haſta. Si hoc ita ſub oculos noſtros evenit, & ſimilia quotidie accidunt, quis ita erit delirus, ut rerum terrenarum ſecuritatem exſpectet belli tempore? nemo enim creditor erit in civitate, quæ munitior ſit Pragâ, & ditiores Colubratio erũt pauci. Sed, quia pacis tempore videtur habere locum iſta quæſtio, tunc enim magna eſt rerum ſecuritas, illam accuratè proponam: & inquiram

I.

MCCLXIV. *De ſorte & canone.*

Nimirùm. *An, qui dedit pecuniam mutuam, pro duobus annis verbi gratiâ, poſſit aliquid præter ſortem recipere?*

NOn poſſe ratione Mutui certum eſt. At verò contractui Mutui addi ſolent circumſtantiæ pretio æſtimabiles, ratione quarum poſſit, qui dat pecunias, pretium petere. Primò enim poteſt recipere ratione periculi: nempe tot tantasve, quantas videatur poſtulare majus periculũ vel minus. nam ubi eſt æquè probabile omnes perdendas aut recuperandas, poſſe recipi centum pro canone, quando in capitali ſunt centum, videtur certum; nam aliàs, qui ſe vellet exponere æquali fortunæ probabili lucrandi decem, & metui æque probabili perdendi centum? an datur caſus, in quo nullum periculum ſit? ſi ejuſmodi caſus non datur, in omni Mutuo poterit aliquid recipi, non jam ratione Mutui, ſed ratione periculi. Et quidem rarum eſſe caſum, in quo omne abſit periculum præcipuè in Germaniâ bellorum turbine afflictiſſimâ, experientia quotidiana demonſtrat. Video homines, qui heri erant ditiſſimi, hodie nihil habere: aliquos qui creduntur divites, paupertatem ſimulare, & creditoribus dare bona verba; video & aliquos vix bono verbo creditores dignari: ideo divites, qui aut negant debitum, & ſe majeſtate & nobilitate tuentur: aut ſi benigniùs agant, qui alia debita recuperatu impoſſibilia offerunt, imò & lites intentant, & volunt ſic ſatisfeciſſe. Vidi optimos amicos propter pecunias mutuas ad inimicitias devenire. Video hoc exulcerato ævo Rempublicam remedium ponere non ſemper poſſe, video Miniſtros publicos non ſemper velle. Ergo ero temerarius Judex, ſi cùm mutuas pecunias dedero, dicam, nullum eſſe perdendi illas periculum, etiam tempore pacis. Si ſemper ſit aliquod periculum, & ratione periculi licet recipere pretium in omnium Theologorum ſententia, ſemper aliquid hoc nomine recipere poteſt.

De utriuſque partis æqualitate & æquitate.

Periculũ.

Secundò, poterit recipere ratione lucri ceſſantis: ſed quantum? quantum eſt illud lucrum, quod ceſſat. Cur enim deberet Antonius mihi dare gratis centum aureos, quibus poſſit licitè lucrari alios viginti in tali aut tali licito & ſecuro contractu? Ubi obiter notari volo, lucrum ceſſans, ſi incertum ſit, minoris debere taxari juxta quantitatem periculi.

Lucrum ceſſans.

Tertiò poterit etiam aliquod recipere ratione damni emergentis. Sed quantum? quantum damnum ſit quòd

Damnum emergens.

certò

Digitized by Google

ce:tò emergat. Quid ſi damnum non certò ſed probabi iter ſit emerſurum? T:xari majoris vel minoris debebit, juxta probabilitatis quantitatem.

Tempus. Quartò non poterit aliquid recipere temporis præcisè, etſi longum id ſit, niſi ſe obliget ad non repetendum. Et in hoc caſu, ſi quid poſtulet, non id ratione ſol us temporis, ſed ratione periculi aut perdendi capitalis, aut incurrendi damnum inopinatum aut carendi lucro aliquo, quod poſſet haberi licitè, ſi adeſſet numerata pecunia, quod quidem pe iculum quia plerumque leve eſt, aliquid leve ſolet recipi, poſſetq; aliquid grave ſi eſſet grave. Sic ſentio: & non poſſe ratione ſolius temporis recipi canones aſſero & aſſerui *in Theologia morali num.*762. juxta editionem Lovanienſem.

MCCLXV *Mutuandi formulæ.* Qui de hoc dubitant videntur Mutui naturam non callere. Ibi ego num. 763. poſui tres formulas. PRIMA ERAT, *Do tibi quingentos aureos mutuos, cùm primùm indiguero aut etiam voluero recipiendos.* SECUNDA, *Do eoſdem tibi pro uno anno, recipiendos tamen ante præfixum tempus, ſi ante indigeam.* TERTIA *eoſdem tibi conſigno pro anno integro, non repetendos ante anni finem etſi graviſſimè indigeam, etſi debeam aliunde pecunias quærere, & graviſſimos canones, aut etiam uſuras ſolvere.* In primâ Mutui puri eſſentiam cognoſco; non in ſecunda, non in tertia. Qui juxta primam aliquid dederit, inibit contractum puri Mutui, & nihil poterit recipere præter capitale. Qui juxta ſecundam contrahet, non parum Mutuum contrahet, ſed contractum compoſitum: Sed poterit ne aliquid ſupra ſortem admittere? nego ego, negat Diana, at ipſum debere concedere clariſſimè demonſtraturus ſum. De hac ſecunda formula ſtatim agemus: Venio ad tertiam & dico eam non continere purum Mutuum, ſed contractum compoſitum ex Mutuo & Donatione, ſi illud gravamen admittatur gratis; ex Mutuo verò & venditione, ſi pretio. Hanc ſententiam tenet expreſsè Petrus de Ledeſma publicus S. Theologiæ Doct. in Univerſitate Salmanticenſi *in ſumma ſua part. 2. tract. 8. cap.35. concl.4. fol.*457. qui ſic ait. [La ſegunda difficultades, quando uno præſta mil ducados con obligacion de no los boluer â pedir en tanto tiempo, â por algun eſpacio de tiempo, ſi ſerà uſura lleuar precio. La razon de dudar es, porque ſi el ll.vaſſe mas que el principal lo lleverà por razon del empreſtito luego uſura ſeria lleuarlo. Confirmaſe, porque ſiempre, que ay empreſtito, ay por lo menos obligacion virtual de no pedir el empreſtito, por algunos dios luego ſi por la obligacion de no boverla a pedir, ſe puede llevar precio, ſiempre ſe puede llevar precio por el empreſtito]hoc eſt abſurdum: Ergo. A eſta difficultad ſe ha de reſponder, que ſi la obligacion de no lo bolver è pedir, es por mucho tiempo, ſe puede muy ben eſtimar con precio, y por razon de aquel'a obligacion ſe puede muy bien llevar el iuſto precio, ſin uſura ninguna. Eſto enſennan los diſcipulos de Sancto Thomas; por que la tal obligacion es eſtimable con precio. A la raçon de dudar ſe reſponde que en el tal caſo, no ſe lleva el dinero por el empreſtito, ſi no por la obligacion de no lo bolvera ped r mucho tiempo.] Hæc & doctè Ledeſma, quem peregrini audiant Latinè eadem reſumentem: ſi enim latinè ſcripſiſſet, ſic ſuam opinionem explicaret. [Altera difficultas occurrit, quando quis dat mutuò mille Scuta, obligans ſe ad non repetendum illa

illa tanto tempore: & quærunt, an ſit uſura petere pretium pro hoc gravamine? Ratio dubitandi eſt, quia ſi iſte reciperet aliquid ſupra ſortem, reciperet ratione Mutui, nec poſſet ab uſura excuſari. *Confirmatur:* quia quandocunque datur Mutuum, datur non repetendi obligatio, ſaltem quæ reſpiciat aliquot dies. Ergo, ſi propter obligationem non repetendi, pretium aut canon exigitur, pretium exigetur pro Mutuo: Hoc eſt abſurdum: Ergo: Verùm ad hoc poterit reſponderi obligationem non repetendi eſſe pretio æſtimabilem, ſi ſit pro longo tempore. Et per conſequens poſſe accipi pretium pro illa, quin committatur uſura. Hoc docent Sancti Thomæ diſcipuli; quia talis obligatio eſt æſtimabilis pretio. Et ad rationem dubitandi reſpondetur, in hoc caſu non recipi pecunias p o Mutuo, ſed pro obligatione non repetendi datas pecunias multo tempore] Sic diſcurrit Ledesma & quidem doctiſſimè; quoniam gravamen non repetendi pecunias etſi indigeam, eſt extra charitatis legem & obligationem Mutui, quæ in charitate & invidiæ negatione fundatur.

Hoc non credo.

Hæc doctrina Ledeſmæ quoad ſubſtantiam eſt vera, licet in circumſtantiis nonnulla contineat, quæ paulo inferiùs decircinabo.

MCC-LXVI. Hæc doctrina vera eſt, ſed non bene intellecta à nonnullis, qui duo illa Mutui fundamenta, quæ poſui (videlicet charitatē & Invidię negationem) meditari non volunt. Hanc ob rem addo alios Authores. Ajo eandem ſententiam doceri à Cæleſt. *in Compend. Theol. Moralis tract.* 11 *cap.* 5. *quæſtion.* 2. qui ſic ait. [Quæres Vtrùm ratione carentiæ pecuniæ ſeu obligationem non repetendi ante certum tempus, poſſit aliquid exigi, ut ſi mutuem tibi mille aureos ad unum annum, privans me non ſolùm pecuniâ, ſed etiam facultate repetendi per tantum tempus? Ad hoc reſpondet Medina *cod. d. reſtitut. quæſt.* 32. *Inde refertur* quòd ſit licitum. tum, quia quælibet obligatio civilis eſt pretio æſtimabilis; hic autem intervenit obligatio non repetendi ante tantum tempus. ergo, &c. Tum, quia hæc obligatio eſt onus quoddam indebitum. Ergo non teneor illud ſubire gratis, ſed poſſum aliquid petere pro illo. Secundò, tùm quia ſicut privare ſe inſtrumento ſuæ artis eſt quid pecuniâ æſtimabile, ita etiam onus carendi ſuâ pecuniâ tanto tempore, cùm pecunia ſit inſtrumentum mercatorum: tum denique, quia id poſtulat commune bonum Reipub. nam cùm multi pecuniâ egeant, nec facile inveniri queant, qui velint mutuari gratis, partim ratione periculi ſortis, partim ne ſe privent commoditate varijs modis negotiandi, & maximè per cambia, quæ hoc tempore vigent, æquum eſt ut mercatores ſpectatis omnibus circumſtantijs communi conſenſu, conſtituant certa pretia carentiæ pecuniæ, ex quibus ea carentia poſſet pro tempore pluris, vel minoris æſtimari: & hic videtur eſſe uſus plateæ Lugdunenſis, quo mercatores quotidie conveniunt, & habita ratione copię vel inopiæ pecuniæ, multitudinis cambiorum, mercimoniorum, & omnium lucrandi rationum, in quibus opus eſt præſenti pecuniâ, ſtatuunt pretium ſex, aut ſeptem, octo, aut novem, vel etiam decem in centum, pro eo quòd tanto tempore ſuâ pecuniâ careant, nec ante terminum conſtitutum liceat repetere. Hæ ſunt rationes ſpeculativè conſideratæ, quibus nititur hæc opinio, propter quas ſpeculativè conſiderata probabilis videtur. Leſſius *loco citato dub.* 16. & etiam Reginaldus *libr.* 29. *c.* 12. *num.* 246. nec damnare audent mercatores, qui

Cæleſtinus

Kkkk ita

Digitized by Google

ita ſegerere conſueverunt, imò excuſabiles eſſe ajunt, quamvis eam non eſſe in praxi admittendam tutius judicent, ne aperiatur oſtium uſuris prætextu periculi palliandis. Et ut ego referam quid ſentiam de hac re dicam paucis,

Cœleſtini reſolutio.

Hanc opinionem mihi videri tutam in conſcientia & in praxi hoc tempore amplecti & conſuli poſſe tum quia non auſim damnare tot mercatores moratæ conſcientiæ, qui id agunt, præſertim ex conſilio virorum doctorum, quos ipſi quotidie conſulunt, quique dicunt hoc licere; tum quia huic carentiæ pecuniæ ordinariè loquendo, ſolent admiſceri, & conjungi varij tituli, ex quibus ſuprà oſtendimus, poſſe in mutuò accipi aliquid ultrà ſortem, & primò illic reperitur periculum ſortis admittendæ, periculum, inquam, non quidem incertum, ſed probabile, vel quaſi certum; multi enim mercatores, qui ſecundum vulgi opinionem exiſtimantur ditiſſimi, telonio cedunt, ex quo creditores exponuntur periculo admittendi integram ſortem, vel tertiam aut dimidiam partem, & hoc ſatis conſtat experientiâ, præſertim à decem annis.

Titulus periculi. Nota hic ratione periculi non ſolùm quinq; in centum, ſed plura poſſe recipi pro probabilitatis quãtitate.

Secundò reperitur labor, diligentia, & moleſtiæ in parandis pecunijs mutuò dandis, qui titulus, ut docuimus ſuprà ex Valentia, eſt juſtus, licetque ea ratione aliquid ultra ſortem accipere.

Titulus laboris.

Tertiò reperitur etiam non rarò lucrum ceſſans, quia pecuniâ mercatores negotiarentur.

Titulus lucri ceſſantis.

His titulis accedit, & titulus Societatis, quam ineunt mercatores in negotiando.

Titulus ſocietatis.

Hic etiam intervenit donatio liberalis; mercatores enim ſpontè donare malunt mutuatori aliquid ultra ſortem, ut ſic & conſulant honori, & creditum ſervent, quæ cedendo telonio amittunt, ac in hoc perinde ſe habent, ac qui, ut evitent naufragium, vel omnes merces, vel aliquam illarum partem dimittunt in mare, nam etſi hęc projectio videatur involuntaria, tamen abſolutè eſt libera: ita etiam hæc donatio lucri ſupra ſortem abſolutè eſt libera, non coacta.]

Titulus donationis; qui tamen non placet: nam tolleret omnes uſuras.

Nec placet hæc ſimilitudo.

MCCLXVII.

Hæc omnia Cœleſtinus. Ledeſmæ (ac propterea Cœleſtini & aliorum) ſententiam non putat improbabilem Trullench *in Decalogum tom. 2 lib. 7. cap. 19. dub. 12. ſub finem.*

Trullench.

Sed quid ſentit Diana? Refert *part. 5. tract. 13. reſol.* 50. Cœleſtini ſententiam verbaque, & ſubjungit: [Hæc omnia docet Cœleſtinus loco citato: Sed an probabiliter, judicant alij:] Sed Dianam *part. 1. tractat. 8. reſolutione* 48. tenuiſſe Ledeſmæ opinionem noviſſimè putat Hurtadus *de Iuſt diſp. 3. de Mutuo. diff.* 11. idem judicavit Trullench. *citatus*: idem ego. Cardinalis de Lugo Dianam hinc amovet, *& tom. 2 diſput. 25. ſect. 3. numer. 16.* ſic inquit [Diana relatis hinc inde ſententiis & authoritatibus, nihil definit] Quam ob rem ipſe *part. 8. tract. 7. reſol. 63.* contrariam abſolutè tenet, & ſententiam Ledeſmæ ait non ſolum improbabilem putari à Doctoribus, ſed etiam acriter cenſurari. Quid hic ego? Latere aliquam æquivocationem, nam puto me habere evidentiam, & contra Ledeſmam ſolummodò aliquam hallucinationem militare.

Diana.

Porrò Dianam *part. 1. tract. 8. reſol.* 48. habuiſſe Ledeſmæ opinionem negat Lugo, negat Diana, aſſeruit Hurtadus, aſſeruit Trullench: aſſeruit & totus reſolutionis contextus, ſi bene legatur. nam primò ponit opinionem Molinæ negantis poſſe aliquid recipi pro obligatione non repetendi tanto tempore: & ait; [ſed hoc aſſumptum Molinæ mihi diſplicet, &c.] ergo diſplicet etiam opinio; nam in bona Dialectica placere non poteſt ſententia,

An Lugo & Diana bene Dianam intelligant?

cujus

Digitized by Google

cujus fundamenta non placent. Secundò ponit opinionem Leſſij, qui Molinæ quoad ſubſtantiam conſentit. Tertiò ponit opinionem Ledesmæ, quem ut commendet notat fuiſſe Salmanticæ Theologiæ Thomiſticæ publicum Profeſſorem: & tandem quartò reſpondet argumentis Leſſij, quem ait fortè ſubſcripturum Ledeſmæ fuiſſe, ſi eum legiſſet: & probabilibus rationibus hanc eorum ſententiam roboraſſe. *Nota id benè.* Ergo ſiquidem fundamenta Molinæ Dianæ diſplicent, & Leſſij argumenta ſub eo ſolvuntur: & Ledeſmæ argumenta non ſolvuntur; & noſtræ rationes ſententiæ, quæ apud Leſſium, probabiles eſſe cenſentur; aut cæcus ſum, aut ſub illud tempus Diana ſententiam Ledeſmæ præhabuit, quam tamen hodie neſcio ob quam cauſam condemnat. Ergo ut oſtendam nullam eſſe, diſſolvam omnes illas, quæ ſolent circumferri à Junioribus. Audiatur primo loco *Molina*.

MCCLXVIII. *Reſpondetur Argumentis.* Ingenioſus & doctus Vir fuit: & de Juſt *tom.2.tract.2 diſp.38.num.*8. Ledeſmæ opinionem impugnat. *Primò*, quia videtur nova. *Secundò*, quia eſt periculoſa in fide. *Tertiò*, quia fundamentum, cui innititur contraria ſententia, nempe, mutuare ad annum, verbi gratiâ, eſſe inducere ſuper ſe obligationem in futurum, falſum eſt: nam hoc non eſt inducere ſuper ſe obligationem aliquam, ſed ſuâ liberalitate concedere beneficium Mutui in totum id tempus. Molinæ conſentit Laymann *in Theolog. Mor. lib.3.tract.*4 *cap.*16.*num.*8. Turrianus *in* 2.2 *tom.diſp.*51.*dub.*3 *num.*6 & Salas *tract. de Vſur. dub* 9.*num.*12. Vide etiam Malderum *in* 22.*tractat.*5.*cap.*3.*dubitat.*15.

An omnes opiniones nova ſint falſa? Sed hæ rationes leves ſunt. *Prima* enim doctum urgere nequit, multæ enim opiniones heri fuerunt novæ, quæ hodie ſunt certæ. Olim dari Antipodes improbabile fuit: ſub Ferdinando & Iſabellâ Catholicis Hiſpaniæ Regibus, novum, verumtamen; quod ipſum jam hodie eſt antiquum & certum. Quod ſi hæc opinio nova ſit, quid inde? modò ſit vera: olim erit antiqua. Nam ſi abſit invidia & præjudicium, tota Moralis Theologia nova eſt, quis enim negare audebit eſſe hodie in Dianâ centenas opiniones probabiles, quæ Auguſtino & antiquis Patribus Eccleſiæ ignotæ. *An noſtra nova ſit?* Sed non puto hanc opinionem novam eſſe, nam non dabitur antiquus qui in terminis habeat contrariam: nam pro ſolo tempore non poſſe pretium recipi, quod veteres dixerunt, etiam nos dicimus, & probamus. *Secunda* quantâ facilitate ponitur, tantâ neceſſitate rejicitur: *An contra fidem ſit?* detur enim articulus fidei, cui clarè & evidenter ſententia Ledeſmæ opponatur. Nam ſi retorſiones admittimus, ſicut ipſi opinionem Ledeſmæ obtorquere conantur, ſic etiam alij contrariam inflectere poterunt, & erit tota Theologia cerea, quæ poſſit non juxta rationes, ſed juxta affectus hominum transfigurari. *Tertia*: Aſſumptum ſibi diſplicere, ait Diana; nam ut notat Salas ubi ſupra, negari non poteſt ex vi illius contractûs mutuantē manere obligatum, ad non repetendam pecuniam toto eo tempore. *An in mutuo detur liberalis donatio?* Vnde infert, ut quis non poſſit mutuatam pecuniam repetere ante tale tempus non eſſe liberalem donationem, ut voluit Molina; ſed etiam aliquam obligationem. Sic Diana. At ego adhuc vehementiùs. Sit liberalis donatio. Ergo datur res (phyſica vel moralis, poſitiva vel negativa) quæ non debetur: ergo poteſt vendi. *Nota hanc ſequelam.* Ergo, ſi dem gratis uncias

 centum

centum cum onere non repetendi duobus annis, inibo juxta Molinam contractum compoſitum ex Mutuatione & Donatione: & ſi inivero alterum contractum, in quo gravamen, quod in priore gratis ſumpſeram, vendere placeat, inibo alium contractum compoſitum ex Mutuatione & Venditione. Nam petere aut non petere tanto tempore eſt ſupra naturam Mutui conſtituti in ſuo eſſe: ut Molina concedit & nos probavimus. [Relege obſecro attentè hanc ſolutionem ultimam; quæ, ut puto, dilucidat totam difficultatem.

MCC-LXIX. *Rationes Leſſij.*

Satisfecimus Patri Molinæ: audiatur etiam Leſſius, qui ſeveram opinionem tuetur. *Primò*, quia contraria ſententia videtur nova, nec apud Authores reperitur. *Secundò*, quia carentia pecuniæ & obligatio non repetendi ante aliquod tempus, eſt Mutuo intrinſeca: nam aliàs Mutuum non differet à Precario.

Diſſolvuntur.

Sed Diana nos docet, quî poſſimus his argumentis reſpondere. *Ad proximum* enim reſponde hanc opinionem exſtare apud Authores, nam ut dictum eſt illam tenent Ledeſma & alij, & Leſſius fortaſſis, ait Diana, ſi eum vidiſſet, hanc eſſet opinionem amplexus.

Opinio, quæ fulcitur ratione probabili eſt probabilis.

Accedit quod hanc eandem opinionē teſte Dianâ probabilibus rationibus Leſſius ſuffulciat: & bene ſcimus majoris eſſe faciendam vel unicam rationem probabilem multorum Authorum cenſuris.

De obligatione non repetendi.

Ad ſecundum reſponderi poteſt, ait Diana, verum eſſe, quod obligatio non repetendi pecuniam ante aliquod tempus, ſit de intrinſeca ratione Mutui, ſed non ante tale vel tale tempus. Sed hoc mihi non placet, quia Mutuum eſt contractus, qui poteſt contrahi hic & nunc: & tamen hic & nunc dari non poteſt obligatio ad tempus, quæ non ſit ad tantum determinatum tempus. Dico igitur ingenium Mutui non bene eſſe perpenſum & conſideratum.

Vide num. 1060 & 1062.

Conſiderentur tres illæ formulæ, quæ ſub initium poſitæ, quarum prima ſola reſpondet mero Mutuo: cujus natura tota & adæquatè ſalvatur ſine obligatione non repetendi tanto determinato tempore.

Quo modo differant Mutuum & Precarium: quo Commutatio & Venditio.

Et quia objicitur aliàs Mutuum non iri diſtinctum à Precario, aliquid debebo ſubſcribere. *Commutatio* & *Venditio* duo ſunt nomina ejuſdem conceptûs formalis, quæ tamen materialiter differunt: quando enim res commutatur pro pecunia dicitur vendi; & quando una venditur pro alia, dicitur commutari. Sic etiam: quando precario datur pecunia, dicitur mutuari; & quando aliæ res mutuò dantur, dicuntur concedi precariò. Hinc ſuboritur lux, quæ nos poſſit illuminare in quæſtione præſenti. Sic diſcurro. Una domus mihi tripliciter poteſt concedi.

Formula concedendi domum.

PRIMÒ, ſi Petrus dicat, *Concedo tibi hanc domum, ut habites, ſub conditione quod debeas eam mihi deoccupare cum primum indiguero.* SECUNDÒ, *concedo tibi eandem domum pro uno anno, deoccupandam tamen prius ſi indiguero.* TERTIÒ, *concedo tibi eandem domum pro uno anno, ita ut non tenearis eam mihi deoccupare & relinquere, etſi graviter eguero, etſi mea arſerit, etſi ſub dio dormire debeam, etſi cogar aliam magno pretio locare.*

Precariū.

Primus modus domum concedendi, nominatur *Precarium*: Secundus

Digitized by Google

cundus caret nomine. & tertius vocatur *Locatio*. His tribus modis mutuandi res ipſas (ut ſic loquar) reſpondent alij tres concedendi pecunias. Primus vocatur *Mutuum*, quod materialiter à precario diſtinguitur; nam ſicut in Precario datur domus mutuò, ſic etiam in Mutuo conceditur pecunia precariò. Secundus Tertiuſq; complectuntur alios contractus diverſos à Mutuo, qui quia nominibus carent, *improprijs* nominibus indigitantur. Vulgus dicit mutuari pecuniam per duos annos, alius locari aut conduci eam diceret, & minùs impropriè fortaſſis.

Locatio. *Mutuum.* *Modus loquendi.*

MCCLXX. *Eminentiſſ. Cardinalis de Lugo*, ut oſtenderet robuſtiſſimi ingenij ſui vires, opinionem Molinæ & Leſſij, defendendam ſuſcepit, & rationibus non paucis roboravit, quas omnes fundari æquivoco, clariſſimè demonſtraturus ſum. Arguit primò, quia, ait, ille, ſi vera eſſet, nullus contractus eſſet re ipſa uſurarius, ſed ſolùm per accidens, propter ignorantiam contrahentium, qui neſcierunt diſtinguere titulum lucri: nā re ipſa idem illud lucrum, quod propter lucrum illicitè exigunt, potuiſſent licitè exigere, non propter mutuum, ſed propter obligationem novam ſuper additam non repetendi mutuum intra tantum tēpus: quare omnes leges & prohibitiones in hac materiâ inutiles eſſent, cùm id totum ſemper alio titulo licitè fieri poſſet, & reduceretur uno verbo tota controverſia de uſuris ad quæſtionem de nomine, inutilem omnino ad forum conſcientiæ, in quo omnes iidem contractus, qui reprobantur, liciti eſſent, addito illo ſolo verbo. *Ego nolo lucrum pro mutuo, ſed pro obligatione, quâ ultra mutuū me obligo ad non repetendum illud intra tantum tempus.* Sed hæc ratio non urget;

Sententia Cardinalis Lugonis. *Ratio prima.* *An quæſtiones de uſuris ſint de nomine?* *Reſponſio.*

aſſumit enim quod non eſt verum, nec ad rem. *Non ad rem*, quia idem poſſemus dicere de ſimoniâ, & tamen certum eſt multos hodie iniri contractus Simoniacos ex merâ ignorantiâ contrahētium; nam ſi quis Sacerdos Miſſam venderet, eſſet Simoniacus, qui tamen licitè vendit non ipſam Miſſam, ſed laborem dicendi Miſſam: & quis non videt hunc laborem eſſe inſeparabilem ab ipsâ Miſſâ. *Non verum*; quia negamus omninò ex Ledeſmæ ſententia ſequi non poſſe dari contractum Mutui, qui eſſet uſurarius: nam eſſet uſurarius ille qui eſſet purum Mutuum, & tamen aliquid ſupra ſortem exigeret: nimirùm, qui iniretur his verbis. *Conſigno tibi mille aureos, quibus non egeo, quorum carentia non erit in causâ ut vel perdam aliquod lucrum, vel incurram in aliquod damnum, Conſigno hos inquā aureos, repetendos & recipiendos quâcunq; horâ non ſolùm indiguero, ſed voluero: ſecurus quod nulla erit in ſolutione mora contra meam voluntatem: & tamen ſupra ſortem volo adhuc habere tot aureos, cùm repetiero.* Ecce unum contractum puri Mutui uſurarium. Sed & poteſt eſſe uſurarius contractus mixtus compoſitus ex Mutuo & Venditione, in caſu quo pro Mutuo etiam aliquid exigeretur, vel pro gravamine plus quam deberet: nam condemno de uſurâ hunc contractum, *Conſigno tibi mille aureos & accepto obligationem non repetendi toto hoc anno; hac lege, ut præter ſortem des mihi centum aureos pro Mutuo, & alios centum pro hac ipsâ obligatione.* in quo ego contractu duas uſuras inexcuſabiles reperio: alteram, quia centum accipiuntur pro ipſo Mutuo: alteram, quia centum pro obligatione illâ non repetendi: cùm de fide ſit nihil accipi poſſe pro Mutuo; & certum opinione communi illam obliga-

tionem comparari ad capitale, ut quinque ad centum: & ad ſummum ut ſex aut ſeptem ad centum. Quam ob rem hoc modo contrahentem judicarem præter ſex (aut ſeptem ad ſummum) reſtituiſſe debere quidquid extorſit ſupra ſortem.

MCCLXXI *Ratio ſecunda: & me judice, tanto viro non digna.* Arguit ſecundò idem eminentiſſimus Lugo; quia ſi mutuans. V.g. dando 100. privavit ſe facultate negotiandi & lucrādi cum illâ pecuniâ, poſteà redditur illi æqualis pecunia cum facultate negotiandi & lucrandi cum illâ, quę facultas æquivalet facultati illi, qua ſe prius privavit ad tempus, ſicut pecunia reddita æquivalet pecuniæ datæ; totum ergo illud onus ſolvitur, & compenſatur reddendo ei tantumdem, nec reſtat aliquid, pro quo amplius ſolvendum ſit.

Reſponſio. Judico hanc rationem nullius eſſe momenti, & habere ſolutionem clariſſimam & evidentiſſimam: quod ipſum non ignoravit Lugo, hanc contrà rationem objiciens. *Objectio.* Si Petrus, ait, pecuniam mutuò non dediſſet, nec ſe obligaſſet ad non repetendam hoc anno, habuiſſet hoc anno poteſtatem lucrādi & habuiſſet etiam anno ſequenti: nunc autem, quia mutuò dedit cum tali obligatione, habebit quidem illam facultatem anno ſequenti, quando mutuum redditur, non tamen hoc anno: ergo obligatio carendi hoc anno non compēſatur, ſed manet ſine ullâ ſatisfactione, niſi pro eâ aliquid amplius detur. Sic Lugo objectionem propoſuit, & bene: eſt enim ſincerus Theologus & opiniones contrarias omnibus viribus, quib. poſſunt, armatas & munitas proponit. *An Lugo ſatisfaciat?* Videamus igitur, an ipſe huic objectioni ſatisfaciat? Reſpondet non minus valere pecuniam redditam anno ſequenti cum poteſtate utendi illâ toto tempore ſequēti, quàm valeat pecunia data, hoc anno cum ſimili poteſtate, ſed utramq; facultatem apud homines reputari ejuſdem omnino æſtimabilitatis & pretij. Hanc reſponſionem eſſe bonam conatur probare argumēto à rationis paritate deſumpto; ſi enim vēdas fundum vel agrum tuum hodie, das illum cum facultate colendi illum, & percipiendi fructus hoc anno & toto tempore ſequenti: ſi autem non vendas agrum hoc anno, ſed anno ſequenti; cum facultate colendi illum tempore ſequenti, non ideò debes tollere aliquid de pretio, ſed tanti potes agrū vendere anno ſequenti, quanti hoc anno eum vendidiſſes: non ergo minus valet facultas utendi agro toto tempore ſequenti, quàm valeret eadem facultas anno prętérito, licet non detur modò cum Facultate illâ utendi anno præterito, cum quâ ager datus fuiſſet anno præcedenti: alioquin omnia bona immobilia, quantumvis in ſe invariata & æquè bona manerent, deberent decreſcere quotidie in pretio, quia ſemper vendentur cum minori facultate, nempe ſine facultate ad utendum tempore præcedenti: quod tamen conſtat eſſe falſum, cùm prædium ſemper retineat æqualem valorem, quoties datur cum facultate utendi toto tempore ſequenti. Ratio autem videtur eſſe, quia quando ex parte temporis ſequētis, datur uſus ſine termino, pro nihilo reputatur, quòd præceſſerint jam alij anni, quibus emptor uti non poſſit, cùm adhuc reſtent tot alij anni, quibus ipſe & ejus ſucceſſores poſſint in perpetuum uti re illâ. Et ego his non obſtantibus pronuncio, rationem priorem illam quæ pro Cardinale militabat, fuiſſe clarè ſolutā; & ipſam ſolutionem non ſolvi. Nam tantum diſtat Lugo à verâ doctrinâ, ut non ſolùm pro obligatione non repetendi Mutuum, ſed etiā

pro

Digitized by Google

Nota id bene. pro ipſomet Mutuo poſſe & debere dare pretium conari probare videatur. Nam, ſi de pecuniâ ſicut de fundo & agro philoſophandum eſt; quod vult Lugo; ſtabit quod pro pecunia poſſit recipi pretium, nam qui agrum aut fundum pro anno amico concedit, poteſt pretium exigere, & ſi pretium exigat, contractus dicetur *Locatio.* PRÆTEREA, qui fundum invaſit, & invito domino extorſit, cùm juridicè vincitur, non ſolùm jubetur reſtituere agrum fundumue, ſed & fructus annorum præteritorum: ergo, ſi de pecuniâ eodem modo philoſophandum eſt præcipiente Lugone, etiam pecunia dabit fructus & fur debebit ſupra ſortem etiam canones dare. DEINDE; Tantum valet fundus anno hoc, quantum etiam ſequenti: ergo ſi de pecunia eodem modo philoſophari debeamus, ut conſentiamus Cardinali, debebimus paritatem admittere, & rationem quęrere: Dicam igitur fundum, qui hoc anno mille aureis venderetur, ideò vendendum fore anno ſequenti mille etiam aureis, quia quãtum ille fructificaturus erat hoc anno, tantum fructificabit pecunia, & ideò ſemper erunt pares. *Igitur* hæc ratio Domini Eminentiſſimi non impugnat Ledeſmam, ſed tuetur; & ipſammet Vſuram tollit, ſuadetq; pecuniam ipſam præciſam ab obligatione non repetendi, pecuniam parere: nam & fundus præciſus ab obligatione non repetendi, uno anno dat fructum. ET HÆC OMNIA dicta ſunt ſupponendo fundum hoc anno tanti valere quanti elapſo aut ſequenti, quod etiam falſum: omitto enim accidentales & publicas rerum immutationes, quæ fundorum agrorumq; pretia alterant, & ſolùm intrinſeca conſiderari volo, quæ obeſſe nequeunt. Si fundi ruſtica conſiderantur ędificia, labaſcũt; *An prædia tanti ſiãt hoc anno quanti elapſo fie-lant?* ſi arbores & plantæ, ſeneſcunt; & certum eſt majoris fieri domum novam antiqua; & arbores juniores decrepitis. Stat ergo Eminentiſſimi Domini Lugonis fundamentum eſſe falſum: ſtat illud, ſi verum eſſet, non tam oppugnare Ledeſmam, quàm omnem uſuram protegere. Qui carent rationibus, quas cõtra Ledeſmam pronunciant, eò demum tendunt ut rationes enervent, quæ pro Ledeſmæ opinione formantur. Producunt hanc. [Qui inſtrumento, quo poterat uti, ſe privat ad aliquod tempus, poterit pecuniam accipere: quia hæc privatio eſt pretio æſtimabilis. Sed qui mutuò dat pecuniam, privat ſe illâ, quæ eſt inſtrumentum generale ad multa. Ergo ratione hujus gravaminis & privationis poterit aliquid admittere.] MCCLXXII *An pecunia ſit generale inſtrumentum?*

Reſpondent Lugo, Dicaſtillus, Diana, diſparem eſſe rationem; quia, qui ſe privat ſuo inſtrumento per aliquod tẽpus, locat illud retento Dominio apud ſe; qui verò mutuando ſe privat pecuniâ, cùm per mutuum transferntur dominium in mutuatarium, non poteſt aliquid exigere pro carentiâ & pro uſu rei alienæ præcisè alio juſto titulo: Unde ex his, ut ajunt, manent ſoluta argumẽta cujuſdam recentioris, qui nixus authoritate Medinę excuſat hujuſmodi lucrum ab uſurâ reddi juſtum; nempe ſi ſit intuitu translationis dominij & privationis ejuſdem non autem intuitu mutui; omne enim dominiũ rei utilis, qualis præſertim eſt pecunia, eſt pretio æſtimabile: ſicut etiam privatio ejuſdem rei utilis. Et ſicut eſt pecuniâ æſtimabile, quòd artifex privet ſe inſtrumento ſuæ artis: non alia ratione, niſi quia privat ſe aliquo, quo utitur in ordine ad aliquam propriam utilitatem; ita etiam eſt pretio æſtimabile, quòd aliquis privet ſe pecuniâ; cùm ea quiſq, utatur in ordine

dine ad omnem utilitatem. At ego relego hanc ſolutionem, & affirmo illam nec eſſe omninò veram, nec ad rem. *Non veram*, quia mutuatarius manet debitor, ergo alicujus rei, quæ eſt mutuatoris: mutuator igitur non tranſtulit in mutuatarium morale dominium, ſed uſum, & hîc latam & claram æquivocationem eſſe, alibi demonſtrabo: Hæc ſubtilia ſunt, & quæ nos non tangunt, qui, diximus ſolutionem (vera vel falſa ponat) non eſſe ad rem: ideò nolo multum hîc inhærere, oſtendam tamen confundere phyſica moralibus, quotquot dicunt in mutuo transferri dominium. Quoniam valor, moralis formalitas eſt, nec mutatâ pecuniâ ille mutatur ſi datur alia pecunia æquè bona. Igitur mutuatarius, cùm recipit pecuniam, recipit inſtrumentum morale ad adquirendũ omnia, reſpectu cujus materia phyſica argenti aut auri materialiter ſe habet. Cùm ſolvit, ſolvit eandem numero morali, quàm recepit, tametſi aliam phyſicè numero, aut etiam ſpecie; nam debita contracta argento, ſolent auro extingui: vel contrà. Ergo ſi mutuatarius ſemper debet reddere pecuniam moralem, quam recepit, nunquam adquiſivit dominium pecuniæ moralis; nam nemo tenetur reddere tibi, quod ſuum eſt, ſed quod tuum. Ergo Tu mutuando non perdidiſti aut dediſti morale dominium moralis pecuniæ, ſed uſum tantum. Sed hæc Theologis & Philoſophis ſcripta ſint, non Canoniſtis & Legiſtis, ſuperant enim literę ſtrepitum ſubtiles illæ & ingenioſę veritates. *Concedam igitur* argumẽtationis gratiâ mutuari dominium in Mutuo; infero tamen aut ſolutionem illorum non eſſe ad rem, vel illam contra Authores ſuos eſſe licitas omnes uſuras propugnare. Interrogo, Utrùm ſit æſtimabile majori pretio; uſus ſolus, an uſus & dominium ſimul? Reſpõdebunt hoc ultimum. Ergo plus recipere poterit, qui pro anno dat dominium & uſum ſimul, quàm qui uſum tantùm. At Mechanicus, qui inſtrumenta accommodat, cõcedit uſum tantùm; & Mercator, qui mutuat pecunias, & uſum & dominium ſimul. (ſic vultis:) Ergo plus poterit Mercator cæteris paribus pro pecuniâ mutuatâ recipere, quàm Faber pro inſtrumento locato.

Impugnatur hæc ſolutio.

An mutuatarius adquirat verum dominium?

Satisfeci, ut exiſtimo Eminentiſſimo Cardinali de Lugo, imò etiam Dicaſtillo, qui ei conſentit: putaram Dianam à me eſſe; ſed quia ipſe *part.8.tract.7.reſol.* 63. ad contrariam opinionem ſe cõfert, quo philoſophetur modo videamus. Ejus verba produco. Dicit igitur, quòd mera carentia pecuniæ, ſeu mera obligatio non repetendi eſt intrinſeca ipſi Mutuo (ut diſtincto à precario) quòd debet gratis fieri, quia ei ſufficienter ſatis fit ſolutione ſortis: ergo pro eâ carentiâ, ſeu obligatione nihil poteſt exigi ſupra ſortem, ſicut nec pro Mutuo, quamvis dicta obligatio ſit ad non repetendum intra multum tempus; quia obligatio non repetendi intra aliquod tempus ex conventione aſſignatum (ſive multum, ſive parum) eſt de intrinſecâ ratione Mutui; aliàs pro obligatione non repetendi intra unam horam poſſet aliquid ſupra ſortem accipi, quia ad rationem intrinſecam mutui ſufficit obligari ad non repetendum intra dimidiam horam. Ergo: &c. MCCLXXXIII.

Opinio Diana ex ultimis libris deſumpta.

At ego nego obligationem illã non repetendi aliquo determinato tempore eſſe de intrinſecâ ratione Mutui: nego enim eſſe contractum puri Mutui, qui tale gravamen complectitur. Jam centies Mutui puri formulam expreſſi, & iterum proponere placet. *Concedo tibi*

Vera formula mutui. *tibi mille aureos, quos reddes mihi, cùm petiero*; eſt formula, quâ Mutuum, ſi ſit purum, fundatur: & in illa nullum eſt verbum, quo tempus aut aliud gravamen denotetur. Quamobrem, ſi præter Mutuũ etiam nova gravamina imponere velit Mutuatarius, quia illa ad Mutui conceptum non ſpectant, debebunt novo admitti contractu; nimirũ donationis, ſi acceptentur gratis; & venditionis, ſi acceptentur ob pretiũ. Illa poſitio, *Aliàs pro obligatione non repetendi intra unam horam, poſſet aliquid ſupra ſortem accipi:* non eſt ad rem; non dico eſſe perpetuò falſam, ſed laborare in Logicâ, quoniam non eſt univerſaliter vera: cùm certum ſit propoſitionibus, quæ aliquando ſunt veræ & aliquando falſæ, nil probari. Non eſſe perpetuò falſam probo: nam ſi dentur quinq; in centum, qui recepit 200,000. Aureos, tenebitur dare pro ſingulis annis 10, 000. ergo ſingulis horis plus quàm unum aureum, nam annus 8760. horas complectitur. Non eſſe perpetuò veram monſtro; nam qui receperit 100. Regales, tenebitur dare annis ſingulis quinos. Sed quot ſingulis diebus? quot ſingulis horis? computus arithmeticus deficit.

Contra Reſolutionem Dianę à Dianâ argumẽtum deſumo: ipſe enim *part. 4. tract. 8. reſol.* 49. vocat probabilẽ ſententiam, quæ docet pecuniam præſentem majoris æſtimari, quàm futuram. quam ſententiam tanquam veram defendit Cajetanus, Armilla Emanuel Sa, Navarrus, Faber, Bellarminus, Panormitanus, Innocentius; quam probabilem putat Azorius, Petrus de Ledeſma, Malderus, & Philiarchus; quam denique ego tam claram & evidentem judico, ut inter illas, quæ experientia demonſtrantur, eandem poni debere judicaverim. Et ſuppoſitâ hac doctrinâ ſic arguo. Plus eſt teſte Dianâ jus in centum aureis, quàm jus in cẽtum aureos; plus ſunt centum aurei præſentes, quàm chirographo firmata obligatio, vi cujus recepturus ſis centum aureos poſt annum. Ergo cùm do tibi centum aureos, & tu das mihi cautionem tuo nomine & ſigillo firmatam, quâ te obligas mihi ſolvere centum aureos poſt annum, plus do quàm recipio, ergo in contractu non ſervatur æqualitas, adeò nec æquitas. Ergo videndum erit, quâ proportione numerata & numeranda pecunia comparetur. At cõſtat ex praxi & moribus totius Europæ ſe habere pecuniam præſentem ad futuram, numeratam ad numerandam ut 100. ad 105. (vel etiam ad 106. ad 107.) ergo, ut ſervetur æqualitas, qui nũc vis recipere jus in centum aureis, debes mihi dare jus in centum & quinq; aureos anno ſequenti numerandos. Dignabitur Diana iſta legere; & videre An non ex doctrinâ ipſius iſta omnia ſequantur. Volo ſubjungere, quæ docet. *Notetur obſecro hæc ratio.*

MCCLXXIV. *P. Petrus Marchantius* Ordinis S. Franciſci obſervantiæ regularis per Germaniam & Belgium Commiſſarius Generalis; ne quis eum fortè contra noſtram ſententiam citare audeat. Is igitur in aureo illo volumine, quod inſe ipſit, *Tribunal Sacramentale & viſibile animarum in hac vitâ mortali*; multa habet doctiſſimè & ſolidiſſimè ſcripta, quę propriis locis in meâ Theologia dilucidabo. Et in omnibus Reſolutionibus, id mihi ſummoperè placet, quòd pauculos aut nullos Authores citans, ſacram Paginam, Cõcilia, & Patres Eccleſiæ ſecutus graviſſimas difficultates expediat. Is igitur *tom. 2. tract. 18. tit. 5. ſect. 4. dub.* 4. materiam de uſuris exponens

Digitized by Google

ponens hanc regulam generalem præſupponit: *Omne onus ex debito juſtitiæ, vel coactione quâcunq; à mutuante Mutuatario impoſitum ultra ſortem, ſive præciſam exigentiam ſortis correſpondentis mutuo, uſuram inducit.* Regulam iſtam eſſe claram affirmat & colligit, *multa onera (NB.) poſſe à Mutuante Mutuatario imponi ab extrinſeco extra præciſam exigētiam Mutui, quæ ab uſuræ peccato excludunt.* Sed quot? quæ? qualia? cur? *Primum* ratione damni emergentis. *Secundum* ratione lucri ceſſantis. *Tertium* ratione periculi ſortis, & moleſtiarum in illâ recuperandâ. *Quartum* ex aliorum ſententia, quam rejicit, ratione carentiæ pecuniæ. *Quintum* ratione pœnæ; ut ſi aliquid rationabile cōſtituatur in pœnam, caſu, quo Mutuatarius pecuniam tempore condicto non refundat. Hæc Marchantius doctiſſimè. *Ergo* ſi ratione damni emergentis poteſt Petrus aliquid recipere, poterit pro damno cētum aureorum certo recipere centum: pro probabili, ſi utrinque probabilitas æqualis ſit, poteſt quinquaginta: pro probabiliore & minus probabili, quot ſuadeat major vel minor probabilitas, & pro dubio, quod rarò contingentibus exemplis fundentur nonnihil.

Tituli recipiendi aliquid ſupra ſortē.

Eodem modo philoſophari Petrus poterit de lucro ceſſante. Cùm igitur unusquiſq; poſſit pecuniam ſuam Mercatoribus dare, & ratione ſocietatis tot aut tot ſupra centum recipere; ſi tibi mutuem, cenſebor perdere lucrū hoc, quod certò habere poſſem, ſi vellem, & quod pleriq; certò vellent, ſi poſſent; ergo conſideratâ lucri ceſſantis quantitate, certitudine, probabilitate, aut dubio, potero nonnihil ſupra ſortem adquirere. Reſpublica quinq; ſex vel ſeptem aliquando determinat: ergo huic taxæ licitè poterimus ſtare. Eodem modo de periculo perdendi capitale, & incidendi in lites, inimicitias, & difficultates, quæ hoc exulcerato ævo abeſſe, nec ſolent, nec poſſunt. Quæ omnia tam clara mihi videntur, ut exiſtimem nullum fore Doctorē, qui hæc legat, & poſſit negare conſenſum. Concludo igitur, *Nihil poſſe ſupra ſortem recipi ratione Mutui: nihil ratione temporis etſi longi: nihil ratione gravaminis non repetendi formaliter ſumpti; nempe ratione moleſtiæ non repetendi. At poſſe aliquid ratione circumſtantiarum lucri ceſſantis, damni emergentis, ſortis periculi, quæ aliquando certò, ſæpè probabiliter, gravamen illud obſident; quæ nunquam evidenter omninò abſunt.*

Vel ut omnia brevius colligam & reſumam, condemno de uſurâ illum, *qui indemnis redditur, & tamen aliquid adhuc adquirit.* Abſolvo eum, *qui vult indemnis reddi: qui ſibi vult tantùm reſtitui, quātum mutuat; qui conſideratis omnibus dubiis ſolutionis & damni & lucri, tantā pecuniam præſentem dat, quantâ nunc vendi poſſit illa futura.* *Nota hoc.*

Notanda.

Hæc diximus ingenium & dictamen ſecuti. & adhuc tria notanda occurrūt, quæ deſidero bonis oculis legi. MCCLXXV.

Primum eſt *Potuiſſe Deum (etiam nullâ novâ interveniente causâ, eſt enim Dominus) & Rempublicam (ſi detur cauſa, non enim habet dominium, ſed juriſdictionem in ſubditos) inhibere, ne ratione obligationis, non repetendi pecunias tanto tempore, pretium petatur.* At nos conſideravimus præcepta Decalogi, & in ipſis hanc legēm haberi non percepimus; ſed neq; in toto Jure Divino, Canonico, Cæſareo, aut Regio. Nam ſi talis lex pronunciaretur, juberemur non ſolùm mutuare, ſed aliquid ſupra mutuū proximo dare; hoc eſt eum non jam amare ſicut noſmetipſos, ſed plus quàm noſ-

noſmetipſos. Vel videto. Petit à te Petrus pecunias: reſpondes, *Dabo modò indemnis reddar*: hoc eſt, *Modò ſit mihi liberum & certum recuperare illas, cùm indiguero vel voluero.* Qui tali modo favorem orat, juſtè orat; qui tali modo concedit, neceſſariò concedit; nam tenetur favere proximo, & eum ſicut ſe ipſum amare, eſſetque invidus, qui ſine damno proprio favere poſſet, nolletq;: & hanc ob rem invidiam ego cum uſurâ in titulo controverſiæ, & in Theologiæ Moralis *lib.2.diſp.*14.*num.*723.juxta editionē Lovanienſem conjunxi, quid ſi inſtet Petrus, *Concede illas, etſi indemnis non maneas; etiam cum gravamine. Concede illas & accepta hoc gravamen, quod eaſdem toto anno non ſis repetiturus, etſi ego illis non egeam & tu tam graviter egeas, ut defectu illarum debeas vel graviſſima damna incurrere, vel à Iudæis æquivalentes recipere, & intolerabiles uſuras pendere?* Dices in tali Petrum caſu petere, ut illū ames plus quam te ipſum, ſi hoc ſibi concedi gratis poſtulet: quod ſi velit hoc ſibi vendi, te velle hoc intolerabile gravamen admittere, modò quinque in centum contribuat, vel quantum prudentū judicio dicatur valere hoc gravamē.

SECUNDUM eſt, *Opinionem Ledeſmæ nihil immutare practicè, ſed manere intra meros terminos ſpeculationis ſcholaſticæ.* Oſtenditur: quia admiſit Reſpublica, ut quinq; ſolvantur in centum (alicubi & aliquādo ſex, vel ſeptem) & modò quæritur, cur iſti ſupra ſortem ſolvantur? Ledeſma non corrigit praxin Reipublicæ, nec vult plures aureos dari aut non dari, ſed ſolummodò explicat titulum, quem proponere nobis velimus, ut praxin communem ſalvemus.

Porrò poſſe tutâ conſcientiâ quinq; recipi in cētum (fortè etiam ſex aut ſeptem: imò ſub annum 1636. in Monte Pietatis Bruxellæ recipiebantur duodecim) omnes dicunt: ſed cur tot? Authores communiter ad tres contractus differentes recurrunt: Ledeſma ad obligationem aut neceſſitatem non repetendi. At hodie mores publici ſtant à Ledeſmâ & non ab alijs: Ergo. Probatur minor.

Franciſcus moroſus ſolutor, mille aureos, quos debebat ſolviſſe an.1640. condemnatus per ſententiam Judicis jubetur ſolvere hoc anno 1650. cū canonibus decem annorum: nam ſemper video moroſos ſolutores ad canones prçter ſortem damnari: An quia illi tres contractus fuerunt initi? Minimè. quoniam illorum nulla mentio. Sed quia malitiâ ſolutoris fuit impoſitum creditori gravamen & non recuperandi neceſſitas. Ergo praxis totius Europæ fundatur in ſententia Ledeſmæ.

TERTIUM, *Antiquos nec paucos, nec ignobiles, credidiſſe pretium, quod nomine lucri ceſſantis aut damni emergentis olim recipiebatur, eſſe uſurarium.*

Cum tamen jam hodie licitum cenſeatur ab omnibus, qui ingenioſi dicūtur. Ergo hodie melius eſt examinata hæc controverſia, quam olim erat.

Sed quorſum hoc? ut moneantur Lectores, eſſe poſſe, ut in cōmuni hodie ſententiâ aliqua æquivocatio aut obſcuritas lateat: quæ fortè evaneſcet omninò, ſi Lectores ea dignentur perpendere, quæ in Theologiæ Moralis *num.*723.ſcripſi, & modò ſecundo calamo tractavi: Vt enim verum fateor mihi eſt omninò mirum negari vulgò rē, quæ mihi videtur tam clara. Oro legi rationes, & ſine præjudicio examinari; qui enim Authoritatum præoccupati numero, huc accedunt, nolunt veritatem cognoſcere, ſed hærere in præſcripta ſententiâ.

LIII 2 Ite-

Digitized by Google

certò emergat. Quid ſi damnum non certò ſed probabiliter ſit emerſurum? Taxari majoris vel minoris debebit, juxta probabilitatis quantitatem.

Tempus. Quartò non poterit aliquid recipere temporis præcisè, etſi longum id ſit, niſi ſe obliget ad non repetendum. Et in hoc caſu, ſi quid poſtulet, non id ratione ſolius temporis, ſed ratione periculi aut perdendi capitalis, aut incurrendi damnum inopinatum aut carendi lucro aliquo, quod poſſet haberi licitè, ſi adeſſet numerata pecunia, quod quidem periculum quia plerumque leve eſt, aliquid leve ſolet recipi, poſſetq; aliquid grave ſi eſſet grave. Sic ſentio: & non poſſe ratione ſolius temporis recipi canones aſſero & aſſerui *in Theologia morali num.* 762. juxta editionem Lovanienſem.

MCCLXV *Mutuandi formulæ.* Qui de hoc dubitant videntur Mutui naturam non callere. Ibi ego num. 763. poſui tres formulas. PRIMA ERAT, *Do tibi quingentos aureos mutuos, cùm primùm indiguero aut etiam voluero recipiendos.* SECUNDA, *Do eoſdem tibi pro uno anno, recipiendos tamen ante præfixum tempus, ſi ante indigeam.* TERTIA *eoſdem tibi conſigno pro anno integro, non repetendos ante anni finem etſi graviſſimè indigeam, etſi debeam aliunde pecunias quærere, & graviſſimos canones, aut etiam uſuras ſolvere.* In primâ Mutui puri eſſentiam cognoſco; non in ſecunda, non in tertia. Qui juxta primam aliquid dederit, inibit contractum puri Mutui, & nihil poterit recipere præter capitale. Qui juxta ſecundam contrahet, non parum Mutuum contrahet, ſed contractum compoſitum: Sed poterit ne aliquid ſupra ſortem admittere? nego ego, negat Diana, at ipſum debere concedere clariſſimè demonſtraturus ſum. De hac ſecunda formula ſtatim agemus: Venio ad tertiam & dico eam non continere purum Mutuum, ſed contractum compoſitum ex Mutuo & Donatione, ſi illud gravamen admittatur gratis; ex Mutuo verò & venditione, ſi pretio. Hanc ſententiam tenet expreſsè Petrus de Ledeſma publicus S. Theologiæ Doct. in Univerſitate Salmanticenſi *in ſumma ſua part. 2. tract. 8. cap. 35. concl. 4 fol.* 457. qui ſic ait. [La ſegunda difficultades, quando uno præſta mil ducados con obligacion de no los boluer â pedir en tanto tiempo, â poralgun eſpacio de tiempo, ſi ſerà uſura lleuar precio. La razon de dudar es, porque ſi el lleuaſſe mas que el principal lo lleverà por razon del empreſtito luego uſura ſeria lleuarlo. Confirmaſe, porque ſiempre, que ay empreſtito, ay por lo menos obligacion virtual de no pedir el empreſtito, por algunos dios luego ſi por la obligacion de no boverla a pedir, ſe puede llevar precio, ſiempre ſe puede llevar precio por el empreſtito] hoc eſt abſurdum: Ergo. A eſta difficultad ſe ha de reſponder, que ſi la obligacion de no lo bolver è pedir, es por mucho tiempo, ſe puede muy ben eſtimar con precio, y por razon de aguella obligacion ſe puede muy bien llevar el iuſto precio, ſin uſura ninguna. Eſto enſennan los diſcipulos de Sancto Thomas; por que la tal obligacion es eſtimable con precio. A la raçon de dudar ſe reſponde que en el tal caſo, no ſe lleva el dinero por el empreſtito, ſi no por la obligacion de no lo bolvera pedir mucho tiempo.] Hæc & doctè Ledeſma, quem peregrini audiant Latinè eadem reſumentem: ſi enim latinè ſcripſiſſet, ſic ſuam opinionem explicaret. [Altera difficultas occurrit, quando quis dat mutuò mille Scuta, obligans ſe ad non repetendum

illa

illa tanto tempore: & quærunt, an ſit uſura petere pretium pro hoc gravamine? Ratio dubitandi eſt, quia ſi iſte reciperet aliquid ſupra ſortem, reciperet ratione Mutui, nec poſſet ab uſura excuſari. *Confirmatur:* quia quandocunque datur Mutuum, datur non repetendi obligatio, ſaltem quæ reſpiciat aliquot dies. Ergo, ſi propter obligationem non repetendi, pretium aut canon exigitur, pretium exigetur pro Mutuo: Hoc eſt abſurdum: Ergo: Verùm ad hoc poterit reſponderi obligationem non repetendi eſſe pretio æſtimabilem, ſi ſit pro longo tempore. Et per conſequens poſſe accipi pretium pro illa, quin committatur uſura. Hoc docent Sancti Thomæ diſcipuli; quia talis obligatio eſt æſtimabilis pretio. Et ad rationem dubitandi reſpondetur, in hoc caſu non recipi pecunias pro Mutuo, ſed pro obligatione non repetendi datas pecunias multo tempore] Sic diſcurrit Ledesma & quidem doctiſſimè; quoniam gravamen non repetendi pecunias etſi indigeam, eſt extra charitatis legem & obligationem Mutui, quæ in charitate & invidiæ negatione fundatur.

Hoc non credo.

Hæc doctrina Ledeſma quoad ſubſtantiam eſt vera, licet in circumſtantiis nonnulla contineat, quæ paulo inferiùs decircinabo.

MCCLXVI. Hæc doctrina vera eſt, ſed non bene intellecta à nonnullis, qui duo illa Mutui fundamenta, quæ poſui (videlicet charitatē & Invidię negationem) meditari non volunt. Hanc ob rem addo alios Authores. Ajo eandem ſententiam doceri à Cæleſt. *in Compend. Theol. Moralis tract.* 11 *cap.* 5. *queſtion.* 2. qui ſic ait. [Quæres Vtrùm ratione carentiæ pecuniæ ſeu obligationem non repetendi ante certum tempus, poſſit aliquid exigi, ut ſi mutuem tibi mille aureos ad unum annum, privans me non ſolùm pecuniâ, ſed etiam facultate repetendi per tantum tempus? Ad hoc reſpondet Medina *cod. d. reſtitut. quæſt.* 32. *Inde refertur* quòd ſit licitum. tum, quia quælibet obligatio civilis eſt pretio æſtimabilis; hic autem intervenit obligatio non repetendi ante tantum tempus. ergo, &c. Tum, quia hæc obligatio eſt onus quoddam indebitum. Ergo non teneor illud ſubire gratis, ſed poſſum aliquid petere pro illo. Secundò, tùm quia ſicut privare ſe inſtrumento ſuæ artis eſt quid pecuniâ æſtimabile, ita etiam onus carendi ſuâ pecuniâ tanto tempore, cùm pecunia ſit inſtrumentum mercatorum: tum denique, quia id poſtulat commune bonum Reipub. nam cùm multi pecuniâ egeant, nec facile inveniri queant, qui velint mutuari gratis, partim ratione periculi ſortis, partim ne ſe privent commoditate variis modis negotiandi, & maximè per cambia, quæ hoc tempore vigent, æquum eſt ut mercatores ſpectatis omnibus circumſtantiis communi conſenſu, conſtituant certa pretia carentiæ pecuniæ, ex quibus ea carentia poſſet pro tempore pluris, vel minoris æſtimari: & hic videtur eſſe uſus plateæ Lugdunenſis, quo mercatores quotidie conveniunt, & habita ratione copię vel inopiæ pecuniæ, multitudinis cambiorum, mercimoniorum, & omnium lucrandi rationum, in quibus opus eſt præſenti pecuniâ, ſtatuunt pretium ſex, aut ſeptem, octo, aut novem, vel etiam decem in centum, pro eo quòd tanto tempore ſuâ pecuniâ careant, nec ante terminum conſtitutum liceat repetere. Hæ ſunt rationes ſpeculativè conſideratæ, quibus nititur hæc opinio, propter quas ſpeculativè conſiderata probabilis videtur. Leſſius *loco citato dub.* 16. & etiam Reginaldus *libr.* 29. *c.* 12. *num.* 246. nec damnare audent mercatores, qui

Cæleſtinus

Kkkk ita

Digitized by Google

ita ſegerere conſueverunt, imò excuſabiles eſſe ajunt, quamvis eam non eſſe in praxi admittendam tutius judicent, ne aperiatur oſtium uſuris prætextu periculi palliandis. Et ut ego referam quid ſentiam de hac re dicam paucis,

Cœleſtini reſolutio.

Hanc opinionem mihi videri tutam in conſcientia & in praxi hoc tempore amplecti & conſuli poſſe tum quia non auſim damnare tot mercatores moratæ conſcientiæ, qui id agunt, præſertim ex conſilio virorum doctorum, quos ipſi quotidie conſulunt, quique dicunt hoc licere; tum quia huic carentiæ pecuniæ ordinariè loquendo, ſolent admiſceri, & conjungi varij tituli, ex quibus ſuprà oſtendimus, poſſe in mutuò accipi aliquid ultrà ſortem, & primò illic reperitur periculum ſortis admittendæ, periculum, inquam, non quidem incertum, ſed probabile, vel quaſi certum; multi enim mercatores, qui ſecundum vulgi opinionem exiſtimantur ditiſſimi, telonio cedunt, ex quo creditores exponuntur periculo admittendi integram ſortem, vel tertiam aut dimidiam partem, & hoc ſatis conſtat experientiâ, præſertim à decem annis.

Titulus periculi.

Nota hic ratione periculi non ſolùm quinq; in centum, ſed plura poſſe recipi pro probabilitatis quātitate.

Secundò reperitur labor, diligentia, & moleſtiæ in parandis pecunijs mutuò dandis, qui titulus, ut docuimus ſuprà ex Valentia, eſt juſtus, licetque ea ratione aliquid ultra ſortem accipere.

Titulus laboris.

Tertiò reperitur etiam non rarò lucrum ceſſans, quia pecuniâ mercatores negotiarentur.

Titulus lucri ceſſantis.

His titulis accedit, & titulus Societatis, quam ineunt mercatores in negotiando.

Titulus ſocietatis.

Hic etiam intervenit donatio liberalis; mercatores enim ſpontè donare malunt mutuatori aliquid ultra ſortem, ut ſic & conſulant honori, & creditum ſervent, quæ cedendo telonio amittunt, ac in hoc perinde ſe habent, ac qui, ut evitent naufragium, vel omnes merces, vel aliquam illarum partem dimittunt in mare, nam etſi hęc projectio videatur involuntaria, tamen abſolutè eſt libera: ita etiam hæc donatio lucri ſupra ſortem abſolutè eſt libera, non coacta.]

Titulus donationis; qui tamen non placet: nam tolleret omnes uſuras.

Nec placet hæc ſimilitudo.

MCCLXVII. Hæc omnia Cœleſtinus. Ledeſmæ (ac propterea Cœleſtini & aliorum) ſententiam non putat improbabilem Trullench *in Decalogum tom.2 lib.7.cap.19.dub.12. ſub finem.*

Trullench.

Sed quid ſentit Diana? Refert *part.5. tract.13.reſol.50.* Cœleſtini ſententiam verbaque, & ſubjungit: [Hæc omnia docet Cœleſtinus loco citato: Sed an probabiliter, judicant alij:] Sed Dianam *part.1.tractat.8.reſolutione* 48. tenuiſſe Ledeſmæ opinionem noviſſimè putat Hurtadus *de Iuſt diſp.3.de Mutuo. diff.11.* idem judicavit Trullench. *citatus*: idem ego. Cardinalis de Lugo Dianam hinc amovet, *& tom.2 diſput. 25.ſect.3.numer.16.* ſic inquit [Diana relatis hinc inde ſententiis & authoritatibus, nihil definit] Quam ob rem ipſe *part.8.tract.7.reſol.63.* contrariam abſolutè tenet, & ſententiam Ledeſmæ ait non ſolum improbabilem putari à Doctoribus, ſed etiam acriter cenſurari. Quid hic ego? Latere aliquam æquivocationem, nam puto me habere evidentiam, & contra Ledeſmam ſolummodò aliquam hallucinationem militare.

Diana.

An Lugo & Diana bene Dianam intelligant?

Porrò Dianam *part.1.tract.8. reſol.48.* habuiſſe Ledeſmæ opinionem negat Lugo, negat Diana, aſſeruit Hurtadus, aſſeruit Trullench: aſſeruit & totus reſolutionis contextus, ſi bene legatur. nam primò ponit opinionem Molinæ negantis poſſe aliquid recipi pro obligatione non repetendi tanto tempore: & ait: [ſed hoc aſſumptum Molinæ mihi diſplicet, &c.] ergo diſplicet etiam opinio; nam in bona Dialectica placere non poteſt ſententia,

cujus

Digitized by Google

cujus fundamenta non placent. Secundò ponit opinionem Leſſij, qui Molinæ quoad ſubſtantiam conſentit. Tertiò ponit opinionem Ledeſmæ, quem ut commendet notat fuiſſe Salmanticæ Theologiæ Thomiſticæ publicum Profeſſorem: & tandem quartò reſpondet argumentis Leſſij, quem ait fortè ſubſcripturum Ledeſmæ fuiſſe, ſi eum legiſſet: & probabilibus rationibus hanc eorum ſententiam roboraſſe. *Nota id benè.* Ergo ſiquidem fundamenta Molinæ Dianæ diſplicent, & Leſſij argumenta ſub eo ſolvuntur: & Ledeſmæ argumenta non ſolvuntur; & noſtræ rationes ſententiæ, quæ apud Leſſium, probabiles eſſe cenſentur; aut cæcus ſum, aut ſub illud tempus Diana ſententiam Ledeſmæ præhabuit, quam tamen hodie neſcio ob quam cauſam condemnat. Ergo ut oſtendam nullam eſſe, diſſolvam omnes illas, quæ ſolent circumferri à Junioribus. Auditur primo loco *Molina*.

MCCLXVIII. *Reſpondetur Argumentis.* Ingenioſus & doctus Vir fuit: & de Juſt *tom.2.tract.2 diſp.38.num.8.* Ledeſmæ opinionem impugnat. *Primò*, quia videtur nova. *Secundò*, quia eſt periculoſa in fide. *Tertiò*, quia fundamentum, cui innititur contraria ſententia, nempe, mutuare ad annum, verbi gratiâ, eſſe inducere ſuper ſe obligationem in futurum, falſum eſt: nam hoc non eſt inducere ſuper ſe obligationem aliquam, ſed ſuâ liberalitate concedere beneficium Mutui in totum id tempus. Molinæ conſentit Laymann *in Theolog. Mor. lib.3.tract.4 cap.16.num.8.* Turianus *in 2.2 tom. diſp.51. dub.3.num.6* & Salas *tract. de Vſur. dub 9.num.12.* Vide etiam Malderum *in 22. tractat.5. cap.3. dubitat.15.*

An omnes opiniones nova ſint falſa? Sed hæ rationes leves ſunt. *Prima* enim doctum urgere nequit, multæ enim opiniones heri fuerunt novæ, quæ hodie ſunt certæ. Olim dari Antipodes improbabile fuit: ſub Ferdinando & Iſabellâ Catholicis Hiſpaniæ Regibus, novum, verum tamen; quod ipſum jam hodie eſt antiquum & certum. Quod ſi hæc opinio nova ſit, quid inde? modò ſit vera: olim erit antiqua. Nam ſi abſit invidia & præjudicium, tota Moralis Theologia nova eſt, quis enim negare audebit eſſe hodie in Dianâ centenas opiniones probabiles, quæ Auguſtino & antiquis Patribus Eccleſiæ ignotæ. *An noſtra nova ſit?* Sed non puto hanc opinionem novam eſſe, nam non dabitur antiquus qui in terminis habeat contrariam: nam pro ſolo tempore non poſſe pretium recipi, quod veteres dixerunt, etiam nos dicimus, & probamus. *An contra fidem ſit?* *Secunda* quantâ facilitate ponitur, tantâ neceſſitate rejicitur: detur enim articulus fidei, cui clarè & evidenter ſententia Ledeſmæ opponatur. Nam ſi retorſiones admittimus, ſicut ipſi opinionem Ledeſmæ obtorquere conantur, ſic etiam alij contrariam inflectere poterunt, & erit tota Theologia cerea, quæ poſſit non juxta rationes, ſed juxta affectus hominum transfigurari. *An in mutuo detur liberalis donatio?* *Tertia*: Aſſumptum ſibi diſplicere, ait Diana; nam ut notat Salas ubi ſupra, negari non poteſt ex vi illius contractûs mutuantē manere obligatum, ad non repetendam pecuniam toto eo tempore. Vnde infert, ut quis non poſſit mutuatam pecuniam repetere ante tale tempus non eſſe liberalem donationem, ut voluit Molina; ſed etiam aliquam obligationem. Sic Diana. At ego adhuc vehementiùs. Sit liberalis donatio. Ergo datur res (phyſica vel moralis, poſitiva vel negativa) quæ non debetur: ergo poteſt vendi. *Nota hanc ſequelam.* Ergo, ſi dem gratis uncias

Digitized by Google

cundus caret nomine. & tertius vocatur *Locatio.* His tribus modis mutuandi res ipſas (ut ſic loquar) reſpondent alij tres concedendi pecunias. Primus vocatur *Mutuum,* quod materialiter à precario diſtinguitur; nam ſicut in Precario datur domus mutuò, ſic etiam in Mutuo conceditur pecunia precariò. Secundus Tertiuſq; complectuntur alios contractus diverſos à Mutuo, qui quia nominibus carent, *improprijs* nominibus indigitantur. Vulgus dicit mutuari pecuniam per duos annos, alius locari aut conduci eam diceret, & minùs impropriè fortaſſis.

Locatio.

Mutuum.

Modus loquendi.

MCCLXX. *Eminentiſſ. Cardinalis de Lugo,* ut oſtenderet robuſtiſſimi ingenij ſui vires, opinionem Molinæ & Leſſij, defendendam ſuſcepit, & rationibus non paucis roboravit, quas omnes fundari æquivoco, clariſſimè demonſtraturus ſum. Arguit primò, quia, ait, ille, ſi vera eſſet, nullus contractus eſſet re ipſa uſurarius, ſed ſolùm per accidens, propter ignorantiam contrahentium, qui neſcierunt diſtinguere titulum lucri: nã re ipſa idem illud lucrum, quod propter lucrum illicitè exigunt, potuiſſent licitè exigere, non propter mutuum, ſed propter obligationem novam ſuper additam non repetendi mutuum intra tantum tẽpus: quare omnes leges & prohibitiones in hac materiâ inutiles eſſent, cùm id totum ſemper alio titulo licitè fieri poſſet, & reduceretur uno verbo tota controverſia de uſuris ad quæſtionem de nomine, inutilem omnino ad forum conſcientiæ, in quo omnes iidem contractus, qui reprobantur, liciti eſſent, addito illo ſolo verbo. *Ego nolo lucrum pro mutuo, ſed pro obligatione, quâ ultra mutuũ me obligo ad non repetendum illud intra tantum tempus.* Sed hæc ratio non urget; aſſumit enim quod non eſt verum, nec ad rem. *Non ad rem,* quia idem poſſemus dicere de ſimoniâ, & tamen certum eſt multos hodie iniri contractus Simoniacos ex merâ ignorantiâ contrahẽtium; nam ſi quis Sacerdos Miſſam venderet, eſſet Simoniacus, qui tamen licitè vendit non ipſam Miſſam, ſed laborem dicendi Miſſam: & quis non videt hunc laborem eſſe inſeparabilem ab ipſâ Miſſâ. *Non verum;* quia negamus omninò ex Ledeſmæ ſententia ſequi non poſſe dari contractum Mutui, qui eſſet uſurarius: nam eſſet uſurarius ille qui eſſet purum Mutuum, & tamen aliquid ſupra ſortem exigeret: nimirùm, qui iniretur his verbis. *Conſigno tibi mille aureos, quibus non egeo, quorum carentia non erit in causâ ut vel perdam aliquod lucrum, vel incurram in aliquod damnum, Conſigno hos inquã aureos, repetendos & recipiendos quâcunq; horâ non ſolùm indiguero, ſed voluero: ſecurus quod nulla erit in ſolutione mora contra meam voluntatem: & tamen ſupra ſortem volo adhuc habere tot aureos, cùm repetiero.* Ecce unum contractum puri Mutui uſurarium. Sed & poteſt eſſe uſurarius contractus mixtus compoſitus ex Mutuo & Venditione, in caſu quo pro Mutuo etiam aliquid exigeretur, vel pro gravamine plus quam deberet: nam condemno de uſurâ hunc contractum, *Conſigno tibi mille aureos & accepto obligationem non repetendi toto hoc anno; hac lege, ut præter ſortem des mihi centum aureos pro Mutuo, & alios centum pro hac ipsâ obligatione.* in quo ego contractu duas uſuras inexcuſabiles reperio: alteram, quia centum accipiuntur pro ipſo Mutuo: alteram, quia centum pro obligatione illâ non repetendi: cùm de fide ſit nihil accipi poſſe pro Mutuo; & certum opinione communi illam obliga-

Sententia Cardinalis Lugonis.

Ratio prima.

An quæſtiones de uſuris ſint de nomine?

Reſponſio.

 tio-

Digitized by Google

Nota id bene.

pro ipſomet Mutuo poſſe & debere dare pretium conari probare videatur. Nam, ſi de pecuniâ ſicut de fundo & agro philoſophandum eſt; quod vult Lugo; ſtabit quod pro pecunia poſſit recipi pretium, nam qui agrum aut fundum pro anno amico concedit, poteſt pretium exigere, & ſi pretium exigat, contractus dicetur *Locatio*. PRÆTEREA, qui fundum invaſit, & invito domino extorſit, cùm juridicè vincitur, non ſolùm jubetur reſtituere agrum fundumve, ſed & fructus annorum præteritorum: ergo, ſi de pecuniâ eodem modo philoſophandum eſt præcipiente Lugone, etiam pecunia dabit fructus & fur debebit ſupra ſortem etiam canones dare. DEINDE; Tantum valet fundus anno hoc, quantum etiam ſequenti: ergo ſi de pecunia eodem modo philoſophari debeamus, ut conſentiamus Cardinali, debebimus paritatem admittere, & rationem quęrere: Dicam igitur fundum, qui hoc anno mille aureis venderetur, ideò vendendum fore anno ſequenti mille etiam aureis, quia quãtum ille fructificaturus erat hoc anno, tantum fructificabit pecunia, & ideò ſemper erunt pares. *Igitur* hæc ratio Domini Eminentiſſimi non impugnat Ledeſmam, ſed tuetur; & ipſammet Vſuram tollit, ſuadetq; pecuniam ipſam præciſam ab obligatione non repetendi, pecuniam parere: nam & fundus præciſus ab obligatione non repetendi, uno anno dat fructum. ET HÆC OMNIA dicta ſunt ſupponendo fundum hoc anno tanti valere quanti elapſo aut ſequenti, quod etiam falſum: omitto enim accidentales & publicas rerum immutationes, quæ fundorum agrorumq; pretia alterant, & ſolùm intrinſeca conſiderari volo, quæ obeſſe nequeunt. Si fundi ruſtica conſiderantur ędificia, labaſcũt;

An prædia tanti ſiãt hoc anno quanti e-

ſi arbores & plantæ, ſeneſcunt; & certum eſt majoris fieri domum novam antiqua; & arbores juniores decrepitis. Stat ergo Eminentiſſimi Domini Lugonis fundamentum eſſe falſum: ſtat illud, ſi verum eſſet, non tam oppugnare Ledeſmam, quàm omnem uſuram protegere. Qui carent rationibus, quas cõtra Ledeſmam pronunciant, eò demum tendunt ut rationes enervent, quæ pro Ledeſmæ opinione formantur. Producunt hanc. [Qui inſtrumento, quo poterat uti, ſe privat ad aliquod tempus, poterit pecuniam accipere: quia hæc privatio eſt pretio æſtimabilis. Sed qui mutuò dat pecuniam, privat ſe illâ, quæ eſt inſtrumentum generale ad multa. Ergo ratione hujus gravaminis & privationis poterit aliquid admittere.] MCCLXXII

lapſo fiebant?

An pecunia ſit generale inſtrumentum?

Reſpondent Lugo, Dicaſtillus, Diana, diſparem eſſe rationem; quia, qui ſe privat ſuo inſtrumento per aliquod tẽpus, locat illud retento Dominio apud ſe; qui verò mutuando ſe privat pecuniâ, cùm per mutuum transferatur dominium in mutuatarium, non poteſt aliquid exigere pro carentiâ & pro uſu rei alienæ præciſè alio juſto titulo: Unde ex his, ut ajunt, manent ſoluta argumẽta cujuſdam recentioris, qui nixus authoritate Medinę excuſat hujuſmodi lucrum ab uſurâ reddi juſtum; nempe ſi ſit intuitu translationis dominij & privationis ejuſdem non autem intuitu mutui; omne enim dominiũ rei utilis, qualis præſertim eſt pecunia, eſt pretio æſtimabile: ſicut etiam privatio ejuſdem rei utilis. Et ſicut eſt pecuniâ æſtimabile, quòd artifex privet ſe inſtrumento ſuæ artis: non alia ratione, niſi quia privat ſe aliquo, quo utitur in ordine ad aliquam propriam utilitatem; ita etiam eſt pretio æſtimabile, quòd aliquis privet ſe pecuniâ; cùm ea quiſq, utatur in ordine

Impugnatur hæc ſolutio.

dine ad omnem utilitatem. At ego relego hanc ſolutionem, & affirmo illam nec eſſe omninò veram, nec ad rem. *Non veram*, quia mutuatarius manet debitor, ergo alicujus rei, quæ eſt mutuatoris: mutuator igitur non tranſtulit in mutuatarium morale dominium, ſed uſum, & hîc latam & claram equivocationem eſſe, alibi demonſtrabo: Hæc ſubtilia ſunt, & quæ nos non tangunt, qui,

An mutuatarius adquirat verum dominium?

diximus ſolutionem (vera vel falſa ponat) non eſſe ad rem: ideò nolo multum hîc inhærere, oſtendam tamen confundere phyſica moralibus, quotquot dicunt in mutuo transferri dominium. Quoniam valor, moralis formalitas eſt, nec mutatâ pecuniâ ille mutatur ſi datur alia pecunia æquè bona. Igitur mutuatarius, cùm recipit pecuniam, recipit inſtrumentum morale ad adquirendũ omnia, reſpectu cujus materia phyſica argenti aut auri materialiter ſe habet. Cùm ſolvit, ſolvit eandem numero morali, quàm recepit, tametſi aliam phyſicè numero, aut etiam ſpecie; nam debita contracta argento, ſolent auro extingui: vel contrà. Ergo ſi mutuatarius ſemper debet reddere pecuniam moralem, quam recepit, nunquam adquiſivit dominium pecuniæ moralis; nam nemo tenetur reddere tibi, quod ſuum eſt, ſed quod tuum. Ergo Tu mutuando non perdidiſti aut dediſti morale dominium moralis pecuniæ, ſed uſum tantum. Sed hæc Theologis & Philoſophis ſcripta ſint, non Canoniſtis & Legiſtis, ſuperant enim literę ſtrepitum ſubtiles iſtæ & ingenioſę veritates. *Concedam igitur* argumẽtationis gratiâ mutuari dominium in Mutuo; infero tamen aut ſolutionem illorum non eſſe ad rem, vel illam contra Authores ſuos eſſe licitas omnes uſuras propugnare. Interrogo, Utrùm ſit æſtimabile majori pretio; uſus ſolus, an uſus & dominium ſimul? Reſpõdebunt hoc ultimum. Ergo plus recipere poterit, qui pro anno dat dominium & uſum ſimul, quàm qui uſum tantùm. At Mechanicus, qui inſtrumenta accommodat, cõcedit uſum tantùm; & Mercator, qui mutuat pecunias, & uſum & dominium ſimul. (ſic vultis:) Ergo plus poterit Mercator cæteris paribus pro pecuniâ mutuatâ recipere, quàm Faber pro inſtrumento locato.

MCCLXXXIII.

Opinio Dianæ ex ultimis libris deſumpta.

Satisfeci, ut exiſtimo Eminentiſſimo Cardinali de Lugo, imò etiam Dicaſtillo, qui ei conſentit: putaram Dianam à me eſſe; ſed quia ipſe *part.8.tract.7.reſol.* 63. ad contrariam opinionem ſe cõfert, quo philoſophetur modo videamus. Ejus verba produco. Dicit igitur, quòd mera carentia pecuniæ, ſeu mera obligatio non repetendi eſt intrinſeca ipſi Mutuo (ut diſtincto à precario) quòd debet gratis fieri, quia ei ſufficienter ſatis fit ſolutione ſortis; ergo pro eâ carentiâ, ſeu obligatione nihil poteſt exigi ſupra ſortem, ſicut nec pro Mutuo, quamvis dicta obligatio ſit ad non repetendum intra multum tempus; quia obligatio non repetendi intra aliquod tempus ex conventione aſſignatum (ſive multum, ſive parum) eſt de intrinſecâ ratione Mutui; aliàs pro obligatione non repetendi intra unam horam poſſet aliquid ſupra ſortem accipi, quia ad rationem intrinſecam mutui ſufficit obligari ad non repetendum intra dimidiam horam. Ergo: &c.

At ego nego obligationem illã non repetendi aliquo determinato tempore eſſe de intrinſecâ ratione Mutui: nego enim eſſe contractum puri Mutui, qui tale gravamen complectitur. Jam centies Mutui puri formulam expreſſi, & iterum proponere placet. *Concedo tibi*

Digitized by Google

Vera formula mutui. *tibi mille aureos, quos reddes mihi, cùm petiero*; eſt formula, quâ Mutuum, ſi ſit purum, fundatur: & in illa nullum eſt verbum, quo tempus aut aliud gravamen denotetur. Quamobrem, ſi præter Mutuũ etiam nova gravamina imponere velit Mutuatarius, quia illa ad Mutui conceptum non ſpectant, debebunt novo admitti contractu; nimirũ donationis, ſi acceptentur gratis; & venditionis, ſi acceptentur ob pretiũ. Illa poſitio, *Aliàs pro obligatione non repetendi intra unam horam, poſſet aliquid ſupra ſortem accipi*: non eſt ad rem: non dico eſſe perpetuò falſam, ſed laborare in Logicâ, quoniam non eſt univerſaliter vera: cùm certum ſit propoſitionibus, quæ aliquando ſunt veræ & aliquando falſæ, nil probari. Non eſſe perpetuò falſam probo: nam ſi dentur quinq; in centum, qui recepit 200,000. Aureos, tenebitur dare pro ſingulis annis 10,000. ergo ſingulis horis plus quàm unum aureum, nam annus 8760. horas complectitur. Non eſſe perpetuò veram monſtro; nam qui receperit 100. Regales, tenebitur dare annis ſingulis quinos. Sed quot ſingulis diebus? quot ſingulis horis? computus arithmeticus deficit.

Contra Reſolutionem Dianę à Diana argumẽtum deſumo: ipſe enim *part. 1 tract. 8. reſol.* 49. vocat probabilẽ ſententiam, quæ docet pecuniam præſentem majoris æſtimari, quàm futuram. quam ſententiam tanquam veram defendit Cajetanus, Armilla Emanuel Sa, Navarrus, Faber, Bellarminus, Panormitanus, Innocentius; quam probabilem putat Azorius, Petrus de Ledeſma, Malderus, & Philiarchus; quam denique ego tam claram & evidentem judico, ut inter illas, quæ experientia demonſtrantur, eandem poni debere judicaverim. Et ſuppoſitâ hac doctrinâ ſic arguo. Plus eſt teſte Dianâ jus in centum aureis, quàm jus in cẽtum aureos; plus ſunt centum aurei præſentes, quàm chirographo firmata obligatio, vi cujus recepturus ſis centum aureos poſt annum. Ergo cùm do tibi centum aureos, & tu das mihi cautionem tuo nomine & ſigillo firmatam, quâ te obligas mihi ſolvere centum aureos poſt annum, plus do quàm recipio, ergo in contractu non ſervatur æqualitas, adeò nec æquitas. Ergo videndum erit, quâ proportione numerata & numeranda pecunia comparetur. At cõſtat ex praxi & moribus totius Europæ ſe habere pecuniam præſentem ad futuram, numeratam ad numerandam ut 100. ad 105. (vel etiam ad 106. ad 107.) ergo, ut ſervetur æqualitas, qui nũc vis recipere jus in centum aureis, debes mihi dare jus in centum & quinq; aureos anno ſequenti numerandos. Dignabitur Diana iſta legere; & videre An non ex doctrinâ ipſius iſta omnia ſequantur. Volo ſubjungere, quæ docet. *Notetur obſecro hæc ratio.*

MCCLXXIV. *P. Petrus Marchantius* Ordinis S. Franciſci obſervantiæ regularis per Germaniam & Belgium Commiſſarius Generalis; ne quis eum fortè contra noſtram ſententiam citare audeat. Is igitur in aureo illo volumine, quod inſcripſit, *Tribunal Sacramentale & viſibile animarum in hac vitâ mortali*; multa habet doctiſſimè & ſolidiſſimè ſcripta, quę propriis locis in meâ Theologia dilucidabo. Et in omnibus Reſolutionibus, id mihi ſummoperè placet, quòd pauculos aut nullos Authores citans, ſacram Paginam, Cõcilia, & Patres Eccleſiæ ſecutus graviſſimas difficultates expediat. Is igitur *tom. 2. tract. 18. tit. 5. ſect. 4. dub.* 4. materiam de uſuris exponens

Digitized by Google

ponens hanc regulam generalem præſupponit: *Omne onus ex debito juſtitiæ, vel coactione quâcunq; à mutuante Mutuatario impoſitum ultra ſortem, ſive præciſam exigentiam ſortis correſpondentis mutuo, uſuram inducit.* Regulam iſtam eſſe claram affirmat & colligit, *multa onera (NB.) poſſe à Mutuante Mutuatario imponi ab extrinſeco extra præciſam exigẽtiam Mutui, quæ ab uſura peccato excludunt.* Sed quot? quæ? qualia? cur? *Primum* ratione damni emergentis. *Secundum* ratione lucri ceſſantis. *Tertium* ratione periculi ſortis, & moleſtiarum in illâ recuperandâ. *Quartum* ex aliorum ſententia, quam rejicit, ratione carentiæ pecuniæ. *Quintum* ratione pœnæ; ut ſi aliquid rationabile cõſtituatur in pœnam, caſu, quo Mutuatarius pecuniam tempore condicto non refundat. Hæc Marchantius doctiſſimè. *Ergo* ſi ratione damni emergentis poteſt Petrus aliquid recipere, poterit pro damno cẽtum aureorum certo recipere centum: pro probabili, ſi utrinque probabilitas æqualis ſit, poteſt quinquaginta: pro probabiliore & minus probabili, quot ſuadeat major vel minor probabilitas, & pro dubio, quod rarò contingentibus exemplis fundentur nonnihil.

Tituli recipiendi aliquid ſupra ſortẽ.

Eodem modo philoſophari Petrus poterit de lucro ceſſante. Cùm igitur unusquiſq; poſſit pecuniam ſuam Mercatoribus dare, & ratione ſocietatis tot aut tot ſupra centum recipere; ſi tibi mutuem, cenſebor perdere lucrũ hoc, quod certò habere poſſem, ſi vellem, & quod pleriq; certò vellent, ſi poſſent; ergo conſideratâ lucri ceſſantis quantitate, certitudine, probabilitate, aut dubio, potero nonnihil ſupra ſortem adquirere. Reſpublica quinq; ſex vel ſeptem aliquando determinat: ergo huic taxæ licitè poterimus ſtare. Eodem modo de periculo perdendi capitale, & incidendi in lites, inimicitias, & difficultates, quæ hoc exulcerato ævo abeſſe, nec ſolent, nec poſſunt. Quæ omnia tam clara mihi videntur, ut exiſtimem nullum fore Doctorẽ, qui hæc legat, & poſſit negare conſenſum. Concludo igitur, *Nihil poſſe ſupra ſortem recipi ratione Mutui: nihil ratione temporis etſi longi: nihil ratione gravaminis non repetendi formaliter ſumpti; nempe ratione moleſtiæ non repetendi. At poſſe aliquid ratione circumſtantiarum lucri ceſſantis, damni emergentis, ſortis periculi, quæ aliquando certò, ſæpè probabiliter, gravamen illud obſident; quæ nunquam evidenter omninò abſunt.*

Vel ut omnia brevius colligam & reſumam, condemno de uſurâ illum, *qui indemnis redditur, & tamen aliquid adhuc adquirit.* Abſolvo eum, *qui vult indemnis reddi: qui ſibi vult tantùm reſtitui, quãtum mutuat; qui conſideratis omnibus dubiis ſolutionis & damni & lucri, tantã pecuniam præſentem dat, quantâ nunc vendi poſſit illa futura.* *Nota hoc.*

Notanda.

Hæc diximus ingenium & dictamen ſecuti. & adhuc tria notanda occurrũt, quæ deſidero bonis oculis legi. MCCLXXV.

Primum eſt *Potuiſſe Deum (etiam nullâ novâ interveniente causâ, eſt enim Dominus) & Rempublicam (ſi detur cauſa, non enim habet dominium, ſed juriſdictionem in ſubditos) inhibere, ne ratione obligationis, non repetendi pecunias tanto tempore, pretium petatur.* At nos conſideravimus præcepta Decalogi, & in ipſis hanc legẽm haberi non percepimus; ſed neq; in toto Jure Divino, Canonico, Cæſareo, aut Regio. Nam ſi talis lex pronunciaretur, juberemur non ſolùm mutuare, ſed aliquid ſupra mutuũ proximo dare, hoc eſt eum non jam amare ſicut noſmetipſos, ſed plus quàm noſ-

Digitized by Google

noſmetipſos. Vel videto. Petit à te Petrus pecunias: reſpondes, ***Dabo modò indemnis reddar***: hoc eſt, ***Modò ſit mihi liberum & certum recuperare illas, cùm indiguero vel voluero.*** Qui tali modo favorem orat, juſtè orat; qui tali modo concedit, neceſſariò concedit; nam tenetur favere proximo, & eum ſicut ſe ipſum amare, eſſetque invidus, qui ſine damno proprio favere poſſet, nolletq;: & hanc ob rem invidiam ego cum uſurâ in titulo controverſiæ, & in Theologiæ Moralis *lib.2.diſp.*14.*num.*723. juxta editionẽ Lovanienſem conjunxi, quid ſi inſtet Petrus, *Concede illas, etſi indemnis non maneas; etiam cum gravamine. Concede illas & accepta hoc gravamen, quod easdem toto anno non ſis repetiturus, etſi ego illis non egeam & tu tam graviter egeas, ut defectu illarum debeas vel graviſſima damna incurrere, vel à Iudæis æquivalentes recipere, & intolerabiles uſuras pendere?* Dices in tali Petrum caſu petere, ut illũ ames plus quam te ipſum, ſi hoc ſibi concedi gratis poſtulet: quod ſi velit hoc ſibi vendi, te velle hoc intolerabile gravamen admittere, modò quinque in centum contribuat, vel quantum prudentũ judicio dicatur valere hoc gravamẽ.

Secundum eſt, *Opinionem Ledeſmæ nihil immutare practicè, ſed manere intra meros terminos ſpeculationis ſcholaſticæ.* Oſtenditur: quia admiſit Reſpublica, ut quinq; ſolvantur in centum (alicubi & aliquãdo ſex, vel ſeptem) & modò quæritur, cur iſti ſupra ſortem ſolvantur? Ledeſma non corrigit praxin Reipublicæ, nec vult plures aureos dari aut non dari, ſed ſolummodò explicat titulum, quem proponere nobis velimus, ut praxin communem ſalvemus.

Porrò poſſe tutâ conſcientiâ quinq; recipi in cẽtum (fortè etiam ſex aut ſeptem; imò ſub annum 1636. in Monte Pietatis Bruxellæ recipiebantur duodecim) omnes dicunt: ſed cur tot? Authores communiter ad tres contractus differentes recurrunt: Ledeſma ad obligationem aut neceſſitatem non repetendi. At hodie mores publici ſtant à Ledeſmâ & non ab alijs: Ergo. Probatur minor.

Franciſcus moroſus ſolutor, mille aureos, quos debebat ſolviſſe an.1640, condemnatus per ſententiam Judicis jubetur ſolvere hoc anno 1650. cũ canonibus decem annorum: nam ſemper video moroſos ſolutores ad canones præter ſortem damnari: An quia illi tres contractus fuerunt initi? Minimè. quoniam illorum nulla mentio. Sed quia malitiâ ſolutoris fuit impoſitum creditori gravamen & non recuperandi neceſſitas. Ergo praxis totius Europæ fundatur in ſententia Ledeſmæ.

Tertium, *Antiquos nec paucos, nec ignobiles, credidiſſe pretium, quod nomine lucri ceſſantis aut damni emergentis olim recipiebatur, eſſe uſurarium.*

Cum tamen jam hodie licitum cenſeatur ab omnibus, qui ingenioſi dicũtur. Ergo hodie melius eſt examinata hæc controverſia, quam olim erat.

Sed quorſum hoc? ut moneantur Lectores, eſſe poſſe, ut in cõmuni hodie ſententiâ aliqua æquivocatio aut obſcuritas lateat: quæ fortè evaneſcet omninò, ſi Lectores ea dignentur perpendere, quæ in Theologiæ Moralis *num.*723. ſcripſi, & modò ſecundo calamo tractavi: Vt enim verum fateor mihi eſt omninò mirum negari vulgò rẽ, quæ mihi videtur tam clara. Oro legi rationes, & ſine præjudicio examinari; qui enim Authoritatum præoccupati numero, huc accedunt, nolunt veritatem cognoſcere, ſed hærere in præſcripta ſententiâ.

LIII 2 Ite-

Digitized by Google

MCC-LXXVI. Iterum dico, mihi tam evidens videtur hæc ſententia, ut ſi dares DEUM, Angelum, aut quemcunque infallibilem Judicem, etiam capitalem ſententiam ſine ulla formidine pro defenſione hujus veritatis appellarem, contraria enim, quidquid de Authoritate & ęquivocatione ſit (his enim fulcris ſuccollatur) ſtando Deo & rationi, videtur omninò improbabilis.

****

FUNDAMENTUM LXI.

De Mendacio, Quod interdicit octavum Præceptum Decalogi.

MCC-LXXVII. CEſpitarunt non pauci in intelligentia hujus Præcepti. De Mendacio nocivo nullum fuit olim dubium: illud eſſe peccatum; & mortale, ſi graviter nocivum, univerſi affirmarunt, At officioſum, malum eſſe, credere non potuerunt. Si rationibus agamus fortè poſſet officioſum defendi; at jam docti ab Eccleſia etiam illud eſſe peccaminoſum pronuntiamus. In mendacio nocivo conſideranda eſt quantitas nocumenti, ut veniale à mortali diſtinguas. In utroque perſonæ, cui mentitur præſtantia; mentiri enim perſonæ cui ex juſtitia dicere veritatem teneris, in re notabili, videtur eſſe grave peccatum.

Mendacium duplex, officioſum, nocivū.

An mēdacium officioſum ſit malum?

MUlta ſolent occurrere dubia in hac materiâ, ſed quia brevitatem affecto, unum aut alterum proponam, ut octavum Decalogi præceptum altiùs intelligatur.

I.

MCC-LXXVIII. *An liceat contra ſe mentiri?*

QUæris, an innocens ad vitandos cruciatus poſſit ſibi imponere falſum crimen, etſi ob illud ſit poſteà ultimâ ſententiâ condemnandus.

Auſonius Noctinot *in ſummâ Dianæ, Verb. Reus. numer.* 13. Sic inquit [Reus ad vitanda gravia tormenta, poteſt ſine mortali, crimen etiam capitale ſibi imponere; quia vita non eſt digna, quæ tanto dolore ſervari debeat; & poſſe etiam jurare ęquivocando, docent Doctores communiter cum Navarrâ *lib. 2. cap. 4. num. 21.* imò nec peccare venialiter ait Sancius *diſp. 46. nu. 16.* & Diana *part. 3. tract. 57. reſ. 7. & num. 12.* ait [non teneri ſe retractare, niſi ex hoc damnum tertio ſequuturum foret. Ita Diana *part. 3. tract. 7. reſol. 103. ſub fin.*] Sic ille.

At ego puto eſſe mortale peccatum mentiri Reipublicè legitimè, & juſtè roganti: & quod mendacium eſt, non poſſe juramento firmari. Si ſit mendacium illud leve, & tamen juramento firmetur, perjurium erit grave peccatum. Si darentur reſtrictiones mentales

Digitized by Google

tales & æquivocatio prodeſſet, ſimplex criminis impoſitio non eſſet mendacium, & juramentum, quo illa firmaretur, non eſſet perjurium. At illas nos & multi nobiſcum deteſtantur.

II.

MCCLXXIX. *An liceat mentiri contra Iudices & Teſtes falſos?*

QUæris ſecundò, an innocens malitioſè & iniquè traductus, ut ſententiam evadat, poſſit falſum crimen imponere teſtibus, Judici, aut aliis?

Dabo iterum Auſonium Noctinot *in ſumma Diana verb. Reus. num. 9.* ubi ſic ait. [Reus calumniatus, ſeu per falſos teſtes indiciatus de crimine, eisdem falſis teſtibus crimen objiciens, non peccat contra juſtitiam; ſed tam teſtes ab ipſo inducti ad perjurium, quàm ipſe peccarent contra Religionem. Ledeſma *tom. 2. tractat. 8. c. 35. concl. 21.* & Cruz *pr. 8. art. 4. dub. 17. concl. 1.* probabile putat hunc modum defenſionis non eſſe mortaliter, ſed ſolùm venialiter malum, ſecluſo perjurio. Sed Malderus *2. 2. tract. 6. cap. 3. dub. 3.* & Doctores communiter dicunt eſſe mortiferum: quia, cùm mendacium ſit intrinſecè malum, reus non poteſt habere jus per illud ſe defendendi (Diana *part. 3. tract. 5. reſol. 4.*) quæ tamen ratio non probat eſſe mortale.] Sed cur non? mentiri Principi & Reipublicæ juſtè roganti mortale eſt. Sed cur non etiam hic ad æquivocationem Auſonius, aut ad aliquam mentalem reſtrictionem recurrit? & Ego, ut quid Sentio, dicam, aliquas concluſiones proponam. ſit

An mentiri Principi ſit peccatū mortale?

MCCLXXX.

PRIMA. *Innocens falsò accuſatus, non poteſt crimen imponere falso teſti, ſi tale illud ſit, quod teſtimonium non infirmet: poteſt autem imponere tale, quod falſum teſtimonium infirmet.* Poteſt inquam, quin peccet contra juſtitiam, & teneatur ad aliquam reſtitutionem: quia fortè peccabit contra veracitatem; de qua ſtatim agemus. Ut hanc concluſionem bene intelligas, pone venationem pœnâ capitis, aut aliâ ſimili inhiberi, & tamen citra infamiam venatores puniri, pone adulteros, perjuros, ebrios, &c. eſſe infames & incapaces ut teſtimonium ferant. Si Petrus Paulum innocentem accuſat, eumque falsis teſtimonijs convincit, Paulus ſe poterit defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Poterit ergo excipere contra Petrum dicendo illum eſſe perjurum aut adulterum, quia ſi id probet, ſe defendit, & Petro nocet tantùm per accidens: at non poterit illi crimen venationis imponere, quia noceret Petro directè, nec ſibi conſuleret, nec prodeſſet; & ideò hæc ipſa criminis impoſitio eſſet potius vindicta, quàm defenſio. Probatur hæc Concluſio. Quia quando aliquis gladio me invadit, nec poſſum aliter me defendere, quàm invaſorem occidendo, Sanctè & piè poſſum illum occidere, licèt ipſe ſit valetudine robuſtâ & ſanâ præditus, nec ullum morbum habeat aut habuerit. Idem dico de illo, qui calamo aut linguâ me invadit, habeo enim jus meam defendendi vitam; ſeu gladio, ſeu ligno, ſeu laqueo, ſeu fundâ, ſeu haſtâ, ſeu ſclopo, ſeu calamo, ſeu linguâ invadar. Si ergo poſſum me defendere rumpendo arma, quibus me invadit, illæſo homine, debeo illa potiùs rumpere, quàm eum occidere: & hoc tametſi illa ſint pura, pulchra & elegantia. Hinc ad noſtrum caſum; Petrus Paulum injuſtè aggreditur in tribunali, ut eum occidat aut ſpoliet. Poteſt ſe defendere Paulus cum moderamine à natura conceſſo. Si Petrus honore ſuo abutitur,

LIII 3 integro

Digitized by Google

integro & magno; poteſt hunc ipſum Paulus labefactare, tale imponendo crimen, quod Petrum reddat infamem, aut ejuſdem poteſtatem enervet: quod ſi hoc non poſſit commodè facere: poterit occidere Petrum. Verùm utrumque aut alterutrum faciat, debet cautè procedere, quoniam, ſi reſciatur, cùm non poſſit ſuam innocentiam probare, dabit pœnas.

*

****

FVNDAMENTVM LXII.

De Reſtrictionibus MENTALIBVS.

MCC-LXXXI. *An dentur reſtrictiones: & quales ipſæ ſint?*

Legis & audis diſputantes Theologos, & ubi eos toto cœlo differre exiſtimas, quo ad rem conveniunt: qui enim Admittunt Reſtrictiones Mentales, ubi & conſignificantes invenere particulas nomen merum Reſtrictionum admittunt; nam tunc latioris ſignificationis voces non à mentis conceptu, ſed à ſignificantibus particulis & circumſtantiis reſtringuntur. Pronuntio dari reſtrictiones dictionum, nego tamen has à ſola mente oriri poſſe, ſed exiſtimo illas pendere à circumſtantiis ſenſibus. Addo Civile Lexicon ab Scholaſtico toto cœlo differre. Vt ab hoc ultimo incipiam, petis ut te comiter, & vadam exſpatiatum per urbem. Ire nolo: & volo, quod ſentio, tibi dicere, Dico, *non poſſum*. Arguis me de mendacio; nam nullum impedimentum ſubeſſe clarè conſtat, jam, ut me excuſes ad mentalem neſcio quam reſtrictionem recurris; ego neutram admitto. & dico, me tibi locutum fuiſſe non Hebraicè non Græcè; ſed Latinè, & non in quacunque dialecto latinâ, ſed in civili & Vrbanâ, à qua verbum *Nolo*, eſt expunctum, & ejus loco verbum *Non poſſum* ſubrogatum. Nomen *Aries* æquivocum eſt, & reſtringitur ad determinatã aliquam ſignificationem; non mentaliter, ſed vi alicujus circumſtantiæ aut particulæ extrinſecæ. Dico, *Aries eſt primum ſignum Zodiaci: Aries eſt inſtrumentum militare:* & adjacentibus verbis nomen æquivocum ad diverſas acceptiones reſtringo. Sicut à vocibus adjacentibus, ſic etiam æquivoca reſtringuntur à loco; aliud enim ſignificat vox *Lingua bovis* in penuario, aliud in pharmacopœa: *& cor Leonis* aliud ſonat in cœlo, aliud in terra, &c. Confitentur tibi Sacerdos & Vxoratus (eorum ſtatum diſtinguis eorundem confeſſione vel habitu) & uterq; ſe accuſat de fornicatione: & tamen, tametſi utantur eiſ-

Particulæ conſignificantes.

Lexicon duplex.

Voces Nolo, Non poſſum, *quid ſignificent?*

Aries *æquivocum.*

Lingua bovis. Cor Leonis, *&c.*

Voces ſæpè

ſtatus & veſtes reſtringunt. tur eiſdem vocibus, veſtes vocum ſignificationem reſtringunt, & ſtatim intelligis Presbyterum, ſacrilegium, & Vxoratum, adulterium commiſiſſe. Sic in aliis: Non ergo ſunt neceſſariæ, nec utiles reſtrictiones mentales.

MCC-LXXXII. *Condemnantur Reſtrictiones mentales: nimirùm, aut ut inutiles,* *aut ut perniitioſa.*

EST mihi innata averſio contra Reſtrictiones mentales, nam ſi continentur intra terminos pietatis & ſinceritatis, neceſſariæ non ſunt; nam omnia quæ ipſæ præſtare poſſunt, præſtabunt conſignificantes circumſtantiæ: quod ſi tales dicantur, ut etiam ibi admittendæ ſint, ubi deſunt circumſtantiæ ſignificantes (ignoſcant mihi earumdem authores & propugnatores) tollunt humanam ſocietatem & ſecuritatem, & tanquā peſtiferę damnandę ſunt. Quoniam ſemel admiſſę aperiunt omni mēdacio, omni perjurio viam; & tota differentia in eo erit, ut quod erat vocabatur Mendacium naturam & malitiam non mutet, ſed nomen; ita ut hodie jubeatur *Reſtrictio mentalis* nominari. quod virus condire ſaccharo, & ſcelus ſpecie virtutis colorare. *Metonymia notabilis.*

****

FVNDAMENTVM LXIII.

De internis actibus & ſcandalo, de quibus ſunt duo ultima Præcepta Decalogi.

MCC-LXXXIII. PEccata, octo priorib. Decal. pręceptis expreſſa, cōplentur opere; etiam mendaciū, in quo homo cogitatione, verbo & opere peccare poterit: cogitatione, cùm conſenſum præbet & ſe mentiturum ſtatuit: opere, cùm de facto mentitur: verbo, cùm alios ad mentiendum inducit, aut de mendacio perpetrato gloriatur. *Peccatur cogitatione, verbo, & opere.* Cæterùm, quia futuri erant, qui negarent poſſe merâ voluntatę peccari, additum fuit nonum præceptum, quod concupiſcentias interdiceret. Et quia aliqui in ducendo alios peccant, ſubjunctum fuit præceptum decimum. *Præceptū nonum contra concupiſcentiam: decimum contra ſcandalū.* Nam tametſi utrobiq; *Non concupiſces* in Bibliis latinis legamus, obſervari debet eſſe duas voces apud Hebræos, quas exprimere Latinè non poſſumus, quas ideò circumloquendo explicamus. Sunt illæ *Cal* & *Hiphil.* Illa ſignificat *intranſitivè facere*: hæc *alterum ad faciendum inducere.* Octo igitur prioribus præceptis interdicuntur mala opera: nono malæ cogitationes, hoc eſt, illas, quæ in peccata conſentiunt: decimo mala verba, hoc eſt, Scandaloſa, & quæ proximum in peccatum inducunt. *Cal & Hiphil Hebrea conjugationes.*

Peccatur

Digitized by Google

MCC-LXXXIV. PEccatur cogitatione, cùm conſenſu nimirùm, cùm homo poſitivè ſuggeſtioni & malæ tentationi aſſentitur. An licitè poterit quis voluntatem ſuſpendere, & in bivio hærens nec conſenſum præbere nec negare?

I.

MAgna olim fuit Dianæ altercatio cum quodam Viro Religioſo inquirente, *An in cogitationibus Venereis peccati ſit reus, qui non conſentit poſitivè, nec poſitivè diſſentit, ſed tantum promiſſivè ſe habet?* Et ipſe *part.2.tract.17.reſolut.* 33.negativæ ſententiæ ut probabili & benignæ ſubſcribit. Et iterum inquirit: *An teneatur quis impedire pollutionem cum poteſt, an verò poſſit ſe habere paſſivè & permiſſivè?* & debet reſpondere eodem modo.

Hinc poteſt doctrina generalis deduci, quæ ad cætera præcepta à fortiori ſe extendat; ſunt enim minùs lubrica, nec indigent tantâ cautelâ. *Reſolutio.* *Ergo in quacunque materia liber erit à peccato, qui ſuſpendat judicium, & negativè ſe habens nec præbeat nec neget conſenſum.*

II.

MCC-LXXXV. QUæris, An ſummâ ſint diligentiâ vitanda omnia peccata veniali? Reſpõdent non pauci, quod ſic: quodcumque enim eſt culpa & offenſa in Deum, & quidquid in Deum eſt, ſummâ diligentiâ eſt vitandum. Nihilominus non multum diſputandum & contendendum eſſe de obligatione peccati venialis ait Haephtenus in *Benedicto illuſtrato lib.2. Diſquiſitionum Monaſt. lib. 2.tract.*8.*diſp* 1.*pag*.189.citans Suarium.

III.

HÆc de nono Decalogi præcepto ſufficiant, tranſeo ad decimum, & MCC-LXXXVI. quales ſunt Verborum Hebræorum voces, verbo expedio. Eſt *Hiphil* verborum Hebraicorum vox vehementiſſimæ ſignificationis, quæ non poteſt *Hiphil.* commodè Latinè verti. Significat igitur præmotionem & prædeterminationem, quâ expreſsâ ſignificantiſſimæ ſunt multæ phraſes, quæ aliàs obſcuræ. Jubet Dominus Abrahæ ut filiũ ſuum ſacrificet. Obedit. Et ait Dominus, *Gen.22.* *Nunc cognovi quod timeas Deum*: An non Deus id ipſum ab æterno cognoverat? cur ergo dicit, *Nunc cognovi?* Reſpondet Marcus Marinus Brixianus in ſuâ Arcâ Nohæ; illud verbum legendum eſſe in Hiphil. *Nunc cognoſci feci; nunc notificavi, quòd timeas Deum*: Sic etiam in Cantico trium puerorum *Benedicite Sol & Luna Domino, benedicite Stellæ Cœli Domino.* Et in Pſalmo *Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen.* Si interrogas, quo inanimata modo poſſint Deum benedicere & dilaudare, recurro ad Hiphil, & ſic expono, *Sol, Luna, & Stellæ univerſæ excitate homines, ut vos admirëtur, & veſtrum Authorem benedicant & laudent.* Hinc manuducor, ut nonum Decalogi præceptum, ne coincidere dicantur, à decimo diſtinguere valeam. nonum lego in *Cal* aut ſi malis *Cal.* in *Pihel*, decimum verò in *Hiphil*: ſed de *Pihel.* hoc uberiùs ubi ex profeſſo dilu- *Hiphil.*
cido Decalogi textum
Hebraicum.

***

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT VII.

Complectens Fundamenta Moralia, quibus vera Sacramentorum intelligentia ſubſtruitur & firmatur.

MCC-LXXXVII. ALibi ex profeſſo de hoc divino argumento tractaturus hæc paucula præmittere volui, ut aliqua prævideat meus Lector, ne inviſa demum illum retardent. Sacramenta potuerunt aliter inſtitui: ea tamen, quę novæ legis ſunt, ut nihil de antiquioribus dicam, conſtant rebus & verbis, & ſunt ſigna ſenſibilia inſenſibilis gratiæ, quam producunt realiter, aut moraliter: ergo ut bene intelligantur, debent præcognoſci res, verba, & ſigna. Cum igitur res nemo intelligat, qui non ſit Philoſophus & Theologus: nemo verba, qui non ſtuduerit Grāmaticæ ſpeculativæ aut etiam Logicæ mentali, & vocali: nemo ſigna, qui non dederit operam Theologiæ Hieroglyphicæ; conſtat Sacramentorum doctrinā multa ſupponere præcognita, quæ in multis ſcriptoribus deſiderantur: & in illis præcipuè, qui aſſerunt ad Moralia (Deus bone!) judicium naturale ſufficere, nec ullas ſcientias prærequiri.

Dico igitur breviter, in omni Sacramento dari Materiam, Formam, Subjectum & Miniſtrum: quæ in ſingulis ſpecialiter explicabuntur.

FVNDAMENTVM LXIV.

De Sacramento Baptiſmi.

MCC-LXXXVIII. MAteria Baptiſmi duplex eſt, remota, & proxima: illa eſt aqua, hæc ablutio: ſed quæ aqua? Elementaris. Anne odoracea, pluvia, artificialiſve ſufficiet? anne baptizari quis poterit juſculo, ſucco herbarum? anne nive, glacie, aquâ è ſale reſolutâ? Reſpondeo hanc quæſtionem exercere Theologos, & tamen Theologicam non eſſe; ſed partim Grammaticam, *Qualis eſſe aqua debeat?*

Mmmm & par-

Digitized by Google

& partim Philoſophicam. Primò enim reſcire à Grammaticis debet, quid ſit Baptiſare, & abluere: nam puto, rem eſſe debere liquidam, quâ quis abluatur. An ad ablutionem quæcunque liquida Materia ſufficiat? Videretur enim iuſculo, aut atramento res potius maculari, quàm lavari. Secundò reſcire à Philoſophis, anne aqua odoracea, pluvia, &c. nivalis, glacialis, &c. ſpecie differat à naturali? ſi differunt, rejici debent; ſi non differunt, admitti poſſunt.

Forma eſt. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Anne omnia hæc verba ſunt eſſentialia? Minimè. Poteſt enim rejici illud *Ego*, quia clauditur in voce *Baptizo*. Vocem *Te* debebit accidentalem etiam dicere Paludanus, & quotquot cum ipſo docent in Pœnitentiæ Sacramento ſufficere, ſi dicas, *Abſolvo*, pro *Ego te abſolvo.* Illud *In* redundare videtur, & poſſe apud Latinos expungi ſine detrimento ſententiæ. Conſultò apud Latinos dico, nam apud Hebræos, Hiſpanos, Italos, Gallos, &c. non poſſet, carent enim declinationibus, & indigent præpoſitionibus, ut caſus conſtituant, & diſtinguant. Puto etiam neutrum *&* ad formæ eſſentiam pertinere. *Quæ verba eſſentialia dicantur.*
Subiectum eſt Homo non Baptizatus: nam hoc Sacramentum reiterari non poteſt: Cùm neceſſitas poſtulat, poſſent Baptizari multi ſimul ſub hac forma. *Ego vos Baptizo, &c.*

Miniſter eſt Homo rationis compos, & à Baptizando diſtinctus, quamobrem in caſu neceſſitatis quicunque (nimirum puer, fœmina, vir, hæreticus, Iudæus, Paganus) poterit hoc ſacramentum adminiſtrare, modò habeat ſinceram intentionem faciendi, quod facit Eccleſia.

OCcurrunt dubia aliqua, quæ debent omnino decidi. Breviter ea proponam, Lectoris erit eadem uberiùs tractare, & illuſtrare.

I.

De Neceſſitate Baptiſmi.

MCC-LXXXIX. PEtis, *Anne infantes, qui ſine Baptiſmo moriuntur, condemnentur?*

Reſpondeo, duram videri eorum ſententiam qui limbum negant, & affirmant infantes ante Baptiſmi ſuſceptionem ſublatos, condemnari ad infernum. Scio ipſos ut molleſcat hæc opinio, Auguſtinum citare, ſcio illos remiſſiſſimam pœnam adſtruere, actualem tamen, igneamque, cùm tamen certum ſit Auguſtinum habuiſſe opinionem contrariam, & videatur crudele actuali condemnari cruciatu, qui culpam actualem non habet. Puto igitur illos à Cœlo excludi, at verò igne torquẽdos crediturus non ſum. Deum non vidi, & quia humano illum modo concipio, *Qualis ſit Deus?*

Digitized by Google

concipio, qui divino non poſſum, ut eum intelligam, Regem mihi prudentiſſimum, Juſtiſſimum, & clementiſſimum ob oculos pono. Hunc audio dicentem: *Apud me in meo palatio & Camera hos pauculos habere volo: omnes reos ultimâ ſententiâ condemno: de cæteris neutrum ſtatuo*: Eundem à Prudentia & pietate dilaudo. Sed quid ſi diceret, *Hos pauculos in Aulam, & Cameram meam aſſumo, cæteros actu egerint malum, vel non, ſententia capitali condemno?* Illum judicarem imprudentiſſimum, & crudeliſſimum. Ergo exſint, quotquot affingunt Deo, quod cadere in Regem prudentem & clementem non poteſt.

II.

PRogredior & inquiro, *An omnes infantes non Baptiſati excludantur à Cœlo?* Chriſtianorum filios nonnulli, à filijs Infidelium diſtinguunt, & ducuntur ratione, quæ bonâ ſolutione indigeret. Sic arguunt. [Privilegia neminem gravant, nam gravamina privilegia non ſunt: atqui Baptiſmus eſt privilegium: ergò neminem gravat. Ergo Chriſtiani filius, qui à Parente ſuo eſt Deo oblatus, juvari poterit Baptiſmo: at eo non indiget. Probatur Conſequentia: Quia ſtando legi naturali infans, Parentis oratione, aut oblatione ab originali liberaretur, nec indigeret Baptiſmo: ergò ſi modò fide parentum, & Baptiſmo etiam indiget, pejoris conditionis eſt, quàm erat. Ergo Baptiſmus gravamen eſt, privilegium non eſt.] Hac ratione Campanella traductus hanc propoſitionem, *Infantes filij Catholicorum, qui moriuntur ſine Baptiſmo, in fide parentũ ſalvantur*, multis viris doctis propoſuit. At nonnulli, quorum exhibet nomina, illam temerariam, erroneam contra torrentem Theologorum in re maximi momenti eſſe dicunt; ſed non hæreticam. Anne ſubſcripſit huic Cenſuræ etiam Lugo? Non habeo ad manum illum Librum: at puto inter alias, Lugonis me ſubſcriptionem legiſſe.

Favor non debet vergere in detrimentũ.

III.

MCCXC. *Intentio Miniſtri requiritur*

EX præcedente doctrinâ ſequeretur non eſſe neceſſariam intentionem Miniſtri, quo enim jure eſſet illa requiſita, ubi ipſum Miniſterium tantum requiritur ad melius. Scio eſſe Theologos, qui intentionem Miniſtrorũ non curant; ſed & ipſi alijs fundamentis inſiſtunt, quæ non puto probabiliter defendi poſſe.

***

Digitized by Google

FUNDAMENTUM LXV.

De Confirmationis Sacramento.

An detur hodie in mundo balſamũ? an ſit neceſſariũ?

MCCXCI HOc Sacramentum neceſſarium non eſt, & ſecluſo contemptu, & Scandalo poſſet omitti ſina culpa mortali. Ejus materia eſt Chriſma: hoc eſt, unguentum ex oleo olivarum & balſamo. Videtur balſamum neceſſarium non eſſe: probabile enim eſt, illud jam periiſſe, nec in orbe terrarum reperiri; ut non perierit, probabile illud ad nos non afferri, ſed illud unguentum, quod ballamum vulgò vocatur eſſe confectionem aliam artificialem. Quam ob rem, ſi balſamum neceſſarium dicatur; non datur jam in mundo Confirmationis Sacramentum, ſi illud periit; aut ſaltem non datur confirmatio apud nos, ſi illo careamus, ſed in Philoſophia uberiùs ſum acturus de balſamo.

Quæ voces neceſſariæ ſint?

Quid ſignificat hoc nomen Chriſma.

De Miniſtro.

Sacramenti hujus forma eſt, *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chrismate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Particulam *Ego* non reperio: *In* pertinet ad Hebræum idiotismum. De illa particula *Te* iam diximus, ubi de Baptismatis forma. De illa *Chrismate* nova videretur oriri difficultas; Chrisma enim eſt unguentum confectum è balſamo & oleo; quâ ergo probabilitate balſamum diceretur eſſe accidentale, eadem debere illud verbum expungi & verbum *Oleo* poni. Qui enim puro oleo ungeret, ſi diceret *confirmo te Chrismate*, mentiretur. Fortè nomine *Chrismatis* voles latiùs abuti, & intelligere quodcunque unguentum. Miniſter eſt ſolus Epiſcopus. An Extraordinaria authoritas poteſt ſimplici Sacerdoti conferri? utrunque videtur probabile.

Qui poſſint cõfirmari

Confirmari poſſunt perpetuò amentes, & à fortiori infantes. Sed ſervari debent mores, & ſtatuta, ne aliqua culpa inobedientiæ aut indecentiæ committatur.

Dubitavi,

MCCCXCII. DUbitavi, An hodie eſſet in mundo balſamum propter Plinium, qui *lib.* 12. *cap.*25. ſic ait. *Balſamum uni terræ Iudææ conceſſum, pridem periiſſe creditur.* Fuit Plinius rerum naturalium indagator excellentiſſimus; & Roma, in qua habitavit, erat ſuo ævo florentiſſima: ergo, ſi in mundo balſamum erat, Romæ erat; ergo ſiquidem Romæ non erat (nam ſi eſſet, non ſcripſiſſet iſta Plinius) in rerum naturâ non erat. Floruit Plinius Naturalis Hiſtoriæ Auctor tempore Veſpaſiani, ut Volaterranus *lib.*18. affirmat. Et Veſpaſianus ab anno Chriſti LXXXI. Mundum rexit. Ergo Lino ſummo Pontifice balſamum periit. Ergo ultra Divi Petri tempora non habuit Eccleſia Confirmationis Sacramentum, ſi balſamum ad eius confectionem Chriſtus Inſtitutor requirat. atqui eſſet abſurdum Sacramentum hoc tollere (incredibile enim eſt, Chriſtum elegiſſe Materiam, quam ſciebat poſt pauculos annos perituram. & incredibilius eundem permittere totam Eccleſiam errare in re tanti momenti) ergo dicendum eſt, balſamum aut non periiſſe, aut non requiri.

Plinius qualis?

At dices hodie magno quæſtu balſamum ab Indiis exportari, adeoque etiamnum balſamum inveniri in Europa. Reſpondeo, me non aſſerere eſſe certum, periiſſe balſamum, ſed eſſe probabile propter authoritatem Plinij, qui neſcire non poterat, an Romam illud adportaretur. Scio eſſe qui illud in Judæa periiſſe exiſtiment, ſed ante centum annos in India inventum.

Nam Hieronymus Benzo Mediolanenſis, qui occidentalis Indiæ terras quatuordecim annorum peregrinatione obijt, *in ſuis Commentariis Italicis libro* 2. *cap.*16. balſami meminit, illudque in Nicaraguâ reperiri ait. Et Orbanus Calveto, qui Commentarios hos in linguam Latinam tranſtulit, explicans illud caput ſic inquit. [Nunc (balſamum) quod ex India occidentali affertur, primùm in Hiſpaniola inventum eſt, Indicæ mulieris indicio. Arbor unde hic liquor dicitur *Goaconux* ab indigenis vocatur. Oviedus *natur. Hiſt. Ind. libr.*10. *cap.*3. Elicitur quoque hodie in nova Hiſpania ex arbore punica, Malo majore, cujus folia urticæ ſimilia, ſerrata, & tenuia ſunt. Indi *Xilo* vocant. Elicitur autem duobus modis. Primo multis inciſuris vulnerato arboris cortice. altero, ramis & truncis ejus arboris aſſulatim, & minutim conciſis, & in lebete ampliſſimo fervefactis: mox oleo ſupernatante collecto. Id priore ignobilius eſt. Monar. *de ſimpl. medic. Indic.*] Annon Goaconux Xilusq; ſunt arbores diverſæ ſpeciei? an non & ſpecie etiam different, quæ ab illis ſunt exuta balſama? an id balſamum eſt ejuſdem ſpeciei cum illo, quod periit in Judæa Plinii tempore? ſi ſit, unde illo intermedio tempore Mundus habuit verum, & legitimum balſamum? omnia ſunt difficilia, & quæ poſtulent, ne illud eſſe omnino neceſſarium dicamus.

Goaconux

Xilo.

De Miniſtro.

MCCXCIV. UT probent Authores nõnulli poſſe ſimplici Sacerdoti committi hujus Sacramenti miniſterium, ad hiſtorias recurrunt, probantq; olim ſimplicibus Presbyteris commiſſum fuiſſe, & hodie in Regionibus ultra marinis cõmitti de facto. Et quidem hæc ratio probabilitatem ſententiæ, non verò certitudinem probat: quia multa prudenter Superiores expediunt ſequẽtes opinionem probabilem. Præterea, deberent omnes commiſſionis examinari circumſtantię; quia cùm ſummus Põtifex poſſit denominare, & conſecrare Epiſcopos, nec omnes ſolennitates, quæ in Ceremoniali ponuntur, ſint Eſſentiales, poſſet dici eundem, cui confirmandi miniſterium committit ſine ſolennitate conſecrare, & Epiſcopum facere, nempe manuum impoſitione, ſi hoc ſufficere aliquando dicatur, vel ſaltem eo modo, quo conſecrari Epiſcopi debent.

***

FUNDAMENTUM LXVI.

De Pœnitentiæ Sacramento.

MCCXCIII SEcunda eſt poſt baptiſmum tabula, & confert primam gratiam. Remota Pœnitentiæ Materia ſunt peccata: proxima eorundem Confeſſio cum attritione, & nõ peccandi propoſito. Miniſter hujus Sacramenti eſt ſacerdos, non quilibet, ſed approbatus. Subjectum Homo baptizatus, peccati, venialis ſaltem reus. Pœnitentia præſervativa acceptari debet: de ſatisfactoria aliqui dubitant. Commutari in meliorem ab ipſo pœnitente poteſt.

Materia duplex: proxima & remota.

An debeat pænitẽtia acceptari? an poſſit commutari?

An-ne aliquis cogi poterit, ut bis eadem peccata confiteatur? an ut venialia exponat? anne annua Confeſſio in Chriſtianiſmo, & menſtrua in aliquibus ordinibus etiam eos obligat, qui carent peccato mortali? Reſpondeo legem acceptatam in contractum tranſire, & qui profitetur in ordine, in quo tale eſt ſtatutum; illud in Profeſſione acceptare: etiam qui Parochiam admittit in diœceſi, in qua menſtrua Confeſſio præcipitur. Cæterùm præſcindendo ab obligatione voluntaria, quam ſibi unusquiſq; poteſt imponere, ſi velit; quî poſſit ſuperior invitos ſubditos cogere, ut eadem peccata iterum confiteantur, aut venialia explicent, non video.

De Reſervatione.

Poſſunt reſervari peccata, ita tamen, ut maneat illæſum Confeſſionis ſigillum: nam cum ſecreti ſacramentalis jactura reſervationem non tenere, certum eſt. *Nota hoc ultimum bene.*

Pacem

Digitized by Google

MCCXCV. PAcem publicam concedat Deus; tanta enim mala bellum infert, ut neſciam, an diuturnum ad aliquid eſſe bonum poſſit? dederunt exulcerata hæc tempora oppidis ignorantes, & peſſime moratos Parochos, qui ab Epiſcopis tolerari debebant, quòd præſtaret eos habere, quàm nullos. An aliquid de Prælatis dixero? ſcio eſſe aliquos, qui nihil ſciunt, & tamen audiunt Confeſſiones, Caſus reſervant, ſubditos torquēt, quia dextrorſum ſiniſtrorſum gubernant: qui tamen hac rerum tempeſtate tolerantur, ne naufragante œconomiâ omnia perdantur. *Dabit Deus his quoq; finem*: nos hæc illi committimus, & aliqua dilucidamus.

I.
De Contritione, & Attritione.

An contritio neceſſaria ſit? INquirimus, *An ſit probabilis ſententia, quæ contritionem cum Sacramento pœnitentiæ requirit?* ſi ſtamus nudæ rationi, mihi non videtur probabilis: ſed quia non caret omnino authoritate, potero ſubſcribere P. Joanni Jonghe, S.J. Sac. Theo. Profeſſori Lovanij, qui ſemel me præſente in Theologicâ diſputatione præſidens dixit: *hanc opinionem eſſe tenuiter probabilem*, hoc eſt ferè improbabilem.

Omnia Sacramēta ſunt privilegia. Rationem, quæ me ducit propono. [Sacramentum Pœnitētię Privilegium eſt: ergo aliquem favorem concedit. Atqui, ſi contritionem, & confeſſionem ſimul exigeret, non eſſet favor, ſed gravamē: Ergo. Probatur minor. Quia ante Pœnitentiæ inſtitutionem ſola contritio ad Juſtificationem ſufficiebat. Ergo hodie cùm tenemur habere Confeſſionem in re, vel in voto, gravamur. Ergo dicendum eſt privilegium hoc ad hanc formulam poſſe reduci. Videlicet ſi Chriſtus dicat: *Debet mihi peccator contritionem, & quia hic actus eſt ſummè difficilis, ero attritione, & Confeſſione contentus.*

II.
De Circumſtantiis aggravantibus.

Quæ hoc nomine intelligenda ſint? QUæ mutant ſpeciem, etiam aggravant, at per antonomaſiam nomine *aggravantium* eas intelligimus tātum, quæ aggravānt intra eandem ſpeciem. De illis multa dicere poſſem, ſed quia hæc occurrit Epiſtola, doctrinâ notabili plena, illam ſubjicio.

MCCXCVI. Circumſtantias aggravantes non pertinere ad Materiam neceſſariam Confeſſionis doctiſſime mi Leander affirmas, quia contrarium vix probabile eſt. Peccati ſpecies, & gravitas ſunt omninò exponendæ, addēdus eſt peccatorum numerus; & nihil aliud. Non ſufficeret ſpeciem pro ſpecie, aut leve pro gravi confiteri: ſed nemo tenetur dicere, an peccatum intra eandem criminis mortalis ſpeciem fuerit magis, aut minus grave. Hinc eſt, quod nemo teneatur exponere, an peccati materia ſit totum; aut gravis totius pars; quia peccatum, quod reſpicit totā materiam, & illud quod gravem partem, non differunt ſpecie, ſed ſolùm gravitate. *De parte & toto.* Quapropter latro, qui thecam plenam auro effringens, notabilem ſummam accepit, non tenetur exponere, an totum illud aurum, an ſolummodo partem aſſumpſerit; ſed ſatisfaciet Cōfeſſionis obligationi, ſi dicat: *Furatus ſum materiam gravem.* Non aliter, qui omiſit officium divinum, non tenetur confiteri, ſe totum omiſiſſe, ſed ſatisfaciet dicens: *Omiſi horarum gravem partem*, & ſic in reliquis.

Ut igi-

Digitized by Google

Peccata ſunt vel leviter incepta, vel graviter incepta, vel conſumata.

Ut igitur hæc doctrina altiùs percipiatur, quamcunq. peccatorũ ſpeciem in tria peccata ſubdivido: nimirum in peccatum leviter inceptum, graviter inceptum, & conſumatum. Peccata leviter incepta reſpiciunt levem materiam, atq; propterea venialia ſunt: graviter incepta, aut cõſumata, ſunt mortifera: ſunt enim gravia. Oportet quidem in Confeſſione exponere, an peccatum leviter, aut graviter inceptum ſit, ſive quod idem eſt, an ſit veniale, an mortale: quia hæc circumſtantia mutat ſpeciem, non quidem intrinſecam peccati, ſed fori; quia mortalia ſolâ Cõfeſſione, quę fit in re, vel in voto, ſi prior nequeat haberi, & adſit competens dolor, delentur; venialia verò etiam purgantur alijs modis. Cæterùm utrum peccatum fuerit graviter inceptũ, aut conſumatum, ſive quod idem eſt, an fuerit grave aut gravius intra eandem ſpeciem, nemo tenetur explicare.

Hinc igitur ad caſum propoſitum, cùm fornicatio, & pollutio conſiſtant in indiviſibili; & illa requirat, quod ſemen, quod deciditur, in vaſe naturali decidatur, quæcunq; ſeminis deciſio, quæ non ſit in naturali vaſe; eſt peccatum contranaturale. Errat igitur Turrianus affirmans eſſe probabile fornicatorem ſufficienter confiteri dicendo: *Commiſi grave peccatum in materia caſtitatis cum ſoluta*, quia ex his verbis ſpecies peccati nõ cognoſcitur, quia non ſolùm fornicatio, ſed & mollities, quæ cum ſolutâ committitur, grave peccatum eſt in materiâ Caſtitatis: ſatisfaceret verò, ſi diceret: *Commiſi grave peccatum in materia ſimplicis fornicationis.*

Nota hãc confeſſionis formulam.

Si hæc opinio, quæ Turriano attribuitur, eſſet verè probabilis, à fortiori deberet eſſe tua Reſolutio: quam judico fore probabilem, ſed ex illo fundamento, quod expoſui, & tu ipſe ſub initium tuæ Reſolutionis tetigiſti. Crimen Titij erat, paſſum fuiſſe mollitiem tactibus fœminæ ſolutæ, & dum idipſiſſimum confiteretur, aſſeritur dixiſſe: *Tangens aliam perſonam peccavi in moroſitate delectationis gravis, quæ pertinebat ad mollitiei ſpeciem.* Non debuiſſe confiteri ſe membro clauſtra fœminea penetrâſſe, in epiſtolâ ultimâ affirmaſſe, & probaſſe me memini, ac propterea exiſtimo de hac circumſtantiâ jam non agi. Cæterùm cùm is fœminam tetigerit, & ſe aliam perſonam tetigiſſe affirmet ſexum non exponendo, videretur alicui diminutè procedere; ſed perperam, quia peccata contra naturalia, ſive fiant cum fœmina, ſive cum viro, ſunt ejuſdem ſpeciei. Se ex hujuſmodi tactibus procuraſſe, & habuiſſe delectationem moroſam, & gravem aſſeruit; & bene; quia ut ex Medicorum doctrinâ *in mei Commentarij num.* 1049. probavi, delectatio moroſa initiũ pollutionis eſt; ergo cum gravis delectatio dicitur; pollutio graviter incepta eſſe aſſeritur; unde illa verba æquivalẽt his, *Tangens aliam Perſonam habui initium grave pollutionis*: quid ergò omittitur? quòd fuerit pollutio, non ſolùm graviter incepta, ſed & completa. Sed hæc, ut ſub initium oſtendebamus aggravans circumſtantia eſt; quia ſicut omiſſio mediæ partis officij non diſtinguitur ſpecie ab omiſſione totius divini officii; & ſicut furtum mille aureorum; non diſtinguitur ſpecie à furto quingentorum; ſic etiam pollutio conſumata, & graviter incepta, ſpecie non poſſunt diſtingui.

Addo adhuc potuiſſe omittere illa ultima verba, nimirum, *quæ pertinebat ad mollitiei ſpeciem*, ratio eſt; quia cùm moroſitatem à fornicatione diſtinguit, dicit

Digitized by Google

dicit ſe nõ commiſiſſe fornicationem, cumq; quæcunq; laſciva delectatio, quę peccaminoſa eſt, & ad fornicationem non pertinet, ſit contra naturalis, non poteſt non pertinere ad mollitiei ſpeciem, ac proinde ſatis exponitur, cùm *moroſitas laſciva* vocatur.

Sed dices, his verbis non bene diſtingui illam mollitiem à Sodomiâ; quia qui copulâ nefandâ ſit vel fœmina, vel viro uſus; etiam poſſet dicere, ſe paſſum fuiſſe gravem delectationem contactibus perſonæ alterius. Concedo hæc omnia, quia mollities, ſodomia, & beſtialitas, ſi Angelicum Doctorem ſequamur, ſunt peccata ejuſdem ſpeciei. Vale.

Nota.

MCCXCVII *De diſtinctione ſpecifica inadæquata.* Diximus Circumſtantias mutantes ſpecie debere in Confeſſione explicari; at verò aggravantes etſi minimè aggravent culpam; non debere. At videtur nonnullis Junioribus Philoſophis eſſe quædam intermedia diſtinctio; quæ eſt major numericâ, & minor ſpecifica, & quęritur, an hęc debeat in Cõfeſſione neceſſariò explicari? Hãc ipsã diſtinctionem Oviedus, & alij nonnulli Philoſophi vocant *ſpecificam inadæquatam*. voluntq; inveniri inter marem, & fœminam: Antoniā enim dicunt non differt ſpecie à Franciſco, & tamen plus ab eo differt, quàm à Joannâ: à quâ diſtinguitur numero. Et his poſitis diſcurrunt ſic. Antonia à Franciſco diſtinguitur plus, quàm numero, minùs quàm ſpecie: ergò aliâ diſtinctione intermediâ, quocunq; illa nomine ſignificetur.

Si ſemel hæc doctrina admittatur in Phyſicis, duo inquiro. Primum, *An hæc ipſa diſtinctio in moralibus, & in peccatis præcipuè, locum habeat? ſecundum, an debeat in tribunali Cõfeſſionis exponi.* Quod eſt quærere, An dentur peccata, quę diſtinguãtur, plus quàm numero, minùs quàm ſpecie, & diſtingui ſpecie inadæquatâ dicantur? & ſi ejuſmodi committantur peccata, An hæc ipſa inadæquata peccatorum diſtinctio debeat in Confeſſione explicari?

Quæſtio eſt hæc nova: & quæ maturo examine indiget: tu ſingula conſidera, mihique viam, & alijs minus doctis aperi.

III.

De Reſervatione.

NOn defendam Caſuum reſervationem, quæ ſicut aliquando erit MCCXCVIII. utilis aut neceſſaria, ſi nimia ſit, & nimis dura, poteſt eſſe nociva. Magni in hac *Reſervationum abuſus.* materiâ committuntur abuſus, præcipuè in parvis communitatibus, & maximè ſi fuerint Religioſi indocti. Scio Prælatum, qui ut licentiam abſolvendi ab aliquo reſervato concederet, volebat ſcire, an reus eſſet laicus, Junior, aut ſacerdos, itemque quale peccatum commiſiſſet: & in Monaſterio Religioſorum ſedecim, vel viginti his circumſtantiis notis, non poſſet peccatorem neſcire. Scio Prælatum, qui tales circumſtantias reſervabat, quæ ignorantes ſub initium ſcandalizarent, & relectæ docerent novos & varios modos laſciviendi. Scio Capitula etiam peccata reſervare, quæ ſi agant de ſecretis, quomodo poſſint excuſari non video. Hanc ob rem multi Summi Pontifices reſervandi authoritatem, quam habebant inferiores Prælati, limitarunt, & Clemens VIII. ſupra undecim, quos ipſe recenſet, plura reſervari interdicit: & multi Antiſtites nulla reſervant. In Hiſpaniâ in totâ Congregatione Ciſtercienſi non vidi, non audivi aliquem caſum reſervari: nullum ego in meis

Digitized by Google

Monaſterijs reſervo, cùm quia apud ſanctos, & probos gravia ſcelera committi non ſuſpicor, tum quia ſuppetunt alia remedia benigniora, & me Judice deberet Reſervatio reſervari in eum caſum in quo non ſufficeret cura, & vigilantia ſuperiorum. At ſunt multi, qui ut dormiant tranquillè, Præcepta, & Cenſuras multiplicant, & cùm deberent Chriſti nomine ſubditos regere, eoſdem Chriſto gubernandos remittunt.

Quo debeat modo confiteri, qui in peccata reſervata ſit lapſus. Sed hæc miſſa faciamus: inquiramus tantummodò duo, quæ valdè neceſſaria videntur. *Primum*, An ille, qui in peccata reſervata fuit lapſus poſſit confiteri (puta, vel ſubticendo reſervata, & non reſervata explicando; vel etiam confitendi utraque cum onere comparendi coram ſuperiore) cuicunque alij ſacerdoti, quando non adeſt, qui poſſit audire reſervata, nec niſi poſt longum tempus venturus ſit? *Secūdum*: An una ſola nox debeat cenſeri longum tempus?

MCCXCIX. Primum videtur facilè; & affirmativè doctiſſimi viri reſpondent. Ita Suarez *tom.4.diſp.23.ſect.2.num.7.* Jacobus Granadus *3.part.de Sacram. Contr. 7.tract.9.diſp.5.ſect.3.num.22.* quos citat, & ſequitur Diana *part.5.tract.13.reſ.8.* & probatur *primò*: quia Eccleſiaſtica reſervandi caſus authoritas ad ædificationem, & non ad deſtructionem conceſſa, ſi longo abeſſet tempore, qui audire reſervata poſſet, reo nullo modo prodeſſet, ſed noceret: nam cogeretur miſerrimus peccator in mortali ſordeſcere, & tamen omnium ſententiâ eſt periculum maximum hærere in peccato mortali: nam abyſſus abyſſum invocat, & qui longo tempore jacet dureſcit, & diſcit prius non ita ſentire ſua vulnera, & poſtmodum paulatim contemnere, ita ut ad Atheiſmum nulla videatur via pronior, & certior, quàm longo tempore manere in peccato mortali. *Secundò* quia flagitioſis & ſceleratis viris contritio eſt ardua, ſemper difficilis, & impoſſibilis nonnunquam ob circumſtantias intercurrentes, cum quibus non poteſt componi. Imò ejuſmodi hominibus non ſemper attritio judicabitur facilis; nam Mechliniæ (ut ſpeculativa exemplo aliquo exornem) dum Lovanij eſſem, damnatus fuit ad rotam latro quidam multis homicidijs, & rapinis infamis, qui tamen auditâ Capitali ſententiâ gratias egit Judicibus, oravitque, ut accerſeretur quidam Excellentiſſimus Concionator, qui fortè aderat, ut vel ſic poſſet duritiem cordis, quam ſceleratâ multorum annorum contumaciâ adquiſierat, tollere, vel remittere: tantamque ajebat ſe duritiem ſentire, ut indigeret magnâ Dei ope, magnâ hominis ſuadâ, ut verum propoſitum non peccandi formaret. Tranſeo

Ad ſecundum. Hurtadus 22. *diſput.84 ſectio.7.§.190.* ſic ait. [Optarem ego, ut Pater Suarez, & alij exponerent, an interjecta una nox eſſet breve tempus, an longum? & utrum eſſet cauſa ſufficiens ad indirectam abſolutionem, peccatorem ire cubitum DEO reconciliatum? qui enim ſe ſentiret difficilem, in exercendâ contritione, & cognoſceret ſe ſat s eſſe paratum ad Confeſſionem, haberetque præſto ſacerdotem, an infelix hic homo iturus eſt ad ſomnum in peccato mortali? & fortè ex illo ſomno rapiatur ad tartara! Author libri de Spiritualibus documentis *Capite 53. tomo quarto Operum Auguſtini* explanans teſtimonium Chriſti apud Lucam capite duodecimo. Stulte hac nocte repetent animam MCCC. tuam,

tuam, rectè hæc ait. *Heu quare non timemus, quod Evangelium terribiliter inſonat dicentes: Stulte hac nocte expoſcent animam tuam:* & Auguſtinus ipſe tomo decimo libr. homilia quadrageſima octava. *Non & vitam fugabat, & de craſtino cogitabat, quod in alijs expectabat, in ſe non ſperabat.* Unde concludo voluiſſe CHRISTUM omnes monitos non differendam Pœnitentiam à nocte in diem ſequentem; quia fortè illum non aſpiciemus, ut innumeris contingit. Ad rationem Suarez reſponderi poſſet eſſe rationabilem cauſam exemplum tot hominum raptorum ad tumulum derepente, & nullum niſi perinſanum poſſe in mortali dormire peccato. At nihil audeo decernere, quia quæſtionem hanc vidi nullibi, nec volo alicui in alterutram partem præire.] Ita Hurtadus.

MCCCI. Contra nihilominus reſolvit Diana, dicitque ſpatium unius noctis non ſibi videri longum tempus, ut quis poſſit abſolvi à reſervatis, aut modo, qui ſuprà confiteri. Rationem Hurtadi enervare conatur, nam ſi ſpatio unius noctis poteſt quis repentinâ morte perire, etiam ſpatio unius horæ: aut etiam unius momenti poteſt: Ergo ex hoc capite ſemper quis poſſet confiteri cum quolibet Confeſſario, ſi non haberet copiam alterius habentis authoritatem abſolvendi à reſervatis.

De obligatione Superiorum. At ego inquiro primò. In quam legem evidentem evidenter impingeret ille, qui diceret, debere ſemper Superiores dare Cõfeſſarios peccatoribus, ut ad Deum convertantur, quos ne unâ quidem horâ negare poſſent: Eccleſiamque ſupplere defectum, caſu quo Superioris negligentiâ aut tyrannide aliquis Confeſſarium non habeat? Jubemur dicere cum Davide Pſalm. 101. *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam: in quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.* Ergo non vult Deus, ut cogatur hærere in craſtinum, qui vult hodie reſipiſcere, & miſericordiam implorare. Ergo ſtandum eſt pro Hurtadi ſententia contra Dianam: Ergo ſi ex unâ die ad unam horam argumentum fortè deducitur, eodem modo de unâ horâ debemus philoſophari.

Inquiro etiam ſecundò, an ſit bona conſequentia moralis, quæ ab unâ horâ ad unum diem traducitur. quoniam teſte ipſo Dianâ à brevi tempore ad longum non valet argumentatio, aut contrà: & ſi Hurtadus diceret horam eſſe breve tempus, & diem longum, non deberet Diana à die ad horam arguere; ſed oſtendere unum diem eſſe tempus breve.

Inquiro etiam tertiò, an non tempus nocturnum ſit hoſtile, & ſuſpectum, & multos etiam ſanos & robuſtos abſtulerit? Unde ſi datur ſpecialis ratio in nocte, quæ non datur in die, non jam à nocte integrâ ad horam deberet argumentari Diana; ſed potius dicere, periculoſiùs eſſe unâ horâ dormire, quàm undevicenis vigilare, raròenim humores vigilantes ſuffocant, at frequenter dormientes, quod poſſemus centenis exemplis comprobare.

NOTA.

Doctrinæ ſimilitudo cogit me, ut nonnihil ſubſcribam. Interrogas, MCCCII. *De pœnitente,*

 Quid

Digitized by Google

qui habet reſervata, & non reſervata.

Quid poſſit facere pœnitens, qui habet reſervata, & non reſervata, & debet communicare, aut celebrare, & tamen caret Confeſſario, qui eum à reſervatis abſolvat?

Unum è tribus illi conſulit Diana: nimirùm, ut vel confiteatùr omnia ſua peccata tam reſervata; quàm non reſervata: vel ut confiteatur non reſervata tantùm: vel ut eliciat actum contritionis, & ſine Confeſſione ad Euchariſtiæ Sacramentum accedat. Non examino, an hæc omnia ſint vera; ſed Dialecticum ago, & hunc caſum propono.

De circūſtantiâ cōplicis.

Petrus habet peccata, quæ poteſt ſuis confeſſarijs exponere; habet alia mortalia, quæ poteſt, aut tenetur tacere; putà ratione complicis, eo nimirum caſu, quo poſſit illud peccatum ſubticere, ex quo complicem Confeſſarius cognoſceret: eſſe enim probabilem ſententiam, quæ docet non teneri pœnitentem confiteri ſua peccata cum infamia complicis, certum eſt, & inquiro, An in tali caſu habeat locum etiam Dianæ conſilium, nimirùm, ut vel confiteatur omnia peccata; vel confiteatur tantùm illa, quæ poteſt ſine infamiâ complicis, vel eliciat actum contritionis, & ad Euchariſtiam inconfeſſus accedat. Videtur enim inter reſervationem, & hunc caſum ultimum paritas; non enim illa mutat eſſentiam pœnitentiæ, & videre vellem claram diſparitatem.

IV.

De Secreto.

Scripſit eruditiſſimum tractatum Diana de Confeſſionis ſigillo [eſt partis quintæ undecimus] & in toto ſeveriſſimè philoſophatur, & meritò; injuriæ enim ſunt Chriſto, & Sacramento omnes laxæ ſententiæ; quæ in hac materiâ circumferuntur. Utinam cùm agitur de Sacramentali ſigillo eſſet bona conſequentia hæc, *Opinio laxa condemnatur à Diana, ergo eſt improbabilis*: ego enim nihil ſcribere, aut vociferari deberem: at quidquid Diana, & alij clament, opiniones contrariæ dicuntur manere probabiles, & petram offenſionis non tolli; & ideò unam aut alteram quæſtionem adjungo. MCCCIII.

Conſequētia notanda.

Quæro primò, an non ſit neceſſarium, ut Eccleſia omnes laxas opiniones condemnet, quæ reddunt odioſum Sacramentum? & dubito an qualiſcunque condemnatio ſufficiat? nam interdictio non eſt diffinitio, & contra definitionem Eccleſiæ non datur exceptio apud Catholicos, & contra Eccleſiæ præcepta multæ dantur.

Quæro ſecundò, an non ſit probabiliſſimum neminem teneri confiteri homini, à quo graviter timet, ne notitiâ confeſſionis abutatur? nam in tali caſu Chriſtianus non habere copiam Confeſſarij dicitur, & poſſe facere confeſſionem formaliter integram, licet non ſit integra materialiter.

Quæro tertiò, an non dicendi ſint Catholici aut omnes, aut plerique carere copiâ Confeſſarij hoc ævo, & caritu-

Digitized by Google

rituros poſtmodum, quouſque Eccleſia definiat eſſe erroneas ſententias, & periculoſas, quas Diana doctiſſimè, & juſtiſſimè reprobat?

Porrò me Judice audiri non deberent ſententiæ, quæ loquaci linguæ habenas, & copiam in hac materiâ difficillimâ immittunt. Multum homini concedit Chriſtus in tribunali pœnitentiæ, & ideò tametſi multum petat, parum petit: at homines non debemus illud gravius reddere noſtris opinationibus, quidquid ſacramentaliter auditum, ignoratur humanitùs, & referri extra-ſacramentaliter nequit. *In mentem adduco, inquit Diana part. quinta tractat. 11. ante reſol. 1. factum Iacob. Aragoniæ Regis, qui Gerundenſi Epiſcopo linguam à tergo extrahi imperavit, quòd Confeſſionem Regis detexiſſet, ut refert Altreda de diſcipl. tuendâ libro 2. capite 19. numer. 2. &c.*

Quod ſi homines aliquando confeſſarios authoritate, & imperio opprimant, cogantque, ut ſecreta ſacramentalis confeſſionis revelent, quia

Ioannes Silentiarius.

Pragæ ſcribo Joannis Silentiarij meminero, qui jacet in Eccleſia majori ſub lapide cratibus circumcincto, ne ſub pedibus jaceat, & digniſſimâ honoratur Epigraphâ.

V.

De Excommunicatione.

MCCCIV. MEritò peccatis adjungamus cenſuras, quia connexæ illis ſunt; non agam de univerſis; ſed ſolùm de excõmunicatione, de quâ ſcripſit eruditiſſimum tractatum Diana, quem in Part. V. reperies, at in ipſo, quantus eſt, non reperiuntur duæ Quæſtiones, quas debeo neceſſariò proponere.

Peto primò, an poſſit excõmunicari, qui ſequitur opinionem probabilem? *Et ſecundò*, an-non ſit peccatum mortale innocentem excommunicare? nẽpe illum, qui excommunicari non poteſt?

Ad primum videtur reſpondendum non poſſe excommunicari, qui non peccavit mortaliter; cùm igitur non peccet mortaliter; imò neque venialiter, qui ſequitur ſententiam probabilem, colligitur eum, qui operatur ex conſcientia probabili, excommunicari non poſſe.

Ad ſecundum eſt reſponſio facilior. nam omnis excõmunicatio infamiam infert, & ſi injuſta illa ſit infert ignominiam, & infamiam injuſtè: & hanc ob rem dicendum abſolutè eſt, peccare mortaliter illum, qui injuſtè aliquem excommunicat. Accedit quod abuti Deo ſit peccatum mortale, & qui innocentem excommunicat, divina abuti poteſtate certum eſt.

Omnis excommunicatio eſt timenda: ſed cui?

Sanè ſi hæ duæ Reſolutiones ſubſiſtunt, *Omnis Excommunicatio (juſta ſit, aut injuſta) eſt timenda*: ſi juſta væ excommunicato; ſi injuſta væ excommunicanti.

Et quid ergo dicemus de indoctiſſimis noſtri ævi Prælatis, dextrorſum ſiniſtrorſum excommunicationes fulminantibus, & præcipuè in litib. quando (ut videmus diebus ſingulis) excommunicantur; qui ſuum jus manutenẽt, qui fortè ſi non manutenerent, peccarent. An-non deberet dici in lite ante ſententiam definitivam, ſemper eſſe utramq; cauſam dubiam, nec poſſe aliquem excommunicari?

Hæc dicta ſint de excommunicationis modo, & formâ: aliquid de materiâ etiam dico. Vidi mirabiles excommunicationes publicari: contra

Digitized by Google

retentorem Caniculæ; interceptorem floris, ſed hoc ipſum à Viris indoctis, & præcipitibus. Volo adhuc mirabiliora addere, vidi in aliqua Univerſitate, à Rectore Magnifico declarari excommunicatos, qui in muro ſcriberent, quod pueri ſolent, aut angulos ſordibus macularent, quæ mihi omnia puero diſplicuerunt, & ſeni etiam omnino diſplicent, videtur enim excommunicatio graviſſimum poteſtatis Eccleſiaſticæ fulmen explodi ob leviſſimas res non debere; maximè cùm petulantiæ adoleſcentum, aut flagellis, aut ſaltem pœna pecuniaria elui, & caveri poſſint; & ſoleant facilius, & prudentius.

VI.

De Abſolutione moribundi.

QUÆSTIO GRAVISSIMA.

MCCCV. Ultima rerum linea mors, & ideo volo has notas claudere examinando, *An abſolvi moribundus poſſit, qui deſtitutus ſenſibus eſt, & nullo ſigno, quod conſtet, confeſſionem petiit?* Propoſita fuit hæc controverſia Pragæ in Univerſitate Fernandina in Theologica Promotione ab Ex. D. M. N. Patre Carolo de Grobendonk Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctore, & Spectabili ejusdem Facultatis Decano, Viro Doctiſſimo, & reſoluta ab Excel. D. M. N. Patre Joanne Molitore S. Theol. Doctore, & Profeſſore, etiam Viro Doctiſſimo. Sed quomodo? pronunciavit eſſe improbabilem partem affirmativam. Et quia quidam è meis hac doctrina præventus dicebatur, ſcripſi contrà; videlicet literas, quæ ſequuntur.

An ſit ſententia benigna probabilis?

Adſtiti promotioni Theologicæ, die tertiâ Septembris 1647. celebratæ, in qua Domini Caſparus, & Carolus Monachi mei, aliique adoleſcentes ſæculares Baccalaureatûs Theologici honoribus decorati ſunt. Multa ibi eruditè proponi, ingenioſè oppugnari, ſolide & prudenter diſſolvi audierunt Viri magni; hæc eſt enim ſocietatis fœlicitas, ut non Plebi Academicæ tantum, ſed doctiſſimis etiam Hominibus illuminandis divinitùs conceſſa ſit. Inter alia quæſitum, *An poſſit abſolvi moribundus, qui nec ſacerdotem petierit, nec ullum ſignum doloris dederit?* Quam Quæſtionem, quoniam *Problema* inſcribebatur, putabãt omnes problematicè ſolvendam, & decidendam eſſe: at contra ſpem in re ſummi momenti, negantem partem voluerunt eſſe certam, aſſerentem falſam, & improbabilem: & quia in moralibus magna probabilitatis pars ab authoritate dependet, hujus ſententiæ defenſores difflaſtis, rationes nullas tetigiſtis, Concilij Tridentini litteram claram, & quæ non debeat limitari aut torqueri opinantes. Patere igitur; ut ego Paternitatis iure utar, & ut filium te moneam, ne in re tanti momenti ſeveram opinionem ſequaris, es ſimul filius & amicus, ergo patere, ut Te confidenter accedam, & ſcrupulos meos in tuum ſinum exonerem: ſunt enim amicorum communia omnia, adeoq; tibi debentur mei ſcrupuli, tua ſapientia mihi, ut tandem idearum communione veritas liquidiùs cognoſcatur. Quæſtio igitur, Te ſic permittente, reponitur, *An abſolvi poſſit, qui nec ſacerdotem petijt, nec ullum ſignum doloris dedit?* & in ipſa, ut certa ab incertis ſeparem, *ſuppono primò* ſacramenta omnia conſtare ſuâ quaſi materiâ, ſuâ quaſi formâ, id eſt moralibus materiâ & formâ, *ſuppono ſecundo,* non

Omnia Sacramenta conſtant materiâ & formâ.

Digitized by Google

Illas inſtituit Chriſtus: & expoſuit Eccleſia. non eſſe cujuſcunque Theologi determinare Sacramentorum materias, formaſque; debemus enim omnes ſtare inſtitutioni Chriſti, & Eccleſiæ Romanæ expoſitioni. *Suppono tertiò,* Sacramenti Pœnitentiæ materiã eſſe ipſiuſmet pœnitentis actus, Attritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, ut ex Seſſionis XIV. Capite III. colligitur; formam verò, *Ego te abſolvo*; breviùs; *abſolvo te*: breviſſimè, ſi admittitur Patris Paludani Lovanienſis Doctoris, & Eremitarum S. Auguſtini Provincialis, ſententia, quam me præſente, & nullo Doctore condemnante, Lovanij defendebat: *Abſolvo.* His poſitis ſit

Sacramẽti Pœnitentiæ materia; formaq;

MCCVI. *An verba Concilij ſint clara?*

Prima Conclusio. *Verba Concilij Tridentini obſcura ſunt adeoque debent rationibus, & Theologorum placitis dilucidari, & in omni dubio favorabiliùs, & benigniùs exponi.* Illa exſcribo: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, contritio, confeſſio, ſatisfactio.* Sed quæ Contritio? quæ Confeſſio? quæ Satisfactio? Primò quidem, *Contritionis* vocabulum communis ſententia impropriè, & imperfectè intelligit: vix enim audemus aſſerere eſſe probabilem eam ſententiam, quæ contritionem etiam cum confeſſione Sacramentali neceſſariam eſſe affirmat. Secundò *Confeſſionis* vocabulum æquivocum etiam eſt, & à multis de confeſſione integrâ materialiter intelligitur, ſaltem in multis caſibus, in quibus alij ſunt contenti integritate formali. Tertiò *Satisfactio* etiam variè accipitur: ſunt enim qui excitent hodie ſepultam veterum opinionem ſatisfactionem ad Purgatorium remittentium, præter quos cæteri *ſatisfactionis* nomine, non actum, ſed votum intelligimus; ſtabit enim ſacramentum etiam non poſitâ ſatisfactione, modò adſit ſatisfaciendi animus in eo, qui poteſt, aut ſaltem conditionatum deſiderium in eo, qui non poteſt.

Quid ſignificet Contritio in hoc loco?

An contritio cum Sacramento requiratur?

Quid Satisfactio?

Ubi noto aliud eſſe, *Ego ſatisfacerem ſi poſſem*: & aliud; *Deſidero poſſe, ſed non poſſum*; fortè enim iſte actus ſecundus non requiritur.

His igitur poſitis doceri vellem, cur temerè Petrus diſcurreret, ſi diceret: *Eodem modo Concilium loquitur de Confeſſione, quo de Contritione, quo de ſatisfactione; atqui ſufficit Contritio impropria, & imperfecta (nempe Attritio) ſufficit etiam Satisfactio imperfecta (nempe, volita) ad veritatem Sacramenti; ergo etiam ſufficiet Confeſſio impropria, & imperfecta, qualis illa fortè eſt, quæ non ex aſſeveratione teſtis alicujus, ſed ex vita teſtimonio colligitur.* Quid ſi Attritio eſſe contritionis deſiderium dicatur. An-ne temerè Petrus inſtaret, *Atqui* Contritionis *nomine Concilium Tridentinum intelligit, Contritionis deſiderium: & ſatisfactionis nomine idem Concilium intelligit, propoſitum ſatisfaciendi, Ergo* Confeſſionis *nomine idem Concilium intelliget Confeſſionis deſiderium: non ergo Confeſſionem actualem, ſicut nec Contritionem actualem, nec Satisfactionem actualem.*

Argumentum à paritate.

Puto, Domine mi, expedire hìc diſparitatem deſignari, hancque demonſtrari debere ſyllogiſmo legitimo, cujus præmiſſæ ſint pluſquàm probabiliores, vel aliàs dicendum eſſe probabilem, aut certam iſtam paritatem.

Debet admitti, vel cudari diſparitas.

Secunda Conclusio. *Beneſtat, non poſſe abſolvi, qui nec ſacerdotem verbis petijt, nec ullum ſignum actuale doloris dedit, & tamen debere abſolvi moribundum, qui lapidi ſimilis deſtitutus ſenſu reperiatur.* Video hìc omnes Authores, aut pleroſq; ſaltem, confundere duas poſitiones, toto Cælo diverſas.

Fateor enim primò, moribundum, MCCVII

qui

qui non faciat Confeſſionem, qualem Tridentinum requirit, non poſſe abſolvi, tunc enim non datur materia, & ſine illa confici Sacramentum non poteſt.

Fateor ſecundò, me non ſcire evidenter (hoc eſt certitudine omni probabilioritate majore) qualem Confeſſionem Tridentinum requirat: nec ſcire; cur non ita poſſim benignè interpretari *Confeſſionis* vocabulum, ſicut interpretor vocabulum *contritionis & ſatisfactionis*, quæ ponuntur in eodem contextu. Imò quia hæc duo vocabula benignè, & impropriè accipiunt univerſi Theologi, inde paritas rationis oritur, quæ poſtulat eodem ſenſu *Confeſſionis* vocabulum debere ſumi.

Sed ponamus id, quod nondum mihi demonſtratum eſt; nimirùm etiam in caſu extremæ neceſſitatis, (quem omnes leges Humanæ excipiunt, & divinæ benigniùs quàm humanæ dirigunt) pœnitentiæ ſacramentalis inſtitutionem confeſſionis deſiderium, & petitionem, ſigno externo expreſſa, & Confeſſario manifeſtata exigere; & non obſtante hac hypotheſi ſic ſubſumo. Atqui ſæpè contingit moribundum omnibus ſenſibus deſtitutum taliter confiteri: Ergo in talibus caſibus debebit abſolvi. Ut minorem probem, pono Sacerdotem pium, & Religioſum in morbum repentinum incidere, illicoque aut delirare; aut ſenſu omni carere; & illum in tali caſu poſſe abſolvi perſuadeo. Tibi, inquam, non eſt probabile hunc Sacerdotem pium, & bonum, non legere ſuas horas quotidie; imò eſſes Judex temerarius, ſi illum non recitaſſe officium diceres, aut ſentires: ergo ejus vita certò certiùs eum illud legiſſe perſuadet. Ergò nemini eris injurius, ſi eum illud legiſſe ſupponas. Tunc ſic. Supponitur legiſſe ſuas horas? Ergò recitaſſe orationem Dominicam, & in ipſa oraſſe lingua, Deum, ut ſibi peccata dimitteret. Cum igitur illa DEUS non aliter, quàm per Confeſſionem dimittat, nec præſumendus ille æger ſit poſtulâſſe miracula, cenſendus eſt illam orationem intellexiſſe more ordinatio, & communi, adeoque hæc verba: *Dimitte nobis debita noſtra.* cum omnibus circumſtantiis conſignificantibus conſiderata, moraliter & extrinſecè æquipollere iſtis: *Domine DEUS, dimitte mihi per Sacramentalem Confeſſionem mea peccata. Volo ad tuam amicitiam redire, adeoque volo ponere omnia media ad iſtum finem neceſſaria: & quia confeſſionem eſſe unicum ſcio: etiam illam petere volo.* An non iſte Confeſſionem poſtulat ſingulis horis? Hâc ante annos aliquot ratione armatus quempiam doctiſſimum Theologum (quem honoris causâ cito; & ut ſuis verbis mea honorem, etiam in libris editis citare ſoleo) urſi; & reſpondit mihi, meam rationem tenere, ſi certum eſſet illum attentè recitâſſe ſuum *Pater*: at eſſe plurimos, qui diſtracti horas legant. Mihi tamen hæc reſponſio viſa fuit inſufficiens.

Exponitur periodus notabilis Orationis Dominicæ.

An plurimi orent diſtracti?

Primò, quia probabilis eſt illa ſententia, quæ attentionem requirit; & ſi dicatur ſatisfeciſſe ille Sacerdos, dicendus eſt, omnia neceſſaria poſuiſſe, adeoque attentionem etiam, quæ eſſe neceſſaria ab hujus ſententiæ defenſoribus ponitur.

An attentio in horarum lectione requiratur?

Secundò

MCCCVIII. Secundò quia etiam multi veniunt malè diſpoſiti ad pedes Confeſſarii, & tamen præſumuntur ex animo loqui, quamdiu non Conſtet Contrarium: Multi dicuntur Confeſſarium vocaſſe, qui illum non curârunt; & tamen ſacerdos tenetur teſtibus credere, & illos bonâ fide abſolvere: multi etiam ſigna animalia edunt, & in dubio abſolvuntur, ſi fortè fuerint rationalia: ergo quicunque recitat ſuum *Pater*, credendus eſt ex animo procedere, adeoque petere Confeſſionem ſaltem extremam, quamdiu nõ probatur contrarium. Hanc rationem ad omnes Orthodoxos extendo; Ego enim, qui certè moraliter ſcio, ſacerdotes legere ſuum *Pater*, probabiliter, aut fortè probabiliùs ſcio ſæculares pios, & modeſtos audire ſuam miſſam, orare deum, legere ſuum roſarium: & ut ego poſſim quempiam abſolvere, probabilis Confeſſio ſufficit. Impios, & nefarios homines vix excludo, quia & ipſi orant, & ut optimè dicit Hiſpanus. *Non ay ladron, que no tenga ſu devocion* omnes volunt adire Cælum, omnes ante mortem Confiteri, & converti; & ſi quis aliter, monſtrum hominis eſt, nec propter ipſum debemus Regulas generales Contrahere.

An omnes fideles Orationem Dominicã quotidie recitent?

Dicta omnia Calamo ſeveriore reſcribo. [Ille eſt dicendus extrinſecè petere Confeſſionem, qui extrinſecè facit aliquid, quod omninò non faceret, ſi Confiteri nollet: ſed, qui vellet mori impænitens, & ad infernum ire non ageret vitam Chriſtianam: ergo ſingulæ vitæ Chriſtianæ actiones ſunt totidem linguæ, quibus homo extrinſecè proteſtatur, ſe velle antequam moriatur, Confiteri.] *Accedit*, nullum ſignum hujus voluntatis certius, & evidentius iſto reperiri: Quam ob rem qui Converſationem orthodoxam, & piam diceret non ſignificare extrinſecùs animum petentem ultimam abſolutionem; deberet negare omnia ſigna; certiùs eſt enim viventem Chriſtianè velle mori Chriſtianè, quàm Confeſſionem peti abeo, qui pectus manu percutit, aut Cælum aſpicit.

De ſignorũ certitudine

MCCCIX. Probo Secundò meam ſententiam, ratione, quam Laureandus in Gymnaſio propoſuit. Sic arguo. Eſt praxis recepta apud milites, ut abſolvãtur, etiam ſi nullum ſignũ doloris dederint. *Reſpondit obiectioni ille*, id in acie licere, quoniam jubentur omnes milites petere abſolutionem, ſi illos contingat ita vulnerari, ut ſenſibus uti non poſſint. *Sed hæreamus*. Putarem ego potiùs eſſe quoddam extrinſecum impœnitentiæ teſtimonium nolle ante conflictum confiteri: Sed fortè milites voluiſſe, nec potuiſſe præſumere jubet urbanitas: rem non examino; ſi quidem ſic placet, eſto vera. Sed adhuc dubitarẽ, an ita inſtruantur illi à militaribꝰ ſacerdotibus, qui ſæpius aut abſunt, aut fugiunt, cùm deberent adſiſtere ſibi commiſſis animabus. Sed condonemus Laureando hanc etiam eſſe reſpõſionem legitimam; illâ ego meam ſententiam probabo, ſic diſcurram. Ideò miles ſenſibus deſtitutus abſolui poteſt, quia vult ſic abſolvi, ſi ſine ſenſibus mori contingat: atqui omnes volumus eodem modo abſolvi: ergo & abſolvi poſſumus, aut debemus. Probatur; quia cùm volumus reddere ſecuram noſtram ſalutem, volumus omnia media ponere, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, & in tali caſu illud omninò neceſſarium eſt: Ergo. *Rem urgeo*. Ille poteſt abſolvi, etiam ſi careat ſenſu, qui dixerit, *ſi eò venero, ut caream ſenſu, volo abſolvi*. At omnes id extrinſecè dicunt,

An milites, etſi ſigna non dederint, abſolvi poſſint?

Nota hoc.

cunt, ergo. Probatur minor. Quoniam omnes actiones converſationis orthodoxæ, quæcunque illæ ſint, ſunt extrinſecæ proteſtationes, quibus homo aſſeverat, ſe velle ſangvine Chriſti frui, & ſalvari. Ergo quibus proteſtatur extrinſecè, ſe velle medium ponere unicum, quod eſt confeſſio: Ergo nemo eſt, qui non ſignificet extrinſecè, ſe velle Confiteri, & abſolui ante mortem. *Rem urgeo amplius.* Ponantur duo moribundi, Petrus, Paulus: Ille hæreticus formalis, iſte Catholicus; uterque tamen carens ſenſu. Titius, Petri filius Catholicus te vocat, dicitque patrē ſuum petiiſſe confeſſarium. An-ne abſolves Petrum? abſolves; & tamen periculo res plena eſt; nam filius eſt teſtis ſuſpectus, & qui mentiri poſſit, ne Patre in loco profano ſepulto ignominiam incurrat; & tamen vera loqui præſumitur. Ergo & poterit abſolvi Paulus. Certius eſt enim Paulum virum Catholicum (& probum ſi velis) noluiſſe ſine Confeſſione mori, quàm Petrum formalem hæreticum fuiſſe in agone converſum: fortius Pauli bonam voluntatem probat, & publicat vita ante acta, cujus ſingulæ actiones Catholicæ, totidem externæ Confeſſionis extremæ petitiones videntur, quàm voluntatem Petri teſtimonium Titij, habentis, cur mentiatur; ergò ſi abſolui Petrus poteſt, etiam poterit Paulus. *& obiter*, ſiquidem de Hæretico formali egi, & iſte non ita frequens ſit, aliquid de materiali dubitando ſubiungo; quia Hæreticorum materialium in Germaniâ ſeges maxima eſt: Venit ad meos pedes Franciſcus vir probus, Catholicuſque: & ſic ait. *Nihil mihi conſcius ſum, at quia in hoc non iuſtificatus ſum, ſi poſt ultimam Confeſſionem peccavi, ego me accuſo.* Quæritur. An-non poſſim dicere, *ſi peccaſti, Ego te abſolvo.* Hoc caſu expoſito ad Antonium Hæreticum materialem tranſeo, & eum audio dicentem: *Confeſſionem auricularem eſſe neceſſariam, aut utilem invincibiliter ignoro; ſi ſcirem eam eſſe neceſſariam, eam peterem; & ſi de facto eſt neceſſaria, de facto Confiteri volo.* Et inquiro, An illum etiam conditionatè abſolvere poſſim? Conditio enim in ambiguâ re poſita nemini videtur injuria; nam ſi B. Virgo contra omnium ſententiam votum Caſtitatis emiſit, ſub conditione, *ſi Deo placeret*, ut habet Hugo Carmelitanus *in ſuâ concordiâ Evang. Luc. cap. 1. verſ. 34.* Cur non potero etiam contra omnes aliquem abſolvere ſub eâdem conditione, *ſi placeat Deo.* Et ſi poſſim, an-non omnes Hæreticos materiales cenſebo eſſe ſimiles hominibus moribundis, & ſenſu carentibus; omnis enim, qui vult fieri ſalvus, vult omnia media neceſſaria ponere; & tam impoſſibile eſt illos ponere medium, cùm illud vires ſuas ſuperat, quàm cùm illud invincibiliter ignorant.

De materiali hæretico.

An conditionatè abſolvi poſſit?

Erat opinio omniū, quod non liceret vovere caſtitatem, cùm illam B. Virgo vovit, ſi Hugoni creditur. An vovendo peccaverit?

Hæc de intrinſecâ hujus ſententiæ MCCCX.
probabilitate ſint dicta, ad probabilitatem extrinſecam, & quæ ab Authoribus pendet, tranſeamus. Probabilem hanc opinionem benigniorem vocavit Diana; at contrà eximius D. M. N. P. Ioannes Molitor Theſes Antuerpiæ apud Patres propugnatas oſtendit, & in ipſis: *Decipi illos, qui iudicant probabile, quidquid Diana vocat probabile.* Hic ego non habeo multum, quod opponam. Dianam amicum meum amo, & veneror; illumque malè citare Authores non tam dici deberet, quàm probari: ſed hujus ſententiæ authoritas non pendet ab unico Dianâ: illam videtur habere Patrum Franciſcanorum Religio; audivi enim à viris fide dignis,

De Authoribus, qui tenent hanc ſententiam.

De Dianæ authoritate.

Antuerpiæ Maldero Epiſcopo jubenti, ne moribundus ſenſibus deſtitutus, de quo agimus, abſolveretur, publicâ illos diſputatione reſtitiſſe, & in tali caſu moribundum non ſolùm abſolvi poſſe, ſed & debere publice propugnâſſe: Malderum invitatum veniſſe; ſe contrariũ juſſiſſe inclamâſſe; nũquam tamẽ probâſſe, ſe ſanctè, & benignè juſſiſſe. vidi ſemel Lovanii cùm defenderetur contraria, Profeſſorem quendã Franciſcanum frigidè argumentari, & Præſidem ipsâ argumentatoris tenuitate animatum dicere: *Vidimus veſtras rationes, & tamen omnes floccifacimus*: non jam ſolius argumentatoris, ſed totius ſcholæ rationes contemnendo: ſed quia opiniones, ſicut omnia humana ſuos caſus, & occaſus habẽt, quid hodie ſentiant ſcotiſtæ non ſcio. Sed quia Authores meritò poſtulabis præter Dianam, qui hanc ſententiam probabilem judicat *part.3.tract.3.reſ.8 §. unde ego.* illam habent aliqui Patres ſocietatis quorum meminit idem Diana: illam aliqui ejuſdem ſocietatis Profeſſores, qui illam ut probabilẽ in univerſitate Viennenſi publicè dictârunt, & tuentur. Illam plerique Franciſcani; illam plurimi clerici ſæculares, & militares præcipuè: illam aliqui Canonici Regulares, quorum mentionem Diana facit, *ubi ſupra*. & Henriquez *libr.* 3 *de pænit. cap.*10. *num.*6. & Petrus Fay. *de Pænit. in additiõn. ad* 3.*quæſt.*6.*art.*2.*diſp.*2. Illam olim habuit Clemens VIII. qui de facto talem moribundum abſoluit. Illam Gregorius XV. nam cùm eſſet Archiepiſcopus Bononienſis, in Memoriali Confeſſ. *cap.*1.*de formâ ſacram. Pænit. num.*16. *fol.*215.*edito Bononiæ apud Ioannem Baptiſtam Pidellum anno* 1623. non ſolùm aſſeruit tales moribundos poſſe abſolvi; ſed & debere: ait enim: [Licet abſolvere moribundum, etiamſi nullum ſignum Pænitentiæ det in præſentiã Confeſſarii, tamen aliquis teſtetur, eum oſtendiſſe confitendi deſiderium. Ita docet Rituale Pauli V. Imò addit ſacerdotale Romanum pag.624. ex doctrina D. Antonini poſſe etiam abſolvi moribundum aſſuetum frequentare Confeſſionem, quamvis repentino caſu oppreſſus ſacramentum non petierit. Neque ſolùm poteſt Confeſſarius in his duobus Caſibus abſolvere; ſed etiam debet; quia contingere poteſt moribundum eſſe tantum attritum, unde damnetur, niſi abſolvatur.] Ita ille: è cujus verbis collige noſtram ſententiam etiam fuiſſe D. Antonini, illorum omnium Theologorum, qui Sacerdotale Romanũ compoſuerunt; Cenſorũ, qui approbaverunt, & pontificũ, qui edi permiſerunt, & permittunt. Habet etiã noſtrã ſententiã Homobonus *in Exam. Eccl. part.*1.4.7.*c.*18.*quæſt.*84. Ubi ſic ait. [prudenter aget Parochus, ſi favorabiliori illi opinioni adhæreat, quæ ſentit abſolutionis beneficium moribundo impendi poſſe, etiamſi nullum Confeſſus ſit peccatum, nec Confeſſarium petierit, nec indicia exhibuerit, ex quibus actus contritionis, vel attritionis argui poſſit: modò talis in mortis articulo conſtitutus Chriſtiano more vivere ſoleret, & bonus, ac fidelis homo exiſtimaretur. Quod quidem placitũ in praxi referunt amplexum fuiſſe Clementem VIII, Pontificem Maximum; & prudentiſſimum virum; cùm enim quidam ex fabricâ D. Petri præceps ruiſſet, & illum cadentem vidiſſet, abſolutionem ei dedit dicens, *Si es capax abſolvo te à peccatis tuis*, quæ ſententia illâ ſane ratione confirmatur, quod in neceſſariis ad ſalutem tutior pars eſt amplectendi & certiori periculo occurrendum.

Opinionũ probabilitas ſuos caſus & occaſus habet.

rendum,&irreverentia ſacramenti,vel ſacrilegii periculum tum conditione propoſitâ,tum authoritate Doctorum hanc opinionem tuentium ceſſare dicitur.] ſic Homobonus & bene,qui enim moribundis probabilem abſolutionem invidet,mihi videtur homo malus. Sequitur hic author Molfeſium *in ſummâ tom.1.tract.7.cap. 5. num.* 48. *&* 49.qui citat D. Gabrielem Lottherium Canonicum Regularem, P. Salmeronem è ſocietate, & P. Luppum Capucinum,viros quidem pientiſſimos,Doctiſſmoſque. Docet etiam eandem ſententiam Antonius de literatis *in ſummâ editâ Romæ cum approbatione Magiſtri ſacri Palatij Anno* 1611.*part*.1.*Cap*.35. *num*.7. Eandem ſententiam habet P. Carolus Muſart è ſocietate Ieſu. S. Theologiæ Doctor , & Profeſſor Viennæ, Eandem tres Excellentiſſimi Theologi Societatis, & duo Franciſcani ab eo Viennæ Conſulti. Eandem habent aliqui Patres Romæ, & ad praxim dirigunt Patres in Caſtris Belgicis , ut teſtatur P. Ioannes Sallarts in literis datis Romæ, 3. Novembr , Anno 1645. quod ultimum teſtis oculatus affirmo. Cùm enim Lovanii apud meam Domum quidam Hiſpanus ſignifer lethaliter vulneratus , ut lapis in terrâ iaceret,ad primum , non doloris; ſed vitæ ſignum me ſuperveniente , & vidente à quopiam Patre ſocietatis abſolutus eſt. Bartholomæus à S. Fauſto *Theolog. quæſt*.20. Petrus Marchantius in *Tribunali tom*.1 *tract*.4. *tit*. 4.*quæſt*. 3. *dub*.7. *reſp*.3. Eadem à Leſſio *q*.9.*ſupplementi a*. 2.*d*.3.*in fin*.tribuitur Ianſſonio, & eadem Cerdubæ ab eodem Leſſio *in Reſolutionibus variorum Caſuum* , *verb. Abſolutio. Caſu*.1. Eandem Cenſet probabilẽ Stephanus Baunq *de ſacramentis in genere quæſt*.17.*Contr*.4. licet oppoſitam dicat probabiliorem. Eandem ab extrinſeco cenſet probabilem P. Adrianus Crommius. S. Theologiæ Profeſſor Lovanii Conſultus à P. Muſart. Tandem Anno 1649. in Univerſitate Viennenſi ſex ſimul Lilveldenſes Religioſi , omnes Viri Doctiſſimi ad Supremam Theologici Doctoratûs Laureã evecti ſunt, è quibus duo ſententiam hanc,ut probabilem,publicè propugnârunt. Cumque in Theſeon primâ paginâ Theologicæ facultatis approbatio legeretur, interrogavi Præſidem, Rectorem, Cancellarium, &c: An revera illam Theſin Theologica approbârit facultas; & reſponderunt aſſertivè. Igitur evidens eſt, eſſe probabilem noſtram ſententiam. Igitur etiam evidens eſt , eos errare, qui eam improbabilem iudicant.

Sententia, quam approbat una Vniverſitas, etſi aliàs non ſit probabilis, hoc ipſo probabilis redditur.

Sed cur tam multa Homo occupatiſſimus Theologo valde occupato? Ut cauſam Dei agam, ſuccurram proximo periclitanti; ut Te inſtruam, aut ſaltẽ à Te inſtruar. Tuum igitur erit ſingula, quæ à me dicta, tuâ honorare Cenſurâ; puto enim plures eſſe, qui hanc benignam ſententiam dicant eſſe probabilẽ illis, qui eandem improbabilem dicũt; & tamen quidquid ſit de teſtimoniis, ſi tu non das ſingulis inſtantiis evidentes, & ſole meridiano clariores ſolutiones, reor benigniorem Contradictionis partem, adhuc probabilem eſſe dicendam. Vale.

VII.

Eſt P. Petri Marchantii Tribunal ſacramentale, cujus memini in præcedenti Epiſtolâ, liber maximæ authoritatis editus Gandavi anno 1642. ex Theologorum Cõſilio, ab Illuſtriſſimo D.D. Franciſco Vander Burch, Cameracenſi Archiepiſcopo, & duce, S.R. Imp. Principe &c. nomine Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barbarini re cognitus, & commendatus à Nicolao Breydel S.Th. Licent. librorum ordinario MCCCXI.

dinario Cenſore; à P. Matthiâ Hauzeur S. Theol. Profeſſore emerito, Provinciæ Flandriæ Provinciale: & à P. Laurentio Dingeon S. Th. Lectore Iubilato Cuſtodũ Cuſtode &c. qui omnes debüerunt judicare probabilem opinionem, quæ docet poſſe ſacramentaliter moribundum abſolvi, etſi ſenſibus deſtitutus ſit, nec abſolutionẽ expoſcat. Quod ut innoteſcat clarius dabo Marchantii verba, quæ illi approbant, ſic enim ait *tom.* 1. *tract.* 4. *titul.* 4. *quæſt.* 3. *pag.* 140. *b.* [Ad primam partem hujus quartæ reſponſionis, in favorẽ animarum revertamur, in quâ dixi: *quod quando peccator Catholicus ita opprimitur, ut nullum appareat ſignum Pœnitentiæ, aut deſiderata, ſive poſtulata Confeſsionis, nihilominùs poſſit ſub Conditione abſolvi, ſive abſolvendum eſſe.* Cui reſponſioni quamvis nonnulla ſuperiùs dicta, videantur adverſari, illam tamen ſic declaro. Etſi nãque in tali peccatore ſic oppreſſo, nullũ mihi ſignum appareat, quod materiam Confeſſionis faciat, mihi ſenſibiliter præſentẽ in ordine ad abſolutionẽ, nec mihi proinde certò conſtet, peccatorẽ ſic obmuteſcentem de peccatis, aut ſalute cogitare; imo nec appareat eũ ratione uti: poteſt tamen fieri, ut non tantũ deſideret, ſed etiã ſigna aliqua edat, per ſe ſenſibilia, etſi mihi incognita, ut ſunt ſuſpiria, gemitus, aſpirationes, oculorũ fixi intuitus, aut alii in corpore motus, qui etſi doloris Corporalis, aut Naturę patientis ſint ordinarie ſigna; nihilominus ab ipſo peccatore quandoque ordinãtur, ut internę pœnitẽtiæ nutus. Unde abſolvendo eum ſub cõditione, & muneri, ac charitati in hac extrema neceſſitate ſatisfacio, & cõditio omnẽ irreverentiam, & defectum, qui ſubeſſe poſſet, tollit, & anxietate tantâ animam Deo commendo, intentione cõmuni Miniſtris Eccleſiæ, quę ut ſupra dicebat

Marchantij opinio.

Nota quod opinione Marchantij confeſsio debeat eſſe ſenſibilis, non tamen requiri ut à Cõfeſſario aut alio homine ſentiatur.

An hoc verum?

S. Auguſtinus. *Nullum ex hac vitâ ſine arrhâ ſuæ pacis exire velle debet.* Cõfirmor in hac ignotorũ ſignorũ declaratione, eo quod mihi ſemel extremo periculo poſt extremam unctionẽ laboranti, & pro omnia ſenſuum operatione deſtituto cõtigit. Senſibus omnibus deſtitutus eram excepto auditu, Ratione autem, & Iudicio firmo, & recto intùs utebar, ita cùm me deficere, & ex Medico foris loquente, & ipſius naturæ debilitate, percipere, firmiter me Dei miſericordiæ commendabam, & pium affectum aliquem foris conabar præſtare; Unde mirũ eſt, ſi fortè gemitu aliquo, vel reſpiratione, vel doloris nutu illud nõ oſtenderim, quãvis adſtantes illa non, niſi fortè, ut erãt, ſigna naturæ patientis. Ab illo tempore in animũ induxi, quod ſi quovis modo aliquẽ Catholicum ſic oppreſſum reperirem, nec ſignum aliquod mihi intelligibile Pœnitẽtiæ dare poſſet, nihilominus ſub conditione abſolverẽ, eò quod fortè aliud ſignum pœnitentiæ edat, etſi mihi incognitum: Cùm (ut dixi) hoc & charitatis & conditio omnẽ defectũ auferat, qui in adminiſtratione Sacramenti contingere poſſet. Hæc latiùs deduxi ob ſcrupulos, quos nonnulli movent, & ut fundamenta modorum aliquorũ, qui in praxi inter Doctos, & prudentes uſurpantur, melius intelligantur. Porrò ſimiles praxes antiquitùs in Eccleſia uſurpatas fuiſſe conſtat ex Conſilio Carthaginenſi, &c. Hæc Marchantius.

Probatio ex experientia perſonali.

VIII.

EſT Viennæ P. Carolus Muſart, Sacrę Theologię doctor, & Profeſſor, pauperũ ſingulorũ Pater, ægrotorũ ſolamen, & moribundorũ Adiutor. Longâ experientiâ didicit, multa ab inexpertis Theologis ſcribi in libris, quę ad praxim reduci nõ debẽt: & quia pręſens quęſtio à viris practicis ignorari nõ poterat. Ideo multos ille conſuluit, & exaravit

MCCCXII.

Oooo 3 hunc

hanc doctiſſimam Reſolutionem, quã ſubſcribo.

Limitationes, quas P. Muſart proponit. Quæritur, *An abſolvi poſſit, & debeat, ſaltẽ exiſtentib his duab. conditionib.*; Primâ, *ut prudenter exiſtimetur eſſe Catholicus & Catholicè vixiſſe, id eſt ut non ſciatur eſſe in ſtatu peccati mortalis, V.G. hæreticus, aut adhuc uſurarius, concubinarius, & præſertim ſi ſolitus fuit templa adire, & frequentare Sacramenta*, ſecundâ *ut abſolutio detur ſub conditione.* Si capax es, *&c.*

Suppoſitis ijs duabus conditionibus licere in caſu poſtpoſito abſolutionem ſacramentalẽ affirmant & docent PRIMÒ apud Dianam. *P.3 l.t.3. fol.*8 graves Authores: Primò Molfeſius *in ſumma to.* 1. *tra.*7. *c.*5. *n.*48. & 49. ubi tradit ſecum ſenſiſſe, è Canonicis Regularibus Gabrielem Lottherium virum Doctiſſimũ, & è noſt â ſocietate Salmeronem, è P.P. Capucinis Luppũ. SECUNDÒ idem tenet Homo-bonus *in exam. Eccleſ. p.*1. *tra.* 7. *c.*18. *q.*84. & pro ſe adfert factũ Clemen: VIII. qui fertur quendã è fabrica S. Petri præcipiti caſu ruentem ita abſolviſſe. *Si es capax abſoluo te à peccatis tuis.* TERTIÒ hanc ſententiã Archiepiſcopus Bonon: qui poſt factus Pontifex, dictus eſt Gregorius XV. *in Memoriali Confeſſionis edito, Bononiæ ad* An. 1623. nõ ſolũ approbat *c.*1. *de formâ pænitẽtiæ n.*16. Sed etiã vult deduci in praxim juxta ſacerdotale Romanũ, & ex Doctrinâ D. Antonini. QUARTÒ idem docet Antonius de Litteratis in ſummâ Romę editâ cum approbatione Magiſtri S. Palátij *p.*1. *ca.* 35. *n.*7. QUINTÒ Diana ipſe jã celebris Doctor toties, & tot in locis recuſus *loco citato* cenſet eam ſententiam eſſe probabilem propter authoritatẽ D. D. additq; ita etiã ſentire, & tenere aliquos P. P. ſui ordinis, & ſocietatis noſtræ, quãvis ipſe ſpeculativè loquẽdo Contrariũ teneat: nam quoad praxim in eo caſu nõ modo poſſe, ſed etiã impẽdi debere docet in ſequenti reſolut. ut conſtat ex litt; & toto cõtextu iſtius reſolutionis: EGO VERO Cõſului in hac provincia præter alios tres, è noſtris D. D. Theologis celebrioribus, & duos S. Theologię Profeſſores præclaros ex ordine S. Franciſci, qui etiam ſententiam probabilem, & tutam cenſuerunt, inter quos conſultos unus eſt Theologus, non minus in ſpeculativâ, quam in practicâ Teologia verſatus, & hanc ille ſententiã ſubiicere prælo parat. Meam verò Sententiã ſalvis melioribus Iudiciis conformiter ad Authorũ jam Citatorum mentem Ego quidem ſic explico.

Dico licere in Caſu propoſito duab⁹ ſuppoſitis conditionibus impendere moribundo ſacramentalem Abſolutionem. ET PROBO PRIMÒ tot tamq; pręſtantium D. D. Molfeſii, & triũ, quos citat; Homoboni, qui factum Clementis VIII. adfert, Archiepiſcopi Bononiẽſis qui poſtea Gregorius XV. in Memoriali Confeſs: edito pro toto Archiepiſcopatu, ex ſacerdotali Romano, & juxta D. Antonini ſententiã: Antonii de Litteratis in ſũmâ Magiſtro S. Palatii app. obatâ, & quidẽ Romæ editâ: deniqu: ipſiuſmet Dianę, qui inſuper tradit idẽ doceri & teneri a Theologis ſui, & noſtri ordinis: deniq; recenter idẽ docuit Bartholomæus à S. Fauſt. *Theolog. q.* 20. dimitto illos quos ipſe conſului. MCCCXII. *Probatio prima ab authoritate Doctorũ.*

Cõtra hanc probationẽ obijcies: Nova eſt hęc opinio in re maximi momenti, & paucorũ contra aliorũ torrentẽ, qui fortiter repugnant, cùm iſti authores novi nullam congruentem proferant rationem ſuæ opinionis. *Objectio ponitur.*

Reſpondeo, multos docere ad ſententiæ alicujus, quæ nõ ſit fidei repugnans, probabilitatem, ſufficere unius, vel alterius Doctoris celebris, & bonæ famæ authoritatem. Negari profectò nõ poteſt prudenter, ſufficere tot, tãq; inſignium ſcriptorũ qui eruditione, & probitate *Et diſſolvitur. Quid requiratur, ut opinio aliqua dicatur probabilis?*

Nota illud ex ſuâ mente, non enim citandi ſunt, qui ſic vel aliter ſentire & ſcribere iuſſi.

bitate novi eam ſententiam ex profeſſo, & ſinguli ex ſuâ mente docuerũt, & impreſſerunt libris editis cùm gravium Cenſorum approbatione diverſis locis, & ſæpius. Quod ſi Ariſtoteli viſum eſt probabile, quod videtur uni, aut ſaltem pluribus ſapientibus, & inter locos topicos ad faciendam fidem unus eſt proprius ab authoritate cur non erit probabilis illa ſententia? *Scio* quendã Theologum, nomine, & re illuſtrem ſcribere, quòd Romæ diligenterà fide dignis inquiſiverit de facto illo Clemẽt. VIII. & nihil deprehẽderit ſed inde non ſequitur factum illud non remanere probabile, quod alii retulerunt, tum quia non videtur cauſa, cur id finxerint; tũ quia multa privata, & ex privatâ ſententiâ fiũt, & dicuntur à ſummis Pontificibus coram paucis; tum quia id potuit cadere in mentem optimi Pontificis pro extremo illo Caſu, quod cecidit in alios Authores, qui id licere cenſent, & quorum authoritas ſalva eſt, quidquid ſit de facto Clementis.

Imò in materia facti, ſufficit rem aſſertam ab eis qui viderunt, licèt, qui hodie vivunt, nihil ſciant.

Nota hoc ultimum.

MCCCXIII. *Quotidie oriuntur novæ opiniones probabiles, quæ anteà non erant.*

At hi homines inquis ſunt novi. Quid tum? multa etiam in materiâ Sacramẽtorum, imo fidei; quotidie evadunt probabilia, & tuta in doctrinâ, & praxi propter D. D. novorum excultiora in dies ingenia, & ſtudia, quæ anteà nequidem probabilia erant, quod magni res momenti ſit in neceſſitate ſalutis eò magis amplecti eam ſententiam debemus, quæ prodeſſe poſſit, & nihil obeſſe; præſertim cùm ipſa neceſſitas, pro quâ maximè inſtitutum eſt ſacramentum Pænitentiæ, & conditio appoſita *Si es Capax.* tollant periculum irreverentiæ erga ſacramentum. NEQUE OBEST, quod repugnent ſcriptores alii numero plures. Namque in pleriſque Thomiſtæ ſcotiſtis V. G. Scotiſtæ Thomiſtis fortiter repugnant. Ergone nulla Thomiſtarum, nulla Scotiſtarum authoritas apud opinionum probabilitatem.

Objectio prima ab authoritate.

AT HUIUS probabilitatis, quòd maximè urget, iſti ſcriptores nullam rationem afferunt congruentem, in contrarium verò eſt fortiſſimum argumentum, in iſto caſu nullam reperiri Confeſſionem; atque ita nullam materiam, pro abſolutione ſacramentali, *Credatne* aliquis Vir prudens, tot & tantos viros, qui id ex animo ſenſerunt, ore profeſſi ſunt, in lucem ediderunt ſuis ſcriptis, id ſine mente, ſine ratione ſenſiſſe, dixiſſe, ſcripſiſſe? quamquam falsum eſt, quòd nullas ſuæ opinionis rationes afferant, aut quod nullam materiam abſolutionis ſufficientem aſſignent. *Igitur eorum ſententiam ulterius nunc probo, rationibus per illos allatis.*

Objectio ſecunda à ratione.

MCCCXIV. *Probatur benigna ſententia. Primò.*

Prima ſit Molſeſii. In tali caſu, inquit poteſt eſſe (prout in dubio præſumitur) ut quis ſit memor ſalutis æternæ, & interiùs habeat aliquam attritionem, quâ rectè diſpoſitus ſit recipere ſacramentalem abſolutionem, & de attrito fieri contritus, nam experientia docet frequentiùs accidere, ut ita fiat, etſi contrarium aliquando accidat: leges autem adaptantur ad ea, quæ frequentiùs, non quæ raro accidunt. Quæ ratio ſaltem probat in moribundo, qui Catholicè vixit, præſertim ubi Conciones, & Catechiſmi vigent, poſſe prudenter præſumi habere diſpoſitionem ſufficientem ex parte recipientis, talem abſolutionem; atque ita ex hac parte nihil obſtare.

Probatur Secundo.

Vlterius jam pro ſecundâ ratione ita Homo-bonus. In neceſſariis ad ſalutem, ait, tutior pars eſt amplectenda, & certiori periculo occurrendum eſt, & irreverentiam ſacramenti, vel ſacrilegii periculum tum conditione appoſitâ, tum authoritate D. D. hanc opinionem tenentium

nentium

nentium ceſſare dicitur. Quæ ratio ſaltem probat, nullum hic eſſe periculum ſacrilegij, aut irreverentiæ, ex parte impendentis talem abſolutionem.

Probatur tertio. Deniq; oſtenditur eſſe ſufficiens materia, & confeſſio in tali caſu aliqualis, in quā poſſit cadere talis abſolutio, *pro quo ſit tertia ratio ex Dianâ.* Dici, inquit, poteſt, quod in hoc caſu adeſt aliquo modo materia, quæ per teſtificationem, & famam probitatis moribundi dicti efficitur præſens: probus enim vir ſupponitur omni die actum contritionis, & doloris elicere; Hanc Rationem, quia in eâ tota vis eſt, partim magis declaro, partim confirmo novâ ratione. *Igitur ſic argumentor.* Licitè moribundo in caſu neceſſitatis ſacramentalis abſolutio impendi poteſt; cùm is prudenter præſumitur bene diſpoſitus, & præbet per aliqualem Confeſſionem materiam ad abſolvendum: Atqui in caſu propoſito, & explicato, ita ſe res habet, Ergo etc. Conſequentia eſt clara: major ſatis certa ex principijs Theologiæ moralis: minor in quâ eſt difficultas, probatur per partes ſingulas. *Primò* talis moribundus in caſu ſupponitur vixiſſe more Catholico, & extra ſtatum peccati mortalis, hæreſeos, uſuræ, concubinatûs, ſolere adire templa, conciones, ſacramenta. Cujuſmodi enim homines poſt lapſum in grave peccatum urgente deinde Conſcientiâ, ſolent dolere, ante ſaltem nocturnum ſomnum, aut cùm vehementius pulſat recordatio, ſimulque proponere confiteri maxime ante ſuam mortem: ergo talis moribundus prudenter cenſetur ritè diſpoſitus: alia enim diſpoſitio hîc nō requiritur, quàm dolor de peccatis, & deſiderium ſuo tempore confitendi. *Vlteriùs.* Dolor ille, & deſiderium in talibus communiter ſolet exprimi, aliquo actu externo, & ſenſibili voce orando, vel, ſigno tunſionis pectoris, & conjunctione manuum, genu flectione: ergo etiam prudenter hoc præſumi poteſt in caſu talis moribundi. *Tertiò.* Talis dolor ſenſibilis, & externum deſiderium confitendi ſuo tempore, præſertim in morte, eſt velle confiteri: hoc autem velle, eſt petere aliquo modo abſolutionem, & fateri ſaltem in genere, ſe habere aliquod peccatum, ſicut qui deſiderat Medicum, aut Medicinam, confitetur de ſe aliquam ægritudinem: ergò etiam hîc reperitur aliqualis confeſſio, & materia abſolutionis ſufficiens in caſu neceſſitatis, quando major notitia haberi non poteſt: nam hoc modo communiter docetur, eum qui in caſu neceſſitatis dat ſigna doloris, aut deſiderium confitendi, ſufficienter confiteri ſe peccatorem. *Adde* quòd præſente ſacerdote, ipſa vita Catholicè, & probè acta in circumſtantiis poſitis exprimit, & loquitur talis moribundi dolorem, & deſiderium, neq; id multò minùs mihi innoteſcit ex illis ſignis Chriſtianæ pietatis iſtius hominis, quàm ſi puer V.G. veniēs ad me mihi ſignificet, parentem, vel Dominum ſuum optâſſe confiteri, ubi abſolutio non cadit in ſignificationem, ſed in Confeſſionem ſignificatā; ita hîc, nam vitæ iſtius profeſſio mihi ſignificat talē ſaltē nō multo tempore ante exercuiſſe actū doloris, & deſiderii confitendi ante mortem, atq; ita manet probata minor ſyllogiſmi.

Datur materia præſens.

Si non contritionis, ſaltem attritionis,

MCCCXV. *Confirmatio prima.*

MCCCXVI. *Confirmatio ſecunda.*

Confirmantur hæc omnia ex ſacramento extremæ unctionis. Nam ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum etiam requiritur, ut recipiens prudenter præſumatur diſpoſitus per aliquem dolorem, ſi ſit in peccato, & ut aliquo modo deſideret, & petat hoc ſacramentum ſibi conferri; nam adultis peccatoribus nul-

Conſideretur hæc ratio, quæ

Digitized by Google

ſemper mihi uiſa fuit valde efficax.

Nullum ſacramentum prodeſt, ni ſuſcipiens ſit diſpoſitus, & petat ſibi ſacramentum applicari. Atqui extrema unctio datur, & dari debet etiam à ſenſibus alieno, qui Catholicè vixerit; quia talis prudenter præſumitur dolere de peccatis, & velle ſibi adhiberi ante mortem omnia remedia à Chriſto inſtituta pro eo articulo: Ergo hic ſimiliter in noſtro caſu, qui catholicè vixit, prudenter cenſebitur ritè diſpoſitus per aliquem Doctorem, & petere pro eo præſertim Caſu ſibi impendi Sacramentum pœnitentiæ: quod ſacramentum eſt magis inſtitutum, pro tali remedio ad ſalutem neceſſario, quam extrema unctio. *Reſolutio.* *Maneat igitur* in eo Caſu licitè impendi poſſe abſolutionem Sacramentalem ſub conditione in animo ſaltem retentâ, *ſi es Capax.* *Confirmatio tertia.* Confirmatur iterum ex Sacramento Baptiſmi, qui in neceſſitate conferri debet, ſub conditione cum materia eſt dubia: pænitentiæ autem ſacramentum etiam relapſis eſt neceſſarium; ergò æquè conferri ſub conditione debebit, ſi materia ſit dubia.

MCCCXVII. *Obiectio.* Dices, neque has rationes eſſe probabiles; quia non probant ijs, qui contra ſentiunt. *Reſpondeo*, ſatis eſſe videri probabiles ijs, qui eas ſeriò adferunt, & fortè alijs, qui needum ſunt imbuti Contrariâ opinione. *Quid ſit ratio probabilis?* Nam ratio eſt probabilis, quæ ſapienti non uni modò, ſed pluribus probabilis videtur: alioquin plurimæ rationes Thomiſtarum V. G. non eſſent probabiles, quia eſſe non videntur tales Scotiſtis, neque Scotiſtarum Thomiſtis: neque requiritur, ut ſententia Thomiſtarum ſit probabilis, ut Scotiſtæ non poſſint ſolvere argumenta: ſic enim non eſſet ea ſententia tantum probabilis; ſed demonſtrativa; *Reſolutio altera.* & licet hi non probent eas rationes, ſatis eſt alios probare veriſimiliter ſibi, & alijs cõtrario judicio nõ præoccupatis. *Addo* prætereà, licere in caſu dictam abſolutionem, ut quidem mihi videtur, etiamſi ante Caſum ſuſceptum fuiſſet pænitentiæ ſacramentum, ſi tantum temporis intervallum interceſſerit, ut talis moribundus conſideratis prudenter omnibus Circumſtantijs putetur incidiſſe in aliquod novum peccatum: neque ſciatur eſſe in ſtatu iſtius peccati; ſed præſumi poſſit, hæc enim diſpoſitio eſt materia ſufficiens juxta ſupradicta, imò id verum eſt; etjamſi danda eſſet extrema unctio, ut dari debet in tali Caſu, tamen adhuc liceat permittere ſupradictam abſolutionem, quia extrema unctio eſt ſacramentum vivorum, & licet magis piè, & probabilius Theologi doceant ſacramenta etiam vivorum conferre primam gratiam non ponentibus obicem, tamen hoc multi probabiliter negant; ideoque remanet talis moribundus in aliquâ neceſſitate reſpectu ſacramenti pænitentiæ.

An omnia ſacramenta conferant primam gratiam per accidens?

Nunc addo non modò licere in dicto Caſu ſacramentalem abſolutionem; ſed debere dari, & quidem ſub gravi peccato, ſaltem ex charitate, & Parochis etiam ex Iuſtitiâ. *Ratio* facilis eſt ex principiis Communiter receptis, quod in extremâ neceſſitate ſalutis proximi omnia remedia adhibẽda ſint, quæ ſecundùm probabilem aliquorum ſententiam, ſine peccato conferri poſſunt, omiſsâ etiam propriâ ſententiâ, etſi fortè probabiliore: Charitas enim hoc dictat, & Iuſtitia reſpectu eorum, qui ad hoc ex officio tenentur. MCCCXVIII. *Reſolutio tertia.* *Nota hoc*

Digitized by Google

Objectio prima. Verùm hîc tandem exclamas & quæris *Primò*, cur igitur id non practicatur? *Secunda.* *Secundò* cur non præſcribitur in Rituali Romano Pauli V. aut ſaltem in alijs *Tertia.* ritualibus dioeceſanis? *Tertiò* cur populus non docetur de eâ re in concionibus, & Catechiſmis? *Occurritur Prima.* *Reſpondeo ad primum* practicari ab ijs, qui id docent: & ab alijs nonnullis in locis, qui ita docti, & perſuaſi ſunt hoc remediũ probabile eſſe. *Secunda.* *Ad Secundum*, eſſe præſcriptum in Sacerdotali Romano, ut opinor, pro particulari illâ Eccleſiâ; nam *Quæ ſunt in ſacerdotali Romano, non obligant totam Eccleſiam.* de eo ſacerdotali id teſtatur Archiepiſcopus Bononienſis, qui poſteà Gregorius XV; Paulus V., in ſuo Rituali pro orbe toto Chriſtiano prudenter omiſit, quod ſummi Pontifices toti Eccleſiæ præſcribere non ſoleant, quæ adhuc dubia ſunt, nec ſatis conſtant, contenti hoc relinquere Doctorum ſententijs. & fortè expediret in Ritualibus diæceſanis, impoſterum aliquid inſinuari ex memoriali Confeſſion. Bonon: & quorundam D. D. ſententiâ in caſu propoſito & bene explicato licere abſolutionem concedere ſub Conditione; ita tamen ut nullo modo negligatur, ſed omninò etiam procuretur extrema unctio *Ad Tertium reſpondeo*, *Non eſt negligẽda Extrema Vnctio.* *Occuritur tertia.* populum necdum eſſe monendum neceſſariò publicè, quod adhuc res non ſit ita certa, & cæteroquin facilè inde caperent occaſionem non vocandi ſacerdotes, niſi quando moribundi eſſent in extremis, & ſine ſenſibus; expediret tamen, valde moneri populum, ut in talibus Caſibus recurrant ad ſacerdotem, pro extremâ unctione, & alijs modis, & remediis ſalutis quæ ſacerdotes meliùs norunt, quàm ipſi: deprehenduntur enim graves in hoc genere errores quorundam; qui putant fruſtra vocari ſacerdotem ad moribundos ſenſibus deſtitutos, Atque hæc hactenus ex Zelo animarum veſtrarum; an verò ſecundum ſcientiam, ſapientiores judicent. *Hucuſque doctiſſimè & pientiſſimè P. Carolus Muſart, cujus ſententiam univerſis commendo.*

IX.

HAbuit meo tempore Lovanij Viros doctiſſimos ſocietas, & inter ipſos P. Adrianum Crommium, Theologici ſtudij Regentem; floridiſſimo, & clariſſimo ingenio præditum; quicum libentiſſimè diſſerebam; ſemper enim revertebar doctior, ſemper melior. *MCCCXIX. P. Crommius qualis?* Hic igitur eximius Vir conſultus à P. Carolo Muſart, ſic reſpondit: [Sententia iſta de moribundo, ſic ſub conditione abſolvendo ob auctores à Dianâ productos (quos videre tamen non licuit) probabilis videtur utrinque ab auctoritate, & ſic probabilitate duntaxat extrinſecâ. Nam intrinſeca meo, & fere aliorum hic judicio exigua eſt, nam vita piè & Chriſtianè acta, quamvis præſumptionem dare poſſit, fore, ut confiteri, & abſolvi vellet, ſi poſſet; iſta tamen formalis petitio aut accuſatio non eſt; talem verò requiri expreſsè patet ex Arauſicano cap. 12. Chartaginenſi III. & IV. citatis, quæ ad abſolutionem moribundi, requirunt, ut voluntatis præteritæ teſtimonium habeat aliorum verbis, aut præſentes in ſuo nutu: unde patet hanc quæſtionem non nunc modò; ſed & olim in Eccleſiâ fuiſſe agitatam: nec tamen admiſſa tunc alia fuit, niſi cum dictâ reſtrictione, nec poſteà hæc videtur practicata, quod contra *Vtrùm hæc quæſtio ſit antiqua?*

tra

Digitized by Google

tra præallegatam ſententiam magnum videtur adferre præjudicium. Ita ſentio, ſalvo Iudicio meliore.] *Sic ille.*

Hanc quæſtionem eſſe antiquam, ait Crommius: eſto: Eam non fuiſſe practicatam in Eccleſiâ aſſerit, & unde illud ſciat, interrogo. Quid ſcripſerint ſcribant-ve, veteres, & abſentes ſcio, quid fecerint, aut faciant neſcioli. Puto ignorari omninò, An fuerit practicata vel non? Concilia ab eo citata non agunt de caſu præſenti, nam ſi agerent, ceſſaret quæſtio, & opinio hæc hæretica dici deberet, probabilis verò non deberet. Et tunc noſtra condemnari non poſſet, quia ſentiendum nobis eſt cum Concilijs, & opinio, quæ contra illa inſtituitur, non eſt noſtra. Cæterum quia Crommius & contrariæ ſententiæ Aſſertores concilia, & Theologos illuſtres citant, & allegant, eorundem verba accuratè expendamus.

An contra noſtram ſententiã militet Conciliorũ authoritas. Nota hoc.

X.

MCCCXX. *Exponitur Arauſicanum.*

SEd quid habet obſecro Arauſicana ſynodus, quod noſtram opinionem enervet? Hæc paucula cap. XII. *Subitò obmuteſcens baptiſari, aut Pænitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Sed quid hîc contra noſtram ſententiam? *Iuſtificari hominem per fidem,* dicit ſacra pagina diverſis locis; inferebat Lutherus, *Ergo nõ per charitatem*, & quia videbat cautus vir conſequentiam iſtam claudicare, Corrupit textum, & additâ particulâ *tantùm* maluit in Theologiam peccare, quàm in Logicam. Et quidem, ſi etiam quis particulam *tantùm* addat Canoni Arauſicanæ ſynodi; illo poterit oppoſitam confirmare ſententiam; at manente textu prout nunc, *hac nunquam ibitur illuc.* Hæc conſequentia, *Homo eſt animal: Ergo equus non eſt animal,* mala eſt: bona hæc, *Solus Homo eſt rationalis: Ergo equus non eſt rationalis:* Igitur, ut etiam argumenteris, bene ſic textum Concilij corruperis, [ſubitò obmuteſcens baptiſari, aut pænitentiam accipere poteſt, in eo tantùm caſu, quo voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu. At moribundus ille, de quo loquimur, neutrum facit: ergo abſolvi non poteſt.] In hoc enim caſu, omnia concederem. At illud *tantùm* non reperitur in concilij contextu: ergo nihil adverſarij concluduut.

An juſtificemur per fidem.

De conſequentiâ excluſivâ.

Imò videtur à nobis ſtare illud concilium, quoniam Baptiſmum cum Pænitentia conjungit, & ſtante paritate ſic arguo. [Sicut de Baptiſmo, ſic de pœnitentiâ diſcurrere poſſumus, & debemus: Sed catechumenus, qui in morbum lapſus ſenſibus deſtituitur, baptiſari poteſt: quia ipſa ſtatûs catechumeni profeſſio ſit Baptiſmi ante mortem ſuſcipiendi petitio: Ergò Catholicus, qui in morbum ſimiliter lapſus, ſenſibus deſtituitur, abſolvi poterit: quia ipſa ſtatûs Catholici profeſſio ſit abſolutionis ſacramentalis ante mortem ſuſcipiendæ petitio.]

Retorquetur adverſariorum argumentum.

An catechumenus ſenſibus deſtitutus ſit baptizandus?

Confirmatur. Quia profeſſio eſt alter Baptiſmus: & Novitij ſunt Religioſi ordinis Catechumeni: at ipſi, ſi in ſimilem morbum incidant, & ſenſibus ſint deſtituti, admitti ad profeſſionem ſimplicem poſſunt ex naturâ rei: & ad ſolennem, niſi aliter ab Inſtitutore ſolennitatis (Pontifice) diſponatur: (modò tamen aliter nõ diſponitur)

An novitius ſenſibus deſtitutus ſit ad profeſſionẽ promovendus?

Digitized by Google

Quid ſit nutus? tur) Ergò Catholici, ſunt enim vitæ æternæ Novitij & Catechumeni, admitti ad ultimam abſolutionem poſſunt, niſi aliter Inſtitutor (Chriſtus) ordinaverit: At ille non ordinavit aliter. Ergo poſſunt.

Accedit, quod etiam poſitâ illâ particulâ *tantùm*, quam bonus Logicus in Concilij textu deſideraret, ille ſtaret à nobis: nam nutus eſt oculorum, capitis, aut manuum vox: Et vita orthodoxa non eſt aliquid purè ſpirituale, & mathematicum, ſed aliquid, quod oculis, quod capite, quod manibus, imo & interdum voce exprimitur, juxta ea, quæ ſuperiùs notavimus. *An vita Chriſtiana ſit vox?*

De aliis Conciliis. Hinc eſt, alia etiam Conciliorum teſtimonia, quæ non vacavit recognoſcere; à nobis ſtare. Sic enim arguo [Sicut Arauſicanum concilium cap. 12. Sic Carthaginenſe III. cap. 34. & IV. cap. 76. cum decretali Leonis I. Ad Theodorum Foriolenſem, quæ eſt Epiſt. 91. Loquitur: At Arauſicanum, nihil habet contra noſtram doctrinam, multa pro: Ergo idem de utroque Carthaginenſi eſt dicendum. Et nota obiter P. Petrum Marchantium in Tribunalis Sacrament. *tract.* 4. *titul.* 4. *quæſt.* 3. *pag.* 141. *a.* hæc eadem Conciliorum teſtimonia pro noſtrâ ſententiâ citare. Non ergò eſt evidens, quod ex illis objicitur contra noſtram doctrinam, quam non volumus eſſe certam & evidentem, ſed probabilem. *Nota hoc.*

XI.

Exponuntur verba Authorum, qui tenent opinionem contrariã.

Ut Conciliorum literam intellexerimus, recognoſcamus verba Authorum, qui dicuntur habere opinionem Contrariam.

Henriquez. *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 10. *num.* 6. ſic ait. [ſi infirmus amiſſa rationis iudicio nullum præbet, nec paulò antè dederat peccati, & Pœnitentiæ ſignum, nullo modo eſt abſolvendus à peccatis; in quo quidam rudiores ſacerdotes errant.] Conſonat illi Layman *Theol. Moral. libr.* 5. *tract.* 6 *cap.* 12. *numer.* 4. ait enim. [Patres, & Doctores non aliter permittunt Pænitentiæ ſacramentum moribundo obmuteſcenti miniſtrari, niſi antea ſacramentalem abſolutionem verbis aut ſignis petiverit] Conſentit Petrus Fay *de pænit. in addition ad* 3. *quæſt.* 6. *art.* 2. *diſp.* 2. Ubi ſic aſſerit. [Neutiquam abſolvi poterit, qui ſubitò in ſupremum vitæ incidit diſcrimen, neque coram ſacerdote exprimere peccatum ullum poteſt, aut ſignis aliquibus dolorem peccatorum, & volitionem Confitendi patefacere; licet Contrarium indiſcretè, & ignoranter ſatis, ac ſine ullo prorſus vel apparente fundamento à varijs Sacerdotibus prædicetur.] Et eodem modo, aut fere loquuntur Reginaldus *tom.* 1. *libr.* 8. *cap.* 3. *numer.* 25. Turrianus *de pænit. quæſt.* 9. *art.* 2. *diſp.* 30. *dub.* 1. *ad* 3. Bellochius *de Caſib. reſerva. p.* 1. *quæſt.* 2. *numer.* 116. Pitigianus *in* 4. *ſent. tom.* 2. *diſt.* 17. *quæſt. unicâ art.* 8. *Concl.* 3. Eribaone *in* 4. *tom.* 2. *diſt.* 18. *quæſt. unicâ. diſp.* 16. *ſeſſ.* 5. Vaſquez *in* 3. *p. tom.* 4. *q.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. *Nota id bene.*

Ex quorum verbis tria ego colligo. *Primum* eſſe multos, qui in praxi ſequũtur opinionem, quam nos admittimus, & iſti rejiciunt Authores. *Secundum*, ſufficere ad abſolutionem recipiendam, quod æger ante illum morbum aut accidens illam ſignis petierit. *Tertium* hos Authores laborare dialecticâ. *Corollaria.*

Pri-

Digitized by Google

Primum, Secundumque concedis; tertium probo. Quoniam illorum verba mihi videntur ſimilia iſtis [Qui linguâ petit abſolutionem, impetrare illam poterit: ergo debebit non abſolvi, qui eam petat latinè.] pulchra Conſequentia: quaſi lingua latina non ſit lingua. Progredior. [Qui antequam inciderit in vitæ diſcrimen voluntatem recipiendi ultimam abſolutionem ſignis expreſſerit, abſolvi poterit; & debebit: at Catholicus ſenſibus deſtitutus, antequam in eiusmodi vitæ diſcrimen, incidit, ſignis externis expreſſit voluntatem recipiendi ultimam abſolutionem: ergo abſolvi poterit; & debebit. Probatur minor.

Quoniam vita Catholica conſiſtit in actibus externis, quorum ſinguli ſunt ſigna, ſunt vocis, ſunt linguæ, quæ poſtulant ultimam gratiam; non quidem miraculosè conferendam, ſed per media à Chriſto Domino ordinata: hoc eſt per Sacramentum Pœnitentiæ.] Fallitur igitur Petrus Fay, cùm benignam ſententiam crudeli Cenſurâ condemnat: non enim illam, ut ait, indiſcretè, ignoranter, ac ſine illo prorſus vel apparenti fundamento varij ſacerdotes practicant: Sed illam diſcretiſſimè, ſapientiſſimè & fundamento tam probabili, ut totâ vitâ ſuâ ille illud non ſit evidenti aliquâ ſolutione debellaturus.

XII.

Examinatur alia ratio. ADdam etiam rationem, quam ex Maldero Antuerpienſium doctiſſimo Epiſcopo *tract. de ſigillo Confeſſ. cap.* 15. Alphonſo de Leone *tract. de officio & poteſt. Confeſſ. tom.* 1. *reſol.* 6. *numer.* 131. Naldo *in ſummâ verb. confeſſio. numer* 32. Et alijs colligit Antoninus Diana 3. *part. tract.* 3. *reſol.* 8. §. *Nec valet.* quâ exiſtimo noſtram potiùs ſententiam confirmari. Sic arguunt. [Abſolutio eſt actus iudicialis: Sed ad judicium non proceditur, ubi nulla eſt accuſatio: Ergo.] Hac ipſi ratione moventur, ut moribundo, de quo agimus, abſolutionem negent: hac Petrus Marchantius *in ſuo Tribunali*, ut concedat: & me Iudice hic ultimus juxta Regulas, & fundamenta bonæ Logicæ. *quâ utuntur utr ſque ſententiæ defenſores.* Huic igitur rationi reſpondeo Concedendo majorem, eſt enim clara, certa, & ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 9. deſumpta. Progredior diſtinguendo minorem, eſt enim falſa, ſi agatur de accuſatione verâ, & reali: vera, ſi de virtuali, & præſumptione. Sæpe enim ex indicijs, & circumſtantijs concurrentibus ad judicium proceditur; & ſæpe ipſummet delictum accuſat.

Caſus proponitur. Vt rem meliùs intelligas, hunc caſum à te decidendum propono. [Bacher captus Bruxellis, dum arctè cuſtoditur in ſecretiſſimo Carcere, laqueo invenitur ſuſpenſus; & damnatur ſtatim: & quia fuit deſperationis reus, per pedes patibulo infauſto ſuffigitur.] Anne ſanctè damnatur? In urbe illâ fui, cùm caſus accidit, nec audivi, vel unum, qui contra ſententiam muſſitaret. Sed quis eum accuſavit obſecro? quis convicit? Accuſavit eum, & convicit vita anteacta, proditiones & ſcelera, de quibus videbatur convictus, ita ut omnibus conſideratis non aliter videretur occiſus, quàm à ſe. Ergo in tribunalibus indicia,

In tribunalibus politicis ſufficit accuſatio virtualis & interpretativa.

dicia, quæ vehementia dicuntur loco accuſationis, & probationis haberi ſolent: & indicia, quæ elidi non poſſunt, æquivalent informationi plenæ. Errant igitur Diana, & alij, ſi ſemper accuſationem veram, & realem in Iudicio requirunt: Et ipſi velint nolint, debent ſtare à nobis, ſi ſint contenti accuſatione virtuali, & interpretativâ.

Ergo in tribunali ſacramentali eodẽ modo proceditur.

Hinc ego, *quia præſtat ab hoſte doceri*, jam audentior, & doctior, eandem rationem ſumo, ut meam opinionem ſtabiliam. Sic diſcurro. [Abſolutio eſt actus Iudicialis. Ergo ſicut in Iudicijs Civilibus, proportione ſervatâ, ſic etiam in Pœnitentiæ ſacramento proceditur.

At in Civilibus Tribunalibus non ſolùm accuſatio vera, & realis, ſed etiam virtualis moralis, & interpretativa locum habet: ergo etiam in tribunali Sacramentalis confeſſionis.] Recognoſcat obſecro, ſincerus Lector conſequentiam utramque, videatque an ex Concilio Tridentino illi melius ſuam, quàm nos noſtram, deducant. Quod ſi evidens ſit nos melius dialecticari; erit evidens etiam noſtram ſententiam eſſe probabiliorem.

XIII.

An omnes opiniones probabiles ſint tolerabiles?

ROgas, An hæc doctrina ſit, quæ practicetur non coram hominibus, ſed coram Deo? *Reſpondeo* multas eſſe opiniones verè probabiles, quæ coram hominibus locum non habent: vel propter inconvenientia, quæ parturiunt, vel propter ſcandalum, cui præbent anſam: multa enim probabiliter fiunt, quæ ob circumſtantium ignorantiam meliùs omitterentur. An-ne abſolutio moribundi eſt ejuſmodi? Forte id ſentire potuit aliquis, ante annos viginti vel triginta, jam non poteſt. Rem ediſſero, & dilucido exemplo. [Iacebat Pragæ Excellentiſſimus Dominus Balthaſar de Marradas, ſenſibus deſtitutus, accedunt ſacerdotes nonnulli, nec ullus eum audet abſolvere. Supervenit P. N. (hodie vivit hîc Pragæ in ſocietatis collegio, & pientiſſimus, & doctiſſimus eſt) & ne ægrotum deſereret, aut ignorantes ſcandalizaret, jubet omnes egredi, & paulò poſt revocat dicens, *Mihi ſigna doloris ſufficientis exhibuit, & eum abſolui*, & interim miſer ſenex jacebat moribundus ut anteà. Adfuit P. Bernardinus Caboco, Hibernus Minorita, à quo hoc habeo, & cenſuit illum doctiſſimum P. Ieſuitam, ne cogeretur ſui facti rationem ignorantibus dare, noluiſſe coram alijs dictum moribundum abſolvere. At hâc hodie doctrinâ publicè uti poterimus, quia jam videtur magnâ Doctorum authoritate fulta non poſſe condemnari, aut notari.

XIV.

De abſolutione mortui.

EGimus de moribundis, veniamus nunc ad mortuos, & videamus, Utrùm abſolvi poſſint? A cenſuris, quæ cadaver afficiunt, illud abſolvi poſſe etiam exanime clarum & certum eſt: MCCCXXI.

at ipſa

at ipſa à peccatis anima ſemel ſeparata non poteſt. Sed quid requiritur, ut aliquis mortuus eſſe dicatur? Quæſtio hæc potius eſt phyſica, quam ethica, & interim uno aut altero caſu illuſtrabitur.

Proponuntur duo caſus. Primus. Primus jam olim mihi fuit propoſitus, & reponi poteſt per hæc verba. [Confitebatur Petrus, & dum lachrymas funderet & actus doloris eliceret, aut morbo aut contritione victus incidit in deliquium animi. Eum alij cenſent mortuum, alij vivum, & dum omnes dubitant, hæret ſacerdos, & abſolvere pœnitentem non audet, Dei tamen Petrus beneficio ad ſe rediit, & ſacramentaliter fuit abſolutus.] Sic caſus accidit. Et nunc Sacerdos, ne iterum in ejuſmodi anxietatem incidat, doceri vult, An hominem, aliàs bene diſpoſitum, ex hoc ſolo capite, quod dubitetur, an ſit mortuus teneatur non abſolvere: aut potiùs teneatur abſolvere?

Secundus ante paucos dies propoſitus mihi fuit à P. Moreto, S. Th. *Secundus.* Profeſſore, qui ſic rem narrat. [Vocari juſſit Confeſſarium Auſonius morbo repentino laborans, & dum ille quæritur humorum violentiâ ſuffocatur. Condolent omnes, quod ante adventum Confeſſarii devixerit. At ſuperveniens iſte nil moratur: ad cadaver accedit, & mortuum ſacramentaliter abſolvit, & in ſummam admirationem omnes circumſtantes inducit.] Res ſic tranſijt. At jam hodie quæritur, An licitè, an validè potuerit mortuum jam defunctum abſolvere?

Propone, Amice Lector, caſus hos cuicumque juniori Theologo, & audies eſſe faciles, & ſolutione non egere. At ipſi difficillimi ſunt. Eos ſequentes Concluſiones diſſolvent.

PRIMA. *Anima ſeparata à corpore non poteſt à peccatis abſolvi.* *An ſeparata anima poſſit abſolvi?* Eſt certa apud Catholicos; nam pœnitentiæ Sacramentum eſt privilegium, quod nec ſeparatæ Animæ, nec Cadaveri, ſed Homini viventi conceditur.

SECUNDA. *Impoſſibilis eſt caſus, in quo dubitatur, utrùm homo adultus ſit vivus vel mortuus.* *An detur vita dubia?* Et non jam ſuadetur ſed demonſtratur hæc Concluſio: quia ubi ſuccurrit ratio aliqua gravis, non dari dubium evidens eſt: nam ſive illud ſit negativum, ſive poſitivum omnem gravem rationem excludit: Atqui in morte hominis ratio gravis ſuccurrit: Ergo. Probatur minor. Quia poſſeſſio fundat rationem gravem, & omni probabili (imò, omni probabiliore) certiorem: & in hominis morte poſſeſſio pro vita eſt. Debet ergo cenſeri vivus, quouſque certò ſit mortuus.

TERTIA. *Si eſſet poſſibile eiuſmodi dubium, & de facto daretur, deberet homo habens dubiam vitam abſolvi.* *An habens dubiam vitam abſolvi poſſit?* Patet; quia in omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione, quæ præceſſit hoc dubium. At ante mortem dubiam erat in poſſeſſione vita certa: Ergo erit ſtandum pro vitâ.

QUARTA. *Si fuiſſet verè mortuus, & miraculo dubio ad vitam dubiam reſuſcitatus, deberet cenſeri non vivus.* *Quid dicendum de reſuſcitatione dubia?* Nimirùm ob eamdem rationem. Quoniam

niam in omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione quæ præceſſit hoc dubium. At ante reſuſcitationem dubiam erat in poſſeſſione certa mors. Ergo eſſet ſtandum pro morte.

Probabiliter mortuus:

QUINTA. *Caſus eſt poſſibilis in quo aliquis probabiliter dicatur mortuus.* Et oſtenditur; quia contra poſſeſſionem poſſunt & ſolent formari probabilia argumenta.

Abſolvi poteſt.

SEXTA. *Homo probabiliter vivus, (ſi aliunde non obſit, diſpoſitionis defectu) abſolvi poteſt.* Patet; quia in rebus practicis poſſumus ſequi opinionem probabilem. Et quia poſſumus minus probabilem, homo minus probabiliter vivus, & probabiliùs mortuus, abſolvi poteſt.

Imò etiam probabiliùs mortuus.

SEPTIMA. *Homo minus probabiliter vivus abſolvi debet. Nimirùm, ex iuſtitia à ſuo Parrocho, & ex charitate à quocumque ſimplici Sacerdote.* Demonſtratur. Quoniam ego teneor ex charitate juvare proximum in extremâ neceſſitate conſtitutum, ſi poſſum: & ex juſtitiâ teneor juvare filium in eâdem neceſſitate conſtitutum, ſi poſſum. At, qui inconfeſſus eſt in articulo mortis, eſt in extremâ neceſſitate.

Charitatis præceptũ.

An minùs probabilẽ ſententiam ſequi poſſim?

Ergo juvare eum debeo, ſi poſſum. At poſſum ſequi opinionem minus probabilem & eum cenſere vivum; & poſito hoc dictamine eum abſolvere: Ergo & teneor; videlicet, ex charitate, ſi ſim proximus; & ex juſtitiâ, ſi ſim Parochus.

De abſolutione probabili.

Sed quantum valebit illa abſolutio? Sunt multa, quæ fiunt probabiliter & certò valent; nam confeſſio facto cum opinione probabili (ſive iſta ſe teneat ex parte integritatis, ſive ex parte juriſdictionis) certò valida eſt. Cæterùm, ſi probabilitas ſe teneat ex parte alicujus circumſtantiæ eſſentialis, erit abſolutio, non certa, ſed merè probabilis.

Hinc eſt, quòd, ſi pœnitens probabiliter putet ſe attritum, & tamen attritus non ſit, probabiliter etiam putabit ſe abſolvendùm, non tamen abſolvetur de facto. Hinc etiam eſt (& modò reſpondemus quæſtioni) quod, ſi pœnitentem probabiliter putemus vivum, & tamen reverà mortuus ſit, probabiliter etiam putabimus eumdem abſolvi poſſe, & tamen abſolvi de facto non poterit: quia ad abſolutionem requiritur ut vivat pœnitens, & opinionum probabilitas non dat veram & phyſicam vitam defuncto.

Quando moriantur homines?

OCTAVA. *Non eſt evidens tunc mori hominem, cùm ultimò ſenſu privatur.* Rem ediſſero. Solent ægri in deliquia profundiſſima incidere, & mortui putari, quouſque paulatim ſe recuperant & ad ſe redeunt.

An detur inſtantanea mors.

An mortẽ deliquium præcedat?

Sed quid fieret illi, qui diceret nexum animæ & corporis eſſe ſubſtantialem, fortiſſimum, & fideliſſimum; nec rumpi tam citò quàm putamus: omnes ad unum moribundos ad mortem per gradus tranſire: è valetudine venire ad morbum, è morbo ad deliquium, & è deliquio ad mortem? An-non innumeri caſus ſunt in

Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtorijs, qui hanc veritatem perſuadebunt? Legimus ſæpe ægros in cordis deliquium lapſos, & mortuos creditos, miſerrimè fuiſſe ſepultos. Legimus ex iſtis nonnullos ſpeciali Dei miſericordiâ ab ipſis ſepulchris ereptos. Quid ergo vetat dicere, Omnes prius à ſenſibus & poſteà ab ipſâ animâ deſeri? Quid vetat addere, ex deſertis à ſenſibus alios ad ſe rediiſſe, & alios ad ſe non rediiſſe? an non ſunt leges publicæ in communitatibus multis, quibus eſt cautum, ne ante vicesimam-quartam à morte horam ſepeliantur cadavera, ſi fortè ad ſe redire poſſint? an non eadem ratio, quæ urget ne ſepeliantur, urgebit ut abſolvi poſſint, nam ſic diſcurro. Vel ſunt viva, vel non. Si non, terræ mandari poſſunt: & ſi non poſſunt, viva ſunt; & ſi vivunt, etiam abſolvi poſſunt.

An defuncti ſtatim ſepeliri debeant?

DISPVTATIO INCIDENS.

Anne peccata dubia ſint in Sacramentali confeſſione explicanda?

MCCCCXXII. EGi de moribundo, qui nullo ſigno præſente confeſſionem poſtulaverat, & eum poſſe, imò & debere abſolvi dixi, & ut puto ſatis clarè probavi, nam poſitis conditionibus & limitationibus, quæ à nobis & à Doctoribus apponi ſolent, noſtra ſententia certa eſt. Egi tamen de abſolutione mortui; ubi oſtendi, non omnes illos eſſe verè mortuos, qui tales videntur. Volebam dimittere calamum, ſed nova & graviſſima difficultas occurrit, quæ diſputat de peccatis dubiis, & inquirit, *an exponi illa debeant in confeſſione ſacramentali?* Eſt quidem difficultas, quam omiſere Veteres, Juniores vix audent reſolvere, ne à communi doctrina in graviſſima materia excedant. Ut autem eam intelligas, revocanda in memoriam venit Conſcientiæ diviſio; docuimus enim ſextuplicem apud Ethicos conſcientiam eſſe, nimirùm, Fidelem, Evidentem, Probabilem, Dubiam, Scrupuloſam, Hypocondriacam. Conſcientiam Fidelem vocamus revelationi innixam: Evidentem, quæ certa & clara; qualem habet, qui certò ſcit ſe peccaviſſe, aut certò ſcit non peccaviſſe: videlicet, illam, quæ naſcitur à ſcientia experimentali clara, contra quam vel nulla ratio militat, vel nulla gravis. Probabilem dicimus eam, quæ gravibus fundamentis ſubſtruitur; qualem haberet, qui ob rationes fortes ſe peccaſſe, & propter alias etiã fortes ſe non peccaſſe exiſtimaret. Conſultò utrobique fortes poſui; ille enim, qui haberet, vel fortes contra leves, vel contra nullas, non eſſet dicendus habere conſcientiam probabilem; ſed certam: probabilitas enim in moralem certitudinem evadit per accidens, quando rationes contrariæ ignorantur. Dubiam conſcientiam dico, quæ non innititur rationi gravi. Scrupuloſam, quæ naſcitur ex ignorantia & ſuperbia; & ſolet in viris piis nonnunquam reperiri, qui carent doctrina ſufficiente ut veritatem examinent, & impediuntur ſublatente ſuperbiâ, ne doctiores interrogent. Hypocondriacam tandẽ dicimus conſcientiam hominis humore melancholico afflicti, quem tædet actionum ſuarum, hæc enim deſpectu neſcio quo præventa, omnes & ſingulas actiones quas elicit, reprehendit. Hæc omnia dictis

Proponitur tota difficultas.

Conſcientia ſextuplex.

Nota hoc bene: quia forte caſus eſt impoſsibilis.

Qqqq

dictis cohærent, ſed debuerunt breviter reſumi, ut clarius diſputatio aliàs difficilis & obſcura procederet. His poſitis ſit

Protheorema I. *Peccata certò commiſſa, ſi gravia ſint, debent neceſſariò ſubdi tribunali ſacramentalis Confeſſionis; & ſi levia poſſunt.* Ita omnes Authores.

Protheorema II. *Peccata certò non commiſſa, levia vel gravia ſint, non poſſunt ſubdi eidem tribunali Confeſſionis.* Ita omnes.

Confeſſionis materia. Utrumque probatur evidenter; nam contra institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, tam militat peccati perpetrati negatio, quàm non perpetrati confeſſio. Sed poſtulas. An confiteri peccatum veniale, quod certò ſcis non commiſiſſe, poſſis ſine culpa mortali? Si ſit pars confeſſionis, benignior reſolutio eſt, forma enim habet materiam ſupra quam poſſit cadere: ſi autem ſit tota confeſſionis materia, videtur eſſe peccatum veniale Philippo Fabro, in Academia Patavina publico S. Theologiæ Profeſſori *tractat. de pœnitent. in 4. ſent. diſt. 17. quæſt. unic. diſput. 14. cap. 3. num. 51.* & reliquis omnibus, quos viderim, mortale.

An peccet mortale, qui non commiſſa confitetur?

An liceat ſequi opinionem minus probabilem, etiam in confeſſionis materiâ?

Protheorema III. *Qui ſubſcribens communi Theologorum ſententiæ, aſſeruerit eſſe tutum ſequi opinionem etiam minùs probabilem, aut inconſequentiâ laboraturus, aut dicturus peccata, quæ commiſſa fuiſſe aut non fuiſſe probabile eſt, non eſſe in confeſſione neceſſariò explicanda, ſed poſſe pœnitentem alterutri parti ſubſcribere, & ſequi ſuum arbitrium; nimirùm, vel judicando eſſe commiſſa & confitendo, vel judicando non eſſe commiſſa & non confitendo.* Patet; quia aliàs falſum eſſet quidquid de probabilitate à viris ſanctiſſimis & doctiſſimis benignè ſcribitur. Unde Author Compendij Dianæ impreſſi Antverpiæ anno 1641. verb. Confeſſio num. 31. *Aliud eſt*, ait, *ſi probabiliter judicaret ſe vel non commiſiſſe peccatum, vel non eſſe mortale, vel ſe eſſe confeſſum, tunc enim ad nihil teneretur quamvis contrarium judicet probabilius Marat. & alij.* & citat Dianam *part. 3. tractat. 4. reſolut. 60.* & *part 4. tractat. 3. reſolution. 5.* & *part. 5. tractat. 14. reſolut. 113.* Ubi obiter notandum eſt benè dubium à probabilitate diſtingui à Sanchez *libr. 1. in Præcept. cap. 10.* malè autem à Lugo *de pœnitent. diſputat. 16. ſect. 2. §. 3.* dubium poſitivum cum probabilitate confundi. Sed & Joannes Præpoſitus *quæſt. 5. de integritate Confeſſ. dubitat. 3.* videtur omne dubium cum probabilitate confundere, ait enim. *Notandum hominem propriè dubitare, quando fluctuat, nec poteſt in alterutram partem determinatum judicium formare: quod interdum accidit, quia in neutram partem ſuppetit ratio, interdum verò contingit quia utrimque apparent rationes probabiles.* Diſplicet illud verbum ultimum, quia ſi utrimque probabiles rationes ſuppetant, non eſt dicendus habere conſcientiam dubiam, ſed probabilem. hîc autem non inquirimus, An peccata, cùm non fuiſſe commiſſa probabile eſt, debeant in confeſſione explicari; hæc enim quæſtio omninò diverſa eſt: ſed examinamus, An debeas confiteri peccata, ſi dubites te commiſiſſe.

An dubiũ à probabilitate diſtinguatur?

Protheorema IV. *Scrupuloſis optimè conſulitur, ut omittant in confeſſione omnia illa, quæ non ſunt evidenter peccata mortalia.* Ita Layman *Theolog. Moral lib. 1. tractat. 1. cap. 4. §. 4. numer. 37.* quem laudat & ſequitur Diana *part. 3. tractat. 4. reſolut. 60.* Scrupuloſis Hypocondriacos adnumera, nulla enim eſt diſparitatis ratio.

Conſilium dandum ſcrupuloſis.

Pondus igitur difficultatis ad dubia peccata

Digitized by Google

peccata devolvitur, & quia hæc multis dubiis novis implicantur, explicentur curioſiùs neceſſarium eſt.

Conſcientia dubia quæ ſit: & quotuplex?

Dubiam conſcientiam definivimus, ratione gravi deſtitutam: & in dubiam poſitivè & dubiam negativè diſtinguimus. Conſciētia poſitivè dubia illa eſt, quæ caret gravi, habet tamen unam vel alteram rationem levem: at dubia negativè, illa, quæ non ſolùm caret ratione gravi ſed & levi. Hæc diviſio ab ipſamet conſcientia deſumitur; ſed ſi objectum aut conſcientiæ contemplemur materiam, dicendum eſt quatuor modis poſſe conſcientiam dubiam eſſe.

Quot modis dubiū eſſe poſſit?

Primò de peccati commiſſione; ſecundò de quantitate; tertiò de qualitate, quartò de abſolutione.

Dubitat de peccati commiſſione, qui utrùm fecerit vel non fecerit, neſcit: puta, ſi Petrus adhibito debito conſcientiæ examine dubitet, an fuerit furatus vel non. vel ſi tale dubium ſub hanc materiam cadere non poſſe credideris, ad actus purè internos non bene nobis cognitos tranſi, & experieris eſſe plurimos, qui dubiis torquentur, & utrùm aſſenſum præbuerint vel negaverint, neſciunt.

Dubitat de peccati quantitate, qui certò ſcit ſe rem feciſſe, an verò peccaverit graviter vel leviter, ignorat. Puta ſi Petrus ſciret certò & evidenter ſe furatum fuiſſe; neſciret tamen an materiam gravem vel levem.

Dubitat de peccati qualitate, qui certò ſcit ſe peccatum commiſiſſe, illiuſque quantitatem non ignorat, neſcit tamen an ad talem vel talem infimam ſpeciem pertineat. v. g. ſi Petrus ſciret certo ſe peccaſſe mortaliter in fornicatione, dubitaret tamen an fœmina, quâ fuerat uſus, eſſet ſoluta conjugata aut monialis.

Tandem de peccati abſolutione dubitat, qui ſcit ſe illud commiſiſſe, & & quantitatem & qualitatem peccati non ignorat, neſcit tamen an fuerit illud legitimè confeſſus? aut certè, an fuerit legitimè abſolutus?

Hæc dubiorum genera Authores nonnulli confundunt, nonnulli plus diſtinguunt quàm ratio & tribunalis inſtitutio requirit. Ut ergò ſolidè & clarè quæſtionem decidamus, controverſiā in tres Articulos ſubdividemus. *Primus* veras concluſiones ſtatuet & probabit: *Secundus* adlegabit Authores veræ ſententiæ conſonos: *Tertius* ſatisfaciet rationibus objectis pro contrariâ parte.

ARTICULUS I.

Vera ſententia proponitur & ratione probatur.

TEneo primò *eum, qui dubitat de qualitate ſeu ſpecie peccati certus de gravitate materiæ, teneri confiteri.* MCCC-XXI. Hoc eſt, Petrum debere abſolutè confiteri peccatum furti v. g. ſi certò ſciat ſe fuiſſe furatum materiam gravem, dubitet tamen an profanam vel ſacram: ſi certò ſciat ſe abuſum fuiſſe fœminâ, dubitet tamen an ſæculari an moniali: ratio eſt: quia peccata certa ſunt in confeſſione aperienda, & Petrus tametſi dicatur de qualitate & ſpecie infima aut fortè de circumſtantiâ aliquâ ſpeciem mutante dubitare, ſcire certò ſe mortaliter peccaviſſe ſupponitur: nemo autem unquam credidit poſſe ſubticeri in confeſſione mortalia crimina, quæ ſe commiſiſſe Petrus evidenter cognoſcit. Cùm Authores inter dubium de peccati ſubſtantia, & dubium

Digitized by Google

de qualitate diſtinguunt, ſæpe nomine qualitatis (labii error eſt) ipſammet quantitatem intelligunt, ſæpe non. ſi qualitatem peccati ab ejus quantitate diſtinguunt, bene poterunt obligationes ex illis dubiis ſubortas diſtinguere aſſerendo peccata dubia eſſe in confeſſione aperienda ſi dubiũ ſit de eorumdem qualitate, ſi ſit de ſubſtantia aut quantitate non eſſe. Unde

Tribunalis Civilis & Sacramẽtalis proportio.

Teneo ſecundò *eum, qui dubitat de peccati commiſſione, quantitate aut abſolutione non teneri confiteri.* Et videtur probari manifeſtè Nam confeſſionis tribunal eſt analogum tribunali forenſi & litigioſo; utrumque enim conſtituitur Actore, Reo, Teſtibus & Iudice. In confeſſionis tribunali Iudex qui Confeſſarius. Reus pœnitens in quantum peccavit: Actor ipſemet pœnitens in quantum Deum amans & peccata fragiliter commiſſa deteſtans. Teſtimonia ſunt rationes graves & infallibiles quibus actio fundatur. Atqui in tribunali Mechlinienſi, hæ accuſationes, *Appello de latrocinio ſortem, quia dubito, utrùm furatus fuerit; Ambroſium, quia tametſi nullus teſtis id aſſerat, fortè furatus eſt: Anſelmum, quia eſt unum indicium leve,* & hujuſmodi aliæ admitti non debent: ergò nec in tribunali confeſſionis.

Notentur benè hæ confitendi formulæ.

Confirmo primò: Pœnitenti legitime confitenti debet Confeſſarius abſolutionem impendere: atqui abſolvi non poteſt abſolute, qui ad tuos pedes provolvitur & ait, *Domine, Vtrùm furatus fuerim dubito; ſi verè furatus ſim, me accuſo, aliàs non.* Vel forte, *Scio quidem me furatum fuiſſe, at quantitatem neſcio, ſi fuerit levis non me accuſo, non enim levia teneor confiteri; ſi autem fuerit gravis, me accuſo.* Vel tandem. *Scio certè me peccaviſſe mortaliter, dubito an fuerim tale crimen confeſſus, cumque non tenear bis eadem confiteri peccata, non me accuſo de illo, ſi illud confeſſus ſum, ſi non ſum confeſſus me accuſo:* ergò. [Quod non poſſit abſolvi abſolute, demonſtro. Quia abſolutio abſoluta requirit materiam certam & abſolutam, quæ in hujuſmodi confeſſionibus non reperitur.

Solutiones duæ.

Huic argumento bifariam ſolent Authores reſpondere; alij enim volunt certam aliquam materiam dubio peccato adjungi, alij nullam certam adjungi, ſed abſolutionem dari ſub conditione; ſed utramque reſponſionem eſſe abſolute inſufficientem clariſſime probabo.

Impugnatur prima.

Prima ſolutio diſplicet. Nemo enim tenetur peccato dubio certum veniale adjungere, quia venialia non pertinent ad materiam neceſſariam confeſſionis, ſed ad liberam: nec tenetur adjungere mortale jam confeſſum, quia nemo tenetur unum & idem peccatum bene confeſſum iterum confiteri: ergo materiæ dubiæ non tenetur, ſi mortifero non confeſſo careat, certam aliquam adjungere. *Dices* tunc teneri per accidens vel confiteri veniale aliquod determinatum, vel mortale licet olim confeſſum. *Sed hæc* obligatio per accidens, leviter protruditur; hæ enim poſitiones, *Nemo tenetur confiteri venialia, Nemo mortalia jam confeſſa,* univerſaliter veræ creduntur: nec debet exceptio admitti, quæ non probetur ſaltem aliquâ ratione gravi. Regulam eſſe generalem conſtat ex Tridentini Seſſione XIV. in cujus cap. V. ſic lego. *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur,*

Digitized by Google

dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſq; aliis remediis expiari poſſunt. Ecce univerſaliter Concilium loquitur: ecce non docet venialia aliquando debere exponi, & aliquando non debere, ſed abſolutè affirmat ſemper taceri poſſe. Non eſt ergò, cur contra univerſalē Concilij Tridentini doctrinam exceptiones & limitationes invenias. Ubi obiter vellem ſcire, An credas illa verba Concilij eo ſenſu quo ab ipſo ſunt tradita, eſſe fide tenenda? ſi hoc ſcias, ſcies ſubindè eſſe hæreticum, qui pertinaciter aliquod dogma defendcrit contra canonicam propoſitionem. Cum autem hęc univerſalis ſit, omnem exceptionem excludit, futura aliàs falſa, ſi vel in uno caſu fallat. *Dices*; Ipſa Sacræ Scripturæ teſtimonia, tametſi univerſaliter dicta, ſolent ſæpè reſtringi & aliquas exceptiones pati; omnes enim habere peccatum originale multæ canonicæ periodi inſinuant, & tamen piè & laudabiliter Dei Genitricem excipimus: ergò ſimiliter tametſi verba Concilij videantur aſſerere poſſe ſemper omitti peccata venialia, poterit ſubintelligi aliqua exceptio, nimirum, niſi adjuncta ſint mortalibus dubijs, ratione quorum debebunt explicari per accidens. *Et reſpondeo*, nemini privato homini conceſſum, ut univerſales poſitiones dictatas & revelatas ab Spiritu ſancto reſtringat, illæ enim, quæ hodie reſtringuntur, ſummo totius Eccleſiæ conſenſu & conſilio reſtringuntur, & hoc propter rationes fortiſſimas, quæ in præſenti locum non habent: ſi enim quæcumque ratiuncula ſufficeret, ut univerſaliter latas leges remitteret, & ad aliquos ſingulares caſus reduceret, periclitaretur decalogus, abblandireris enim tibi, & millenas exceptiones & limitationes delirares. ſtandum igitur verborum communi acceptioni in Canonum Catholicorum materiâ, ubi non docemur ab Eccleſiâ verba eſſe aliter interpretanda.

Prætereà hanc confitendi venialia aut mortalia jam confeſſa repetendi obligationem, quę dicitur ſuboriri per accidens, eſſe omninò fictam oſtendo. Habeat Petrus unum & ſolum peccatum dubium, nullum veniale, nullum aliud mortale: & inquiro, an & iſte teneatur materiam aliquam certam adjungere. Si caſûs poſſibilitatem negas, rem clariſſimam negas, quia Petrus poteſt donari privilegio impeccabilitatis, vel ſaltem præſervari ne peccet, & præter privilegium, illis primis horis quibus uti ratione incipit, potuit habere mortale dubium ante certū mortale aut veniale: itē adultus poteſt oblivioni mandaſſe omnia certa tam gravia quàm levia, & ſolùm dubium memoriâ retinere, ergò vel peccata dubia non pertinent ad materiam pœnitentię, vel aliâ viâ debent deleri, quàm per additionem certæ & determinatæ materiæ. *An abſolutione conditionata?* minimè, nam & *Impugnatur obligatio per accidens.*

Solutio altera diſplicet. Abſolutio enim conditionata non eſt certa abſolutio, ſed fortaſſis erit. & qui ſic abſolvit non conficit Sacramentum conditionatum, ſed fortè conficit abſolutum & fortè non. Explico me. Aliud eſt, dari Sacramentum certum, quod abluat peccata dubia; aliud, & omninò diverſum, dari formam quæ fortè ſit ſacramentalis, fortè non. Cùm dicis, *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c. Si verè peccaſti, ego te abſolvo*; non conficitur Sacramentum certum, quod deleat peccatum (originale vel actuale) dubium; *Impugnatur ſecunda ſolutio.*

ſed proferuntur verba, quæ fortè Sacramentum conſtituent, fortè nõ conſtituent. Ergò non eſt certum dari obligationem confitendi peccata dubia. Probatur conſequentia, quia in tali caſu ſacramentalis abſolutio fortè eſt poſſibilis & fortè impoſſibilis, atqui impoſſibilia non obligant, ergò fortè obligat & fortè non obligat: ergò non datur obligatio certa: ergò nec dubia. probatur quia cùm dubitatur an detur talis obligatio, ſtandum eſt pro libertate, ut oſtendam inferiùs cum Baldelli mentem examinabo.

Vbi agitur de obligatione dubiâ, ſtandũ eſt pro libertate.

Confirmo ſecundò. In nullo Forenſi tribunali poteſt quis condemnare pœnâ aliquâ determinatâ reum antequam ſit convictus; ſententia enim quæ virum condemnat, quem tueri & abſolvere poſſet, iniqua eſt. ergò nec in Cõfeſſionis tribunali. Ergò confitenti crimen dubium, imponi nequit pœnitentia certa, nec dari ſine conditione abſolutio. Igitur cùm ais, *Si furatus ſum, me accuſo*, Confeſſarius, *Si verè furatus es, ego tibi talem impono pœnitentiam, abſolvo, &c.* Sed quidquid alij clament, Hoc eſt non ferre ſententiam, hoc non eſt reum mulctare, hoc non eſt eum abſolvere.

Confirmo tertiò. Scrupuloſis ſuadetur ne confiteantur dubia, & nemo auderet ſuadere ne cõfiteantur peccata certa: ergò non eſt æqualis obligatio. Cõſequentia videtur evidens. Secunda antecedentis pars ab omnibus admiſſa, prima à quàm plurimis; nempe à Layman *Theol. Moral. lib. 1. tract. 1. cap. 4. §. 4. num. 37.* Dianâ *part. 3. tract. 4. reſol. 60. ſub finem.* Præpoſito *q. 5. de Confeſſione dub. 3. num. 115.* Tunc ſic. Omiſſio peccati certi in nullo caſu conſulenda eſt, & omiſſio dubii ſcrupuloſo pœnitenti conſulitur. ergò hæc omiſſio non militat contra inſtitutionem & integritatem Sacramenti: ergò ſi contra hanc non militat, etiam non ſcrupuloſis cõſuli poteſt; bene enim Confeſſio ſacramentalis fit, ſi ita fiat, ut inſtitutio & integritas inviolata ſervetur.

ARTICUL. II.

Eadem veritas probatur clariſſimis verbis Tridentini.

ERant multa dubia in Eccleſiâ, quã non ſolùm Hæretici ſed & Catholici nonnunquam liberiùs, quam fas erat, ſentientes, perturbabant. Indigebamus Spiritûs ſancti magiſterio, & ipſe in Tridẽtinæ Synodi Seſſione XIV. Cap. V. ſic inquit. *Conſtat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dũtaxat & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint &c.* Quibus verbis ſic utor. MCCCXXIII.

Cur coactum fuerit hoc Cõcilium?

Cenſendum eſt Tridentinum Concilium ſuffi ienter docuiſſe fideles Seſſione iſtâ XIV. in quâ de pœnitentiâ ex profeſſo actum. At ibi apertè docet pœnitentem debere confiteri omnia peccata mortalia, quorum poſt diligẽtem ſui diſcuſſionem, cõſcientiam habet; ergò & docuit non debere confiteri illa, quorum poſt diligentem diſcuſſionem conſcientiam non habent. atqui illorum, de quibus quis dubitt, conſcientiam non habet: ergo. Probatur minor; quia conſcientia eſt notitia ſcientifica, & dubium ſcientifica notitia non eſt.

Quid nomen conſcientia ſignificet?

Dices *Conſcientiæ* nomine nõ ſolùm noti-

Digitized by Google

notitiam evidentem, ſed & dubiam intelligi, datur enim Conſcientia Evidẽs, Probabilis, Dubia, Scrupuloſa, & Hypocondriaca. Reſpondeo tamen hoc eſſe verum in alijs Authoribus & locis, non tamen in præſenti. Ratio eſt, quia illa Concilij verba *Ex his colligitur*, ſuadent conſequentia ex antecedentibus inferri: atqui ex antecedentibus non infertur conſcientia dubia, ſed certa: ergò in loco *Conſcientiæ* nomine non intelligitur dubia, ſed certa. Major videtur certa, minorem probo. Ideò debemus ſingulorum peccatorum ſpeciem & numerum cõfiteri, quia Sacerdotes judicium hoc (verba Concilij ſunt) incognitâ causâ exercere non poſſunt, nec æquitatem in pœnis injungendis ſervare: ergò dubia peccata non debemus exponere. Patet conſequentia; quia cauſa dubia non eſt cognita, & causâ incognitâ judicium hoc exerceri non poteſt. Cõfirmatur. Quia aſſerente Concilio debet æquitas in pœnis injungendis ſervari, ergò debet certò conſtare de delicti exiſtentiâ, aliàs enim quá æquitate pœnæ certæ & determinatæ pro peccato incerto & indeterminato injungerentur.

Confirmant hanc doctrinam aliæ multæ ejuſdem Tridentini periodi; nam alijs omiſſis, quæ in illa XIV. Seſſione occurrunt, reſumemus ſequentes. *Neceſſum eſt omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confeſſione, à Deo quærere.* & ſanè confeſſio dubia non videtur poſſe *aperta* vocari. Sed Concilium progreditur. *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia divinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt; qui ſecùs faciunt & ſcienter aliqua retinẽt, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt, ſi enim erubeſcat ægrotus* [Hieronym. exponens illud Eccleſ. 10. Si mordeat ſerpens in ſilentio] *vulnus Medico detegere, quod ignorat medicina non curat.* Ergò tenetur quis confiteri peccata quæ occurrunt, nempe poſt diligentem ſui diſcuſſionem; dubia autem crimina poſt diſcuſſionem non occurrunt: Ergò malè confitetur, qui ſcienter peccata retinet; atqui dubia non retinentur ſcienter, non enim in dubijs datur ſcientia: ergò.

Univerſa, quæ diximus, illuſtrat hæc periodus, *Conſtat nihil aliud* (nota bene, quia dum *Nihil aliud* dicit, clariſſimè & univerſaliſſimè Concilium loquitur) *in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut poſtquam quiſq; diligentiùs ſeſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eâdem confeſſione incluſâ intelliguntur.* Attentè legar, obſecro. *Conſtat nihil aliud in Eccleſia à pænitentibus exigi*, inquit S. Concilium: illi igitur contradicit, qui aliquid aliud requiri exiſtimat. hæ enim aſſertiones, *Nihil aliud à pœnitentibus exigitur*, & *Aliquid aliud exigitur*, contradictoriæ ſunt; cùm autem prior ſit expreſſa Concilij, altera ſine errore clariſſimo teneri nõ poteſt. Sufficit igitur ut confiteatur ea peccata, quib. ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit; ergò nemo tenetur confiteri venialia; ergò nec dubia licet gravia, dubitare enim non eſt meminiſſe. *Scire eſt quoddam meminiſſe*, dicebat Plato, nullum tamen audivimus dubitare & meminiſſe confundentem.

Nota bene iſta verba.

Eadem

Eadem veritas oſtenditur Authorum teſtimoniis.

FAteor eſſe valde communem opinionem quæ affirmat mortalia dubia debere in Confeſſione explicari, quamobrem ſuperfluum omninò videretur, citare Authores pro hac ſententiâ, proderit tamen inquirere, An præter rationes præmiſſas contraria fundetur authoritate gravi?

Ioannes Sanchez.

Materia in confeſſione duplex: neceſſaria, et ſufficiens.

SOlet pro hac citari ſententiâ, ipſe enim *in quæſt. ſelect. diſput. 1. numer.* 12. peccatum dubium poſſe quidem eſſe materiam confeſſionis aſſerit; ſed an ſit materia neceſſaria, non exponit. Dabo verba formalia; *Et ſanè licet materia dubia poſſit ſubjici confeſſioni, non tamen conditionata &c.* Et paulò infra. *Notandum tamen, quod quando materia dubia ſola ſubjiceretur confeſſioni, erit impertienda abſolutio ſub conditione, ſaltem mentaliter conceptâ, ſi fortè peccaſti, vel capax es abſolutionis: communiter tamen certa materia adjungitur dubia, ut abſolutio poſſit impendi abſolutè, & non ſub conditione: ſemper tamen liberum erit pænitenti ſolam materiam dubiam confeſſioni ſubjicere, quando certam mortalem non habet, vel in ſolam venialem fuerit lapſus.*

An conditio in ſacramentorũ uſu ſit vocaliter ſemper ponenda?

Sed in his verbis aliqua obſervo quę diſplicent, & nonnulla quæ placent. Illa verba, *ſub conditione ſaltem mentaliter concepta*, militant contra ſacramentale forum pœnitentiæ, quod per ſigna ſenſibilia debent adminiſtrari. Non ſufficit quod pœnitens peccata mente côcipiat, ſed requiritur abſolutè quòd illa externo aliquo ſigno ita explicet, ut Confeſſarius numerum & ſpeciẽ, quantum fieri poſſit, agnoſcat. Fateor Sacerdotem Côfeſſario notum ſi in peccatum aliquod fragilitatis, exempli gratiâ, fuerit lapſus, ſufficienter confiteri ſuam culpam, dicẽs, *Mœchatus ſum*, nec requiri, quòd ſacrilegij circumſtantiam, tametſi mutantem ſpeciem verbis confiteatur; illam enim confitetur tam clarè, ut Confeſſarius non poſſit illam non intelligere: quod ſi eſſet Confeſſario ignotus, deberet hanc circumſtantiam ita explicare, ut ſacrilegij malitia Confeſſario innoteſceret, puta dicendo, *Voto obſtrictus ſum, Sum Religioſus, Sum Subdiaconus Sum Diaconus*, vel *Sum Sacerdos*, quia in omnibus iſtis gradibus unam & eamdem ſpecificam ſervandę caſtitatis obligationem reperio. Ergò à fortiori Confeſſarius debet ſuâ mentem extrinſecè manifeſtare, non ſolùm nutis & ſignis, ſed ex inſtitutione Chriſti, verbis. Ergò quando datur abſolutio abſoluta, debet fieri per verba abſoluta; & quando conditionalis, per verba conditionalia: non igitur ſufficit conditio purâ mente conceptâ. *Confirmatur*: Quia forma Sacramenti pœnitentiæ conſiſtit in verbis, non in intentione, hæc enim non ſunt forma, ſed diſpoſitio, aut conditio ſine qua non, ex parte agentis requiſita: ergò qualia fuerint verba, talis erit abſolutio: erit ergò conditionalis, ſi conditionalia; abſoluta, ſi abſoluta. *Confirmatur iterum.* Pœnitens habens peccata dubia non bene confiteretur, ſi abſolutè diceret ſe commiſiſſe illa peccata, ſub conditione mentaliter conceptâ: ergò nec Confeſſarius bene abſolvet, ſi verbis abſolutis ſub conditione mẽtaliter conceptâ. *Confirmatur tertiò*, Intentio debet verbis correſpondere: ergò ſi illa ſit conditionalis, hęc conditionalia debent eſſe: & ſi hæc abſoluta ſint, illa debet eſſe abſoluta. Aliàs enim non

eſſet

Digitized by Google

eſſet verborum & mentis conformitas, & verba illa plus mendacij quàm abſolutionis haberent. Sed ſi circumſtantiæ conſignificantes tales eſſent, ut cõditionem mente conceptam exponerent, tunc non videretur neceſſarium omnino, ut illa verbis exprimeretur.

Hæc eadem verba cum antecedentibus componi non poſſunt. Peccata conditionata poſſe ſubjici confeſſioni negaverat. & ſcire velim quid aliud ſit confiteri peccata dubia, quàm confiteri conditionata. Quod ad hominem, ut dicitur, perſuadeo ſic. Qualia fuerint peccata, talis debet eſſe abſolutio: ergò ſi fuerint abſoluta, dabitur abſoluta: conditionalis, ſi conditionata. Atqui aſſerente Joanne Sãchez in peccatis dubiis datur abſolutio conditionata; ergò fuit analoga materia propoſita. aliàs materia & forma non correſponderent. Ergò ſtando analogię rigori, huic confeſſioni, *Ego occidi*, correſpondet hæc abſolutio, *Ego te abſolvo*: huic *Accuſo me ſi fortè occidi*, reſpondet hæc, *Si occidiſti, te abſolvo*: huic autem *Dubito utrùm occiderim*, quæ poterit reſpondere præter hanc, *Dubito, utrùm poſſim te abſolvere*? Dubia igitur, ut poſſint ſubjici abſolutioni conditionatæ, debent in conditionata tranſire, ut ſi pœnitens dicat, *Dubito, an occiderim*; *ſi tamen occiderim me accuſo*: Tunc enim viciſſim Confeſſarius, *Dubito, utrùm poſſim te abſolvere, ſi tamen poſſum* (vel ut Joannis Sanchez verbis utar, *ſi fortè peccaſti, vel capax es abſolutionis*) *te abſolvo*. Ex quibus formo ſyllogiſmum meâ ſententiâ fortiſſimum. Peccata dubia, non ſunt capacia abſolutionis nequidem conditionatę, niſi tranſeant in cõditionata: at conditionata teſte Joanne Sanchez non ſunt materia ſufficiens ad ſacramentalem confeſſionem: ergò nec dubia.

An peccata dubia à conditionatis diſtinguantur?

Præterea diſplicet, quòd peccata conditionata diſtinguat à dubiis, quia cùm Petrus dicit, *Si fortè occidi, me accuſo*, vel ſcit certò & evidenter ſe non occidiſſe, vel dubitat: ſi dicatur hoc ſecũdum, ſtat mea ſententia, nempe peccata dubia, & conditionata non diſtingui in re, ſed in modo ſignificandi. Si autem dicatur illud primum; confitetur quod ſcit ſe non feciſſe, lingua enim ponit illud *fortè*, aut illud *ſi* (particulæ ſunt dubitantis) cùm tamen ipſe evidenter ſciat, ut ponitur, ſe non commiſiſſe homicidium: igitur non conditionatè conſcientiam ſuam exponit, ſed contra conſcientiam conditione illâ abutitur, ac ſubinde mentitur.

Placent tamen illa verba, *Semper tamen liberum erit pœnitenti ſolam materiam dubiam confeſſioni ſubjicere*, innuere enim videntur, peccata dubia non eſſe materiam neceſſariam confeſſionis, ſed liberam. Sed adhuc non audebo pro noſtra ſententia citare hunc Authorem, quia innuit quod verum judico, non tamen reſolvit expreſsè, nam eadem verba aliter poſſunt exponi. Aliud enim eſt eſſe liberum pœnitenti ſubjicere confeſſioni ſolam materiam dubiam, vel ſubjicere non ſolam, ſed certam materiam adjungendo: aliud & omninò diverſum, eſſe liberum materiam dubiam ſubjicere confeſſioni vel non ſubjicere. prima enim libertas bene componitur cum hac propoſitione, *Materia dubia neceſſariò eſt confeſſionis tribunali ſubjicienda*. tu autem utram libertatem hic Author adſtruat, examina; nam ſi ſecundam, nobiſcum omninò conſentit.

De materiâ liberâ. Nota ſingula bene.

Baldellus & Salas.

Baldellus qualis?

AUthor eſt Baldellus ſubtilis & curioſus, quem libenter lego, & tametſi hanc materiam expreſſe non tractet, agit de conſcientia dubia *Theolog. Moral. lib. 4. diſp. 8. num. 8.* & ſtatuit Theſes, quæ cum falſitate meæ ſententiæ componi non poſſunt: Baldello igitur mea ſententia eſt vera.

An ne iſta Theſis abſolutè & univerſaliter vera? Non puto. Nam ubi debiti contractio eſt dubia, pro libertate ſtandum: ubi autem certi debiti ſolutio eſt dubia, ſtandũ pro debito eſt. quoniam ſemper pro poſſeſſione.

Theſis Baldelli, quâ præcipuè indigeo, eſt, *in dubiis nemo debet præſumi obligatus.* Et probat, nam habet Gloſſa in cap. Cùm ſunt de reg. jur. in 6. *quod reo ſit favendum, quando partium jura ſunt obſcura,* cap. Cùm ſunt cit. *& quod in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis.* cap. In pari de reg. jur. in 6. *quando enim dubitatur, utrum aliquis ſit obligatus, an liber ab obligatione & ſui juris, ille eſt quaſi reus, contra quem, vel pro quo eſt ferenda ſententia, & qui eſt privandus vel non privandus ſuâ libertate, & ideò eſt illi favendum quando partium jura ſunt obſcura & dubia, & ipſe eſt poſſeſſor ſuæ libertatis; & ideò in pari cauſa melior eſt conditio ipſius, ut non ſpolietur ſuâ libertate.* & immediatè pòſt docet cum Salas hanc regulã non ſolùm habere locum in foro externo, ſed etiam interno, *quia etiam in foro interno exercetur judicium, & idem ſeipſum conſtituit, non modò quaſi reum, & accuſatorem, & defenſorem ſui ipſius; ſed etiam quaſi judicem, & ideò in ferenda ſententia etiam ipſe ut judex, poteſt favere ſibi, ut reo, ſi jura partium ſint obſcura, id eſt, accuſatoris & rei.*

Quibus verbis videtur clariſſimè ſequi noſtram ſententiam. Si enim in foro conſcientiæ ſtandum eſt pro reo, ſi materia ſit dubia, certum eſt ſtandum eſſe pro pœnitente, cùm dubium ſit, an peccaverit: poteſt igitur unuſquiſque ſe innocentem cenſere, quouſque ſe peccaviſſe certò & evidenter cognoſcat.

Confirmant hanc ſentẽtiam omnes illi Doctores, qui ſupponunt tanquam ratum principium in omni dubio ſtandum eſſe pro poſſeſſione; item & illi omnes, qui exiſtimant omnia poſſe benignè interpretari.

Aegidius Coninck.

Notitia dubia probabili multò minor eſt.

SCripſit de Sacramentis, & hanc materiam non obiter, ſed advertenter diſputat, & *tract. 2. diſp. 7. dub. 8. concl. 7.* ſic inquit, *Ad hoc ut peccatum tenear confiteri requiritur ut ſaltem probabiliter poſſim judicare me peccaviſſe.* Atqui dubitans, non judicat probabiliter: ergò qui dubitat an peccatum aliquod mortale commiſerit, non tenetur illud confiteri.

Layman.

Aliqua obligant in articulo mortis, quæ in vitæ decurſu non obligant.

VIdetur hanc ſententiam limitare & docere, neminem teneri in decurſu vitæ peccata dubia confiteri, teneri tamen in articulo mortis, *Theol.* enim *Moral. lib. 1. tract. 1 cap. 4. §. 4. num. 37.* ſic ait, *Si in decurſu vitæ alia peccata ſua, quorum conſcientiam habet, confiteatur, tacito illo peccato, de quo poſt diligentem excuſſionem dubitat, an commiſerit, vel an fuerit mortale, tunc probabile apparet non incumbere ejus confitendi obligationem: non enim ex lege poſitiva Chriſti & Eccleſiæ habetur, quia eſſet nimis ſevera obligatio accuſandi ſe de iis quæ commiſiſſe ſe ignorat, Neque ex lege naturali charitatis propter periculum animæ, quandoquidem confitendo bonâ fide peccata reliqua, per accidens remittuntur ea quæ ignorantur. Verum in hac re nihil determino, ſed aliorum judicio committo.* Ultima periodus videtur contra dentes invidorum poſita, quia in prioribus

Digitized by Google

bus ſatis clarè ſuam ſententiam expoſuit.

In verbis hujus Authoris noto Primò, vocem *Conſcientia* ipſi notitiam omni dubio liberam ſignificare, dubio enim conſcientiam opponit; quod ſi ſemel admittas, negare non poteris noſtram ſententiam eſſe definitam à Tridentina Synodo loco allegato. Secundò, bene inter mortis articulum & decurſum vitæ diſtingui, qui enim vitæ decurſu dubitat, an mortale commiſerit, ſi alijs certis, ijsq; mortalibus, peccatis careat, non tenetur confiteri, ſed poſſet ad venerabile Sacramentum accedere confeſſioni ſacramentali omiſsâ: at in articulo mortis reſultat nova quædam obligatio, ſuborta ex ſtanti periculo; quia moribundus, tametſi non teneatur confiteri peccata dubia, non debet egredi ex hac vitâ ſub dubio. tenetur igitur reddere certam ſuam ſalutem illud dubium peccatum delẽdo; nimirùm, *vel* directè, conditionatè cõfitendo illud ſub conditione, & conditionalem abſolutionem recipiens: *vel* indirectè per pœnitentiam ſacramentalem, alia peccata, tacito dubio peccato, confitendo: *vel* aliud Sacramentum recipiens, ut per accidens conferat primam gratiam: *vel* ſaltem; ſi aliundè non obſtaret, eliciendo actum contritionis. Conſultò, *ſi aliundè non obſtaret*, dixi; poſſet enim adhuc diſputari, an ille deberet confiteri, ut obediret Eccleſiæ confeſſionem in articulo mortis præcipienti. & credo hoc præcepto non obſtringi peccato certo, illoque mortali carentes.

Stephanus Bauny.

Est Moſomenſis, è Societate Iesu, ann. 1640. Theologiam Moralem edidit Pariſiis, & *tract. 5 de pœnit. quæſt. 3.* hanc aſſertionem ſtatuit. *Non quilibet adultus, ſed dumtaxat qui reus eſt, ſibiq; verè peccati alicujus actualis conſcius quod ſcit eſſe mortale, vel de quo probabiliter dubitat, an ſit tale, obligatur hoc* (confeſſionis) *precepto.* Ergò ad mentem hujus Theologi non tenetur hoc præcepto, qui vel ſcit eſſe peccatum mortale, vel non dubitat probabiliter, an ſit mortale. Atqui nos agimus de puro dubio, quod proſcribit utriuſque partis probabilitatem: ergò qui purè dubitat hoc Authore aſſerente non confitetur.

Subjungit duas rationes, alteram ex Tridentino, alteram ex Lateranenſi deſumptam, quarum utraq; probat debere exponi in confeſſione omnia peccata certa, neutra vel apparenter ſuadet eſſe exponenda probabilia; ſed & hoc debebat perſuaderi, ut tota Theſis ſubſiſteret.

Ioannes de Lugo, Ioannes Præpoſitus, Leonardus Leſſius.

Amat Lugo doctrinæ connexionem, & *diſp. 16 de Pœnit. Sacram. ſect. 2. §. 3. num. 61.* bonâ ratione arguit eos inconſequentiæ, qui cùm docent peccatum dubium quoad ſubſtantiam facti non eſſe neceſſariò confitendum, docent tamen dubium quoad qualitatem facti (nomine qualitatis non niſi quantitatem intelligit) eſſe confitendum, ideoque illis refutatis progreditur & *num. 62.* Sic ait, *Alij videntur univerſaliter ſentire, non eſſe obligationem cõfitendi illud peccatum, quod poſt debitum examen dubium manet, an fuerit vel non* *fuerit*

Nomen qualitas interdum quantitatem ſignificat.

Digitized by Google

fuerit commiſſum; vel etiamſi conſtet fuiſſe commiſſum, dubitatur an fuerit mortale aut veniale. Ita videtur tanquam ſibi probabile proponere Paulus Layman tom. primo Theol Moral. lib. 1. tract. 1 cap. 5. §. 4. nu. 37. licet in fine concludat ſe nihil in hoc puncto velle decernere, & ſolùm aliis cogitandum proponere. Et poſteà Ioannes Præpoſitus in præſenti q. 5. de integ Confeſſ dub. 3. nu. 117. dicit eſſe ſpeculativè probabile, licèt in praxi non ſit à contraria recedendum.

[Et verè ita eſt, nam examinavi Prępoſitum; ſed tantummodo loquitur de peccato dubio quoad facti ſubſtantiã, non verò de eo, quod eſt dubium ſecundùm quantitatem facti; hoc eſt, ſuppoſito, quod ſit commiſſum, dubitatur an ſit mortale, an veniale; nam loco ſupra citato num. 116. abſolutè docet, peccatum dubium quoad quantitatem facti eſſe confitendum; de dubio autem quoad facti ſubſtãtiam problematicè diſputat. & tandem num. 119. dicit hęc formalia verba: *Hæc pars* (nempe negans quempiam teneri ad confitendum peccatum mortale dubiũ quoad ſubſtantiam facti) *ſemper mihi viſa eſt ſpeculativè probabilis, ſimiliter & Leſſio, & quibuſdam aliis à me conſultis.* & nu. 120. *Dixi poſteriorem partem videri ſpeculativè probabilem, quia non judico in praxi recedendum à priori opinione.*]

Progreditur ulterius Pater Lugo & loco ſupra citato *num.* 63. ſententiæ affirmanti, peccatum dubium tam quoad ſubſtantiam facti, quàm facti quantitatem, eſſe neceſſariò confitendum, adhæret; inde ab illo num uſque ad 67. efficaciter certè mihi videtur refutare rationes, quibus alij Authores eandem ſententiã tenentes nituntur, & ipſe tãdem ſuam rationem affert: *Potiſſimum ergò fundamentum hujus doctrinæ deſumẽdum eſt ex uſu & praxi totius Eccleſiæ, cujus initium non agnoſcitur, quare credendum eſt ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui vim & obligationem incluſam in hujus Sacramenti inſtitutione meliùs potuerunt intelligere.*

Verùm ad hanc rationem reſponderi poſſet, primò nõ conſtare illam praxim & uſum eſſe in Eccleſia tanquam obligatorium. Secundò, licet id conſtaret, id ortum habere, ex eo quod omnes hucuſque Authores ita docuerint, & pauci à parvo tempore incepꝑint id reducere ad dubium: prout ſæpius contigit, & nunc & olim in ſententiis antiquari incipientibus. Videtur itaq; mihi hoc argumentum tantumdem valere contra ſententiam contrariam, atque contra feſtum Immaculatę Conceptionis valeret hoc. *Fuit praxis & uſus Eccleſiæ non celebrare feſtum Immaculatæ Conceptionis, & ejus praxis non agnoſcitur initium, ergò credendum eſt ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui difficultatẽ de Immaculata Conceptione melius potuerunt intelligere.*

Poſtea confirmat rationem prædictam argumento deſumpto ab hujus Sacramenti inſtitutione, & poteſt ad hanc formam reduci: Hoc viſibile pœnitentiæ tribunal ſucceſſit in locum inviſibilis tribunalis divini, ad quod antea tenebantur homines recurrere per contritionem: ſed ad illud tenebantur non ſolùm recurrere pro peccatis certis, ſed etiam dubiis; ergò etiam pro dubiis modò tenentur recurrere ad hoc tribunal viſibile.

Sed major non videtur mihi fundata, ſimiliter enim dici poſſet: ſuppoſito, quod ſi aliqui in veteri Teſtamẽto peccatorum venialium ſibi conſcij voluiſſent in hac vita eorum obtinere veniã, debuiſſent ad illud inviſibile Dei tribunal recurrere per contritionem; ergò ſi Lugonis argumentũ ſit efficax, videtur

detur ſequi à pari, quod ſi in novo Teſtamento venialium ſibi conſcij velint in hac vita eorum obtinere veniam, debeant recurrere ad hoc pœnitentiæ viſibile tribunal, quod tamen conſtat eſſe falſum.

Poſteà ſibi objicit: Præceptum ſervandi æqualitatem cum proximis in materia juſtitiæ non obligat nos ad ſatisfaciendum illis aut ad petendam veniã, quando dubitamus de injuria aut offenſa illis illata; ergo nec præceptum procurandi pacem & amicitiam cum Deo obligat nos ad petendam veniam & offerendam pœnitentiâm quando dubitamus de offenſa divina à nobis poſita.

Sed reſpondet negando conſequentiam. Rationem diſparitatis dicit eſſe, quod præceptum procurandi amicitiam & ſervandi cum illis æqualitatem, ſit negativum: præceptum verò procurandi amicitiam cum Deo, & æqualitatem cum eo ſervandi, ſit affirmativum; adeoque non ſufficiat, ſi neſcias te illum offendiſſe; ſed oportet procurare poſitivè illius gratiam & amicitiã; atque adeò facere, ut ſcire poſſis aliquo modo te in ejus pace & amicitia conſervari.

Reſponderi poteſt ad id, quod licet verum ſit, inde tamen non ſequatur quod fieri debeat illa divinæ amicitiæ procuratio per confeſſionem, cùm fieri poſſit per ſolam contritionem. Neque obſtat, quod in veteri Teſtamento dubiorum peccatorum ſibi conſcij tenerentur ad inviſibile Dei tribunal recurrere, id enim fiebat, quia non erat aliud remedium, ſecundùm noſtram autem ſententiam jam pro peccatis dubiis duo ſunt remedia, nempe contritio & confeſſio, unde alterutrum pro libitu adſumi poteſt.

Pater Amicus.

PRodiit à paucis menſibus & teritur doctiſſimorum hominum manibus, & agens de integritate Confeſſionis *diſp.13. ſect.3. num.* 55. ſic ait: quæritur, An teneamur dubium peccatum confiteri? negant aliqui apud Dianam *tractat. de Sacr. reſol.*60. .... affirmant verò alij: poſtea ſubjungit ſuam ſententiam dicens: utraque ſententia probabilis eſt, ſed poſterior probabilior, ſaltem authoritate Doctorum. Legatur Suarez *diſp.22. ſect.9. num.*7. & loquitur ſic abſolutè nullam faciens diſtinctionem inter peccatum dubium quoad facti ſubſtantiam, & dubium quoad facti qualitatem vel quantitatem.

Diana: Layman: Thomas Sanchez.

ANtoninus Diana non eſt auſus hanc opinionem tradere: ſed neque audet aliquem dubij peccati reum ſine conditione abſolvere. Conſentit Layman & Thomas Sanchez.

Ioannes Antonius Geloſus, & Decius Cyrillus.

DIlingæ anno 1642. habuimus tertiam editionem libri, qui inſcribitur, *Brevis notitia eorum quæ ſcitu ſunt neceſſaria Confeſſariis ad audiendas confeſſiones in lucem edita juſſu Reverendiſſimi Domini Domini Ioannis Antonii Geloſi, Abbatis S.Lucæ Metropol. Eccleſ. Decani & Vicarij Generalis Eminentiſſimi Dn. Cardinalis Doriæ Archiepiſcopi Panormitani, per Decium Cyrillum.* Magnam igitur Authoritatem liber habet, ſiquidem in Regulam & Legem, Paſtoribus univerſis proponitur, magnam etiam Lucratus in Germania *An peccata dubia ſint confeſſionis materia?*

mania fuit, ubi Eccleſiæ Primores illum ab omnibus paſtoribus emi curarunt. Illum ergo legamus de Sacramento Confeſſionis.num 13. mihi paginâ 11. hanc periodum lego [Peccatum dubium non debeat eſſe integra materia confeſſionis, ſed addantur alia peccata quamvis aliàs confeſſa, aut peccata venialia, ut poſſit dari abſolutio ſine conditione. Et ne quis dicat teneri confiteri venialia aut peccata aliàs confeſſa] agens de tertio Eccleſiæ præcepto nu. 19. pag. 63 ſic inquit idem author [Tenetur quilibet Chriſtianus, ex quo peccavit mortaliter ſemel in anno confiteri. Si aliquis nullum haberet mortale quod confiteretur non obligaretur hoc præcepto, ſed ad ſummum ſufficeret, ſi ſe præſentaret Confeſſario dicens ſe non habere neceſſitatem cõfeſſionis, cùm non teneatur confiteri venialia, imo à fortiori nec peccata aliàs bene confeſſa.] Ergo ſiquidem teſtibus Antonio Geloſo & Decio Cyrillo peccata dubia ſunt materia inſufficiens minorem ordinem dicent ad Confeſſionem quam ſufficiens; hoc eſt, quàm venialia aut mortalia confeſſa, quæ materia verè ſufficiens, non tamen neceſſaria ſunt.

An quis ab illis ſine conditione abſolvi poſſit?

An teneatur confiteri, qui non habet mortale?

Grenadus: Sylvius: Meranus: Diana: Auſonius Noctinot: Authores caſuum Bononienſium: & alij.

NOndum Grenadum vidi: at eum hujus fuiſſe ſententiæ conſtat ex eis qui illum impugnant. Auſonius Noctinot in Dianæ Summâ *verbo Communio, num.* 52. ſic ait. [Eſt autem peccatum mortale ad communionem accedere non ſolùm cum conſcientia, ſed etiam cum dubio peccati mortalis, quidquid noviſſimè ſentiat Grenado *in 3. partem contr. 6. tr. 10 diſp. 7. num.* 13. & citat Dianam *part. 5. tract. 14. reſ. 44.*] Ejuſdem ſunt cum Grenado ſententiæ Marchinus *c. 1. num.* 17. & Authores *caſuum Bono.* noviſſime tradentes non eſſe exponẽda in confeſſione peccata mortalia, ſi dubium fuerit negativum. Referuntur ab Auſonio eodem *in ſumm. verb. Sacerdos num.* 9. Sed audiendus eſt ipſe Noctinot. *verb. confeſſio, num.* 38. ubi hæc habet. [Ad integritatem confeſſionis pertinet ut explicentur peccata etiam dubia. Porro dubius, An aliquod peccatum cõmiſerit, vel in illud confeſſus ſit, vel ita dubitat, ut judicium pro neutra parte ferre poſſit, & maneat ſuſpenſus ac negativus, vel habet aſſenſum probabilem in utramque partem. Et quidem, qui dubitat primo modo, tenetur tale dubium confiteri. Ita Sanchez *in ſumm. tom.* 1 *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 66. & Doctores communiter: ac etiam indicat Tridentinum (ſed nos probamus contrarium à Concilio inſinuari: Seſſ. 14. cap. 7.) putat neminem teneri ad explicandum aliquod peccatum, niſi ſaltem probabiliter judicat, ſe peccaſſe. Nam delictum præſumi non debet. Quod etiam latè probat Præpoſitus *in 3. p. q. 5 dub. 3. num.* 117.

Communicare cũ peccato

dubio eſt ne mortale?

Dubium negativũ. Probabilitas dubiũ non eſt.

Et ſpeculativè probabile judicat, ſicut etiam Layman *libr.* 1. *tract.* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 4. *numer.* 37. ſaltem extra mortis articulum. Quia nullum adeſt præceptum confitendi peccata dubia. At tu tene primam ſententiam cum Diana *part.* 13. *tr.* 4. *reſol.* 60. nam ſecunda improbabilis eſt teſte Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 7. Si verò quis ſe peccaſſe dubitat ſecundo modo, ſcilicet cum aſſenſu probabili in utramque partem & aſſenſus ſit æque probabilis, ſatis probabile eſt non teneri ſe accuſare de illo. quia cùm

An ſit peccatum cõfitẽdi peccata dubia?

cùm probabile ſit ſe non peccaſſe, vel illud confeſſum eſſe, poteſt hanc opinionem ſequi: ita Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 22. ſect. 9. num. 6.* quamvis contra ſentiat Nugnus *in add. ad 3. part. quæſt. 9. art. 2. dub. 4.* Videatur Diana *parte 3. tr. 4. reſol. 107. & part. 4. tract. 3. reſol. 5.* Nota, ſed quid ſi probabilius judicet ſe peccaſſe, vel non eſſe confeſſum? Reſpondet Conink *de Sacr. diſp. 7. dub. 8. num. 68.* confiteri illud debere cum dubio & gradu probabilitatis, ne ſe exponat periculo errandi circa integritatem confeſſionis: & ita noviſſimè docet Quuallius *in 1. 2. tractat. de hum. actib. q. 4. art. 12.* Sed ego etiã in hoc caſu puto non teneri cum Sylvio *in ad. ad 3. p. q. 6. art. 4. q. 3.* & Merano *tom 3. in 4. pro tr. de Sacram. pœnit. diſp. 26. ſect. 3. n. 4.* quia poteſt quis ſequi opinionem probabilem relictâ probabiliore, nec ulli periculo ſe exponit, cùm omnis opinio probabilis tutè & abſque formidine ſequi poſſit. Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 107. & part. 1. tract. 14. reſol. 13.* Ex his collige hanc propoſitionem. *Qui probabiliter imò probabilius putat ſe peccaſſe, non tenetur confiteri illud peccatum*, eſſe probabilem judice Sylvio, Merano, Dianâ, Auſonio Noctinot; quibus ego ſubſcribo. Collige hanc, *Qui dubitat dubio purè negativo, aut ob rationes leves, quæ non ſufficiant ad probabilitatem, non tenetur illud dubium peccatum confiteri.* eſſe veram Coninchio Grenado Marchino Authoribus caſuum Bononienſ. probabilem Speculativè Præpoſito & Laymano. Cum igitur dubium habere negativum ſit neutrius contradictionis partis habere vel levem notitiam: habere poſitivum ſit habere alterius utrius partis leviuſculam aliquam notitiam: habere probabilitatem ſit habere gravem & magnam notitiam; & habere probabilioritatem, ſit habere graviorem majorem & clariorem notitiã: Quis non videat Auſonium Noctinot hanc controverſiam non reſolviſſe. Rem verbo demonſtraturus ſum. Nam ſententia ipſius, *Qui probabiliter aut probabilius ſcit ſe peccaſſe non tenetur confiteri: tenetur tamen qui dubitat, ita ut probabilitatem non habeat.* Æquivalet huic. *Qui habet rationes fortes aut etiam fortiores, non tenetur credere ſe peccaviſſe: adeoque nec confiteri: at qui habet debiles vel nullas, tenetur credere ſe peccaviſſe ac illud dubium peccatum confiteri.* Quid hoc? non teneor ſubſcribere rationi forti: imò neque fortiori: & tenebor debili, vel nulli? ſunt nugæ. Verum tamen notari oportet, illam ab Auſonio improbabilem ſententiam dici, quæ neceſſario infertur ab illa, quam ſecuram tutam & probabilem nominant.

Quid dubium negativũ ſit? Quid poſitivum?

Auſonius impugnatus.

Auſonius Noctinot: Valentia: Diana.

SEd quia cæpi cum Auſonio diſſerere, aliquid additurus ſum; ipſe enim *in Dianæ ſumma verb. conſcientia numer. 2.* in margine ſic ait: [*Probabile eſt ſolùm eſſe veniale operari cum conſcientia dubia, an actus ſit venialis an mortalis,*] & in corpore. [*Operari cum conſcientia dubia, an actus ſit peccatum mortale vel veniale, & proponente illum ut malum in confuſo, ſecundum Vazquez in 1. 2. diſp. 59. cap. 3. num. 10. eſt peccatum mortale, etiamſi poſteà comperiatur fuiſſe veniale. Quia voluntas dum non examinat, vult illud committere qualecunque ſit; & ſine dubio ſe exponit periculo peccandi mortaliter. Sed contraria ſententia Valentiæ tom. 2. diſp. 2. quæſt. 14. Punct. 4. eſt probabilis. Quia velle malitiam in genere, eſt velle malitiam quæ non excedit veniale; ſi enim excederet, non eſſet*

An ſit mortale operari actũ dubium: de quo quis dubitat, an ſit mortale?

ſet veniali & mortali communis. Diana part.1.tract.7.reſol.24. & part.3.tractat. 4.reſolut.162.& part.5.reſolut.31.ſed difficultas.]

Ex his igitur ſic argumentor, ſtrictiùs teneor non committere peccata, quam commiſſa confiteri: nam venialia poſſum non confiteri, & tamen ea non poſſum committere, & mortalia poſſem in aliquibus caſibus non confiteri, nec tamen dabitur caſus, in quo licitè poſſim illa committere. At in dubio poſſum peccatum committere, nec peccabo mortaliter committendo. Ergo in dubio potero illud non confiteri, nec peccabo mortaliter non confitendo.

Theſes Lovanienſes.

RECenſendæ etiam ſunt Theſes publicæ in noſtra Univerſitate defenſæ, quibus majorem authoritatem attribuimus, quàm placitis privatorum Doctorum, cùm enim ſine contradictione defendi permittuntur dicendæ ſunt judicari probabiles à Superioribus & reliquis Doctoribus, qui poſſunt & debent curare, ne improbabiles ſententiæ in publico Gymnaſio defendantur.

Dico igitur benigniorem ſententiam ſæpè Lovanij in doctiſſimo PP. Jeſuitarum Gymnaſio me præſente defenſam.

Theſes Viennenſes.

EGi ſæpè de hac controverſia Viennæ, ſed præcipuè cum Eximio Patre Carolo Muſerat S. J. ſacræ Theologiæ Doctore qui teſtatur ſe Romam ſcripſiſſe, ibique Reſolutionem benignam, quam defendimus multis Viris doctis viſam fuiſſe probabilem. Multos etiam alios conſului, qui ſubſcribere viſi, quorum omnium ſententiam jam ſecuriorem reddidit publica Diſputatio, quæ ſummo Plauſu habita inſcribitur, *Sacra Theologia Ferdinando III. Cæſari, Pio, Iuſto, Forti, in celeberrima & antiquiſſima Univerſitate Vienenſi, authoritate inclita Facultatis Theologicæ, proconſequendo Doctoratu die 3. Febr. Anni* 1648. *defenſa ab adm. Rever. D. Gregorio Helnegger. nobili Styro, Protonotario Apoſtolico, Parrocho in Baitoſſen in Tayam Præſide R. P. Martino Palkovickè SS. Ieſu S S. Theologiæ Doctore, ac in eadem Univerſitate Profeſſore ordinario*, & è titulo ſuppono multa. *Primò* has Theſes prodiiſſe authoritate Facultatis Theologicæ, *Secundò* fuiſſe propoſitas à duobus viris doctiſſimis, *Tertiò*, fuiſſe pacificè defenſas, adeoque ab Univerſitate tales ut minimum judicatas, quæ nihil contra Fidem, nihil contra bonos mores haberent. Poſito igitur omnes eſſe ſecuriſſimas, & probabiliſſimas, quinquagesimam recognoſcamus *Paginâ* 32. *ſic lego* [Controvertitur, An ſi quis certus, quod peccaverit mortaliter, dubitet negativè ſe tale peccatum eſſe confeſſum, eo ipſo liber ſit ab ejus confeſſione? Negativa placet ſententia (nimirum quæ docet non teneri tale peccatum confiteri) citant Caramuelem hoc tract. de conſc. dub. & probant, quia ratio multiplex reddi poteſt. Primum quidem, quia de ſcrupuloſis plurimi tenent non obligari eos ad confitendum niſi jurare poſſint mortale fuiſſe peccatum & nunquam confeſſum, *Sá.v.dubium* Palao *p.*1 *d* 4 *p.*2.*num.*4. & alij. Deinde, ſi quis veniat ad confeſſionem cum peccato, de quo negativè invincibiliter dubitat an ſit confeſſus? & dicat, *Accuſo me de hoc peccato, ſi nec dum ſum confeſſus, ſi autem fortè ſum confeſſus me non*

Aliquorũ Theologor. Romanor. ſententia.

Digitized by Google

me non accuſo: tali inquam, ſi de nullo alio ſe abſolute accuſet peccato, abſolutio impendi non poteſt; quia hæc certam requirit materiam propter periculum committendi ſacrilegium: ergo peccatum taliter confeſſum, non eſt ſufficiens materia, multo minus neceſſaria confeſſionis: talis autem non tenetur aliter confiteri, imo ſi fortè prius eſt confeſſus, nullo tenetur præcepto idem peccatum confiteri ſecundò, Præterea, ſi dubium ſit poſitivum, adeoque utraque contradictionis pars appareat probabilis, poſſet eligere, quamcunque volet; adeoq; non confiteri, ut eximij tradunt DD. Suar.*d.*22. *ſ.*9.*n.*5.*&* 6.Coning.*d.*7.*de pœnit.* ergo à fortiori non tenebitur confiteri, ſi nulla ratio occurrat. Ratio à priori eſt, quia non poteſt eſſe certior obligatio confitendi quam ſit fundamentum & radix hujus obligationis, atqui totum obligationis confitendi fundamentum eſt peccaſſe mortaliter & nec dum eſſe confeſſum. ideoque alterutro deficiente non eſt obligatio confitendi, ut patet. ergo, ſi non ſit certum obligationis fundamentum confitendi, hoc ipſo oritur dubium de obligatione, ſed dubia obligatio nulla eſt obligatio; in dubio enim de obligatione ſtandum pro libertate Palao *cit.d.*3.*pag.*7.cum multis. Demum ex Tridentin. cit; ea ſolùm obligatur mortalia pœnitens confiteri, quorum conſcientiam habet. conſcientia autem ex communi, DD. eſt judicium de rebus agendis aut de honeſtate aut turpitudine actionis: dubitans negativè hoc non habet: ergo nec conſcientiam: ergo non tenetur confiteri, de quibus negativè dubitat, an ea ſit confeſſus? Hinc ſat multi docent, vero dubio dubitantem, an habet lethale peccatum, poſſe accedere Eucharistiam ſine confeſſione. Gran.*de Euch.* *tr.*10 *d.*7.*n.*13. apud quem Henriquez, Paludanus, Antoninus, Tabiena, ſed qui dubitat negativè an commiſſum peccatum mortale ſit confeſſus, habet verum dubium de peccato mortali, ergo ſine ulteriori confeſſione poterit communicare.

Hic male confundit dubiũ cum probabilitate.

Dices, certo debito non ſatisfit incertâ ſolutione, ſed qui mortaliter peccavit & dubitat negativè, an ſit confeſſus, incertus eſt de ſolutione, certus de debito: ergo nec dum debito ſatisfecit confeſſionis. Reſpondeo argumentum ſi urget urgere in dubio poſitivo, & contra communem de ſcrupuloſis doctrinam: deinde fortaſſe in debitis ex contractu oneroſo mutua contrahentium volũtate obligatio viget ſolutionis, qui videntur ita contrahere, ut ſit obligatio ſolvendi, donec certo conſtet factam eſſe ſolutionem. Unde in externo foro ſic dubitans ad ſolutionem compelleretur, quia judex in eo foro præſumit dubitantem non ſolviſſe, cum non probet ſolviſſe: aliàs daretur occaſio debitoribus aſſerendi nõ ſe ſolviſſe, & præjudicaretur creditoribus, cum quo ſtat cum fortè ſolverint & quod fortè in re nil debeant. Quare in conſcientiæ foro, eſto conſtet debitum ex contractu oneroſo contractum eſſe, ſi deinde debitor dubitet, an illud ſolverit, excuſatur à ſolvendo, donec conſtet certò ſolutum non eſſe. cui doctrinæ multum favet Medina C.*de Reſt.* *q.*20. Secundum, quia præſupponunt, dum docet, eum qui malâ fide incipit rem alienam poſſidere, ſi poſtea dubitet an ſua ſit vel alterius, non obligari ad reſtitutionem, quia talis non tenetur alienam ſuæ idemnitati præferre. ergo à fortiori non tenebitur ſolvere quia bonâ fide per contractum verb.g.

Digitized by Google

mutui rem alienam cœpit poſſidere, ſi poſteà dubitet invincibiliter, an mutatori debeat nec ne? eſt enim paritas rationis. Demum in caſu noſtro hoc ipſo quod invincibiliter ſuboriatur dubiũ negativum ceſſat certum debitum, adeoque certa obligatio, ſolum enim tam diu manet certum confitendi debitum, quam diu certum eſt non factam eſſe confeſſionem. Si ergo dubites de facta confeſſione, hoc ipſo debitum quod ante certum fuit labefactas. Nec inde ſequitur certum debitum incerta ſolvi ſolutione, hoc ipſum enim quod invincibile dubium de ſolutione incidit incertum incipit eſſe debitum. Atq; jam dicta à paritate rationis, in dubio negativo, an mortale ſit commiſſum peccatum? locum habent. Sic opinamur & *Quàm ſint utiles opiniones probabiles?* humanæ conſulimus fragilitati, quæ opinionum uſq; adeo roboratur probabilitate, ut ſine ijs cum ordinarijs prævenientis gratiæ auxilijs videatur moraliter ſubſiſtere non poſſe.] *Hucuſque ex Theſibus Viennenſibus.* N. B.

ARTICULUS III.

Satisfit objectionibus.

MCCCXXIV. SUbjiciam rationes nonnullas, quas contexunt Juniores contra noſtram doctrinam, è quarum ſolutione conſtabit, opinionem contrariam ſcrupulis potiùs inſiſtere quàm fundamentis.

OBJECTIO I.

QUando conſtat de facto, ejuſque qualitate & quantitate; verbi gr. quando aliquis certus eſt ſe commiſiſſe peccatum detractionis, idque mortale, dubitat autem num illud in Confeſſione aperuerit, neceſſariò debet illud in Confeſſione aperire; ais, & probas: quia in illo caſu conſtat de obligatione præcepti, ſeu conſtat quod illud peccatum debuerit in confeſſione aperiri, & non conſtat de executione præcepti; igitur remanet obligatio illud clavibus ſubjiciendi, cùm certę obligationi non ſatisfiat, neque cenſeatur ſatisfactum per ſolutionem ſeu adimpletionem dubiam. v. g. dubius num legerit horas, ad quas certò obligatur, tenetur eaſdem legere, neque per dubiam illam executionem cenſetur ſatisfeciſſe obligationi certæ: ratio eſt, quod præceptum ſit in poſſeſſione, ut omnia mortalia in confeſſione aperiantur, quæ non debet deturbari propter ſuperveniens dubium de adimpletione.

Reſpondet Præpoſitus *nn.* 115. hæc quidem vera eſſe per ſe loquendo, per accidens tamen ratione ſcrupulorum poſſe aliquem excuſari, ne repetat in confeſſione peccata, de quibus dubitat num illa fuerit aliquando confeſſus, præſertim ſi id faciat ex judicio prudentis Confeſſarij; & addit excuſari etiam poſſe, ſi dubium ſuboriatur diu poſt perpetratum peccatum, & perſona præmiſſo examine ſoleat bonâ fide confeſſiones inſtituere; quia moraliter eſt impoſſibile poſt diuturnum aliquod tempus poſitivè recordari omnium, quæ quis confeſſus eſt: & proinde eſſet onus intolerabile, ſi quis in ea circumſtantia teneretur in confeſſione recenſere ea, de quibus dubitat num aliquando confeſſus fuerit, & præſertim quando dubium eſt negativum, in quo homo pro neutra parte habet rationes. Unde concludit dicens: Videtur ergò, quod quando quis bonâ fide procedit in confeſſionibus, ſi poſt diuturnum tempus de aliquo peccato ſolùm dubitet, num illud confeſſus fuerit, non teneatur illud in confeſſione explicare propter rationem dictam.

Et ad-

Digitized by Google

Et addit mul'ò minùs teneri pœnitentem peccatũ clavibus ſubjicere, quando format probabile judicium quod illud in confeſſione explicuerit, licèt non ſine aliqua formidine de oppoſito: quia ad hoc ut aliquis cenſeatur legi ſatisfeciſſe, ſufficit judicium probabile de ejus adimpletione, & contrarium eſſet nimis grave; nam cùm mens non poſſit ſemper formare certũ judicium de adimpletione legis, eſſet graviſſimum onus, ſi quandocunque occurrit aliqua formido, homo teneretur rurſum legi ſatisfacere, quantumvis judicaret probabiliter ſe ſatisfeciſſe. Hæc autem intelliguntur quando perſona juxta ſuam conditionem præmiſit diligens examen ad rei veritatem cognoſcendam. Ita Præpoſitus benignè quidem & doctè, debeo tamen eidem rationi ex proprijs principijs reſpõdere.

Quid ſit conſcientia dubia?

Reſpondeo igitur dicendo vix eſſe poſſibilem caſum propoſitum, adeoq; ſuppoſitum negari poſſe; nam qui certò ſcit ſe peccatum illud commiſiſſe, debet neceſſariò ſcire certò aut probabiliter, an ſit illud confeſſus. Ratio eſt; quia dubia conſcientia definitur ambigua & anceps, quæ pro neutra contradictionis parte habet rationem, aut ſaltem pro neutra habet gravem. atqui talis conſcientia non eſt in præſenti poſſibilis: ergo impoſſibilis caſus objicitur. Probatur minor, nam vel ille qui dubitare an fuerit talem culpam confeſſus aſſeritur, eſt perſona quæ ſoleat bonas confeſſiones ſemper facere, aut quæ non ſoleat; ſi primum dicatur, cenſendus eſt probabiliter etiam tunc adhibuiſſe diligentem animi diſcuſſionem, cumque poſt diligentem excuſſionem vix unquam peccata gravia nõ occurrant (ſuâ enim mole ſeſe produnt, ni affectatâ aliquâ negligentiâ impediantur) cenſendum eſt certò cum hujuſmodi peccatum fuiſſe confeſſum; vita enim præcedens gravem rationem ſuppeditat, & ubi gravis eſt ratio omne dubium tam negativum quàm poſitivum exulat. Si autem ſoleat malas confeſſiones facere, aut defectu examinis, aut affectatâ aliquâ ignorantiâ, jam etiam habes rationem gravem credendi illud peccatum non fuiſſe confeſſum; vita enim præcedens rationem gravem miniſtrat, quæ quia nulla ratione forti impetitur, non tam probabilitatem quàm moralem certitudinem infert. Tandem ſi non habeat experientiam [puta ſi ſit puer, & incipit confeſſionis Sacramentum frequentare, tunc enim quia non eſt ſæpe confeſſus, videtur non poſſe ex vita præterita judicium ferre] ſi habuerit propoſitum bene confitendi, cenſendus eſt feciſſe diligentias ſufficientes ut conſcientiam diſcuteret, atq; ideò & fuiſſe illud etiam peccatum confeſſus; non n. eſt veroſimile quod nõ examinaverit conſcientiam, nec eſt veroſimile quod illud peccatum poſt debitum examen occurrerit, cùm & alia cõmuniter non occurrant; nec eſt veroſimile quod ipſe ſciens & volens peccatum occurrens ſubticuerit: ergò veroſimile non eſt quod debeat iterum confiteri.

Eſt fortiſſima ratio, quæ ſumitur ab experientia.

Sed objicis remanere idem dubium materiâ ipsâ alteratâ. Nam poteſt quis certò ſcire ſe peccaviſſe, & certò etiam ſcire ſe fuiſſe confeſſum, & tamen dubitare an Confeſſarius habuerit legitimam authoritatem abſolvendi? puta, ſi dubitet an ille ſit Sacerdos? an baptizatus? an approbatus? an voluntatem ſolvendi habuerit?

Reponitur eadem difficultas mutatâ materiâ.

Reſpondeo hâc inſtantiâ nihil omninò convinci; quia vel pœnitens habet rationem gravem, ut credat Con-

ſeſſarium non habuiſſe abſolvendi poteſtatem aut voluntatem, vel non. Si habet, non dubitat, ſed probabiliter philoſophatur: ſi non habeat, non dubitat, ſed errat & judicij temerarij eſt reus, improbabiliter contra rationem gravem, ſine ratione procedendo; Confeſſarius enim eſt in poſſeſſione, & credendus eſt eſſe in legitima, quamdiu non ſuadeatur contrarium.

Sed quid ſi per impoſſibile aliquis in hac materia dubitaverit? Objectio VII. hoc reſumet, & ibi ſatisfaciam.

OBJECTIO II.

De gravitate culpæ dubiâ.

OBligatur confiteri is, qui poſt diligens examen dubius eſt de quãtitate ſui peccati, num videlicet ſit veniale an mortale: quia Chriſtus inſtituendo hoc Sacramentum, & præcipiendo ut omnia mortalia ſubjicerentur clavibus, videtur voluiſſe ut peccator omnia ſubjiceret de quibus non non poſſet formare probabile judicium, quod ſolùm eſſent venialia, idq; fuit conſentaneum, cum enim non ſit cujuſcunque noſſe quantitatem peccati, fuit congruum, ut ſaltem quando eſt dubium, peccata judicibus deferrentur.

Reſpondeo me contrarium ex Chriſti inſtitutione ab Eccleſia in variis Cõciliis expoſitâ inferre. Nam ſi Chriſtus juſſit quod omnia mortalia ſubjicerentur clavibus Eccleſiæ, ſatisfaciet qui fecerit quod ipſe juſſit, cumq; certum non ſit peccata dubia eſſe mortalia, nec certum erit contineri in Chriſti præcepto; cùm autem ſimus naturâ liberi, & omnium Doctorum judicio libertas certâ lege dubiâ limitari non poſſit, remanet ut dubia non ſint neceſſariò in ſacramentali confeſſione exponenda.

De primo genere dubij videtur poſſe eſſe aliqua difficultas, quando ſc. homo præmiſſo examine remanet dubius num aliquod peccatum commiſerit; ex unâ enim parte videtur obligari illud confiteri: & ideò ais:

OBJECTIO III.

An debeamus eligere tutiorẽ partem?

IN dubio tutior pars eſt eligenda, atqui tutius eſt confiteri: ergò in dubio ad confeſſionem recurrendum eſt.

Reſpondet Præpoſitus *nu.* 119. quando dubium eſt omninò practicum, tutiorem partem eſſe eligendam: ſi verò ex dubio ſpeculativo junctis aliis principiis elici poſſit concluſio practica, qua concludamus nos non teneri aliquod onus ſubire, non ſemper tutiorem partem eſſe eligendam, ut variis exemplis oſtendi poteſt.

An omnes opiniones probabiles ſecundum ſe conſideratæ ſint æquè tutæ?

Ego autem nego abſolutè illam majorem, non enim tenemur tutiorem partem, ſed ſufficit tutam eligere; qui autem peccata dubia ſubticet tutus eſt, ſecundam probabilem (etſi rationũ intrinſeca momenta reſpiciam, non ſolùm probabiliorem, ſed certam moraliter) ſententiam eligit. omnes enim opiniones probabiles ſunt tutæ: imò etiam æquè tutæ.

OBJECTIO IV.

IN tali caſu homo poteſt dici habere conſcientiam peccati: nam tale peccatum eſt in conſcientiâ ſaltem dubiâ: atqui Tridentina Synodus definit debere confiteri eum, qui habet conſcientiam peccati: ergò.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, illum poſſe dici habere peccati conſcientiam dubiam, concedo: certam

Digitized by Google

& evidentem, nego. Minorem eodem modo diſtinguo, quia definit Sacroſancta Synodus exponi debere in confeſſione omnia peccata quæ fuerint in conſcientiâ, nō quidem dubiâ, ſed certâ & evidenti, ut oſtendi ſuperiùs cùm verba Concilij expendi, & modò aptiſſimis exemplis confirmo. Nam teſte Præpoſito, & alijs plurimis, qui dubitat de voto, non eſt dicendus habere conſcientiam voti in ordine ad obligationem, & ut teneatur aliquid ex vi voti exſequi; ſimiliter qui dubitat num cōmiſerit contra legem habentem annexam excommunicationem, ſi poſt diligens examen non poſſit rei veritatem agnoſcere, non tenetur ſe habere excommunicatum: ergò ſimiliter videtur dicendum, quòd is qui poſt diligens examen non poteſt judicare ſe peccaſſe, non teneatur credere ſe peccaſſe, ſed poſſe ſe eſſe innocentem putare & adſtruere; non ergò tenebitur cenſere ſe obligatum ad illud in confeſſione aperiendum.

OBIECTIO V.

An idē ſit objectum cōfeſſionis & contritionis?

HOmo tenetur conteri de tali peccato; ergò tenetur illud confiteri; quia in homine baptizato illud, quod eſt neceſſarium contritionis objectū, eſt etiam neceſſarium objectum confeſſionis, cùm illud nequeat remitti ſine ordine ad claves. & ita tenēt aliqui, quos citat & ſequitur Suarez *diſput. 22. ſectione 9.*

Reſpondet Præpoſitus *nu. 119.* concedendo antecedens & negando conſequentiā, ad cujus probationem dicit per ſe loquēdo objēctum neceſſarium contritionis in baptizato eſſe objectum confeſſionis, quando ſcilicet cōſtat de peccato, per accidens autem non eſſe; nam inter præceptum contritionis ex una parte, & confeſſionis ex altera eſt diſcrimen, quod de lege ordinariâ contritio formalis, vel virtualis de peccato mortali, ita ſit neceſſaria extra Sacramentum, ut nullus ſine eâ poſſit conſequi remiſſionem peccati; confeſſio autem in re non ita ſit neceſſaria. Unde licèt homo propter neceſſitatem medij contritionis teneatur conteri de peccato etiam dubio, non idcircò tenetur illud ſub tali ſtatu conſideratum confiteri; quia in eo ſtatu poteſt cenſeri non obligare jus divinum poſitivum; & licèt dicatur, quod nullū mortale commiſſum poſt baptiſmum remittatur ſine ordine ad claves, poteſt intelligi quod præceptum ſolùm urgeat pro tempore, quo moraliter (hoc eſt certò & clarè) conſtat de peccato.

An debeat quis cōteri propter peccatum dubium?

Sed ego illud antecedens, quia univerſaliter ponitur ſemper nego; ratio eſt, quia dantur multi caſus in quibus non debeat homo conteri propter peccatum dubium. *Primò* enim non tenetur conteri de illo peccato, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum alia confeſſurus accedat. *Secundò*, nec poſt confeſſionem ſi Euchariſtiam aut illud Sacramentum recipiat. *Tertiò*, nec ſi immediatè Sacramentum aliud accedat, modò aliud mortale non habeat; unde tota difficultas mortem ſolam reſpiciet; nam cum qui conſcientiâ dubiâ repentè moritur, conſequi cœlum dubium eſt; verè enim peccauit aut non: ſi verè, damnabitur; ſi non, ſalvabitur.

De mortis articulo.

Cùm autem in mortis articulo debeat homo tutam reddere ſuam ſalutem, videtur quod tunc ſaltem debeat illud peccator confeſſione aut contritione expiare. Sed reſpondeo illud præceptum, quo in mortis periculo obſtringitur, eſſe juris naturæ & naſci ex periculo,

Digitized by Google

culo, quo ſublato illud ceſſare neceſſarium eſt; auſertur tamen omne periculum, ſi Petrus peccati dubio anceps confiteatur ſacramentaliter aliud peccatum, tunc enim indirectè ab omnibus dubiis etiam non confeſſis abſolvitur; item, ſi aliquod aliud Sacramentum recipiat, omnia enim conferunt gratiam & per accidens primam: aut etiam, ſi eliciat contritionem, nam ad aliquid ex his faciendum non tenetur ex præcepto Chriſti, ſed ratione periculi mortis æternæ incurrendæ, quod jus ipſum naturæ præcipit evitare. ubi notandum eſt in illo contritionis actu ſufficere deteſtationem etiam cōditionatam, puta ſi diceret, *Doleo de illo peccato, ſi illud commiſi.*

OBIECTIO VI.

De dubio ſpeculativo.

DIces hoc dubium, quo aliquis dubitat num peccaverit, eſſe ſolùm ſpeculativum, cū quo ſtare poteſt moralis certitudo de obligatione illud cōfitendi. Et explicas. Jeſuita qui promittit obedientiam in omni materiâ quæ non ſit evidenter peccatum, bene poteſt componere dictamen quo judicet talem actionem eſſe probabiliter contra Deum, & dictamen quò certò ſciat ſe debere ſub peccato mortali illam, ſi imperetur, elicere: ergò in dubio confeſſionis eodem prorſus modo philoſophabimur.

Qualē obedientiam promittat Ieſuita.

Reſpondeo potuiſſe quidem ita inſtitui Sacramentum Pœnitentiæ, ut etiam imponeretur obligatio recenſendi peccata dubia; tunc autem certum omninò eſſet debere peccata dubia in confeſſione exponi. Nunc autem illud ſic fuiſſe inſtitutum non conſtat; imò videtur ex Tridentina Synodo apertè conſtare contrarium; quamobrem exiſtimo nos prudenter procedere, cùm de hac obligatione, ſicut de alijs ortis ex præceptis [in quib. ex dubio ſpeculativo quod rem ipſam afficit, juncto hoc principio practico, *Melior eſt conditio poßidentis*, libertatem defendimus] philoſophamur.

Mod° philoſophandi in dubiis.

OBIECTIO VII.

CUm reſponderem primæ, ſuppoſui vix eſſe poſſibile, quod homo prudens ſciret ſe mortaliter peccaviſſe, & utrum fuiſſet confeſſus dubitaret, quia meo judicio hæc veritas debet illi eſſe evidenter aut ſaltem probabiliter nota; nam ubi datur aliqua gravis ratio, exulat dubium illud de quo impræſentiarum diſputamus: & argumētum, quod ex vitâ præteritâ deſumitur grave eſt. Nunc igitur vis caſum urgere, & ſcire, An quis, teneatur cōfiteri peccatum, ſi per impoſſibile dubitet illud fuiſſe clavibus Eccleſiæ ſubjectum? & ut probes quod ſic, argumentaris.

Aliter caſus ipſe proponitur.

Primò. Solutione dubiâ non ſatis fit obligationi certæ: ergo nec confeſſione dubiâ pro peccato certo ſatisfit.

Secundò. In omni dubio ſtandum eſt pro certitudine & poſſeſſione quæ erat ante dubium; atqui ante illud dubium ſtat peccatum fuiſſe commiſſum, fuiſſe abſolutum non ſtat; ergo tenetur iterum confiteri.

Reſpondeo me ſemper ſuppoſuiſſe non eſſe in hâc materiâ dubium poſſibile, & etiam nunc ſupponere, credo enim nos ſemper aut habere certitudinem aut ſaltem probabilitatem. Cæterùm hypotheſi admiſsâ obligationem confitendi ſtatim non admitto. Cum certò ſcis te recepiſſe à Petro mille aureos mutuos, & dubitas an ſolveris, nō teneris ſtatim ſolvere, ſed teneris examinare

Nota hoc bene.

Digitized by Google

minare & potes in mortis articulum differre ſolutionem; nam qui dubitat ſe debere & ſolvit, exponit ſe periculo ſolvendi quod non debet, & ſi faciat, qui poſtea recuperabit rem ſolutam? ſi differat, poterit tandem aut non ſolvere, ſi reperit ſe nihil debere; aut ſolvere, ſi ſe debitorem reperiat, aut dubium adhuc maneat. Quamobrem durum mihi videretur dubitantem de confeſſione ad ejuſdem peccati certam confeſſionem ſtatim faciēdam obſtringere; cæterùm ſi debeat alia Sacramenta recipere, videretur durius illi acceſſum concedere, tu hoc examina, quia tametſi rationes obligationem confitendi perſuadeant, non oſtendunt ante articulum mortis teneri. [Sed hic obiter dicēdum eſt ſupponi exemplum quod hypotheſin admiſſam deſtruit. Illa erat, Dari verum & purum dubium circa confeſſionem peccati certò commiſſi; & aſſumitur debitum dubium, at ubi hoc? ſi tu dubites & creditor petat, nullum dubium eſt, quia illius petitio eſt argumentum grave, quod tua ignorātia non elidit. Et tunc ſolùm eſſet debitum purè dubium cùm debitor, creditor, teſtes, & libri eſſent ita ambigui, ut nullam rationem aut nullam gravem haberent affirmandi aut negandi. Ubi iterum notandum eſt apud homines ipſam non rationem affirmandi eſſe negandi fortiſſimam rationem, unde cùm ſoleamus vel dare chirographa, vel in libris ſcribere, vel coram aliquo teſte contrahere, quidquid aliquo ex iſtis teſtimonijs careat, actus ſingulariſſimus eſt, nec credendus tam facilè potuiſſe excidere ex memoria, quæ firmiter retinet actiones inſolitas & extraordinarias.]

An ex non negatione affirmatio inferatur.

***

OBIECTIO VIII.

De confeſſione probabili.

Confeſſio probabilis non ſufficit pro peccato certo: ergò nec dubia. Probatur antecedens; quia ſolutio in caſu tantùm eſt probabilis, adeoque incerta; contra verò debitum confitendi eſt certum, cui non ſatisfit ſolutione incertā; quia reverà tunc non ſervatur æqualitas, ut patet in materiâ juſtitiæ; nam mercibus certò datis nō reſpondet ex æquo ſolutio merè probabilis, ut fatetur Lugo, ſed negat hic reperiri paritatem; verùm cùm Deus ex dominio proprietatis exigat actū præceptum, æquale habet jus cum eo qui traditis mercibus exigit ſolutionem.

Reſpondeo me tenere, ex hypotheſi quod detur confeſſio dubia, non eſſe ſufficientem, ſed ſtandum pro poſſeſſione quæ erat ante dubium, prudenter tamen, indicta enim poterunt dici, dicta autem indicta reddi nunquā poterunt; unde tametſi certum ſit debere peccata verè commiſſa & dubiè abſoluta clavibus Eccleſiæ ſubjici, non tamen ſcio, an ſubjici debeant ſtatim; ſcio enim debitorem dubium non teneri ſtatim debitum illud dubium ſolvere, maximè ſi deſit ſpes recuperandi, ſi fortè poſtea jam fuiſſe aliàs ſolutum cōſtiterit; & in confeſſione omnis ſpes recuperandi deeſt, quia dicta indicta reddi nequeunt, ſed quia probabilitas aſſumitur ut dubium debelletur, dico eſſe certiſſimum non teneri quempiam confiteri peccatum certò commiſſum, ſi probabiliter putet illud fuiſſe cōfeſſum. Ita Suarius 3. *parte tom.* 4. *diſputat.* 22. *ſect.* 9. *numer.* 6. Pitigianus *in* 4. *ſent. tom.* 2. *diſtinctione* 27. *quæſtion. unic. artic.* 11. Diana *parte* 2. *tractatu* 4. *de Sacramentis reſolutione* 107. Unde ad argumen-

An quis teneatur cōfiteri peccatū probabilet

Digitized by Google

mentum propoſitum admitto in tali caſu ſolutionem eſſe probabilem; inſers ergò & incerta, & diſtinguo, incertam probabiliter concedo; at incertam eſſe evidenter, hoc eſt evidenter non-certam, ſive evidenter non-veram, nego. Admitto debitum confitendi eſſe certum, illi autem non ſatisfieri ſolutione incertâ diſtinguo; evidenter incertâ ad ſenſum prioris diſtinctionis, concedo; probabiliter incertâ, ſubdiſtinguo; non ſatisfieri evidenter, concedo, non ſatisfieri probabiliter, nego. Illud quod ex juſtitię materia ſubſumitur, elidi poteſt eodem modo; ſolutione probabiliter incertâ non ſatisfieri evidenter obligationi certæ, concedo; non ſatisfieri probabiliter nego; & cōſequenter addo me Deo habenti jus certum & evidens petendi confeſſionem, ſatisfeciſſe probabiliter, cum probabiliter exiſtimo me de facto confeſſionem poſuiſſe.

Conſidera hāc diſtinctione bene: eſi enim ipſa bona, aut omnia falſa, quæ de probabilitate ab omnib. doctis dicuntur.

Hanc doctrinam omninò veram eſſe perſuadeo; nam ſi probabile eſt confeſſionem tunc eſſe poſitam; etiā probabile eſt omnem obligationem eſſe ſublatam, adeoque hoc judicium licitè practicè ſequimur.

Reſpondent aliqui negando conſequentiam; nam ex probabilitate cadēte ſuper ſolutionem poſitam nō ſequitur probabilitas practica de immunitate ab omni obligatione; ut patet cùm quis probabili tantum materiâ eſt baptizatus; ſimiliter ex probabilitate extrinſeca Doctorum non ſequitur probabilitas intrinſeca quam hic indagamus.

De baptizato aquâ probabili.

Sed hoc non tam reſpondere, quàm repetere eſt; omnem enim probabilitatem in cōſcientia ſufficere putamus, nec exemplis urgebimur, ubique enim eodē omninò modo philoſophamur, quia ſicut dicimus non teneri confiteri qui probabiliter confeſſus & abſolutus eſt, ſic etiam dicere poſſemus non teneri baptizari qui probabiliter baptizatus eſt. Sed adhuc diſcrimen valdè notandum ſublatet; quia confeſſio requiritur ratione præcepti, baptiſmus ratione medij: unde licèt diceremus non ſufficere baptiſmum probabilem, non teneremur ſtatim negare confeſſionem probabilem ſufficere: ſed ſemper de utroque eodem prorſus modo philoſophor. Sentio enim in vitâ meram probabilitatem ſufficere, at in mortis articulo majorē certitudinem expoſtularem, agitur enim de æternitate, & non videtur actio prudens & laudabilis ſe exponere damnationi probabili: ſed de hoc vide *num. 302.*

An rebaptizari teneatur?

Meam iterum ſententiam, nimirùm non teneri iterum confiteri, qui probabiliter judicat ſe fuiſſe confeſſum, altera ratione perſuadeo. Satisfit præcepto confeſſionis. *Primò* cùm ſubeſt juriſdictio probabilis. *Secundò* per confeſſionem tantùm probabiliter informē. *Tertiò* legi & voto per jejunium probabile, ergò etiam in caſu. Reſpondent Recentiores aliqui negando conſequentiam; in primo enim caſu confeſſio eſt certa per hoc quod Eccleſia tunc ſuppleat defectum, ſi fortè nō habeatur juriſdictio, illam pro eo actu concedendo. Sed hoc ſolummodò eſt probabile; non enim eſt evidens, aut fide tenendum, quod Eccleſia tunc ſuppleat; unde ſi talis confeſſio ſufficiens eſt, jam evidenter admittitur certæ cōfitendi obligationi per probabilem confeſſionem ſatisfieri. Veniunt ad alios actus, & inquiunt ideò ſolutione purè probabili ſatisfieri, quod probabiliter tātum ſit obligatio ad eos actus quos conſtat eſſe poſitos; lex verò confeſſio-

An ex juriſdictione probabili ſequatur abſolutio certa?

Nota hoc.

feſſionis præcipit confeſſionem correſpondentem debito certò, qualis non eſt tantum probabilis. Hinc patet tunc per actum probabilem ſatisfieri legibus poſitivis quando probabile eſt per legem tantùm præcipi eum actum quem conſtat poni. Sed neq; hæc ſolutio placet, unde enim ſcitur alias leges ſolùm obligare ad actus ponēdos probabiliter, & legem confeſſionis ad ponendos certò; maximè cum admiſerint confeſſione factâ Sacerdoti habenti jurisdictionem probabilem ſatisfieri præcepto, hæc enim ut vidimus ſolummodò probabilis eſt: & ſi ad Eccleſiæ benignitatem recurritur, adîtur via merè probabilis, quia Eccleſiam ſupplere hujuſmodi defectus non evidens & certum, ſed ſolùm probabile eſt. Sed quia de probabilitate agimus, doctrinæ præcedenti aliam veritatem adjungam, ut omnia, quæ hanc materiā concernunt ſimul habeas, dico igitur, *Probabiliter judicantem ſe non peccaſſe mortaliter, etſi oppoſitum putet probabilius, non teneri confiteri.* Ita cum alijs Sanchez *ſup. num.* 76. contra Salas. Ratio eſt, quia ſi dicamus confeſſionem probabilem non ſufficere, adhuc dicendum eſſet in caſu præſenti neminem ad confeſſionem obligari, nam probabile eſt deficere conditionem abſolutè, dependēter à quâ lex obligat, ac proinde talis licitè judicaret ſe non comprehendi lege, nec eâ obligari; ergò ex quo ſequitur eum non teneri præcepto confeſſionis, qui amplexus eſt malum, omninò præſcindendo an id eſſet mortaliter vel tantùm venialiter malum; quia probabile eſt tunc nō peccari mortaliter, ut cum Valentiâ & Salas docet Diana *ſuprà reſolut.* 162. Si autem dicamus, ut debemus, confeſſionem probabilem ſufficere ut pro peccato certo ita ſatisfaciamus, ut non teneâmur illud iterum confiteri, à fortiori dicendum eſt eſſe liberum à confitendi obligatione illum quem probabilitas conſcientiæ ſalvat, nemo enim tenetur ſe reum credere, quouſque evidenter ſe peccaviſſe cognoſcat.

Nota iterum.

Ex hac igitur probabilitatis doctrinâ ad dubia rediens, non eſſe de eſſentiâ confeſſionis ratione efficaciſſima confirmo.

Qui minùs probabiliter judicat ſe non peccaſſe mortaliter, licèt probabiliùs judicet ſe peccaſſe, non tenetur confiteri ut oſtendi: ergò à fortiori qui ita dubitat ut nequidem minus probabiliter credat ſe peccaviſſe graviter. Ita Coninck, Layman, Leſſius & alij qui putant ſaltem ſpeculativè hāc poſſe teneri ſententiam. *Probatur primò.* Obligatio confitendi oritur ex lege præcipiente accuſationem de admiſſo peccato, hoc autem in caſu nequidem probabiliter eſt admiſſum, imò etſi conſtet commiſſum eſſe veniale, non tenemur id confiteri, quomodo ergò tenemur in caſu cùm nequidem conſtet de veniali; niſi fortè dicamus liberari à confitendi obligatione, qui perfectius cognoſcit ſe peccaſſe, & tamen debere confiteri, qui minus perfectè, aut nullo modo cognoſcit: quod, me judice, diſſonum & quod abſurdum eſt. Cognitionem autem probabilem eſſe dubiâ multò perfectiorem eſt certum. *Secundò.* in omni foro quando dubium eſt an debitum ſit contractum, nihil eſt ſolvendum: ergò qui dubitat, an incurrerit obligationem confitendi, nihil debebit facere. *Tertiò.* dubius de ætate an expleverit vigeſimum-primum annum, dubius de emiſſo voto, an incurrerit excommunicationem, ad nihil obligatur, ut docet Sāchez *ſup.* quia melior

Ratio à fortiore.

Aetas dubia: & votum dubiū non obligant.

melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem, quæ regula locum habet in omni materiâ virtutum; ergò qui dubitat, an peccaverit, poteſt prudenter ſtare pro puritatis poſſeſſione, quę erat ante dubium, & credere ſe non peccaviſſe, & conſequenter ſe non teneri cōfeſſionis præcepto. *Quartò.* quia non videtur dari obligatio confitendi eam materiam cum qua ſæpè nequidem cōſiſtet Sacramentum, talis autem eſt peccatum dubium in noſtro caſu, ut vidimus: ergò non datur obligatio confitendi.

OBIECTIO IX.

Nota bene hanc rationem.

NOn eſt probabilis ſententia, quæ militat contra omnium Doctorum conſenſum; atqui aſſerens certum ſe peccaviſſe, dubium an mortaliter, ita ut ne probabile quidem judicium de eo queat elicere, non teneri confiteri; Doctorum torrenti, ut aiunt, opponitur, ergò. Minorem probas ex omnium Doctorum ſententia, quos citat Sanchez ſuprà *num. 66.*

Sed hæc ratio non urget, cōtrarium enim ex Doctorum conſenſu deduci optimè Layman innuit *lib. 1. tract. 1. c. 5.* pro quo facit hæc ratio: Subſtantia rei neceſſariò confitendę eſt culpa mortalis, ut patet ex Concilijs & PP. atqui in caſu ſubſtantia rei neceſſariò confitendæ eſt dubia, quia ne probabiliter quidem conſtat admiſſum eſſe mortale; ergò dubium eſt an tale mortale lege cōprehendatur, & conſequenter an lex ſit lata de eâ materiâ confitendâ; ergò cùm in dubio legis latæ prævaleat poſſeſſio libertatis, non eſt obligatio confitendi.

***

OBIECTIO X.

HAnc nonnulli prætenſam obligationem confitendi peccata dubia probant ex Tridentina Synodo, quæ *Seſſionis 14. capite 5* docet *primò,* Omnia mortalia eſſe confitenda quæ ſunt in conſcientia pœnitentis; atqui tale eſt peccatum dubium, ergò. *Deinde* tantùm excipi ab hac intentione confitendi ſola venialia: VERUM nihil inde concludi patet ex ratione, quam ſubjungit Concilium, quia univerſa mortalia, inquit, hominem iræ filium & Dei inimicum conſtituunt, quæ ratio non competit dubio mortali; hoc enim, quia dubium eſt, cùm pro reo faciat poſſeſſio libertatis, potius ęſtimandum eſt veniale quàm mortale, & conſequenter non videtur confitendum, præſertim cùm Concilium non magis meminerit dubii mortalis, quàm circumſtantiarum aggravantium intra eandem ſpeciem; ac proinde ſicut arguitur ex Concilio has non eſſe confitendas, ita nec dubium peccatum; vel diſcam ubi claudicet hic ſyllogiſmus [Eccleſia docuit nos bene materiam confeſſionis; ſed quia non dixit circumſtantias aggravantes debere in confeſſione exponi, probabiliùs poſſe omitti dicuntur: ergò etiam probabiliùs omitti poterunt peccata, quæ tametſi certò ſint peccata, ſunt mortalia minus quàm probabiliter, hoc eſt, dubiè. Patet conſequentia, quia nec dixit Concilium talia peccata debere in confeſſione exponi.] *Ratio fortis à pari.*

OBIECTIO XI.

TOta ratio excuſandi pœnitentem in dubio, eſt ne gravetur in dubio; atqui. *An liceat aliquem*

gravare in dubio? atqui vera non eſt: ergò. probatur minor. quia non indicitur ipſi, ut confiteatur peccata dubia ut certa, tũc enim verè gravaretur; ſed quod confiteatur ut dubia, adeoque certùm eſt non gravari ultra dubium.

Sed hęc ratio meritò infirma viſa eſt P. Lugo; nã etſi reus non teneatur confiteri ut certum, tenetur tamen abſolutè confiteri, quod eſt certum onus limites dubij excedens, hoc enim non debet præjudicare libertati.

OBIECTIO XII.

De libertate dubia. CErtus de emiſſo voto, dubius an adfuerit ſufficiens libertas, tenetur voto; ergò ob ſimilem cauſam lex confitendi in caſu eſt in poſſeſſione. *Reſpondetur* I. negando antecedens cum Soto, Mald. Sa. &c. quia dubitatur de ſubſtantia voti ut id eſt aptum obligare & conſequenter etiam de voto ſimpliciter. II. negatur conſequentia; quia hic cõſtat de voto, idq; eſt in poſſeſſione, in caſu verò dubitatur de lege latâ circa hanc materiam.

CORONIS.

Subſcribũtur Corollaria nonnulla. HUcuſq; ut puto, certiſſimè oſtendi peccata qualitercumque dubia non debere neceſſariò objici clavibus Eccleſię; nunc autem ad ſedandas conſcientias & omnes abolendos ſcrupulos aliquas Concluſiones addemus.

Prima. *Qui dubitat, an commiſerit tale peccatum non tenetur illud confiteri* Cõſtat ex diſputatis & in totâ controverſiâ diſcuſſis.

Secunda. *Nec poteſt illud dubium peccatum ut certum confiteri.* Patet, quia qui dicit quæ dubitat, mentitur; aſſerit enim eſſe certa, quæ eſſe certa nõ ſentit.

Tertia. *Poteſt peccatum dubium ut eſt, nempè ut dubium clavibus Eccleſiæ ſubjicere; & Confeſſarius ni adjungatur alia materia certa, debebit conditionatam abſolutionem dare.* Conſtat ex praxi communi omnium, qui nos poſſunt dici ita errare ut nequidem probabilitatem teneant.

Quarta. *Confeſſus peccatum dubium ut dubium, ſi deprehendat deinde certum, non tenetur id ut certum confiteri.* PRIMO. quia cum expoſuerit illud, prout erat in conſcientiâ, quod tantum exigit Trident. ſeſſ. xiv. capite 5. eſt ab eo directè tametſi conditionatè abſolutus, perinde ac is cujus peccatum à Sacerdote exiſtimatur veniale, cum ſit mortale; ſicut enim Sacerdos tunc vult abſolvere à peccato prout eſt à parte rei, ita etiam in caſu noſtro; atqui peccatum, à quo quis directè abſolutus eſt, non tenetur ex jure divino iteratò confiteri; ergò.

SECUNDO. Ex communi ſententiâ confeſſus ſe moroſè delectatum decies circiter, ſi certò deinde deprehendat ſe duodecies peccaſſe non tenetur eas vices poſteà confiteri, & tamen eas non cõfeſſus eſt ut certas, ſed modo dubio; atqui ſimilis ratio urget in caſu; ergo.

TERTIO. Dubius de voto, excommunicatione &c. ſi petat diſpenſationem, ſolvitur omni obligatione, etſi deinde deprehendat certò emiſſum eſſe &c. ergo idem eſt in caſu. Ex communi tamen ſententiâ & praxi tale peccatum eſt confitendum deinde ut certum; ſed an praxis ex ſcrupulo an ex ratione orta non diſputo. Videtur enim homo pœnitens non velle diſputare, nec librare rationes, ſed ſequi ſecuriſſimam partem.

Nota interim Concluſionem primam mihi viſam fuiſſe ſolidiſſimis argumentis probari, à contrariâ tamen authoritate

Digitized by Google

tate(fortè,timore)vinci. Si ſubſcribis, tuo meum ſuffragium adnumera;ſi diſſentio, multum diſputavi, nihil doceo. dixi quod ſenſi, & quia multorum doctrinæ contrarium, ſuadeo tibi, ne ab eiſdem diſcedas, niſi ſententiam benignam probabilem eſſe cognoſcas; cõfeſſionis enim materia magni momenti eſt,in quâ regium iter deſcribitur, tutiùs ſpeculativè, periculoſiùs practicè.

***

FUNDAMENTUM LXVII.

De Sacramento Euchariſtiæ.

MCCCXXV. CIrca eſſentiam Euchariſtiæ,non multum differunt, quo ad rem Theologi;licèt variè loquantur. Placet hæc definitio, aut deſcriptio. *Euchariſtia eſt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, ad ſpiritualem Animæ refectionem divinitùs inſtitutum.* *Euchariſtia quid?*

Materia eſt panis, & vinum: nempe panis ex ſolo frumento; apud Latinos azimus, & apud Græcos, fermentatus. An-ne ex aliis granis poſſet confici panis ad conſecrationem ſufficiens? an ex aliis liquoribus conveniens vinum? An-ne Hippocraticum aſſumi poterit? Reſpondeo eſſe quæſtiones Phyſicas, non Theologicas: nam ſi daretur granum, quod à frumento non differat ſpecie eſſentiali; poſſet Euchariſtiæ miniſterio ſervire, idem de vino dico, & addo, aſſumi non poſſe panem, vinumve, quod differat ſpecie à frumento, & vino communi.

Forma Panis eſt: *Hoc eſt enim Corpus meum*; & Calicis. *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei.* Particula illa *enim* non eſt de eſſentiâ. *Forma Euchariſtica.* Sunt qui diſtinguant Euchariſtiam *in fieri*, & *in facto eſſe*. ita, ut ejus forma *in fieri* ſint verba prout ponunt ſub ſpecies illas Chriſti corpus & ſanguinem: & *in facto eſſe* forma ſit corpus, & ſanguis Chriſti, prout vi verborum ſub ſpeciebus continentur: ſed ipſi fortè ſubtilius eloquuntur, ſed nihil alterant in re. *Sacramẽtũ in fieri & in facto eſſe.* Miniſter in Euchariſtiâ eſt triplex; qui conficit, qui diſtribuit, qui ſuſcipit. Primus debet eſſe Sacerdos: Secundus poteſt eſſe non Sacerdos: Tertius quicunque Catholicus, qui in gratiâ. ago de ſuſceptione Sacramentali; nam phyſicè comedere, & bibere Corpus, & Sanguinem Chriſti, non ſolùm infidelis, & Atheus; ſed etiam beſtia quæcunq; poteſt. *Miniſter.*

Digitized by Google

MUlta de Sacramentis alibi, & de hoc præcipuè, olim enim Euchariſticam Philoſophiam propugnavi, quam, ne pereat, in Curſu Philoſophico dabimus. Nunc paucula quædam propono.

I.

De vino congelato. Inquiro, *An poſſit conſecrari vinum congelatum?*

REſpondet Auſonius Noctinot *in ſumma Dianæ verb. Euchariſtiæ Materia. num. 2.* his verbis. [*Vinum ſi ſit congelatum*, ut ſæpè contingit in Germania, (imò etiam in Mediterranea Hiſpania: nempe in Caſtella, Legione, &c.) *validè conſecratur, non tamen licitè.*] & probat, quia vinum per congelationem non corrumpitur, quoad ſubſtantiam; potabile enim adhuc manet potentiâ, quâ liquefieri poteſt, & ſumi. Sed videtur hæc potentia remota.

II.

MCCC-XXVI. De vino evaporato. Ante dies paucos quidam Pater Carmelitanus excalceatus; Vir verè doctus hunc Caſum decidendum propoſuit; quem, quia novus, curioſuſque, Theologis hæc lecturis repono.

Caſus exponitur. Viennæ in Auſtria dum ſeveriſſima Hyems omnia liquida concerneret, & congelaret, miſſam celebrat: ubi ad communionem pervenit, reperit ſacrum laticem congelatum. Juxta communem Doctorum ſententiam ignem adhibet, glaciemque iterum in vinum convertit. At quia dum calix calefiebat, fumum exhallantem percepit, ſubdubitare incepit, An vini fumus, vapor-ve ſit verè vini pars, & quia nulla eſt in conſecrato calice, quæ non ſit conſecrata, dubitabat an illæ vini particulæ, quæ ignis violentiâ exhallabantur, non fuerint conſecratæ, & inopinato ſacrilegio ſanguis Chriſti per aërem diffunderetur? Rem dixi non eſſe omninò facilem, ſed meditatione, & rerum notitiâ indigere. Sententiam meam protuli, eamque modò ad iſtas poſitiones reduco. PRIMA. *In conſecrato latice nulla eſt liquoris pars, quæ non ſit conſecrata.* Et hanc veram exiſtimo, ſive dicamus aquam in vinũ prius & poſtea in ſanguinem, ſive etiam in ſanguinem immediatè converti. Gutta enim aquæ vino immixta non facit, quod illud totum, non ſit vinum uſuale; adeoque totum cõſecratur: & ſanguis Chriſti prout eſt ſub ſpeciebus illius Guttæ eſt ſub ſpeciebus aquæ naturalis, & ut eſt ſub ſpeciebus reliqui vini, eſt ſub ſpeciebus vini naturalis: & prout eſt ſub aggregato, quod ex vino & illâ guttâ reſultat, eſt ſub ſpeciebus vini uſualis. Porrò ſi illa gutta à reliquis ſepararetur, ſtatim deſineret eſſe ſub illius ſpeciebus ſanguis Chriſti, illa enim ſic ſeparata eſſet pura aqua, non tamen vinum naturale, aut uſuale. Ergo ſimiliter de aliis vini partibus Philoſophabimur. Si componitur vinum è partibus heterogeneis, quod contendunt probare Chymici, ſingulæ ſeorſim non ſunt vinum; & qui vinum conſecratum in has partes heterogeneas divideret, in eas divideret quæ non manerent conſecratę. Igitur ſi vapor, aut fumus ex calice calefacto exhallans contineat particulas aliquas, quæ non ſint vinum, ille vapor non erit conſecratus. Cæterum cùm Joannes Helmontius, Medicus ingenioſiſſimus, & experiſſimus in ſuæ Medicinæ inauditis principiis heterogeneas has Corporum partes, quas Chymici protrudunt, irrideat, adhuc urge-

Reſolutio.

Nota hoc.

An vinum homogeneum aut heterogeneum partes habeat?

urgebit dubium & quæremus, An merâ exhalatione ſubſtantia vini corrumpatur, an alteretur potiùs, nam ſi primũ dicatur, ceſſat quæſtio; & ſi ſecundum, affirmari debebit fumos illos vaporesve, qui è calice emiſſi, fuiſſe reverà conſecratos. Sic dubium proponere libuit; tu Lector quæſtionem reſolves.

III.

MCCCXXVII. *De Eccleſia legibus.*

Sacramentorũ uſum divinitùs conceſſum hominibus non poſſe ab Eccleſia interdici ſine cauſâ legitimâ, clarius eſt, quàm ut in controverſiam revocetur. Cùm igitur materia gravis ſit, videretur requirere non ſolùm cauſam legitimam, ſed gravem. Hinc ſequitur nõ eſſe facilem aliquas Eccleſiæ conſtitutiones defendere contra hæreticos mediocriter doctos: *Primò* enim ratum eſt apud Catholicos neminem poſſe pluries eâdem die miſſam celebrare, aut venerabile ſacramentũ ſuſcipere; quod etiam non ſolùm ad ſanos; ſed etiam ad ultimo morbo laborantes extenditur. *Secundò* debere miſſam celebrari, aut venerabile ſacramentũ recipi à jejuno: videntur enim nullæ eſſe cauſæ vel fortè leves, ob quas res graviſſima, quâ graviſſimè egemus, interdicatur. *Nam, ſi agamus de Viris Religioſis, & bene moratis,* quęnam cauſa gravis ſuppetere poteſt, quę reddat abſtinentiam à Sacramento Euchariſtico meliorem communione? Cur non eſſet melius, & utilius cõmunicare decies in die, quàm ſemel? ſi ad indecentiam recurritur, ratio valde levis proponitur, quoniam non eſt indecens communicare quotidie, ergò nec erit indecens cõmunicare ſingulis horis. Prætereà; Sacramentum Pœnitentiæ pluries frequentari poteſt & ſolet quotidie ſine irreverentia; Ergò & Euchariſticum; vel detur diſparitatis ratio. *Si agamus de ægrotis,* vellem videre unum ſummum Pontif. recepto viatico peccaviſſe mortaliter & poſt unam vel alteram horam moriturum; vel nimirum, qui in ea eſſet ſentẽtia, quæ docet eſſe probabile communionem requiri neceſſitate medij ad ſalutem ęternam. In tali caſu vellem ſcire, quid ille Pontifex eſſet facturus: nam vel poſt confeſſionem ſumeret ſecundum viaticum, vel diceret, ſe velle condemnari probabiliter, ac propterea eſſe impœnitens; non enim ſincera Pœnitentia eſt, velle probabiliter damnari. Procul dubio aut præceps eſſet, aut ſecundò viaticum ſumeret. Tunc ſic: non poſſet tutâ conſcientiâ ille Pontifex non recipere ſecundò viaticum in tali caſu; ergò nec poſſet interdicere Petro ſecundam ſumptionem viatici in tali caſu.

De communione.

Religioſorum.

& ægrotorum reſpectu.

An poſſit quis probabiliter ire ad infernum velle?

MCCCXXVIII. *Occurritur effugio primo.*

Dicunt aliqui interdictionem eſſe legitimâ, quia illa lex fundatur in ſumma probabilitate, & ſufficere ad Juſtificationem legis authoritatem, & cauſas probabiles. Sanè ſi nihil aliud obſit, etiam eadem probabilitas ſufficeret ad hoc, quod Petrus non obediret; poſitâ enim authoritate probabili, & cauſâ probabili poteſt ſuperior prudenter credere, ſe eſſe ſuperiorem legitimum, & habere cauſam ſufficientem, ac proptereà prudenter legem ferre. Sed & Petrus poſſet prudenter credere, ſuperiorem non eſſe legitimum, vel cauſas non eſſe ſufficientes, ac proptereà poſſet prudenter non obedire. ergò dicendum eſſet, poſſe Petrum in tali caſu prudenter procedendo recipere ſecundum viaticum.

Occurritur effugio ſecundo.

Si dicatur diſparem eſſe rationem: quia Pontifex non debet neceſſariò legem illam ſervare, illâ enim, utpote legiſlator, vel non obſtringitur; vel obſtringitur volens; poteſt enim diſpenſare cùm voluerit: ſecus autem Petrus,

qui

qui ſubditus eſt,& tenetur obedire: arguo ſic. In tali caſu vel poteſt Pontifex illam legē ſervare, vel non poteſt. Primum non poteſt dici, ut ſuperius vidimus, ergo debet aſſeri ſecundum: ſubſumo; Ideò non poteſt Pontifex ſervare illam legem, quia in tali caſu militat contra legem ſacramentalē inſtitutam à Chriſto; ergo nec poteſt jubere Petro, ut contra legem ſacramentalem obſervet legem Pontificiam. *Confirmatur.* Si Petro in eodem agone conſtituto juberet Pontifex, ne confiteretur, & præceptum eſſet tyrannicū, & Petrum non obſtringeret; ergò ſi æquè neceſſaria eſt Euchariſtia, ac Pœnitētia, non poterit interdicere ſumptionem Euchariſtiæ plus, quàm Confeſſionem. *Confirmatur iterum.* Si eſſet certum certitudine fidei Euchariſtiam eſſe de neceſſitate medij, eſſet certum certitudine fidei, non poſſe interdici à Pontifice; eſſet enim hæreticus, qui diceret Pontificem poſſe interdicere fidem aut charitatem, atqui eſt probabile Euchariſtiam eſſe de neceſſitate medij? ergò eſt probabile Euchariſtiam non poſſe Petro in caſu propoſito interdici. Ergò dicendum Euchariſtiam non eſſe de neceſſitate medij, & contrariam ſententiam improbabilem eſſe, ne huic objectioni reſpondere cogamur.

IV.

MCCCXXIX. *De jejunio naturali.* Ad jejunium naturale, quod Eccleſia requirit in communicaturo venientibus occurrit ratio, quæ indiget ſolutione. Non habet Romana Eccleſia authoritatem, ut poſſit interdicere unam unciam cibi ſub peccato mortali; non habet authoritatē, ut interdicat unum granum tritici ſub peccato veniali. Ratio eſt clariſſima: quia & una uncia panis ſupponitur eſſe materia parva; & unum granum tritici materia moraliter nulla, illud enim nemo emeret, nemo venderet, & nemo ſervaret; igitur non peccat mortaliter; ſed venialiter, qui ſumptâ unciâ panis recipit Euchariſtiā, ergò nec venialiter quidem peccat, qui poſt quatuor granorum ſaccari comeſtionem communicat.

An in levi comeſtione gravis irreverentia eſſe poßit? Reſpondent aliqui levem comeſtionem poſſe eſſe gravem irreverentiam; ſed hoc falsò ſupponitur; comedere n. poſt Euchariſtiam non eſt irreverentia; ergò nec comedere ante Euchariſtiam. Præterea Eccleſia poteſt concedere, ut Euchariſtia ſumatur poſt jentaculum; imò illam ſumpſerunt Apoſtoli poſt Cœnam; ipſomet Chriſto diſtribuente; atqui nec Chriſtus ipſe, & à fortiori neque Pontifex poteſt diſpenſare, ut Euchariſtia irreverenter ſumatur; ergò quando ſumitur poſt cibum, nulla cōmittitur irreverentia. Stat igitur poſſe hoc Sacramentum interdici poſt crapulam, & ebrietatem; non verò poſt comeſtionē ſobriam, & prudentē.

Si dicatur oportere omnem cibū interdici, ne aliquando poſt crapulam aut ebrietatem Euchariſtiam ſumi contingat; Dicamus ſimiliter omne juramentum debere interdici graviter, ne aliquādo committatur perjurium, omne mendacium etiam officioſum interdicendum eſſe graviter, ne detur occaſio calumniæ; ergò ſimiliter omnia peccata venialia deberent graviter interdici, ne committerentur mortalia.

Hæc ſunt ſapientiſſime Lector, quæ communiter defenduntur; & rarò benè vel fortè nunquam: hæc quibus Catholici ab hæreticis impeti ſolent, hæc quæ velim à tuo ſublimi ingenio conſiderari; à tua ſumma doctrina reſolvi: authorum teſtimoniis non egeo, ſed velim legere tuam de ſingulis periodis Cenſuram.

FUN-

Digitized by Google

FUNDAMENTUM LXVIII.

De Extrema Unctione.

MCCC-XXX. NOn eſt de neceſſitate medii, nec præcepti; quam ob rem, qui illam ſine contemptu omitteret, non peccaret mortaliter. Materia eius eſt duplex, proxima, & remota: hæc eſt oleum, illa unctio. Forma eſt. *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum* (repetitur tota ad ſingulos ſenſus, & illi nominatim exprimuntur) *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* è quibus verbis non omnia ſunt eſſentialia multorum Theologorum ſententia: nam præter illa, *Per iſtam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*, quæ omnes eſſe eſſentialia dicunt, cætera à multis creduntur eſſe accidentalia. Miniſter extremæ unctionis eſt ſacerdos: ſubiectumque homo ex infirmitate probabiliter moriturus. *Materia. Forma. Verba eſſentialia. Miniſter. Subiectũ.*

MCCC-XXXI. PAuca occurrunt dubia, circa Extremæ Unctionis Sacramentum: unum aut alterum dilucidabimus.

I.

MCCC-XXXII. Peto primò, An peccet, qui in adminiſtratione hujus Sacramenti utatur formâ eſſentiali, omiſſis verbis omnibus accidentalibus? puta, qui tantùm diceret: *Per iſtam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti?* Affirmativè reſpondet Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 175. *§. Notandum.* & *reſol.* 180. & ex eo Auſonius Noctinot *in ſumma verb. Extr. Unctio. num.* 12. ſed cur? An quia utitur formâ probabili? an verò, quia omittit verba præcepta? ſi prima valeat ratio, ſcire vellem; cur non poſſit uti opinione probabili in adminiſtratione ſacramenti? & ſi ſecunda, an ſit mortale? (imò an ſit veniale?) omittere pauca verba præcepta?

II.

Peto ſecundò, An hæc forma ſit eſſentialiter deprecativa? an non per indicativum conferri hoc Sacramentum poſſet; nempe ab illo qui diceret, vel *Ungo*, vel *Indulgeo*. MCCC-XXXIII.

Beccanus

An in rebus liberis habeat locum rationis paritas?

Beccanus aſſerentem opinionem tuetur, & argumentum ab aliis ſacramẽtis deducit, at me Iudice ineſficaciſſime, quia ſacramentorum omnium formæ à liberâ Chriſti voluntate, & inſtitutione dependent, nec video, eſſe bonam Conſequentiam, *Cæterorum ſacramentorum formæ ſunt indicativæ: ergò etiam & forma extremæ unctionis.* Peterem à Beccano, An extremæ unctionis forma debeat eſſe indicativa tantùm, an indicativa, vel deprecativa? Si primum dicat, neſcio, an unus hoc fuerit ſacramentum Conſequutus; quia neſcio, an vel uni fuerit indicativè collatum: errat igitur tota Eccleſia in Europâ, quod debet non dici, ſi ſecundum: ergò etiam iſtæ formæ erunt validæ. *Deus te Baptizet: Deus te ungat &c. Et Confirmet*: &c. *Deus te abſolvat*: *Deus te convertat in Corpus* &c. *Sangvinem* &c. Negabit Becanus conſequentiam. Et ego contra dico. Si valet argumentum à cæteris ſacramentis ad Extremam unctionem deſumptum, valebit etiam, ſi ab Extremâ unctione ad alia transeamus ſacramenta: nihilominus peto, an eſſet verus Baptiſmus collatus deprecativè; nempe à dicente *Baptizetur ſervus Chriſti,* &c? An confirmatio poſſet conferri verbis, *ſignetur, confirmetur*, &c? Videtor Diana *part. 3. tr. 4. reſ. 27. §. Notandũ.*

FVNDAMENTVM LXIX.

De Sacramento Ordinis.

MCCCCXXXIV. *Ordo quid? & quotuplex?*

SAcramentum eſt novę Legis, vi cujus aliqui ad miniſterium divinum ſpirituali poteſtate tradita deputantur. Septem ordines à Theologis enumerantur: nam in Eccleſia ſunt Oſtiarii, Exorciſtæ, Lectores, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri. Tonſura non eſt ordo, ſed janua & diſpoſitio ad ordines. Pſalmiſtæ, & Cantores non ſuſcipiunt ſpecialem ordinem, cùm ad hoc Miniſterium deputantur.

MCCCCXXXV *Cur ordines aliqui vocentur ſacri?*

TRes ultimi *Sacri* dicuntur, non quòd priores non ſint ſacri, ſed quòd hi tres ſint ſacratiſſimi, maximi (ideo etiam *Maiores* vocantur) & Miniſterio proximi.

Quæſtiones incidentes.

Multæ occurrunt quæſtiones ſpeculativæ, multæ practicæ multæ politicæ: poſſem enim inquirere, An Cardinalatus, aut etiam Epiſcopatus ſit ordo? An expediat tot eſſe ſacerdotes, & tot Monachos? An præſtaret numerum utrorumque diminui? poſſem etiam de ſingulis ordinum gradibus ſpecialiter agere; ſed hæc omnia alium locum, & tempus poſtulant, & idcirco hæc pauca ſufficiat prælibaſſe. Interim, ne nihil hîc dicar ſpeciale poſuiſſe, hunc Caſum, qui Ingolſtadii accidit, & difformiter à Theologis, & Canoniſtis fuit deciſus, Lectoribus doctis propono. MCCCCXXXVI.

Digitized by Google

I.

PUgnabant acriter duo Clerici, & alter lethali vulnere perfoſſus cecidit. ſupervenit Franciſcus, & in collapſum irruit, eumque tranſverberat ſecundo vulnere. Sunt qui dicant Franciſcum Clericum adhuc viventum vulneràſſe: ſunt qui dicant, ictum datum cadaveri: ſunt, qui dubitent. Et ideò indigemus Theologis, qui has tres Controverſias decidant.

Prima, *ſi Franciſcus clericum vivum tranſverberaverit, incurriſſe excommunicationem certum eſt*: Sed quid de irregularitate eſt dicendum, Lethaliter vulneneratus jacebat, & erat aliàs moriturus ergò non fuit occiſus à Franciſco. Sed quid ſi dicam contra vulnus inflictum à Franciſco etiam fuiſſe lethale, & ad eandem mortem duo vulnera (prius & poſterius) ut cauſas totales cõcurriſſe? Quid ſi dicam, vulnus poſterius nõ cauſàſſe; ſed tantùm acceleràſſe mortem?

Secunda, *ſi certum ſit, tactum à Franciſco merum cadaver, ille irregularis non eſt*: At videretur in excõmunicationem incurriſſe; quia hæc ob ſtatûs dignitatem eſt lata, & æquè dedecoratur clericatus, ſi mortuus clericus dedecoretur. Et etiam videretur, quod non nam pœna Canonis imponitur percuſſoribus Clerici, non aliis: non ergò percuſſori cadaveris: quoniam cadaver nõ eſt clericus. Nec juvat recurerre ad paritatem, quia excommunicatio, eſt res odioſa, & in odioſis non admittitur rationis paritas.

Tertia. *ſi omnia dubia ſint, quid dicendum?* An-ne excommunicatio, & irregularitas incurritur peccato dubio? An-ne hic peccatum certum eſt, & tantùm circumſtantiæ ſunt dubiæ?

Fui interrogatus, & reſpondi, ſed quia alii aliter, etiam cæterorum Iudicia libenter legam.

FUNDAMENTUM LXX.

De Matrimonio.

MCCCXXXVII. *An in matrimonio à Sacramento poßit ſeparari contractus.*

GEneralis definitio iſta eſt, *Matrimonium eſt coniunctio maritalis inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Hæc coniunctio ſi inter Chriſtianos, & præcipuè Catholicos contrahatur, eſt ſacramentum: non tamen ſemper, contrahentibus enim eſt liberum illud, ut merè politicum contractum, aut ut ſacramentum celebrare. Circa materiam, & formam huius Sacramenti variæ ſunt opiniones Authorum; requiri tamen eſſentialiter Corpora contrahentium, conſenſum, & ſigna ſenſibilia, traditionem, & acceptationem expreſsè, aut implicitè, certò tamen ſignificantia, indubium eſt; cæterùm utra ex his formalitatibus ſit materia, utra forma, ſcholæ examinent.

Quid illud ſit? *Eius materia & forma.* *Quid ſit certum?*

Denunciationes. Poteſt fieri per procuratorem cuiuſvis ſexûs, & ætatis, modò habeat politicum uſum rationis. Denunciationes poſſunt omitti *Poteſt per procurato-*

Digitized by Google

Præſentia Parrochi. ex cauſâ. Præſentia Parochi, ubi eſt Concilium Tridentinum acceptum, eſt conditio, ſine quâ non. Dantur obices impedientes, & dirimentes; cum illis illicitè contrahitur matrimonium, cum his illicitè, & invalidè. Non poteſt fieri humanitùs, ut altero, aut utroque invito matrimonium verum contrahatur: unde leges, ſi quæ ſunt, de conſenſu politico, altiſsimè debent examinari. *rem celebrari.* *Impedimẽta.* *An abinvitis.*

MCCCXXXVIII. SOlent multa in cauſis matrimonialibus confundi, & Officiales in Epiſcopalibus conſiſtoriis variis præjudiciis præventi non conveniunt in praxi. Sunt qui hæc Theoremata mordicùs tenent. I. *In omni dubio ſtandum eſt pro valore ſacramenti.* II. *In omni probabilitate illa eligenda ſententia eſt, quæ faueat matrimonio.* III *Oportet cauſas Matrimoniales tardo examine diſcutere, ut tædio affecti litigantes compoſitionem ineant, & à tribunali ſe ſubtrahant.* Sed omnia hæc tria mihi non placent. *Non primum*, quia in dubio ſtandum pro poſſeſſione eſt, quæ præceſſerat dubium; cùm igitur ante Matrimonium dubium præceſſerit cœlibatus certus, ſtandum eſt pro cælibatu. *Non ſecundum*; quia potius in probabilitate favendum eſt conjugatis, quibus favor maximus fieret interdum, ſi matrimonium invalidum declararetur. *Non Tertium*; quia hoc eſt vexare homines & non adminiſtrare Iuſtitiam. Vidi ſemel Compluti unum Vicarium Cardinalis Infantis, qui fuerat conjugatus, & experimento didicerat, quid ſit habere uxorem indocilem, & ſuperbam. Cauſas ipſe aliter expediebat, quàm ſolent Theologi, qui domos, in quibus patiuntur, & torquentur infeliciter conjugati, non viderunt. Summâ, ut puto, diſcretione opus eſt, ne in cauſis Matrimonialibus committatur aliquis error.

I.

MCCCXXXIX. DE errore, circa Perſonæ qualitatem. Error, ſi ſubſtantialis eſt, contractum irritat; ſi accidentalis, non irritat; ſed quis eſt error accidentalis? qui nõ circa ſubſtantiam, ſed circa qualitatem uxoris. Hîc quotidie errant Canoniſtæ, & Iuriſtæ; hîc multi quotidie Theologi, quos volo propoſitione caſus ſubſequentis adiuvare. *Error duplex: ſubſtantialis, & accidentalis.*

Erat Romæ Sempronius homo Germanus; dives, ſed non Nobilis. Reperit ibi unam fœminam alto nomine præditam, quæ ſe dicebat filiam Comitis N. fugiſſe parentum tyrannidem, velle nubere. Cognoſcebat Sempronius comitem, ſciebat illum habere filiam, quæ rigorem, & domum pertæſa ad Monialium Aſceterium confugerat. Credit hanc eſſe, & illam in uxorem ducit. Revertitur in patriam opinione jam ſuâ Comes factus; at ibi reperit Comitis filiam adhuc hærere apud Moniales, & hanc eſſe meretriculam quandam, quæ caſtæ, & Nobilis Virginis nomen ſumpſerat. Quid faceret? Matrimonium eſſe nullum vociferatur: at Iuriſtæ dicunt, fuiſſe errorem in qualitate (hoc eſt, in divitiis, nobilitate, famâ &c.) adeoque matrimonium tenere. Me conſuluit, ego ſic quæſtionem debere reſolvi judicavi.

II.

IN Caſu ſic poſito difficultatem non reperio; nec puto reperiendam ab homine, qui ſciat ſine Conſenſu non MCCCXL. *Reſolutio.*

 poſſe

poſſe Matrimonium conſiſtere, & voluntatis humanæ naturam exploratam habeat. Quam ob rem omiſſis Authorum citationibus (nam qui ab omnibus admiſſam doctrinam præmitto, non teneor meum Lectorem allegationibus ſupervacaneis onerare.

Ab invitis contrahi non poteſt matrimonium.

Pono primò, non dari humanam aliquam poteſtatem, aut Authoritatem, quæ poſſit vero Matrimonio duos invitos, aut involuntarios conjungere; aut verè declarare matrimonium ab involuntariis contractum verum eſſe: quod ita certum eſt, ut contrarium à prudentibus dici non poſſit.

Volitionis conditiones & circumſtantiæ.

Pono ſecundò, in omni actu voluntatis dari circumſtantias, & conditiones; nam abſolutiſſimi, & ſimpliciſſimi actus conditiones ſuas, & circumſtantias implicitas imbibunt: quæ quidem aliquando ſunt conſequentes, aliquando concomitātes, aliquando etiam antecedentes; jam influentes; jam purè præexiſtentes; jam eſſentialiter connexæ; jam inhærentes actui tanquam accidentia moralia; jam tandem alias habitudines reſpectu voluntatis habentes. Hinc eſt circumſtantiarum examen eſſe valde difficile, & obſcurum; multaſque ab uno Authore eſſentiales cenſeri, quæ ab alio accidentales judicantur. Unde in Caſu præſenti cùm Doctores conſulti ad circumſtantias, & conditiones recurrerint, tametſi mihi doctè videantur proceſſiſſe, forte adhuc Iudices hærent, nec volunt in re tanti momenti feſtinare. Sed quia multa ſunt, ob quæ Sempronii, & Titiæ Matrimonium non valet, eligam tantummodò motivum unum, vi cujus hujus contractûs nullitas evidentiſſimè manifeſtetur. Et ut hoc clarè, & breviter præſtem,

Circumſtantiarū examen.

De intentione & electione.

Pono tertiò, intentionem eſſe actum voluntatis, qui verſatur circa finem, & electionem prædeterminat; ita ut ſi unicum tantùm detur medium, exſequutio, & electio ſint neceſſarii actus, & ſolùm libertate intētionis liberi. Exemplo res clara clarior redditur. Petrus vult egredi ex Eccleſiâ, quę tantummodò unum exitum habet; dico illi eſſe liberum egredi, vel non egredi; at ex ſuppoſitione, quod egredi velit, illi eſſe neceſſarium, ut hac egrediatur portâ, & non aliâ, quia ſupponitur alia non eſſe.

In quo Caſu hujus portæ electio non eſt libera libertate propriâ; ſed libertate intentionis, vel finis; quoniam Petro eſt liberum non eligere hanc portam, quia eſt liberum non intendere egreſſum; at ex ſuppoſitione, quod velit egredi, debet hac egredi, nec poterit cū egreſſu negationem hujus egreſsûs, qui ſit per iſtam portam componere.

MCCCXLI. *Cōcluſio.*

His poſitis, in quibus nemo poterit reperire dubium, nemo probabilitatē; ſunt enim certa, & evidentia; reſolvo: *Sempronij, & Titiæ Matrimonium non ſubſiſtere*, quod ſic clarè demonſtro.

Conſenſus ille Sempronii, quo voluit Titiam ducere, fuit electio medii, & medii unici; ergo in ſe non fuit liber; ſed aut fuit liber in intentione, aut caruit omni libertate ac propterea moraliter loquendo fuit nullus. At non fuit liber libertate intentionis, ergò nullam omninò habuit libertatem: ergò ipſe nullus fuit, & per conſequens Matrimonium, quod in illo fundatur, nullum eſt. Quod conſenſus ille Matrimonialis fuerit mera electio, clariſſimè probari poterit. Sempronius enim Romæ non quęrebat uxorem, quam duceret; erat enim in loco peregrino, in quo matrimoniales curæ illi non erant uti-

utiles; ſed omnino incommodæ, & nocivæ, adeoque dici non poteſt, ejus finem fuiſſe ducere uxorem, ut ſic; & poſteà Titiam potiùs, quàm aliam elegiſſe; quoniam in illo caſu electionem fuiſſe liberam concederemus; nam cùm intentioni ducendi uxorem poſſet mille modis correſpondere [nulla enim eſſet in ſingulari ducenda] electio illa fuiſſet omninò libera. Sed Sempronius fatetur, ſe non habuiſſe animum ducendi uxorem, ut ſic; vi cujus Titiam potiùs elegerit, quàm aliam. Sed neque Titiam propter ſeipſam duxit Sempronius; ſciebat enim habere perſonales maculas, quas quicunque abhorreret, nî darentur grandiores circumſtantiæ, quæ aut præponderarent, aut illas poſſent tegere. Ergo videndum eſt, cur illam Sempronius ducere in Uxorem voluerit. Sed quia Sempronius; ut materiæ fori interni requirunt, ſincerè ſuam mentem expandit; rationem, quæ petitur Clariſſimè in medium produco. Titia Romæ gerebat ſe pro filiâ Caii de Liebenſtein; cognoſcebat Sempronius hujus Familiæ ſplendorem, & Nobilitatem; vidit eſſe poſſibile, ut ſe huic optimæ domui affinem redderet, habiturus filios maternæ nobilitatis hæredes; imò & bonorum etiam; quoniam illa Familia non ſolùm nobilis; ſed etiam opulenta eſt. Sempronius igitur honorificum ſibi fore exiſtimans, ſi tam nobili proſapiæ conjungatur, vincit voluntatem, quam habebat, non ducendi uxorem; ſibi vim inferens, imperfectiones perſonales Titiæ diſſimulat, illaſque à Genealogicis perfectionibus ſuperari judicat; patris ſui, quem maximi fecit, & facit, voluntatem, aut Conſcientiam non curat; ſed quia nullo alio modo uxorem de domo N. habere poterat, quam Titiam ducendo, illam eligit, & juxta leges Eccleſiaſticas in uxorem ducit.

Omnes circumſtantiæ ponderantur.

Video illum conſenſum fuiſſe electionem meram; & modo ſic diſcurro. In hac electione, cùm ſit ipſa medii unici, nulla reperitur libertas propria; ſed libertas intentionis, & finis; at finis erat ſangvinem ſuum, ſangvini domûs N. conjungere; Ergò quidquid contra hoc militat, contra Sempronii intentionem, & voluntatem militavit. Atqui ducere lanionis filiam, militat contra hoc, quod eſt cõjungi ſangvini nobiliſſimæ domûs; Ergo tam certum eſt Sempronium noluiſſe Titiam filiam Lanionis ducere, quàm certum eſt eundem Sempronium honorem nobilitatis intendiſſe, ut finem, & poſuiſſe matrimonium ut medium. Cùm igitur in voluntate medii unici, nulla libertas ſit; nulla ametur abſoluta bonitas, ſed relativa, hæc eſt utilitas; manifeſtum eſt *primò* Titiam neceſſariò eſſe electam & electionem ſolâ intentionis, & finis liberam libertate, vel nullâ; cùm igitur intentio adquirendi nobilitatem opponatur ignobilitatis electioni, illa electio (ſeu conſenſus matrimonialis) omni caruiſſe libertate dicenda eſt. Et ex eodem capite manifeſtum eſt *ſecundò* Titiam non fuiſſe amatam ſecundùm ſe, & quà bonam; mala enim erat; ſed quà utilem; tenendumque eſt tam verè fuiſſe volitam in uxorem, quam verè illa erat utilis, ſi duceretur, ad nobilitandam Sempronii familiam, illumque cum domo illâ illuſtriſſimâ conjungendum. Atqui non ſolùm illa eſt inutilis ad iſtum finem, ſed & poſitivè infert nocumentum oppoſitum; nunquam igitur in uxorem volita eſt. Ergo videtur evidens, quod defuerit conſenſus; & illo amoto evidens eſt matrimonium illud fuiſſe nullum.

Et ex ipſis hic diſcurſus educitur.

Digitized by Google

MCCCXLII Hinc ad ſecundam difficultatem tranſeo, & omitto illam quæſtionem, quæ inquirit, An matrimonium, quod ab initio nullum fuit, ſequente copulâ affectu matrimoniali habitâ revalidetur; quoniam in noſtro caſu Copula affectu fornicario ſecuta eſt; nec poteſt matrimonium revalidare, etiam in illorum ſententiâ, qui merâ copulâ contenti ſunt. Quoniam voluntas illa, quæ eſt utendi fœminâ ut pellice, opponitur voluntati utendi illâ ut uxore; ergò quàm certum eſt illum habuiſſe primam, tam certum eſt non habuiſſe ſecundam; ſed potius poſitivè contrariam. Nec iuvat dicere, Titiam habuiſſe voluntatem utendi Sempronio tanquã marito, hancque voluntatem expreſſiſſe etiam verbis. Hoc, inquam, non juvat; quia in contractu duplex conſenſus requiritur: quam ob rem tametſi fœmina centies conſenſum præbeat, nunquam validè nubet viro invito.

In quocũque cõtractu requiritur conſenſus duplex.

Concludo igitur *Primò* Matrimonium Sempronij, & Titiæ ab ipſo initio nullum fuiſſe: *Secundò* copulâ animo fornicario habitâ firmari, & revalidari non potuiſſe. *Tertiò* Iudices debere feſtinare, ſumma enim injuria fit Sempronio, ſi, quod non puto ob eorum negligentiã, cogatur laborare ignominiâ, expenſas indebitas facere, & aliam ducere non poſſe: quæ omnia conſideranda ſunt, ne fortè contingat, ut ſub pietatis erga Titiam colore, Iudices contra Sempronium ſint crudeles. At ipſos in re tanti momenti non voluiſſe præcipitare judicium, ſed priùs omnia radicitùs examinâſſe, laude eſt dignum, modò tandem aliquando definitivè pronuncient.

Sic ſentio ſalvo ſaniore iudicio; Viennæ in Aula S. Crucis Idibus Februarii anni M.DC.XLVII.

III.

De Impedimentis dirimentibus.

IN hac materiâ ſentio, quæ doceor, & meum ingenium in obſequium Concilii Tridentini captiuo: at deſidero, quòd aliquis doctè enervet diſcurſum ſubſequentem, quo videtur ſuaderi impedimenta matrimonialia non ab Eccleſiâ, ſed ſæcularibus Principibus eſſe ponenda. Habeo claras ſolutiones ad ſingula, ſed quia in toto hoc libro diſputamus, etiam Amice Lector, impræſentiarum diſputemus. Introducatur ergò aliquis, qui ſic loquatur. MCCCXLIII

An hæc impedimenta à Principibus Politicis ponenda ſint?

Matrimonialem contractum in Lege naturali (nimirùm apud Ethnicos, Gẽtiles, Idololatras, Mahometanos, & alios qui vel ſolùm rationis naturalis ductum, vel ſaltem illud & traditiones ſuæ religionis ſequuntur) conſtituere duas perſonas, verè coniugatas certum eſt; tametſi nonnulli ſubdubitent. Sed præſcindendo ab infidelium ſuperſtitione, ratum apud omnes in Lege naturali dari vera matrimonia, eaque poſſe humanâ authoritate limitari obice, & impediente & dirimẽte. Sed tunc impedimenta deſignandi authoritas erat penes Principes, & Legiſlatores ſæculares; non enim matrimonium illud purè naturale eſſet Eccleſiaſticum, cùm hodie Chriſtianorum Connubium à nemine Eccleſiaſticum aſſeratur quà Matrimonium, ſed quà ſacramentum. Igitur priùs debet eſſe Matrimonium verum, quàm ſacramentum eſſe poſſit; prius ſacramentum, quàm ad Eccleſiam pertineat: non enim ad hanc ſpectat, aut ſpectare id poteſt, antequàm ſacramentum ſit. Atqui antequàm ſacramentum ſit, ab Eccleſiâ non poteſt attingi; ergò Eccleſia non habet authoritatem obiiciendi impedimenta, ne contractus matrimonialis fiat. Hæc igitur

Ratio pro affirmativa.

Impedimẽtum duplex Impediens & dirimens.

Digitized by Google

igitur authoritas, ad Reges, & Principes ſupremos pertinet.

MCCCXLIV. *Eiuſdem rationis Confirmatio.* Confirmatur aſſertio exemplo certiſſimo, & clariſſimo. Materiam ſemotam ſeu deſituram in Euchariſtiæ Sacramento, Chriſti Domini inſtitutione, panis, & vinum eſt, nullâ qualitate determinatâ; quis negabit potuiſſe Chriſtum non ſolùm materiæ ſpeciem; ſed & quantitatem determinare? qui conſervari ſub ſpeciebus panis, & vini voluit, cur non potuiſſet velle ſub ſpeciebus auri, argenti, lapidis, aut alterius rei cujuſcunque? Item, qui ſub quantitate indeterminatâ panis, & vini, Cur non potuiſſet ſub tantâ, aut tantî determinatè? ſupponamus igitur, ſiquidem omninò poſſibile fuit, Chriſtum Dominum inſtituiſſe Euchariſtiæ ſacramentum his verbis. *Volo Conſecrationem fieri, non in quâcunque quantitate panis, & vini; ſed in quantitate quæ floreno veniat; non autem in minore: aut majore.* Tunc ſi libra panis floreno væniret, & vini poculum medio floreno, deberet procul dubio conſecratio fieri in librâ panis, & duobus vini poculis: & ſi quis vini poculũ, & panis unciam conſecranda proponeret, ſacrilegium, nõ verò Sacramentum conficeret. Poſitâ hac lege, & rerum valore, deberet abſolutè ſacerdos habere in altari panis libram, & duo vini pocula; aliàs invalidè celebraturus. Sed poſtulo, An Reges juſtis de cauſis poſſent tunc victualium valorem alterare? ſi anni liberali proventu magna panis copia in Belgio ſuppeteret, & inimicorum incurſu difficulter vinum haberetur, cur non poſſet panis libra venire aſſe, & vini poculum quatuor florenis? ſub hac rerum alteratione, quî fieri deberet conſecratio? Procul dubio juxta inſtitutionem Chriſti Domini, & non aliter; & ſi juxta Chriſti inſtitutionem, in floreno panis, & floreno vini; hoc eſt in panis viginti libris, & mediâ vini pinctâ, ſeu poculi quadrante. Si inclamaret aliquis, Reges non poſſe alterare ſacramentorum materiam, ac propterea nec valorem panis, & vini, ex quibus ſit hoc ſacramentum, reſponderes, Deum non juſſiſſe Regibus, ne mutarent valorem victualium; ſed juſſiſſe ſacerdotibus, ut conſecrarent in materiâ, quæ floreno væniret, Regeſque mera ſæcularia gubernare; ſed per accidens materiam remotam ſacramenti attingere. Dictum puta. Sicut priùs deberet eſſe panis ad floreni valorem, quàm converſio fieret, etiam priùs debet eſſe cõtractus matrimonialis, quàm ſit ſacramentum: ergò ſicut tunc poſſet Rex mutare valorem panis antequàm ſacramentum fieret, ſic etiam nunc mutare valorem matrimonialis contractus, ante quàm ſacramentum ſit.

Confirmatur ſecundò; non enim ſupponemus poſſibilia quæ de facto non ſunt, ſed illa merè, quæ revera jam ſunt, & à nemine negari poſſunt. Arguo ſic; ſi Rex, aut privatus aliquis jure, aut injuriâ faceret, ne panis pinſeretur, aut ne vinum in noſtras ditiones adveheretur, ille etiam faceret, quòd Miſſæ celebrari non poſſent. Et ſi Petro celebraturo panem, & vinum negaret, qui ſolus concedere poſſet, faceret, quod Petrus celebrare non poſſet pro tempore, quo illa negaret: ergò ſimiliter ſi Rex jubeat nullum contractum in toto ſuo Regno fieri, ſine ſenatoris alicujus præſentiâ. Sanè ſi nullus, quà contractus, nullus quà matrimonium; quia hoc non eſt, ubi verus contractus non eſt: & tandem ſi nullus quà matrimonium, nullus, quà ſacramentum; MCCCXLV. *Eiuſdem rationis altera confirmatio.*

mentum; contractus enim, ni matrimonium verum ſit, verum ſacramentum non erit.

Objectio. Dices; contractum illum eſſe elevatum à Chriſto ad dignitatem ſacramenti; adeoque exemptum à Iuriſdictione ſecularium Principum, & Eccleſiaſticæ authoritati ſubjectum.

Reſpondetur in ſacramento Matrimonii duas formalitates reperiri, nempe formalitatem contractûs, & formalitatem ſacramenti; duas quidem, & realiter ſeparabiles; quia in Euchariſtia eſt ratio ſacramenti ſine tali contractu, & in matrimonio Iudæi eſt contractus ſine ratione ſacramenti. Falſum quidem eſt dicere rationem ſacramenti ſubjici authoritati Eccleſiæ; non enim poteſt Eccleſia facere, quòd verba conſecrationis à vero ſacerdote dicta ſuper veram panis materiam non convertant illam in corpus Domini; non poteſt facere, ne maneat verè Baptizatus, qui volens abluitur à me rectam intentionem habente, & legitima verba pronunciante: ergò nec poterit Eccleſia facere, quod contractus matrimonialis initus ſit ab his, qui volunt ſacramentum conficere, ſit veri matrimonii verus contractus, & tamen non ſit ſacramentum. Igitur non dantur impedimenta matrimonii, quà ſacramenti; ſed matrimonialis contractûs, quà contractûs. Atqui quà contractus præciſus à ratione ſacramenti, non intelligitur eſſe ſacramentum; ergò nec ſubditus Eccleſiæ poteſtati, ergò nec Exemptus ab authoritate Principum. Si dicas illum contractum, tametſi non ſit ſacramentum ſecundum ſe, eſſe tamen capax, ut ſit ſacramentum; dic idem etiam de pane & vino, & adde Principes non poſſe circa panem & vinum leges ferre; ſed piſtores, molitores, & reliquos, pendere à legibus ſolius Pontificis; parant enim panis materiam capacem, ut in ſacramentum convertatur, aut ſi mavis parant quantitatem, & ſpecies panis, quæ poſſunt eſſe materia ſacramenti.

An ratio contractus matrimonialis in homine fideli, poſſit à ſacramenti ratione realiter ſeparari?

MCCCXLVI. Tertia ejuſdem rationis Confirmatio. Confirmatur tertiò. Strictius obligat decalogi lex, quàm ſacramentalis; hæc enim in omnium opinione pendet ab inſtitutione liberâ Chriſti Domini, & tolli pro Chriſti arbitrio poteſt; illa autem eſt in plurimorum ſententiâ indiſpenſabilis. Atqui Princeps ſæcularis poteſt attingere & tollere materiam Decalogi; ergò & ſacramenti Matrimonii. Conſequentia eſt legitima, major certa, minor probatur. Nam abſtrahendo à primâ tabulâ, cujus tractatio eſt præſenti difficilior controverſiâ, & impræſentiarum inutilis, non enim difficilia, per difficiliora exponi poſſũt; ad ſecundam venientes, reperiemus debere filium obedire parenti, & hoc indiſpenſabiliter; attamen penes Rempub: eſt authoritas emancipandi filios, & conſtituendi Patres familias. Ergò qui filius familias eras, tenebaris obedire; cùm jam emancipatus ſis, ex filius es, & obedire non teneris. Non debebas obedire Petro viro privato, favore Principis conſuli facto, hoc eſt, Patri Reipublicæ debes jam obedire. Paulus non poterat occidi; committit capitale facinus, & licitè à Principe occidetur. Antoniâ uti non poteras; ductâ in uxorẽ poteris. Pecunias, quæ ad Ioannem pertinebant, reſtituere debebas, condonat ille & potes retinere. Lege naturæ ſanctum, ut vetus miles teneatur defẽdere Rempublicam, etiam cum mortis periculo; non tamen ſanctum, quod ſis miles: ſi des nomen militiæ, hujuſmodi obligationem incurres, nõ aliàs. Ergò ſimiliter, ſacramentali lege ſtabilitum, omnem matrimonialem Chriſtianorũ

con-

Digitized by Google

cõtractum eſſe ſacramentũm nulla humana authoritas impedire poteſt, ut matrimonialis contractus, ſi legitimus, in ſacramentum tranſeat; at verò contractum eſſe legitimum, aut non, pendet ab hominibus, à quibus reliqui cõtractus. Ergò Pontifex non habet authoritatem opponendi impedimenta matrimoniali contractui, hic enim non eſt ſacramentum formaliter, ſed materia ſacramenti, & reliqui civiles contractus non pendent à Romano Pontifice, ſed à Rege.

Obiectio. Dices Pontificem de facto poſuiſſe impedimenta matrimonii: ergò & poſſe. Reſpondebitur, *Primò*. potuiſſe hæc impedimenta ponere authoritate ordinariâ Regia in regno ſuo, & in aliis regnis delegatâ, ideoque in Galliâ matrimonia clandeſtina adhuc eſſe valida; quia nondum fuerunt legitimè interdicta; non enim authoritate ordinariâ, quia Tridentinum Concilium non fuit Rex Galliæ; non delegatâ; quia interdicebantur à concilio, Rege, & Regno cõtradicendibus: & addetur in Hiſpaniâ eſſe invalida, non, quà interdicta à concilio, ſed quia interdicta à Catholico Rege Concilii petitioni adnuente; nõ ſecus ac ſi ego proponerem Regi eidem talem legem, & ipſe ferret, obligarentur ſubditi latione legis, non meâ propoſitione. *Secundò*, Reges eſſe homines, & ſæpe excedere limites ſuæ authoritatis, ſe ſe in res Eccleſiaſticas ingerendo, cumque & Pontifices etiam homines ſint, non prodeſſe reſolutioni exempla; ſed rationes fortes deſiderari: ſi enim exemplis ſtandum eſſet, multa in vitis, & geſtis Pontificum repeririremus, quæ imitaremur, vel invito decalogo. *Tertiò*, Pontifices ſuam opinionem ſequutos, ſed hoc non tollere quin Reges ſequi poſſint contrariam.

Sic placuit ludere. Omnes hæ rationes apud me habent ſolutionẽ clariſſimam, ſed periclitãdi ingenii cauſa eaſdem Theologis diſſolvendas propono.

FVNDAMENTVM LXXI.

De Rebus Sacramentalibus.

MCCCXLVII. PRæter Sacramenta novæ Legis dantur etiam Sacramentalia, quæ ſunt quædam Sacramentorum umbræ, & imagines, nõ quidẽ inanes, & vacuę: ſed gratiæ ſupernaturalis collativæ, inſtitutæ ab Eccleſia Catholicâ. Multa ſũt quidem Sacramentalia, & inter ea præcipua, Abſolutio ſolennis, Benedictio epiſcopalis: Aqua benedicta: panis benedictus: ſal benedictum: &c. *Quid ſint Sacramentalia & quæ?*

MCCCXLVIII. UT ea, quæ perſtringuntur breviter his paucis lineis, uberius, & clariùs expendamus, volo ſubiicere epiſtolam, quam ante annos paucos ſcripſi, interrogatus, An prima Tonſura eſſet Sacramentum, & ordo? An poſſet claudo, aliàs probo, & docto, conferri? An eſſet tantummodò aliquid ſacramentale? Et quomodo ſacramenta, & ſacramentalia differrent? Scripſi igitur ſic.

Digitized by Google

Dominationis tuæ litteras, & eximiorum etiam dominorum judicia Francofurto diſceſſurus recepi, & conſtans meæ reſolutioni dico aliud eſſe inquirere, *Poſſitne Epiſcopus Titio claudo primam Conferre Tonſuram?* aliud & omnino diverſum, *Poſſitne illam eidem negare?* Rationes enim, quas obiiciunt, huic ultimo dubio reſpondent, nullę primo. Fateor eſſe probabile, quod non poſſit Epiſcopus claudum primâ tonſurâ, aut minoribus ordinibus condecorare; fateor inquam, quia Viri magni id dicunt, tametſi mallem audire rationes, quàm authoritates. Sed hoc ipſum potiùs videtur ſupponi, quàm inquiri; ſolummodò enim petitur, *An ſit probabile, quod poſſit?* Reſpondi, & ut puto, benignè, & ſolidè; ſed quia Epiſtolæ, aut conſilii brevitas longos excurſus non patitur, brevius quàm deſideras, & cauſa ipſa poſtulare videtur. Reſumo igitur calamum, ut eandem materiam retractem, rem altiùs deducendo, ut nõ ſolùm mea opinio (illam jam nuper expreſſi) ſed & fundamenta proponantur.

Quæſtio duplex cõfunditur in Reſolutione ad Autorem tranſmiſſâ.

MCCCIL. *Quid ſit Sacramentum: & quid Sacramẽtale?*

CONCLUSIO I. *Dantur ſacramenta & ſacramentalia.* Sacramentum eſt inſenſibilis gratiæ ſenſibile ſignum à Chriſto Domino inſtitutum. Sacramentale eſt inſenſibilis gratiæ ſenſibile ſignum inſtitutum ab Eccleſiâ Romanâ. Illa habent ex opere operato, hoc eſt, ex meritis Chriſti virtutem: hæc ex opere operantis, ex operibus operatis ſanctorum, quæ reperiuntur in Eccleſiæ Theſauro, & ex opere operato Chriſti, non quidẽ divinitùs promiſſam; ſed humanitùs ab Eccleſiâ imploratam. *Prima* igitur differentia, quæ inter ſacramenta, & ſacramentalia reperitur, eſt evidentiſſima, & in inſtitutore conſiſtit; illa enim inſtituuntur à Chriſto, hæc ab ejus Eccleſiâ. *Secunda* in effectu, quoniam ſacramenta per ſe, aut per acidens conferre ſolent primam gratiam, quę nunquam à ſacramentalibus confertur: hæc enim primam augent, roborant; nõ tamen mortalia peccata; ſed venialia à cordibus humanis diluunt. *Tertia* in jure; quia per ſacramenta adquiritur ius ad rem ipſam, per ſacramentalia ad aliquam circumſtantiam præviam, aut comitẽ, ut videre eſt in Matrimonii ſacramento, cui ſacramentalia correſpondent, quæ ſponſalia vocantur, & ex communi Theologorum ſententiâ illud confert ius in conjugis corpus, at iſta ſolum in oſcula, tactuſque, in quibus nullum relucet pollutionis periculum, & tamen tales tactus, & oſcula ante ſponſalia mala ſunt. *Quarta* in certitudine ipſâ: quoniam de fide eſt, gratiam à ſacramentis conferri; & eiſdem concedi poteſtatem illam determinatam, ad quam ipſa ordinantur; conferri autem à ſacramentalibus gratiam, & poteſtates ſecundarias, prudentiſſimè creditur, tametſi de fide non ſit. Videtur enim oportere Eccleſiam tanti fieri à ſponſo ſuo Chriſto, ut in minoris momenti rebus (tales culpæ veniales, & circumſtantiæ leves, quę occurrunt) valeat diſpenſare, eo, aut ſimili modo quo in gravibus ipſemet Chriſtus. *Quinta* in modo operandi, nã ſacramenta eſſe gratiæ cauſas phyſicas probabiliter à Thomiſtis aſſeritur; at ſacramentalia moraliter influere dicũtur, nec habere phyſicam aliquam cauſalitatem: potuit enim Chriſtus aquæ baptiſmali virtutem realem, & phyſicã, quâ elevetur, ut phyſicè producat gratiam, & primariò originalem culpam proſcribat, & ſecundariò, vel concomitanter univerſas actuales; ſi iſtæ etiam inficiant, hominem, qui baptiſatur: potuit inquam, & forſan fecit: At Eccleſia Aquæ ſuæ luſtrali nullam virtutẽ phyſi-

Vtriuſque differentia.

An Sacramenta & Sacramẽtalia ſint cauſa phyſica?

Digitized by Google

phyſicam communicare poteſt; ſed ſua oratione moraliter eam elevat, ut ejus interventu Deus, qui ſponſam ſuam amore infinito proſequitur, dignetur conferre fortitudinem gratiæ jam per ſacramẽta collatæ: & aliqua venialia condonare, prout hominis devotio exigit, aut placet ſuæ miſericordiæ. *Aliæ* etiam poſſent adiungi differentiæ, quas libenter omitto, exiſtimans præmiſſas ſufficere, ut bene intelligatur diſcrimẽ, quod intereſt ſacramẽtis, & ſacramentalibus. Et quidem ut manifeſtiùs idipſum pateat, nonnihil adhuc de ſacramentis ſingulis, & ſacramẽtalibus ad ea pertinẽtibus, nõ verò prolixè ſubiiciã.

MCCCL. *Baptiſmus triplex.*

CONCLUSIO II. *Baptiſmus inſtitutus à Chriſto eſt in flumine, flamine, & ſangvine: ordinatur primariò ad delendũ originale peccatũ, ſecundariò ad delenda actualia, ſi concurrant, & roborandam naturam ægram hominis lapſi.* Conſultò *roborandam* dixi, non *ſanandam*, quia Adamus lapſu maculatus, & vulneratus eſt; & baptiſmo totaliter abluitur, non verò totaliter ſanatur. Cõcupiſcentia (vulnus grave) ad agonem relinquitur, ut majus meritũ apud Deum velitando obtineamus. Sic enim à cõcilio Tridẽtino docemur.

Baptiſmi imago.

Ad Baptiſmi ſimilitudinem inſtituit ſacramentalia Eccleſia, in flamine, in flumine, in ſangvine. Infans enim baptiſatus domi, cùm per ſalutem, aut alias circumſtantias licet, defertur ad Eccleſiam, & magno ceremoniarum, & exorciſmorum apparatu inſufflationis virtutem recipit: & quidem inſufflatio ipſa non eſt ſacramentũ; ſed ſacramentalis Baptiſmi ipſius ſimilitudo mediã quâ à Deo implorat Eccleſia gratiam, quâ baptiſatus ille Concupiſcentiæ vulnus poſt originalis peccati ablutionem adhuc inficiens animam, minùs ſentiat.

Inſufflatio.

Aqua benedicta.

Aqua etiã luſtralis nihil eſt aliud, quàm baptiſmalis aquæ ſimilitudo, & non ſolùm venialia peccata; ſed & venialiter peccandi neceſſitatem originalis culpæ ſobolem minuit. Et quia Regularis profeſſio mors quædam moralis eſt, baptiſmus alter dici debet, & ſolet, non quòd ipſa ſit ſacramentum inſtitutum à Chriſto; ſed quod ſit baptiſmus Eccleſiaſticus in ſangvine morali inſtitutus, ex vi cujus homo moritur mundo, & voluntarium, longumque martyrium incipit tolerare.

Solennis Profeſſio.

Hinc eſt, quod ſicut mortalia ſacramento baptiſmi, ſic etiam ſolenni profeſſione deleri venialia putemus, & pœnas debitas remitti: profeſſio enim ſolennis inſtitutione Eccleſiæ res quædam ſacramentalis eſt.

Profeſſio alter baptiſmus.

De Voto ſolenni multa Authores, de Aqua-benedicta parciùs, & ideò, ut meam mentem dilucidem & roborem, proponam Didaci Nugni verba, qui *tom. 2. in 3. part. q. 87. art. 3. diff. 2. ſic* inquit. [ſicut ſacramenta novæ legis elevantur à Deo ad cauſandam gratiam phyſicè & realiter per verum contactũ phyſicum realem ad modum rerum naturalium; quia ſcilicet materia ſenſibilis verè tangit animam tactu reali, non quidem tactu quantitativo, propter quod appellatur *contactus virtualis*, eſt nihilominus contactus realis & entitativus. Sicut Angelus verè & realiter tangit cælum quando illud movet. Ita ſimiliter aqua benedicta elevatur à Deo, ut verè & realiter tangat animam tactu illo, qui appellatur virtualis, propterea quod non eſt quantitativus, & nihilominùs ille contactus & realis & entitativus, quo medio movet ipſã animã remittẽdo & realiter corrumpendo veniale peccatum. Et ſicut in adultis ſemper requiritur actus aliquis, ut ſacramenta cauſent gratiam, quanta eſt illa, quæ cauſatur defacto in ſacramẽto. Et ſic verum eſt quod ſacramenta cauſant gra-

An Sacramenta ſint cauſa phyſica?

contactus virtualis.

Quomodo Angeli moveant cælos?

Quomodo aqua benedicta operetur in animam.

gratiam ex opere operato. Similiter licet ad hoc quod aqua benedicta remittat peccata venialia ſemper requiritur aliquis actus, tamen vel actus nō eſt ſufficiens ad peccata venialia remittenda, vel ſaltē non eſt ſufficiens ad omnia illa, quæ de facto remittuntur per aquā benedictā. Et ſic verificatur propriè & rigoroſè, quod ipſa benedicta ex opere operato remittit peccata venialia, ad quod tamen non eſt neceſſarium quod maneat in illâ aliqua qualitas permanēs, ſed ſufficit ipſa elevatio divina quæ eſt motus tranſiens. [*Hucuſque Nugnus.*

Quomodo elevetur aqua benedicta ad producendam gratiam.

MCCCLI. *Confirmatio. Eius imagines.*

Conclusio III. *Confirmatio ſacramentum eſt novæ legis conferens gratiam, quâ quis in fide roboretur.* Ad huius ſacramenti Phyſicè firmantis animum ſimilitudinē inſtituit morales aliquas confirmationes Eccleſia, quæ res ſacramētales ſunt, & moraliter etiā concurrunt. Huius generis ſunt, conciones, meditationes, orationes, quæ ſi Eccleſiæ authoritate fiant, præter operis operantis virtutem, quā retinent, elevantur opere operato ob Eccleſiæ interceſſionem, & ſacramētales dici debent, & primariò firmare animam in Religione catholicā, & ſecundariò delere aliqua peccata venialia, & mentem longius amovere à periculo eadem committendi.

Concio. Meditatio. Oratio.

MCCCLII. *Pœnitentia. Eius imagines.*

Conclusio IIII. *Pœnitentia eſt ſecūda poſt naufragium tabula; videlicet, ſacramentū inſtitutum à Chriſto ad obtinendam abſolutionem peccatorum actualium.* Sed & Eccleſia habet ſua ſacramentalia correſpondētia huic ſacramēto. Primò enim abſolutio Parrochi, quæ diebus Dominicis conceditur populo ſacramentalis eſt, ut conſtat ex cōmuni formulâ, quā vidi in pluribus Eccleſiis ſervari. Nam apud Hiſpanos Paſtor poſt Evangelium die dominicā Sanctorum feſta, quæ in ſequentem hebdomadam incidunt, exponit, ſubiungitq; : *Qui mortali aliquo peccato irretitur, ſuo tempore confitebitur; omnes verò ob peccata venialia dicent mecū; Confiteor Deo* &c. Additq; *Indulgentiam, & abſolutionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus* &c. Secundò abſolutiones illæ ſolēnes, quæ Hiſpanorum more diebus aliquibus feſtis in Eccleſiâ cantantur, ſacramentales etiam ſunt. Tertiò etiam benedictio Epiſcopalis, & præcipue ſummi Pontificis. Quartò abſolutio à cenſuris, & alia quæcunq;, quæ animū authoritate Eccleſiæ reſpiciat; nec tamen ſacramentū ſit. Huc refer Indulgētias etiā defunctis applicatas, quas tām certas putamus, ut probabilioritate contenti non ſimus.

Abſolutio dominicalis. Abſolutio ſolennis. Benedictio Epiſcopalis. Abſolutio à cenſuris.

MCCCLIII. *Euchariſtia. Græcorum ritus. Panis benedictus.*

Conclusio V. *Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum à Chriſto eſt ad nutrimentū animæ, & unionem phyſicam Chriſtiani, & Chriſti.* Græcæ Eccleſiæ ritu ſacerdos integrum panē offert, & benedicit, partem conſecrat, & in cōſecrato reperitur ratio veri ſacramēnti, in reliquo rei ſacramentalis. Sed & apud Romanos die iovis ſancto memoria Cœnæ in multis Eccleſiis celebratur, & hæc cæremonialis communio, ſacramentalis res; non tamen ſacramentum eſt. Datur etiam panis authoritate publicâ Eccleſiæ benedictus, qui inter res ſacramētales poterit numerari; illo enim nō ſolùm corpus; ſed & animā moraliter paſcitur, & Deo moraliter unitur, & ab aliquibus venialibus culpis, tametſi ſecūdariò, liberatur.

MCCCLIV. *Extrema Vnctio. Eius Vis.*

Conclusio VI. *Extrema Vnctio eſt ſacramentum inſtitutum à Chriſto, ut levetur infirmus, & ſi in peccatis fuerit, remittātur ei.* Hoc ſacramentū confert gratiā, quæ primariò fortificat animū phyſicè, & ſecūdariò excludit peccatū mortale, ſi id reperiatur (puta ſi bene diſpoſitus, hoc eſt, attritus fuerit & tamen vel non habuerit, vel habuerit invalidè priora

ſacra-

Digitized by Google

Vnctiones Eccleſiaſtica.

ſacramẽta) & ad huius ſacramẽti ſimilitudinẽ inſtituit Eccleſia unctiones, quę nec ſacramenta ſunt, nec ad ſacramenti integritatem ſpectant; & tamen ex Eccleſiæ intentione ſunt res ſacramentales, quę moraliter inferũt gratiã, & moraliter animũ roborant, & peccata venialia diminuunt. Tales unctiones ſunt omnes illæ, quæ non ſunt ad integritatẽ ſacramenti neceſſariæ; nam cõmuniter dantur ſeptẽ vel octo (pectus etiã ſolet inungi) & tamen pręter quinq; reliquas nõ eſſe de eſſẽtiâ ſacramẽti certũ omninò eſt, & illud unicâ cõpleri, & reliquas addi ex Eccleſiaſtico præcepto, vel ſaltẽ ad integritatẽ pertinere, eſt probabile.

Vnctionum numerus.

MCCCLV. *Matrimonium.* Conclusio VII. *Matrimoniũ eſt ſacramentum, quod inter alios effectus habet hunc, quòd det conjugi jus* (nempe matrimoniale non aliud) *in corpus conjugis.* Ad illius ſacramenti ſimilitudinem ſponſalia, tanquam diſpoſitio, ab Eccleſiâ ſunt inſtituta; & hæc ipſa non conferunt ius matrimoniale conjugibus; non enim poſſunt ſponſi cõmiſceri; ſed conferunt illud in omnia, quę diſponunt ad copulam, modò non ſit pollutionis periculũ, ut apud doctiſſimos authores legimus.

Sponſalia.

His poſitis.

Ad ordinis ſacramentũ adveniens, quæ ſint ſacramentalia ab Eccleſiâ hoc genere inſtituta diſquirã. Sit igitur

MCCCLVI. *Ordo.* Conclusio VIII. *In Eccleſiâ veteri fuerunt novem ordines; nimirum ſacerdotũ, diaconorum ſubdiaconorum, Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorũ, & Oſtiariorũ, quibus adiunge, Cantorum, & ſepulturariorum.*

Ordines Angelorũ ſunt novẽ.

Videtur hæc inſtitutio Cœlum ipſum reſpicere, & res ita diſponere ut ſicut in Eccleſiâ triumphante novem Angelorũ ordines reperiuntur; ſic etiam in militante humani Angeli ad corporis Chriſti conſecrationem ordinati, in novem Choros diſtincti miniſtrarent.

MCCCLVII. Conclusio IX. *Sacerdotij collatio eſt verum ſacramentum in omnium opinione.* Dicunt aliqui (an probabiliter alij diſcutiant, & examinent) in hoc ſacramento cõſecrandi corpus & ſanguinẽ Chriſti poteſtatẽ abſolutè, & primariò concedi, ſecundariò, & conditionaliter poteſtatem abſolvendi à peccatis, conſecrandi ſacerdotes, conferendi epiſcopatus, & decidendi infallibiliter quæſtiones fidei. nempè abſolvendi à peccatis, ſi legitimè approbetur, & oves validè recipiat; conſecrandi ſacerdotes, ſi fiat Epiſcopus; conferendi epiſcopatus, & decidendi veritates fidei, ſi fiat Pontifex Maximus. Unde conſtaret epiſcopi conſecrationẽ ultimatè ſumptam, hoc eſt præciſam à ſacerdotio, non eſſe ſacramentum formaliter; ſed completivè Si obiicias Tridentinum, in cujus ſeſſ. XXIII. cap. VIII, legis: *Siquis dixerit epiſcopos nõ eſſe Præſbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi aut vel eam, quam habent illis eſſe cum preſbyteris communem; &c anathema ſit*; Non tanguntur; poteſtas enim abſoluta, quæ competit epiſcopis, non eſt communis omnibus ſacerdotibus; his enim conſecrationis ſuæ virtute poteſtas non niſi conditionatè conceditur, nimirum habendi, ſi fiant Epiſcopi.

Sacerdotiũ eſt ſacramentum.

An Epiſcopi differant ab alijs ſacerdotibus?

Scio eſſe viros Eximios, qui conſecrationem Epiſcopi eſſe ſacramentũ contendunt, eſſe, qui negent; & re bene examinata non videtur eſſe quæſtio de re, ſed modo loquendi; nã Petrus Soto, *lect. 4. de ſacram. ordinis* negãtes putat eſſe hęreticos: Michael de Medina, *lib. 1. de ſac. homin. contin. c. 15.* eoſdem aſſerit periculosè diſcurrere: & gravi dignos notâ Varquezius *in 3. par. diſp. 240. c. 4.* modeſtiùs autem omnibus Ægidius Coninck *de ſacr. diſp. 10. dub. 6. n. 43.* docet ſententiam, quæ tenet Epiſcopi conſecrationem

An Epiſcopatus ſit ſacramentum?

onem eſſe verum ſacramentum, eſſe jam fere communem. Quorum rigor videtur remitti à dicentibus, ut jam ante vidimus, nos debere in hac materiâ philoſophari aſſerendo Epiſcopum eſſe talem ſacerdotem, adeoque conſecrationem ejus poſſe bifariam intelligi, adæquatè videlicet, & inadæquatè: adæquatè ſumptam eſſe verum ſacramentum, quia eſt talis ſacerdotis conſecratio, inadæquatè ſumptã; nempe quà talem, eſſe ſacramentum completivè, ſeu complementũ prioris ſacramenti; non verò ſacramentum totale à priore diſtinctum. At ego, quia in re tantâ non volo à communi opinione diſcedere, teneo ſubdiaconatûs diaconatûs ſacerdotii, & epiſcopatûs conſecrationes eſſe vera ſacramenta, qui autẽ inter ſe diſſtinguantur, aut conveniant, non videtur ad noſtram controverſiam conducere, quæ non concernit diſtinctionem ſacramentorum inter ſe; ſed ſacramentorum, & ſacramentalium.

Et an ſit à ſacerdotio diſtinctũ?

MCCLVIII. *Diaconatus, & ſubdiaconatus.*

Conclusio X. *Certior ſententia eſt, quæ diaconatum eſſe ſacramẽtum affirmat, illâ quæ ſubdiaconatum.* Oſtenditur; quia plures Diaconatui rationem ſacramenti, & non ita plures ſubdiaconatui ipſi concedunt; nam Diaconatũ eſſe ſacramentum ſoli negant Durandus, & Cajetanus Viri magni, qui ſimul cur non debeant facere opinionem probabilem, non video, legatur ille *in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 1.* iſte *tom. 1. opuſcul. tract. 11.* quorum rationes, qui evidenter diluat, erit magnus Apollo. Notet tamẽ lector, me, cùm dico, non videre cur non ſit probabilis, non dicere, me videre, cur ſit probabilis: nam inter hæc duo magnã differentiam reperio. At ſubdiaconatũ eſſe ſacramentum præter Durandum, & Cajetanum jam citatos negat Magiſter *in 4. diſt. 24. §. ſeptimus in fine.* Cui adjungi debet Gratianus, *in decreti d. 21. in fine.* *primi §.* Martinus de Ayatâ *lib. de traditionibus Apoſtolic. part. 2. c. de ord. §. ſynodus. d. ſilu.* Et probabiliter Ægidius Coninck, qui *diſp. 20. de ſacram. dub. 6. n. 4.* Contrariam ſententiam judicat probabiliorẽ. [Addo obiter diaconiſſarum inſtitutionem illi opinioni, quæ negat diaconatum eſſe ſacramentum favere, fateor tamen id ipſum poſſe ab aliis: nam ſi diaconiſſæ diaconatum non eſſe ſacramentum probarent, etiam preſbyteræ ſacerdotium ſacramentum non eſſe, vel detur diſparitatis ratio. Unde hoc argumentum, quia nimium probat, nihil probat. Videatur idem Coninck *ubi ſupra dub. 5. n. 96.* Favet etiam eidem ſentẽtiæ multorum Abbatum ordinis Ciſtercienſis Privilegium, ex vi cujus ordinem Diaconatûs, & ſubdiaconatûs conferunt, cùm tamen ſacramentũ Ordinis conferri debeat ab Epiſcopo: hoc autẽ ſuam ſolutionem habet. Sed & Urbanus relatus *diſt. 60. c. 4.* Cùm dicit primitivã Eccleſiam habuiſſe tantùm ſacerdotiũ, & Diaconatũ, videtur ſubdiaconatum excludere. Sed & ipſi noſter Fulienſis Petrus à S. Ioſeph. *c. 35. reſol. 5.* reſpõdet.

Diaconiſſæ & Preſbyteræ.

Abbates ordines majores conferunt.

Si ſupponeretur ſolùm ſacerdotium eſſe ſacramẽtum, diaconatus res ſacramentalis eſſet, ad ſacerdotiũ diſponens, quę cùm immediatè diſponeret, magna res, & gravis cenſenda: ſed jam gravior: dicitur enim eſſe ſacramentum, ut tenet ſententia cõmunis. Subdiaconatus ſi nõ ſit ſacramentũ, vel eſt ad diſpoſitionem diſpoſitio, vel ſaltẽ diſpoſitio ad ſacramentũ, poteſt dici res gravis, quia probabiliter eſt ſacramentum, & ad ſacramentum diſponens. Si dicas ordinẽ eſſe ſacramentum, quod conſiſtit in diaconatu initiativè, in ſacerdotio formaliter, in Epiſcopatu cõpletivè; nec dabis octo ſacramenta, nec evidenter à veritate diſcedes.

Conclusio XI. *Probabile eſt ſubdiaconatum* MCCLIX.

Digitized by Google

Subdiaconatus. *conatum non eſſe ſacramentũ.* Supponendo igitur, illum ſacramentum non eſſe, quid erit? Res ſacramẽtalis, magni quidem momenti, & ideò meritò inter majores ordines numerata.

Minores ordines. CONCLUSIO XII. *Probabile eſt Minores ordines non eſſe ſacramenta.* Admittitur ab univerſis. Stando igitur huic ſententiæ, minores ordines ſunt res ſacramẽtales ad ſubdiaconatum, qui res eſt etiã probabiliter ſacramentalis, ordinatæ; hoc eſt, minores diſpoſitiones ordinatæ ad majorem diſpoſitionem ordinatam ad ſacramentum.

Cantoratus & ſepulturatus. CONCLUSIO X II. *Cantoratus & ſepulturatus videtur fuiſſe olim ordines, jã nõ ſunt.* Conſtat ex cõcilii IV. Carthaginẽſis c. 10. in quo mentio fit Cantorũ, ſive Pſalmiſtarũ; unde Turrianus apud Valentiam *diſp. 9. q. 1. punct. 2. ſub finem.* & apud Coninck *diſp. 20. de ſac. d. 2. n. 6.* admittit eſſe hodie Pſalmiſtarum ordinẽ, *Pſalmiſteratus.* cùm deberet aſſerere, illum fuiſſe, jam non eſſe; quia à Tridentino, quod diminutè proceſſiſſe dicendum non eſt, non enumeratur: *Sacramenta & ſacramentalia mutari poſſunt.* Res enim ſacramentalis pendet ab Eccleſiæ inſtituto, ſicut à Dei inſtituto ſacramenta veteris legis mutavit Deus; Et novæ legis ſacramentalia mutare poteſt, & ſolet Eccleſia. De ſepulturatu vide Petrum à S. Ioſeph *in ideâ ſacramentalis Theologiæ c. 35. reſol. 6. §. dices inter.* Et puto rationem ordinis minoris veriùs in ipſo, quàm in multis ex quatuor poſſe concipi, nã etiam ſepulturatus Euchariſtiam concernit; cùm ſæpe contingit mori hominem antequàm ſpecies ſacramentales digerat, & tunc illud cadaver vas eſt corporis Chriſti, & non debet prophanè tractari. *An corpus Chriſti in cadavere maneat?* Potuit igitur Eccleſia ordinem ſepulturatûs inſtituere; & quia rationes in contrariũ occurrerunt, quæ praxin difficilem redderent, potuit revocare, aut permittere, quod obſoleſceret, & in diſſuetudinem tranſiret.

Prima tonſura. CONCLUSIO XIV. *Prima tonſura non ſolùm non eſt ſacramentũ, ſed neque res ſacramentalis magna, nec minor ordinis ſacramento reſpondens: Eſt tamen aliqua remota diſpoſitio, aut potiùs remotiſſima ad ſacramentum ordinis, non videtur intrinſecè eſſe res ſacramentalis; ſed extrinſecè; eſt enim diſpoſitio ad res ſacramentales.* MCCCLX. *An ſit Sacramentũ?* Non eſſe ſacramentum, imò nec ordinem minorem docent communiter Theologi, ut videre eſt apud Coninch *de ſacr. diſp. 20. n. 3. & 9.* & apud alios.

Aqua benedicta. CONCLUSIO XV. *Res magis ſacra & majoris momenti eſt aqua benedicta, quàm prima tonſura ſi loquamur formaliter: ſi initiativè ſublimior eſt prima tonſura. Atque idcirco maiore reverentiâ tractanda.* Oſtẽditur clariſſimè; quia aqua benedicta eſt res ſacramentalis, in rebus levibus vim baptiſmi imitans ex inſtitutione Eccleſiæ; at tonſura non eſt intrinſecè res ſacramentalis, nec ordo, ſed diſpoſitio ad ordines minores, qui ſunt diſpoſitiones ſucceſſivæ ad ſubdiaconatum, & per hunc, & diaconatum ad ſacerdotium, unde immediatè nullã gratiam ex opere operato confert; ſed eſt remotiſſima quædam diſpoſitio ad ſacramentum.

De Clericorum privilegiis. Ex favore Eccleſiæ multa ſunt Privilegia, habentibus tonſuram conceſſa, quibus videntur piorum animi adlici, ut propius Eccleſiam accedant. *Tonſura: ordo virtualis.* Unde quamvis ordo non eſt, in rebus favorabilibus ordo dici poteſt: eſt enim ordo virtualiter, quia licèt ordo non ſit, ita ſe habet, ac ſi ordo veraciter eſſet.

MCCCLXI. *Quid nomen Ordo ſignificet?* In rebus odioſis quando nomen ordinis abſolutè ponitur, intelligendũ eſt de majoribus; unde omnia jura, quæ ordinatos à matrimonio arcent, intelligenda ſunt arcere ſolùm ad ordines majores.

Digitized by Google

majores promotos. Vel ſi contrarium velis defendere audi ſeſſ. 24. Can. 9. Tridentini : *Si quis dixerit Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares, Caſtitatem ſolenniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſticâ, vel voto*, &c. *Anathema ſit*. Ubi *clericorum in ſacris ordinibus conſtitutorum* nomine nõ intelliguntur alii, quàm promoti ad majores. Hoc eodem ſenſu intelligendum eſt concilium Nicenum 1. can. 3. ubi prohibetur, ne quis ex iis, qui in Clero ſunt conſtituti, cum mulieribus habitent: nam ut optimè exponit Petrus à S. Ioſeph *cap. 36. reſol. 5. not.* 2. per illa verba non intelliguntur omnes clerici, ſed ii tantùm, qui in clero ſunt conſtituti cum obligatione, ſervandi caſtitatem, quales ſunt ſacerdotes, diaconi, & ſubdiaconi. Eodem omninò modo venit exponendus S. Hieronymus contra Vigilantium poſt initium dicens : *Quid facient Orientis Eccleſia, quid Ægypti, & ſedis Apoſtolica, qua aut Virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt.* Ubi *clericorum* nomine ſacerdotes, aut fortè diaconi, & vix ſubdiaconi, & nullo modo ad ordines minores promoti debent intelligi. Quando nomen minorum ordinum in odioſis exprimitur, non includit tonſuram, quia hæc non eſt ordo ſacer, eamque à minoribus ordinibus concilium Tridentinum diſtinguit. Seſſionis XXIII. cap. v. hæc lego.

Ad ordines maiores promoti, & ſolenniter profeſſi, invalidè matrimonium contrahunt.

Nomen clerici aliquando ſacerdotem ſignificat.

Tonſura non eſt ordo.

Abbatibus, ac etiam alys quibuscunque quantũvis exemptis, non liceat impoſterùm cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram, vel minores ordines conferre. Ecce minores illud ordines à tonſurâ diſtinguit; quia cùm res eſſet odioſa; ſi illam omiſiſſet, adhuc illam Abbates etiam non ſubditis conferrent. Ergò ſicut hîc debuit expreſsè poni tonſura, ut crederetur affecta hoc gravamine, etiam debebit alibi; nec erit nomine minorum ordinum intelligenda, ubi materia odioſa ſit.

In rebus favorabilibus nomine *ordinum inferiorum* omnes minores ſacerdotio veniunt intelligendi. Conſtat ex *c. unico de clerico per ſaltum promoto*, quod explicat Coninck *diſp. 20. de ſacram. num.* 99. his verbis : *Notandum eſt per ordines inferiores, quos ille ibi dicitur ſuſcepiſſe, non intelligi ſolos minores, ſed omnes inferiores ſacerdotio, &c.* MCCCLXII

Ordines inferiores.

CONCLUSIO XVI. *Non reperitur in toto Canonico Iure locus, in quo aſſeratur claudos non poſſe ad primam tonſuram promoveri.* Vel qui contrarium opinetur, oſtendat. Ergò claudi tonſurâ Eccleſiaſticâ donari poſſunt.

An claudi admitti poſſint?

CONCLUSIO XVII. *Poſito non conceſſo, quòd Canon aliquis daretur circa primam tonſuram, videretur potius Conſultivus, quàm præceptivus.* Conſtat; quia cùm eò collineaverit præcedens apparatus, ut clarè oſtendat tonſurã eſſe rẽ bonam, & tametſi initiativè ſit maximi, formaliter eſt res minoris in ſe ſanctitatis, quàm aqua benedicta, adeoq; nõ niſi parvi momẽti [concluſionẽ præcedentẽ relege] cumque ex aliâ parte ferre legem ſit res graviſſimi momenti, & non niſi de rebus gravibus debeat jure poſitivo diſponi: Conſequens eſt, ut res ex ſe leves Conſilijs potiùs, quam legibus ſoleant gubernari. Et hoc ipſum probatur evidenter à ſimili, quia dantur leges de ſcientiâ & ætate pro ſingulis ordinibus etiam minoribus, nempe implicitè, aut explicitè latæ; nec tamen reſpectu minorum ordinum graviter obligant. Ægidius Coninck *diſp. 20 dub. 10. n. 102.* ſic inquit. *Pro minoribus ordinibus nulla certa ætas præſcribitur; ſed ſolùm c.* 4. *&* 11. MCCCLXIII.

An ætas minoribus ordinibus deſignata graviter obliget?

pro

Digitized by Google

Tonſura non eſt minor ordo. pro tonſura, & minoribus ordinibus (ecce illam ab iſtis diſtinguit) *requiritur certa ſcientia, quæ communiter ſaltem novem, aut decem annos ætatis requirit.* Petrus à S. Joſeph. *cap.* 36. *idea ſacramentalis reſol.*4. ſic inquit. *Ex qua* (nempe *praxi Eccleſiæ*) *etiam habemus ad primam tonſuram ſufficere ætatem ſeptem annorum, imò ordines minores poſt ſeptenniũ poſſe conferri, excepto Acolytatu qui non niſi an. duodecimo adminiſtrari debet.* Ubi tria obſerva; Primam tonſuram ſemper à minoribus ordinibus diſtingui, ſecundò praxin Eccleſiæ in rebus gravibus habere vim legis, tertium deſciẽtia ad minores ordines promovendorum dari expreſſam legem, ut bene Coninck adnotavit. Et audi eundem Fulienſem, qui paulò ante dixerat, *Ad primam tonſuram, & minores ordines* (ſemper hos ab illa diſtinguit) *exſpectandum eſſe ex congruentia, & honeſtate uſum rationis. Ad majores verò etiam ex præcepto: ita ut ſi quis Epiſcopus infantem nondum ratione utentem, ſubdiaconatu, aut Presbyteratu initiet, peccet mortaliter contra præceptum Eccleſiæ.* Non igitur, qui infantem minoribus Ordinibus. Ergò praxis Eccleſiæ, quam Petrus à S. Joſeph, & lex de ſufficientiâ, quam Ægidius Coninck cognoſcit, obligant per modum congruentiæ, & conſilij. Sunt igitur minores ordines res etiam leves, aliàs graviter obligarent. Quod locum omninò habet ſupponendo illos non eſſe ſacramenta, quod eſſe probabiliſſimum nemo Theologus negare poteſt.

An minores Ordines res graves ſint? An etiam Sacramenta?

Sed quidquid ſit de hac concluſione ultimâ, penultimâ, omninò ſufficit impræſentiarum, ex quâ tandem

CONCLUDITUR, *Titium, tametſi claudum poſſe ad tonſuram promoveri.* & cùm eædem rationes pro minoribus ordinibus militent, & hi ipſi non Sacramenta; ſed res quædam Sacramentales, & Cæremoniales probabiliter ſint, & vix notabilis momenti; fortè non ſunt, ob quas tot verba inſumi debeant, & tot Viri docti in diverſis Academijs conſuli; errat enim, qui gravia parvi facit, errat qui parva magni; debent enim magna fieri magni, parva parvi, nulla nihili; & Cæremonialia, imò & ſacramentalia tanta ſunt in genere boni, quanta peccata venialia in genere mali: his enim directè opponuntur: cùmque venialia non ſint graviter mala, cur illa debeant graviter bona cenſeri non video. Si minores ordines Sacramenta ſint, omnia, quæ objecta, & dicta locum habeant, graviter obligatur Epiſcopus, ne claudum promoveat; ſed eſſe probabile eoſdem ordines Sacramenta non eſſe evidens eſt. Si non ſunt Sacramenta res cæremoniales ſunt, aut ut plurimùm ſacramentales, & ut reliquæ ſacramentales tractandæ. Suam ſententiam alijs relinquo; non diſcutio, non approbo non improbo, meam eſſe probabilem contendo, & poſſe cuicunque Epiſcopo tutò conſuli, & à quolibet poſſe practicari.

MCCCLXIV. *Claudos poſſe tonderi, ſi probi ſint.*

Quãti debeant fieri res parvæ? Quãti Sacramentalia?

Sic ſentio, ſalvo doctiorum judicio. Dedi Herbipoli die 8. Maji, Anno M. DC. XLV.

APPENDIX

Complectitur obſervationes aliquas circa ſeptem capita præcedentia.

MCCCLXV. *Multa ſunt intra ſpeculationis terminos dicta, quæ nova ſpeculatione indigent, ut legitimè reducantur ad praxin. Hanc Ego ob cauſam has paucas paginas ſubſcripſi, ne quid eſſet in quo Lector meus hallucinari aut perturbari poſſet.*

SECTIO I.

De præcedentium principiorum intelligentia & uſu.

De rationis paritate. EST inter doctos celebris controverſia, quæ inquirit, *An ex uno caſu liceat ad alterum argumentari?* alijs rationis paritatem nimis laxè admittentibus, alijs concludentibus cum Ariſtotele nihil ex particularibus inferri poſſe. *Ex particularibus univerſales deducuntur interdum.* At quia ego aſſerui in Logica ex meris particularibus poſſe aliquando univerſales conſequentias inferri; aliquando non poſſe: neutris univerſaliter ſubſcribo, ſed mediâ incedens viâ, jam iſtis, jam illis me attempero, prout rationis poſtulat vis, & argumentationis efficacia.

Propoſitionum materia quadruplex. Ut rem intelligas, adnotato dari quatuor propoſitionum materias; aliæ enim ſunt in neceſſaria, aliæ in remota, aliæ in convertibili, aliæ in contingente. Sanè neceſſaria materia eſt, cum *neceſſaria.* prædicatum eſt de eſſentia ſingulorum inferiorũ; ut cùm dicimus *Petrus eſt animal,* animal enim, quia convenit Petro eſſentialiter, convenit etiam omnibus alijs hominibus, unde admittetur hæc illatio, *Petrus eſt eſſentialiter animal, Ergò omnis homo eſt animal.* Idem omninò dicam, ſi materia ſit convertibilis; (ſic *convertibilis.* dicitur cùm prædicatum eſt proprietas in quarto modo, quæ competit omni, ſoli & ſemper, vi cujus, ſi *Petrus eſt riſibilis, Etiam omnis homo erit riſibilis.*) Materia remota, neceſſaria etiam eſt, ſed *remota.* alio modo; quia ſicut *animal* Petro neceſſariò convenit, ſic etiam *Lapis* neceſſariò repugnat, unde ſi *Petrus eſt eſſentialiter non lapis, Nemo erit lapis.* At materia contingens eſt fragilis, & in ipsâ *& contingens.* nec ab uno particulari ad alterum, nec ab uno ſingulari ad univerſale, ſed ſolùm ex univerſali ad particulare valet argumentatio. Hanc ob cauſam non valet, *Petrus eſt albus, Ergo & Paulus eſt albus.* adeoque nec hæc, *Ioannes eſt niger,*

Digitized by Google

ger, Ergo omnis homo eſt niger. ſed ſolùm hæc. *Omnis homo eſt niger, Ergo Ioannes eſt niger.* Hinc patet alto conſilio in Logica à me poni iſtam Regulam, *ſi aliqua præmiſſa fuerit particularis & materia convertibilis aut neceſſaria, inferri poterit concluſio univerſalis; ſecùs ſi materia fuerit accidentalis aut contingens.* & etiam hanc. *Ex puris particularibus in materia convertibili aut neceſſaria idem quod ex univerſalibus; in materia autem contingente nihil ſequitur.*

Regula Dialectica

MCCC-LXVI. *Moralium propoſitionum materia etiã quadruplex.*

Hanc doctrinam facili modo poterimus reducere ad mores, & Theologiam practicam. Dico igitur Morales propoſitiones ad quatuor materias omninò diverſas ſpectare; nimirùm, neceſſariam ſeu indiſpenſabilem; remotam ſeu inconceſſibilem; propriam, ſeu univerſaliter conſectariam; contingentem ſeu liberam & ab arbitrio dependentem. Materia neceſſaria moraliter, quæ humanitùs indiſpenſabilis eſt, eſt præcepta divinitùs; ſive à Deo in Decalogo, ſive à Chriſto in Sacramentorum uſu. Materia remota moraliter eſt humanitùs inconceſſibilis; nempe aut à Deo in Decalogo, aut à Chriſto in Sacramentis interdicta, Et quia res præceptæ, ſicut etiam interdictæ ſuas habent univerſales proprietates, & ut loquuntur Dialectici, in quarto modo, datur etiam materia convertibilis moralis. Et denique quia præter præcepta Decalogi, quæ ſi affirmativa ſint, neceſſitatem; ſi negativa, impoſſibilitatem important, dantur humanæ leges l beræ & diſpenſabiles, quæ poſſunt eſſe & non eſſe; addenda fuit materia moralis contingens, in qua nulla præcipiendi aut aſſerendi neceſſitas aut impoſſibilitas; ſed mera congruentia & voluntas reperiretur.

Neceſſaria ſeu indiſpenſabilis.

Remota, ſeu inconceſſibilis.

Convertibilis.

Contingens aut libera.

MCCC-LXVII. *Qualis ſit Regula S. Benedicti?*

Hanc doctrinam altè percallebat meus Bernardus, cùm libro de præcepto & diſpenſatione ſic inquit, *ut ſentio ego, Regula I. Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli. Prodeſt ſi devotè ſuſcipitur & tenetur, non tamen ſi non ſuſcipitur obeſt. Quod autem in voluntate eſt ſuſcipientis, non in poteſtate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non neceſſarium.* Regula igitur Benedictina, aſſerente Bernardo, poteſt adeſſe & abeſſe abſq; ſubjecti corruptione; ergo non eſt materia impoſſibilis aut neceſſaria, ſed contingens voluntariaque. Unde Melleus Doctor progreditur, *Attamen hoc ipſum, quod dico voluntarium, ſi quis ex propria voluntate ſemel admiſerit & promiſerit deinceps tenendum, profectò in neceſſarium* (hoc eſt in materiam voti, & obligationem ad Decalogum ſpectantem) *ſibi ipſe convertit; nec jam liberum habet dimittere, quod ante tamen non ſuſcipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate ſuſcepit, ex neceßitate jam tenebit: quia omninò neceſſe eſt eum reddere vota ſua; & ex ore ſuo condemnari jam, aut juſtificari. Cæterùm fœlix neceßitas, ut quidam Sanctorum ait* [*nimirùm, Auguſtinus tom.2.epiſt.*45. *ad Armentarium*] *quæ in melius cogit.* Et ego eidem doctrinæ inſiſtens has concluſiones omninò tenendas ſubſcribo.

MCCC-LXVIII. *Fundamẽ-tum quid?*

PRIMA. *Fundamentum, eſt quædam ſententia practica univerſalis, juxta quam, ſi bene ponatur & intelligatur, poterimus ſecurè diſcurrere.* Breviùs ab alijs, ſed eumdem conceptum dicitur *Via erroris expers*; aut etiam *Iter morale rectum, & errorum impatiens.* Vocatur à Canoniſtis *Regula*, & à Philoſophis *Principium*, à nobis verò *Fundamentum*, quòd omnes Morales Reſolutiones fundent.

Regula. Principiũ.

Digitized by Google

APPENDIX

Complectitur obſervationes aliquas circa ſeptem capita præcedentia.

MCCC. LXV. *Multa ſunt intra ſpeculationis terminos dicta, quæ nova ſpeculatione indigent, ut legitimè reducantur ad praxin. Hanc Ego ob cauſam has paucas paginas ſubſcripſi, ne quid eſſet in quo Lector meus hallucinari aut perturbari poſſet.*

SECTIO I.

De præcedentium principiorum intelligentia & uſu.

De rationis paritate.

Eſt inter doctos celebris controverſia, quæ inquirit, *An ex uno caſu liceat ad alterum argumentari?* alijs rationis paritatem nimis laxè admittentibus, alijs concludentibus cum Ariſtotele nihil ex particularibus inferri poſſe. At quia ego aſſerui in Logica ex meris particularibus poſſe aliquando univerſales conſequentias inferri; aliquando non poſſe: neutris univerſaliter ſubſcribo, ſed mediâ incedens viâ, jam iſtis, jam illis me attempero, prout rationis poſtulat vis, & argumentationis efficacia.

Ex particularibus univerſales deducuntur interdum.

Propoſitionum materia quadruplex.

Ut rem intelligas, adnotato dari quatuor propoſitionum materias; aliæ enim ſunt in neceſſaria, aliæ in remota, aliæ in convertibili, aliæ in contingente. Sanè neceſſaria materia eſt, cum prædicatum eſt de eſſentia ſingulorum inferiorũ; ut cùm dicimus *Petrus eſt animal*, animal enim, quia convenit Petro eſſentialiter, convenit etiam omnibus alijs hominibus, unde admittetur hæc illatio, *Petrus eſt eſſentialiter animal, Ergò omnis homo eſt animal.* Idem omninò dicam, ſi materia ſit convertibilis; (ſic dicitur cùm prædicàtum eſt proprietas in quarto modo, quæ competit omni, ſoli & ſemper, vi cujus, ſi *Petrus eſt riſibilis, Etiam omnis homo erit riſibilis.*) Materia remota, neceſſaria etiam eſt, ſed alio modo; quia ſicut *animal* Petro neceſſariò convenit, ſic etiam *Lapis* neceſſariò repugnat, unde ſi *Petrus eſt eſſentialiter non lapis, Nemo erit lapis.* At materia contingens eſt fragilis, & in ipſâ nec ab uno particulari ad alterum, nec ab uno ſingulari ad univerſale, ſed ſolùm ex univerſali ad particulare valet argumentatio. Hanc ob cauſam non valet, *Petrus eſt albus, Ergo & Paulus eſt albus.* adeoque nec hæc, *Ioannes eſt ni-*

neceſſaria. *convertibilis.* *remota.* *& contingens.*

ger,

Digitized by Google

ger, *Ergo omnis homo eſt niger.* ſed ſolùm hæc. *Omnis homo eſt niger, Ergo Ioannes eſt niger.* Hinc patet alto conſilio in Logica à me poni iſtam Regulam, *ſi aliqua præmiſſa fuerit particularis & materia convertibilis aut neceſſaria, inferri poterit concluſio univerſalis; ſecùs ſi materia fuerit accidentalis aut contingens.* & etiam hanc. *Ex puris particularibus in materia convertibili aut neceſſaria idem quod ex univerſalibus; in materia autem contingente nihil ſequitur.*

Regula Dialectica.

MCCC-LXVI. Hanc doctrinam facili modo poterimus reducere ad mores, & Theologiam practicam. Dico igitur Morales propoſitiones ad quatuor materias omninò diverſas ſpectare; nimirùm, neceſſariam ſeu indiſpenſabilem; remotam ſeu inconceſſibilem; propriam, ſeu univerſaliter conſectariam; contingentem ſeu liberam & ab arbitrio dependentem. Materia neceſſaria moraliter, quæ humanitùs indiſpenſabilis eſt, eſt præcepta divinitùs; ſive à Deo in Decalogo, ſive à Chriſto in Sacramentorum uſu. Materia remota moraliter eſt humanitùs inconceſſibilis; nempe aut à Deo in Decalogo, aut à Chriſto in Sacramentis interdicta, Et quia res præceptæ, ſicut etiam interdictæ ſuas habent univerſales proprietates, & ut loquuntur Dialectici, in quarto modo, datur etiam materia convertibilis moralis. Et denique quia præter præcepta Decalogi, quæ ſi affirmativa ſint, neceſſitatem; ſi negativa, impoſſibilitatem inportant, dantur humanæ leges liberæ & diſpenſabiles, quæ poſſunt eſſe & non eſſe; addenda fuit materia moralis contingens, in qua nulla præcipiendi aut aſſerendi neceſſitas aut impoſſibilitas, ſed mera congruentia & voluntas reperietur.

Moralium propoſitionum materia etiã quadruplex.

Neceſſaria ſeu indiſpenſabilis.

Remota, ſeu inconceſſibilis.

Convertibilis.

Contingens aut libera.

MCCC-LXVII. Hanc doctrinam altè percallebat meus Bernardus, cùm libro de præcepto & diſpenſatione ſic inquit, *ut ſentio ego, Regula S. Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli. Prodeſt ſi devotè ſuſcipitur & tenetur, non tamen ſi non ſuſcipitur obeſt. Quod autem in voluntate eſt ſuſcipientis, non in poteſtate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non neceſſarium.* Regula igitur Benedictina, aſſerente Bernardo, poteſt adeſſe & abeſſe abſq; ſubjecti corruptione; ergo non eſt materia impoſſibilis aut neceſſaria, ſed contingens voluntariaque. Unde Melleus Doctor progreditur, *Attamen hoc ipſum, quod dico voluntarium, ſi quis ex propria voluntate ſemel admiſerit & promiſerit deinceps tenendum, profectò in neceſſarium* (hoc eſt in materiam voti, & obligationem ad Decalogum ſpectantem) *ſibi ipſe convertit; nec jam liberum habet dimittere, quod ante tamen non ſuſcipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate ſuſcepit, ex neceſſitate jam tenebit: quia omninò neceſſe eſt eum reddere vota ſua; & ex ore ſuo condemnari jam, aut juſtificari. Cæterùm fœlix neceſſitas, ut quidam Sanctorum ait* [*nimirùm, Auguſtinus Tom.*2.*epiſt.*45. *ad Armentarium*] *quæ in melius cogit.* Et ego eidem doctrinæ inſiſtens has concluſiones omninò tenendas ſubſcribo.

Qualis ſit Regula S. Benedicti?

MCCC-LXVIII. PRIMA. *Fundamentum, eſt quædam ſententia practica univerſalis, juxta quam, ſi bene ponatur & intelligatur, poterimus ſecurè diſcurrere.* Breviùs ab alijs, ſed eumdem conceptum dicitur *Via erroris expers*; aut etiam *Iter morale rectum, & errorum impatiens.* Vocatur à Canoniſtis *Regula*, & à Philoſophis *Principium,* à nobis verò *Fundamentum,* quòd omnes Morales Reſolutiones fundent.

Fundamẽtum quid? Regula. Principiũ.

Digitized by Google

An ex Regulis prodierit Ius?

Secunda. *Ius non eſt elimatum ad Regulas, ſed hæ deductæ ex Iure.* Conſtat ex Paulo JC. qui *l. 1. ff. de reg.* ſic ait, *Rem, quæ eſt, breviter enarret; non ut ex Regula Ius ſumatur, ſed ut ex Iure quod eſt, Regula fiat.* Atque ideò Regulæ non in initio

Cur Regulæ in fine ponantur?

ſed in fine ponuntur: nam libri Pandectarum ultimus titulus eſt *de Regulis Iuris*, quos imitatus Bonifacius VIII. ſummus Pontifex, addidit Decretalibus libro VI. titulum *de Regulis Iuris*, ne Canonicum Jus compendio illo careret. Sed omninò condolendum fuit quod Regulæ priùs inventæ non fuerint, & utriuſq; Juris conditores illæ non prædeterminaverint; tunc enim eſſent omnia perfectiora, & meliùs inter ſe cohærentia.

Veritas illuſtratur exemplo.

Igitur ut benè intelligas, quî debeant aut poſſint Regulæ cum Jure comparari, exemplum notiſſimū proponam, & à rationis paritate diſcurram. Ecce habes præ oculis Regulas Latinæ Grāmaticæ à Patre Alvarez ſcriptas, & inquiro, An-ne Latina Lingua fuerit ad iſtas Regulas compoſita, an potiùs ipſæ ex collatione diverſorum Authorum à Lingua Latina diductæ? Tenes hoc ultimum; quoniam Alvarez vixit inter nos, & Latinum Idioma incæpit ante bis mille annos. Ergo eodem omninò modo de Jure ipſo & Regulis ejus diſcurre. Jus longè antè pronunciatum, carebat arte & Regulis, quibus breviter acquiri poſſet; At Bonifacius Pontifex adlaboravit, ut illa inveniretur, hæ darentur; & titulū illum, quem hîc illuſtramus adjunxit. Cæterùm, ſi nova lingua invenienda eſſet, expediret priùs Regulas ſupponere, & ad illas omnes dictiones elimare; adeoque ſimiliter, ſi novum condendum eſſet Ius, non Pandectæ pronuntiandæ, præſtaret Regulas præmittere, juxta quas omnia ſummâ doctrinæ conſequentiâ reſolverentur.

MCCCLXIX.

Aſcenſus ab uno ſingulari.

Tertia. *In materia moraliter neceſſaria aut remota (hoc eſt, divinitùs præcepta aut prohibita) potuit ſecuriſſimè Bonifacius ex uno particulari caſu Regulam univerſalem deducere.* Hanc ob rem, cùm legiſſet verba Auguſtini in decollatione S. Joannis Baptiſtæ, [quæ habentur *XXII. quæſt. IV. Quod David.* ubi Africanus Doctor ſic. *Quod David Iuramentum per ſanguinis effuſionem non implevit, major pietas fuit. Videa David pium hominem & ſanctum in jurationem temerariam incidiſſe* (ex inadvertentiâ; non enim ſanctus & pius eſſet, qui ſciens & volens juramentum temerarium emitteret) *& maluiſſe non facere, quod juraverat; quàm jurationem ſuam hominis fuſo ſanguine adimplere.*] Videtur Pontifex diſcurriſſe ſic. *Peccavit Herodes ſatisfaciendo juramento; & ne diceretur perjurus jubendo decapitari Ioannem: laudatur Davidis pietas, qui juramento de occidendo homine temerè effuſo non ſtetit: Igitur cùm hæc materia non ſit moralis contingens, & ab hominum arbitrio dependens, ſed neceſſaria omninò & divinitùs lata independenter à noſtro conſilio aut aſſenſu, ſequitur peccare omnem hominem, qui ſervat juramentum contra pios mores præſtitum; & benè omninò facere, qui non ſervat.* & videtur ſumpſiſſe calamum, & hoc prædeterminatus diſcurſu ſcripſiſſe Regulam LVIII. nimirùm, *Non eſt obligatorium, contra bonos mores præſtitum Iuramentum.*

Viri etiam Sancti ex inadvertentia interdum graviſſimos errores committunt.

Regula 58.

MCCCLXX.

Quarta. *In materia moraliter contingenti (hoc eſt, libera & à ſolis hominibus lata.) Aſcenſu ritè formato (argumentationis forma eſt nota) ad univerſalem devenitur.* Fundatur in natura & ingenio univerſalis propoſitionis in materia cōtingente

gente phyſica: hæc enim eſt mala conſequentia. *Petrus eſt albus, Ergo omnis homo eſt albus.* bona autem hæc, *Petrus eſt albus, Ioannes etiam, item Franciſcus imò & cæteri: ergo omnis homo eſt albus.* Et hac doctrinâ fœliciſſimè præventus Bonifacius, cùm legeret *c. teſtimonium. 54. lib. 1. præterquam pro reatu perjurii extr. de teſtib. juncto c. parvuli 11. q. 5. & c. non poteſt 2. q. 7.* doceretur que perjurum ad dicendum teſtimonium propter perjurii ſuſpicionem non eſſe admittendum, intulit bene, *ſemel perjurus, ſemper præſumitur eſſe perjurus.* Et cùm etiam reperiret *c. litteras 15. in fi. extra. de reſt. ſpoliator.* marito ſævienti non fore temerè reſtituendam uxorem ab eo digreſſam ob timorem quem habuit; intulit, *ſemel crudelis, ſemper præſumitur eſſe crudelis.* Et cùm, *c. ſcribam. 9. extra. de præſumption.* videret ſemel negligenti, non debere rem tutò committi, intulit, *ſemel negligens, ſemper præſumitur negligens.* Et cùm tandem in Jure ſemper obſervari hunc modum diſcurrendi videret; intulit ſuam octavam Regulã, videlicet, *ſemel malus ſemper præſumitur eſſe malus.* quã ſi negaret probaret hoc aſcenſu; *ſemel malus in materiâ perjurii, ſemper malus in eadem materiâ præſumitur; ſemel malus in crudelitatis materiâ, ſemper etiam præſumitur malus in illo genere. Semel malus in negligentiæ materiâ, ſemper etiam malus & negligens reputatur, & tandem in omnibus materiis ſimili modo proceditur. Omnis ergo, qui ſemel inventus ſit malus, ſemper in illo genere præſumetur malus, ni contrarium oſtendas.* Ubi habes fundamentum Regulæ, & ex illo electam legitimam expoſitionem. Ex his patet illam Regulam, quam pleriq; Juriſtæ docent, nimirùm, *Propoſitio indefinita Iuris æqualis eſt univerſalis*, debere diſtingui; & admitti in neceſſariis, & in contingentibus negari. *Vide Portel verb. Ignorantia nu. 20.* Bartholomæum à S. Fauſto *Theſauri libr. 6. quæſtione* 147. Emanuelem Rodriguez *tom. 2. quæſt. regul. q.* 100. 101. *artic.* 2. Laymanum *fol.* 888. *n.* 20. Filliucium 140. *n* 265.

Nota illud præſumitur: aliud enim eſt eſſe perjurum, & aliud præſumi perjurum.

An indefinita ſit ſemper univerſalis?

MCCCLXXI. Hinc intelligendi ſunt qui *l. illud quæſitum. 32. in princ. ff. ad leg. Aquil.* utuntur paritate rationis in caſibus à Jure omiſſis: hinc Julianus, cujus verba habentur. *l. non poſſunt. 12. c. cum. l. ſeq. ff. de Legib.* qui ſic ait: *Non poſſunt omnes Articuli ſigillatim aut Legibus aut Senatûs conſultis comprehendi, ſed cùm in aliquâ causâ ſententia eorum manifeſta (fortè, non eſt) is qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atq; ita jus dicere debet.* Sed quoniam in modo argumentandi à paritate rationis erant multæ remoræ & difficultates, Regulæ iſtæ debuerunt non privatâ ſed publicâ authoritate pronuntiari.

Contra ipſas autem invehitur Jacobus Cujacius in opere illo poſthumo, quod aliquorum cenſurâ alterius eſſe videtur, aſſerens ex Regulâ levia & pernitioſa argumenta deſumi poſſe, non pauca & erroribus multis obnoxia. & probat, Quia contra Regulam, *Invito beneficium non datur*, libertas invito datur, *l. ult. C. de teſtam. manumiſſ.* & tamen hujus conceſſio max[illegible]us favor eſt. & contra Regulam, *Deterior conditio per ſervum fieri non poteſt*, quam deſumunt *ex l. melior. ff. de Reg. juris.* militat peccatum ipſius ſervi, quem Dominus tradere cogitur *l. 1. §. quod igitur. ff. de vi & vi arm.*

An regulæ utiles ſint?

Reſpondeo multum nos debere Bonifacio Pontifici, qui glaciem fregit, & illas Regulas edidit, quas noluere periti habere tanquam infallibiles; (aliàs enim corpus Juris ut inutile & ſupervacaneum ſupprimerent) ſed tanquam

Regulas univerſales, quę ſuas paterentur exceptiones; quæq; deberent perfici & contrahi. Non enim voluit Bonifacius, ut Regulæ ſtaretur contra legem expreſſam Juris, ſed quòd illi ſtaretur in illis caſibus, qui in ſpecie non fuerant à Jure deciſi, & hoc ex *l.1.ff. de regul. jur*. Quam ob rem ad majorem intelligentiam Regularum, etiam ſunt adjungendæ novæ Regulæ.

Quando illis ſtandũ eſt?

MCCC-LXXII. *An poſſit invitus abſolvi?*

Sed & exempla, quæ à Cujacio afferuntur, non videntur Regulas antiquas limitare. quoniam condonatio debiti non poſtulat debitoris conſenſum, idcò invitus poteſt abſolvi à pœnâ, ab excommunicatione, à cenſuris (poteſt etiam divinitùs à peccatis, & poſſet ſacramentaliter, ſi Deus voluiſſet) & in ſervitute duo reperio, primò obligationem, quâ ſervus tenetur domino, ſecundò obligationem, quâ dominus tenetur ſervo. certum eſt dominum poſſe cedere jure ſuo & concedere ſervo etiam invito, ne ſibi ſervire teneatur; at quia viciſſim dominus tenebatur ſervum alere, poteritne invito ſervo ſe ab hoc onere liberare? ſtando juri naturæ non poterit, niſi fortè contractus ſic initus dicatur, *ut ſervus ſe non fugiturum, ſed totâ vitâ ſerviturum promittat; & compromittat dominus ſe eum non occiſurum, ſed daturum omnia ad victum amictumque neceſſaria, aut aliàs dimiſſurum.* in tali enim caſu poſſet invitus manu-mitti: at tunc manu-miſſio nec eſſet beneficiũ nec favor; gravamen enim potiùs eſt, quod fit invito; & manumiſſio, quoties invito conceſſa, gravis eſt; & quoties gravis, etiam gravamen eſt. Nec juvat ad errorem recurrere; non enim errat ſenex qui mavult apud dominum manere, quàm manumitti, ſi jam incapax ſit, qui poſſit neceſſaria lucrari.

An etiam invit⁹ manumitti?

An manumiſſio ſit favor.

Alterum exemplum etiam non urget, quoniam Regula non agit de illo caſu, quem Cujacius obtrudit, ſed de bonorum adminiſtratione; dicitque ſervum, ſi bona aut jura domini prodigat, invalidè facere, non enim æquum, ut ſervus deteriorem poſſit reddere domini conditionem.

Ut igitur Regulas, à Bonifacio latas, & cæteras à nobis poſitas & expoſitas, intelligas, conſidera ſequentes Regulas.

REGULA I. *Hæc limitatio [Excepto caſu, quem fortè in ſpecie contra hanc Regulam reſolvit Ius] eſt tranſcendentalis, & debet in omnibus & ſingulis Regulis intelligi.* MCCC-LXXIII. Hinc eſt, quòd jam ipſæmet Regulæ ad exceptiones fuerint meâ diligentiâ limitatæ, ut jam videantur vix eſſe capaces aliarum limitationum; nam, ut videris, addito uno aut altero verbulo, omnes illi caſus excipiuntur, in quibus debebat Regula falſificari. Erat Bonifacij Regula, XLIII. *Qui tacet conſentire videtur.* quæ vera erat in favorabilibus ſemper; & in odioſis tunc, cùm quis loqui teneretur; & falſa in odioſis, cùm tacebat, qui loqui non tenebatur; at hodie univerſaliter eſt vera, his verbis propoſita, *Qui tacet, ſi favorabilis materia ſit, aut ſi odioſa, ſi ipſe habet loquendi obligationem, conſentire videtur.* quæ creditur non poſſe alicubi falſificari.

Modus novus & ſecuriſſimus dilucidãdi Regulas.

REGULA II. *Potior eſt ejus cauſa, pro quo agit Regula; debetque ſubſiſtere, quouſq; adverſarius oſtendat, cur ille caſus excipiendus à Regulâ generali ſit.* MCCC-LXXIV. Ita Gloſſa Juris Canonici ad Rubric. circa finem. Hoc modo philoſophantur omnes etiam Civilis Juris Profeſſores. nam Ulpianus inter ipſos authoritatis eminẽtis, ex Regulâ ſecundâ Digeſtorum, *Fœminæ ab omnib. officiis civilibus & publicis* remo-

Digitized by Google

remota ſunt, ſubſumens, *Gerere magiſtratum, & judicare eſſe munia publica & civilia*, intulit, *Illas nec poſſe eſſe judices, nec magiſtratum gerere.*

Regula III. *in Regulis ſicut etiam in omnibus aliis legibus utriusque Iuris à genere ad ſpeciem (ab univerſali ad particulare) irrefragabili argumentatione proceditur.* Patet; quia deſcenſus, eſt fortiſſimus modus argumentandi.

MCCC-LXXV. *De exceptionibus.*

Regula IV. *Quando excipitur aliquis caſus à Regulâ, vel etiam lege generali, omnes ſimiles non præſumuntur excepti; præcipuè ſi materia ſit odioſa & pœnalis.* Et clariùs loquendo, *In odioſis non valet rationis paritas.* Ita Ego olim *in Theologia Regularis Comm. in Reg. Benedictinam num.* 550. 1445. *& in Philoſophia Moralis num.* 125. *c.* adlegans, Salas *de Legibus tract.* 14. *diſp.* 21. *ſect.* 13. *num.* 29. *in fin.* Portel. *in addition. ad dub. Regul. verb. Lex num.* 13. Joannem Valerium *in different. utriusq. fori verb. lex. differ.* 5. *num.* 2. Bonacinam *de legib. diſp.* 1. *quæſt* 1. *punct.* 8. *numer.* 23. & apud eum Sayrum, Suarezque. Dianam *tract. de legib. reſolut.* 26. quib. nunc addo Antonium Naldum *in quæſtionibus practicis verb. caſus. num.* 3. (cujus verba habes *in Philoſophia Moral. num.* 115. *c.*) Laymanum *libr.* 3. *tract.* 3. *c.* 6. *num.* 8. *& libr.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *nu.* 27. *& lib.* 4. *tract.* 3. *c.* 6. *numer.* 8. Azorium *lib.* 1. *cap.* 9. *q.* 2. Llamas *pag* 367. & Reginaldum *lib.* 23. *num.* 160. 174. *& ſeqq.*

An-ne in favorabilibus valet rationis paritas? Non valet, ſi materia ſit gratiæ; non enim Privilegium conceſſum uni reliquis conceſſum dicetur. Sic Eſcobar *Moral. Theolog. Tract.* 1. *exam.* 15. *cap.* 4. *num.* 117. §. *poteſt-ne extendi. Paginâ Ioanni VVagnero* 201. Vide Philoſophiam Moralem meam *num.* 125. *c.* Cæterùm ſi materia juſtitiæ ſit, pertinebit ad ſeptimum præceptum Decalogi.

Paritas rationis differt ab Idemtitate rationis.

Nota hîc obiter, ſolere Authores hæc duo nomina *Paritatem rationis*, & *Idemtitatem rationis* confundere; ſed tã etſi loquendum ſit cum multis, quid interſit videri poterit *mea Philoſophia Moralis num.* 125. *f.* ubi oculatiùs rem examino.

SECTIO II.

De arctiſſimâ Theologiæ Moralis & Iuris utriusque connexione.

MCCC-LXXVI. *Virtutes concatenatæ ſunt.*

OMnes virtutes concatenatas eſſe oſtendi Theologiæ Regularis *nu.* 1059. concatenatas omnes ſcientias Philoſophiæ Moralis numer. 18. 25. 27. a. b. de quâ materiâ ante unum aut alterum annũ cum Reverendiſſimo D. D. Auguſtano Suffraganeo in Bavariâ diſſeruiſſe me memini, à quo multa unâ die didici, quæ poſſent ad honorem ipſius, ad aliorum confuſionem referri. Polingkium cum Reverendiſſimo D. Furtenveldenſi veneram, & propter negotia aliqua in Tirolem & Stãpſenſe Monaſterium cogitabamus; & ſubaudimus Viſitatorem expectari. Quẽ? Principis Auguſtani Suffraganeum. Miramur tantũ Judicem, famulorum & religioſorum tranquillitate expectari, & doceri volumus, An-ne, ut ſæpè propriis oculis vidimus, rhedis ille & famulatu Monaſterium gravet? An ſit in tractatione nimius? An in ſuarũ vacantiarum juribus extorquendis ſeverus & avarus? Et audimus eſſe hominem, qui poſſit in exemplum poni omnibus domos monaſticas viſitaturis. Ire ad menſam communem, conventualibus cibis contẽtum; carere rhedâ; habere unum tantùm

Auguſtani ſuffraganei laus.

Notẽt ſingula Viſitatores.

tantùm famulum aut alterum, gratis Deo & viſitationi ſervire; & viſitationis expenſas nunquam ultra octo florenos aſcendere. Audi Reverendiſſime Domine N. olim martyr, dum viveres, & jam inter Cœlites, ut ſpero, triumphas; octo florenos non ſuperant expenſæ, quæ fiunt in uno monaſterio, cùm ab Epiſcopo ſæculari viſitatur! quo igitur modo factum eſt, ut tu ab uno viſitatus Abbate, præter alias expenſas, quas pudeat recenſere, debueris mille florenos pecuniâ numeratâ ſolvere? Deus viderit; & audiverit me, non jam Monachorum, ſed Reformatorum reformationem implorantem. Putabam Ego tuis miſeriis doctus viſitare eſſe extorquere pecunias, diteſcere ſanguine alieno, & nihil omninò alterare, nil corrigere, nil mutare; at jam doceor ab Auguſtano Suffraganeo viſitare eſſe agere hominem modeſtum, lucri incurium, & ſolius pietatis promotorem; & multum diſco; & ſi videar tranſgreſſus aut digreſſus, multum doceo; & venio ad rē, & ſententiam ejuſdem Suffraganei, viri eminenter eruditi, propono.

MCCC-LXXVII. *Theologus perfectus quis eſt?* Putat ipſe nullam eſſe facultatem aut ſcientiam, quâ carere poſſit, qui perfecti Theologi generoſo vocabulo poſſit condecorari. Nimirùm, Theologū, ut perfectus dicatur, debere ſcire Jus Canonicum, Civileque; ſpeciales Provinciarum Leges, Religionum & Eccleſiarum Privilegia, (dantur enim conſultationes plurimæ, quarum deciſio, à notitiâ harum Facultatum dependet.) Debere profundè percallere rem Phyſicam, rem Medicam; (ſexcentæ enim ſordes, quæ ad ſolamen fragilitatis humanæ benignè reſolvuntur, Phyſicam, aut etiam Medicinam ſupponūt.) Debere Hiſtoriam percallere, quæ ob oculos ponit facta veterum, quæ ſæpè redeunt in examen, ut poſſeſſio juniorum in legitimum judicium veniat. Debere ſcire omnes artes mechanicas, ut conſcientias dubitantium, non ſartorum modò, ſed & aliorum (vix enim eſt ars, quæ non habeat ſua furtula, quę *Iura* nominat) poſſet dirigere & componere. Rem etiam militarem, ut jura neceſſitatemque valeat ab extorſionibus & injuriis diſtinguere, Et ut verbo omnia dicam, debere omnia ſcire; nihil eſt enim quod ſub Theologiæ latiſſimam materiam non cadat.

Laudo Doctoris Eximij reſolutionem ſapientiſſimam, & quia Henricus Caniſius Primarius olim Sacrorum Canonum Ingolſtadij Profeſſor, imbui Iuris-prudentiâ deſideravit univerſos Theologos, notitia Sanctorum Canonum univerſos Legiſtas, & videatur Reverendiſſimi Domini Suffraganei opinionem tenere, quid Lecturo ſummam Iuris Canonici dicat, audiamus; quoniam tametſi placeat mihi concluſio, rationes quibus illa roboratur non placent, præcipuè cùm Legiſtis aliquas ſententias exprobret, quæ nō poſſunt ex ſolo Iuſtiniano defendi. Quam ob rem in Eruditorum gratiam placet hunc Tractatum claudere, Proœmium Caniſii. & hanc in eo quæſtionem diſcutiendo. Ille ſic,

MCCC-LXXVIII. *Caniſius in Proœmio, quod Sūma Iuris Canonici præfixit. Theologus debet Canonibus Sanctis ſtudere.*

HABES HIC, benevole Lector, ſummam Juris Canonici, quartò editam, correctam & reſtitutam. Quem laborem eò libentiùs ſubivi, quòd intelligebam non ſolùm ſtudioſis Juris, ſed & Theologiæ, hunc conatū meum non ingratum cecidiſſe. Et certè cùm Theologus omnia ſua ſtudia ad Eccleſiæ utilitatem & ornamentum referat, (niſi deſes eſſe velit ſolâ contemplatione contentus) non inconſultò facit, quod & Eccleſiaſticas Regulas, id eſt, ſacros Canones, (quibus Eccleſiæ corpus veluti quibuſdam vinculis continetur) Theologico ſtudio conjungat.

Habet

Digitized by Google

De Sacramentis.

Habet enim hîc (ni fallor) compendio quodam, quæ ad Sacramentorum Eccleſiaſticorum confectionem & exhibitionem ſpectant; quæ quoúe ritu ſingula ſinguls adminiſtranda ſint. Nam licet Sacramentorum uſus ex Theologiæ fontibus dimanavit; tamen quibus, quo loco, & tempore, & modo applicanda vel conferenda ſint, uberiùs & explicatiùs tradunt Sacri Canones: adeò, quod non parum interſit Theologi, hæc pleniùs ex Jure Canonum hauſiſſe.

De aliis functionibus.

Jam quod ad reliquas Eccleſiaſticas functiones attinet; habet hîc, quæ potiſſimum concernunt officium Ordinarij, id eſt, Epiſcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerij, aliorumq; Clericorum; item quæ ſit authoritas Legatorum Sedis Apoſtolicæ, quę poteſtas Delegatorum, Vicariorum, Coadjutorum, Capituli ſede vacante: item quæ ad Monachos, aliosq; Regulares pertinent: demùm, quo vitæ genere, doctrinæ morumq; innocentiâ & integritate inſtructi eſſe debeant Clerici in ſortem Domini vocati. Quæ omnia ex variis juris Eccleſiaſtici locis conquiſita, in certos & diſtinctos titulos hic breviter conjecimus. Quæ nec Theologum ignorare convenit, ſi profeſſionem ſuam integrè & cum dignitate in Eccleſiâ tueri velit.

MCCCLXXIX. *De Prælatorũ promotione. Iure Patronatûs. Cenſuris.*

Porrò de Prælatorum electione, poſtulatione, confirmatione, conſecratione; de beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione, uſu & adminiſtratione; de decimis; de jure patronatûs; de immunitate & ſepulturâ Eccleſiaſticâ; de voto, & voti mutatione ſive redemptione; de excommunicatione, ſuſpẽſione, interdicto, irregularitate & id genus aliis quæ Eccleſiaſtici Juris ſunt; ſi quæſtio aut mentio incidat; quid de his differet Theologus, ſi Canonum ſcientiâ deſtitutus ſit?

De Parrochis. De Matrimonij impedimẽtis. De Vſurâ, & Simoniâ. De Voto & Iuramento.

Quid ſi ad animarum curam adſcitus Theologus rogetur de impedimẽto matrimonij, aut de conventione, uſurariâ aut ſimoniacâ? an votum ſive juramentum præſtitum ſervandum ſit; ipſe verò aut nihil aut perperam reſpõdeat, imperitus Canonum; nonne hic cum ignominiâ & pernicie aliorum in Eccleſiâ verſatur? ſed remittet, inquies, hujuſmodi cauſas ad Jureconſultos. Sed ſi ad manum Jureconſultus non ſit, aut non niſi lucello reſponſum ſit daturus; quid faciet miſer? quâ ratione ſe explicabit? Quo ſe vertet Parochus, ſi auditâ confeſſione pœnitentis hæreat ſuſpicione motus Eccleſiaſticæ Cenſuræ; utrùm à ſe abſolvendus, an ad ſuperiorem remittendus ſit pœnitens? Surget Parochus, reſpondebis, conſulturus Canonum peritum, Interim relictus pœnitens angitur animo dubio, expectans Parochi abſolutionẽ; quàm ſi fortè reverſus Parochus non adferat, tunc majore perturbatione corripitur: quod ſanè incommodum facilè evitat Parochus aut alius quiſpiam qui confeſſioni præeſt, ſi pœnitentem doceat ex pręſcripto Sacrorum Canonum à ſe abſolvi non poſſe, ac proinde ſalubri conſilio adhibito, ei perſuadeat, ut Superiorem pro abſolutione adeat.

Sed ſi Parrochi quærendi ſint tales, quales à Caniſio petuntur, & eſſe deberent, omnes aut ferè Eccleſia careret Parrochos: ſed hodie, qui eorũdem curã gerim⁹, ne nullũ habeamus, multò minore ſciẽtiâ cogimur eſſe contenti.

Ut hinc disertè conſtitutum ſit à Cœleſtino Papâ: [*c. nulli diſtinct.* 38.] *Nulli*, inquit, *Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquã facere, quod Patrum poſſit Regulis obviare.* Et quod graviter interminatur Gregorius [*c. hâc conſona.* 25. q. 2.] *Hâc conſonâ*, inquiens, *ſanctis Patribus diffinitione ſancimus, ut qui ſacris neſcit obedire Canonibus, nec ſacris adminiſtrare, nec communionem capere ſit dignus altaris.* Quare etiam generaliter ſanci-

MCCCLXXX. *An eſſe Sacerdos queat, qui ignoret Canones?*

ſancitum eſt in Concilio Meldenſi [extra in c.1.ext.de cõſtitutio.] *ut Canonum Statuta cuſtodiantur ab omnibus, & nemo in actionibus vel Iudiciis Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate ducatur.* Rem igitur neceſſariam agit Theologiæ ſtudioſus, cùm & Sacrorum Canonum cognitionem ſuæ profeſſioni conjungit, eam aliquando in Eccleſiæ uſum & ornamentum traducturus.

MCCC-LXXIX. *An Iuriſta & Legiſta debeant Canonico Iuri ſtudere?*

De ſtudioſis Juris Civilis nulla apud me dubitatio eſt, quin hi neceſſariam exiſtiment Juris Canonici cum Jure Civili conjunctionem. Quod vel ex eo planè conjicio, quod hactenùs me viginti annos Jus Canonicum publicè in hâc Academiâ profitentem magno concurſu & diligentiâ audiverint & exceperint, rationibus non levibus adducti: Quod ſcilicet exploratum habeãt, *De perſonis & rebus Eccleſiaſticis.* quæ à Jure Civili de perſonis & rebus Eccleſiaſticis prodita ſunt, ea jam pridem antiquata & ad Eccleſiaſticas Cõſtitutiones rejecta eſſe. [*c.Eccleſia S.Mariæ.10.extr.de conſtit.c.x.diſt.96.*] *De matrimonio.* Item quæ de matrimonio contrahendo, vel diſtrahendo, vano conatu conſtituit Jus Civile; ea ſimiliter redacta eſſe ad regulas ſacrorum Canonum [*c.1.in fin. de conſan.& affin.c.12.de exceſſ.Prælat.c.4. & 5.extr.de ſecund.nupt.Conc.Trid.ſeſſ.24. can.12.*] *Præſcriptio cum malâ fide an ſit validâ?* Neq; ignorant concubinatum, uſuras, præſcriptionem cum mala fide, id eſt cum conſcientiâ rei alienæ, à jure Civili admiſſa, ad normam juris Canonici revocata eſſe. [*c.fi.in uer. cum generaliter ext.de præſcript.c.4.diſt.10.*] *Iuris Politici lacuna.* Hæ etenim lacunæ Juris Civilis Chriſtiano homine indignæ, neceſſariò reſtituuntur ex Jure Canonico; quemadmodum & illud, quod contra omnem *An ſint alẽdi ſpurij?* pietatis rationem à Juſtiniano Imperat. conſtitutum eſt; [*§.fin.No.89.quibus modis naturalis effi.ſui auth.ex complexu c. de inceſt.& inut.nupt.*] de non alendis liberis à parentibus, ex inceſtu vel alias à legibus damnato concubitu natis: Et quod non minorem impietatem redolet, dum comprobat Leges Juriſconſultorum, quibus patri permittitur, ut *An liceat occidere filias?* is filiam ſuam in adulterio deprehẽſam poſſit unà cum adultero impunè & ſine ſcelere occidere: [*l.patri.20.& l.qu. ait ff.ad L.Iuliam.de adulter.*] Utrumque enim per Jus Canonicum ſumma æquitate exploſum eſt. [*illud ex c.cùm haberet 5.ext.de eo qui duxit in matri.& ibi Panormum.5.And.Gail.libro 2.obſ.88.in 4. Alterum verò ex c.6.c.9.33.q.2.*] In his igitur aliisque ſimilibus, quæ vel Juri divino, vel naturali refragantur, juſtius adìtur jus Canonicum, [*d.c.ſi horum & ſi in ſumma ſuis locis meminimus*] ad exemplum Juris Prætorij, quod & in multis articulis rigorem Juris Civilis naturali quâdam æquitate attemperavit. *Nota illud, juſtius, nam illud prius eſt impium, quomodo poſterius juſtius eſt?* Quãvis aliàs non ignoremus, Juſtinianum præclarè & religioſè de ſacris Canonibus ſenſiſſe. Quod vel indicat ejuſdem Novell.131.de Eccleſiaſticis titulis §.1. *Iuſtiniani de Canonũ authoritate ſententia.* Ubi his verbis edicit: *Sancimus igitur, vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas regulas, quæ à ſanctis quatuor Conciliis expoſitæ ſunt aut firmatæ,* (Nicæno ſcilicet, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi) *prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, ſicut ſanctas ſcripturas accipimus, & regulas ſicut leges obſervamus.* [horum Conciliorum Canones extant ſparſim in Decreto Gratiani & apud alios.]

MCCC-LXXXII. *Utrumq; Ius (Canonicum & Civile) ſũt ſibi mutuò luci & complemento.*

Accedit, quòd ex Juris Canonici lectione id commodi (quod nec minimum cenſeri debet) reportent Juris Civilis ſtudioſi; quod ea quæ legibus civilibus comprehenſa non ſunt, aut minus explicata, rectè mutuentur ex Jure Canonico, ſicut & è diverſo rectè fit à

Digitized by Google

ſit à ſtudioſis Juris Canonici; juxta illud Lucij 3. ſcholæ uſu & praxi forenſi receptum [c.1.ext.de novi op.nũciat.] *Quia verò* inquit, *ſicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari; ita & Sacrorum Statuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur.*] Ut & hinc non immeritò in hâc ſummâ noſtra Legum Civilium paſſim meminerimus. Idem factitatum videmus ab Hoſtienſi in ſummâ ſuâ. A quo tamen longè diſtamus; quod is non tam ſummam Juris Canonici, quàm paratitla, id eſt ſummaria in ſingulos Decretalium Gregorij IX. titulos (quæ & inſtar juſti Commentarij ſunt) perſcripſerit: nos verò totam quaſi materiam Juris Canonici variis locis diſperſam, in quatuor Inſtitut. libros, diſtinctis capitibus, coëgerimus; ita quidem, ut & ea ſimul complecteremur, quæ in libr. 6. Decretal. Bonifacij VIII. in Clementinis & in Extravag. tum etiam in Concilio Trident. exſtarent: quantum ſcilicet poſtulabat inſtituti Operis ratio. Quę ab Hoſtienſi omiſſa ſunt; utpotè qui ſummã ſuam antequam Bonifacij VIII. conſtitutiones promulgatæ eſſent, & conſcripſit, & ſic mutilam eam nobis reliquit.

Differētia inter libros Hoſtienſis & Caniſii.

Itaque benevole Lector, hunc laborem noſtrum accipe & candidè interpretare, qui in utilitatem tuam ſuſceptus, jam iterum in lucem emittitur.

Hucuſque Henricus Caniſius, qui me Iudice doctiſſimus fuit, ſed multa hîc intermiſcet, quæ indigent clariore expoſitione. Ego igitur, quia Iuris Civilis ſtudioſis, Philoſophiæ plerumq; imperitis condoleo, ut videant proprijs oculis, quanta debuerint pati vulnera, nec tela aliter poſſe regerere, quàm ad Philoſophiam Theologiam, & rerum naturalium ſupernaturaliumq; naturã recurrendo; Caniſio, nunc ut ſpero, in cœlis triumphanti ſic ſcribo.

MCCC-LXXXIII.

Caniſio in cœlis triũphāti Caramuel.

SUMMAM Juris Canonici, olim à Te fœliciter ſcriptam, quintò recognitam, reſtitutam & illuſtratam, auctiorem correctioremq;, Ingolſtadij anno M.DC.XXIX. publicavit Ederus, & diſtraxit ſtatim, omnibus utilem, ab omnibus deſideratam. Bone Deus: Aſſuetus divinitùs omnia verbo comprehendere, ô quàm multa humanitùs cõprehendis verbo! Scitè olim ſententiã univerſorum Hortenſius ille Paravicinus, hujus ætatis ornamentum, dicebat, *Aſſumere argumentum difficile, & illud tractare clarè, eſſe Hominis docti; at clarè & breviter, ne docti quidem hominis, ſed ſolius Angeli.* Ergo ejuſdem ſententiâ, major Homine fuiſti, qui totum Jus Canonicum difficile, implicatum, obſcurum illuſtraſti clariſſimè, ſummamq; in ſingulis titulis brevitatem ſervaſti. *Gaudent brevitate Moderni,* ait Chriſtophorus de Capite *in compendio Privileg. Fratrum Minorum,* & quia tu obſervas ſummam, & ſummam amo, Te lego libentiſsimè, & amicis diſcipuliſq; legendum libenter propono. Hortaris Theologos Juriſtasq; ut Te legant, eoſdem Ego cohortor; ſed quia exhortatio illa tua nõnulla ſublimiùs dicta, quam à me capi poſſint, complectitur, patere ut quã poteſt reverentiã Homo Angelo, Terrigena Cœliti, Patriam adſequuto peregrinans, pugnans triumphum adepto, dubia proponam aliqua, quæ poſſint ſuperſtitum inſtructioni ſervire.

Hortenſij Regij Concionatoris pulchra verba.

MCCC-LXXXIV.

An ſint deſides, qui ſola ſunt contemplatione contenti?

Statim in initio ſic inquis, *Certè cùm Theologus omnia ſua ſtudia ad Eccleſiæ utilitatem & ornamentum referat (niſi deſes eſſe velit ſola contemplatione contentus) non inconſultò facit, quòd & Eccleſiaſticas Regulas, id eſt, ſacros Canones (quibus Eccleſia corpus veluti quibuſdam vinculis continetur) Theologico ſtudio conjungat.* At ego tametſi laudem illos, qui Canonico

Digitized by Google

ſtudio dant operam, vellemque omnes & ſingulos ſacræ paginæ & Juris utriuſque lectioni horis ſucceſſivis vacare, non tamen *deſides* audebo nominare illos, qui ſolâ ſunt ſublimium rerum ſpeculatione contenti. nam aliàs damnare neceſſariò deberem eminentes Theologos, qui hac noſtrâ tempeſtate Salmanticæ, Compluti, & Romæ florent, qui ſuavitate contemplationis illecti, ſacræ ſcripturę obtortas interpretationes, Controverſias, Canones, Legesq; faſtidiunt; ne debeant per ſenſa humana repere, cùm volare per divinas contemplationes poſſunt. Me judice, deſides illi ſunt, qui horas, quas ſæpè perdunt, in Jurium utili lectione non inſumunt; non tamen illi qui ſoli cōtemplationi vacant. quoniam ſi *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*, expedit eſſe aliquos ſummi ingenii homines, qui uni & ſoli ſcholaſticæ Theologiæ deludent, & loco miraculorum habiti nationem & ætatem honorent.

An Scholaſtici deſides ſint?

MCCCLXXXV. *Sacramēta Theologia & Canonū notitiam poſtulant.*

Progrederis, *&* *§. Habet enim*, Sacramentorum notitiam uſumque proponens; à Theologiâ illam, hanc à Canonibus eruendam aſſeris. Et quidem meritò, quoniam Sacramentorum materia nec bene à purè Theologo, nec benè à purè Canoniſta tractatur. Scit Theologus, quid ſit ſacramentalis Materia; quid Forma; quid Cauſa: multa eſſe in quibus Summus Pontifex non poteſt eſſe arbiter; multa quæ poſſunt ad ornatum & majorem reverentiam adjungi. In quibus omnibus credit Canoniſta Theologo, mavultq; fidere, quàm multos annos in ſtudio ſcholaſtico impendere, ut queat examinare. Contrà etiam, quę à facto pendent, ratione adſequi nequit, & diſcit à Canoniſtâ Theologus; ritus, ceremonias, dies, & ſexcenta alia, quæ non à ratione ſpeciali, ſed à voluntate inſtituentis procedunt. Et ut ſingula Sacramenta percurram, ignorat Canoniſta, An in veteri Eccleſiâ fuerint aliqua? An vim habuerint? & ſi habuerint, qualem? An Sacramenta novæ legis ſint cauſæ morales, vel phyſicæ? An in Baptiſmo poſſimus uti aquâ artificiali? An per ſubminiſtrum abluere? An caput debeat neceſſariò intingi? An valeret Baptiſmus, ſi intingeretur alia pars? An Confirmatio poſſit à ſimplici ſacerdote conferri? An omnis ſacerdos poſſit confeſſiones audire? & ſi non, An ut poſſit aut indigeat doctrinæ mero teſtimonio, an etiam jurisdictionis collatione? An qui habet authoritatem probabilem abſolvendi, abſolvat probabiliter, an infallibiliter & certò? An requiratur ante abſolutionem contritio? An in alteram vitam poſſit differri ſatisfactio? An poſſit abſolvi moribūdus, qui confeſſionem non petiit? An poſſit reſervari circumſtantia aggravans? an peccati ſubſtantia non tamen ſemper, ſed ſub tali circumſtantia? An per abſolutionem de attrito quis fiat contritus phyſicè, an ſolùm virtualiter? An Euchariſtiæ forma (videlicet, in facto eſſe) ſit corpus Chriſti, ut multi Salmanticenſes tenent? An poſſit dari in unâ ſpecie? An hoſtia magna plus conferat gratiæ, quàm parva? An de neceſſitate medij ſit? An extrema unctio in uno ſenſu compleatur? An debeat dari peſte infectis? An inferiores ordines ſint Sacramenta? An poſſint Abbates majores ordines conferre? An ſicut Matrimonium, poſſint alia etiam Sacramenta confici aut recipi per procuratorem? An in quâlibet linguâ? An quacumq; intentione, voluntate, culpâ, aut fictione? An liceant ſponſis oſcula? An conjugatis omnes ſordes, modò

An in Sacramentis omnia ſub ſint Sūmi Pontificis arbitrio?

De antiqua Eccleſiæ Sacramentis. *De Sacramentis novæ.*

Nota id.

modò non ſit pollutionis periculum? Et ſexcenta alia, quæ debent in materia Sacramentorum ſciri, nec aliunde quàm à Theologiæ fontibus haberi poſſunt. Hæc enim omnia in ratione fundantur, & in Jure aut non tanguntur, aut tam breviter obſcureque, ut erraturus omninò ſit, qui Theologiâ careat. Salmanticæ enim ante annos paucos Doctor Juris dictavit baptiſmum ab adulto, ſe velle baptizari fingente, receptum, eſſe validum; quòd Baptiſmum, cum fictione validum legeret, nec quid illa eſſet intelligeret.

Cognovi Hominē, & erat benè doctus, àt Theologiæ rudis.

MCCCLXXXVI. Proponis functiones Eccleſiaſticas §. *Iam quod*; illasq; non debere a Theologo ignorari dicis, & urbanus aſſentior; urbanus inquam, multæ enim hodie ab ipſiſmet ignorantur Canoniſtis, nec ideò carpuntur ab aliis. Inter alias *titul.* 4. *pag.* 24. Corepiſcopos numeras, & ſublatos affirmas, cùm tamen Theologi illi, qui ſcripſerunt Formulam Reformationis, quam Carolus V. anno 1548 propoſuit §. *De ordinum Eccleſiaſticorum officiis*, affirment *Chorepiſcopos* ab aliquibus dici, qui ab aliis *Decani rurales*: & iſti ſublati non ſunt. Sed hoc non urgeo. Neſcio tamen cur Theologus aut Iuris civilis peritus, ſi ſcire debeat quanta ſit unius Cardinalis, Epiſcopi, aut Abbatis authoritas poſſit Canonico Juri confidere, omnia enim diebus ſingulis novis privilegiis alterantur; & contra Jus commune tot ubique conceſſa, ut id millenas exceptiones ſit paſſum.

An Theologus functiones Eccleſiaſticas tutò ignoret.

De Corepiſcopis.

De Decanis ruralibus.

An Prælatorum authoritas addiſci queat à contextu Iuris Canonici?

MCCCLXXXVII. Venio ad Paragraphum *Porrò de Prælatorum*, & doceri velim *quid* (tua tibi verba objicio) *de Prælatorum electione, poſtulatione confirmatione, conſecratione, ac beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione uſu & adminiſtratione; de decimis, de jure patronatûs, de immunitate & ſepultura Eccleſiaſtica, de voto & voti mutatione ſeu redemptione, de excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, irregularitate, & id genus aliis, quæ Eccleſiaſtici juris ſunt; ſi quæſtio aut mentio incidat*; quid inquam de his diſſeret Canoniſta, ſi Theologiæ ſcientiâ deſtitutus? Fortè nonulla ſuperficialia, nihil tamen omninò quod ſapiat ſcientiam & doctrinam. Quoniam, ut alia omittam, hæ Quæſtiones Canonibus diſſolvi non poſſunt, nimirùm an ex rei natura debeat aliquis promovere digniorem? An poſſit purè dignum? An aliquando digniori negare teneatur ſuffragium? An ſe poſſit eligere? An ſemper poſſit poſtulare? Quid addat creationi confirmatio? An & cur non poſſit ſine Simonia unum beneficium pro altero commutari? An fructus ſint ſtipendia, an favores; hoc eſt, an ad horarum lectionem teneantur ex juſtitia, an ex mera obedientia? An decimæ ſint de jure divino? & ſi non, An poſſit Eccleſia cogere ſæculares ad ſolutionem decimarum? ubi? & quando? An Parocho, aut etiam Epiſcopo, qui non vult ſatisfacere ſuis obligationibus, teneantur ruſtici decimas ſolvere? An peccet Patronus, ſi indignum præſentet examinandum ab Epiſcopo? An Eccleſiæ immunitas ſit de jure divino? An ſit de Cæſareo aut Canonico? An poſſint ſepulturæ vendi nunc? an ſaltem de Licentia Pontificis? Cur votum factum Deo ſubſit hominum irritationi, diſpenſationi, commutationi? An ſit certum peccare mortaliter Superiorem, qui ex cauſa probabili excommunicationem fulminat? Quale peccatum ſit violare interdictū? Et an irregularitas ſine culpa, an etiam incurri poſſit actu ad quem tenear ſub peccato mortali? & aliæ Quæſtiones innumeræ, quæ ad Canones poſitæ non potuerunt

Quæſtiones è Theologia petendæ.

terun: lucem recipere, & tamen ſciri omninò debent.

MCCCLXXXVIII *De impedimentis Matrimonii & Simonia.* Illum Theologum accedo, quem miſerum Caniſi nominas, fateorq; nô poſſe illum ſine Canonibus impedimenta matrimonij, nec Simoniam Eccleſiaſticam cognoſcere: teneo tamen Canoniſtam impedimenta naturalia neſcire, & Simoniam veram nondũ bene cognoſcere. Porrò uſuras, neſcio cur examinari à Canoniſta velis, à quo pingui minerva cognoſcuntur, cum magno ingenio & examine indigeant, qui illas velint diſcutere. *De Juramento & Voto.* An juramentũ & votũ præſtitum ſervandum ſit, Theol. à Canoniſta doceri non debet; ille n. in hac materia multa ſcit, hic multa ignorat. Dicet Canoniſta juramentum, quod contra bonos mores ſervandũ non eſſe; hoc didicit à ſuis Canonibus. *An Juramẽta, quæ contra bonos mores vim habeant?* Sed Theol. ſtatim dabit illi millena juramẽta, quę tametſi cõtra bonos mores ſint, debent ſervari. Aut dicito, Nonne contra bonos mores omne juramentũ peccaminoſum? & tn. qui vanæ gloriæ intuitu, ut videatur probus, promiſit eleemoſynam pauperi, & promiſſionẽ juramento firmavit, tenetur ſtare juramento: & quidẽ jurando peccavit. Etiam qui ſine neceſſitate jurat, peccat, & tn. promiſſorio juramento obligatur. Qui matrimonij juratâ promiſſione fęminã inducit, utitur juramento ut medio ad fornicationem, adeoq; jurando peccat, & tamen tenetur juramento licèt emiſſo cõtra bonos mores. *De metu.* Præterea ſi agamus de metu cadente ſuper cõſtantem virum, qui irrita reddit vota, quî poterit Canoniſta reſolvere, an metus liberet in foro interiori? *An de reſtrictionibus mentalibus aliquid ſciant Canoniſta; pro, contra?* Quid dicet, ſi vovens ad reſtrictiones mentales, ad conſignificantes circumſtantias, aut etiam ad ſignificationes politicas illectas in Jure recurrat? *Non ne potiùs hic cum ignominia & pernicie aliorum in Eccleſia verſatur? Sed remittet, inquies, hujuſmodi cauſas ad Theologos. Sed ſi ad manũ aut Theologus non ſit, aut non niſi Lucello reſponſum ſit daturus; quid faciet miſer Canoniſta? qua ratione ſe explicabit? quo ſe vertet?* Fortaſſis argumentationis calor me impulit, ut acriùs loquerer; at nondum erraſſe me puto, quoniam tuis uſus verbis, ſi abſolvaris, condẽnari nõ poſſum.

MCCCLXXXIX. Sed ad caſus reſervatos recurris. *Quò ſe vertet*, ais, *Parrochus, ſi audita confeſſione pœnitentis hæreat ſuſpicione motus Eccleſiaſticæ cenſuræ; Utrùm à ſe abſolvendus, an ad ſuperiorem remittendus ſit pœnitens?* Et quidem hîc ego Canonum neceſſitatem non video. *Primò* enim à Theologia docebitur ſecreti ſigillum in Sacramentali confeſſione eſſe de jure divino, extra de naturali; utrobique tantum, ut nemo à ſuperiore cogi poſſit, ut vel confiteatur publicè, vel ſecretò *De ſecreto.* commiſſa extra confeſſionem manifeſtet; ſcietque reſervationem non tenere, ſi vel reſervantis improbitate, vel circumſtantiarum rigore eò confeſſio *Notanda pro reſervatis.* redigenda ſit, ut pœnitens extra confeſſionem cognoſcatur. Quod quia eſt valde neceſſarium, debet ab omnibus benè notari. *Secundò* docebitur leges non acceptatas non obligare, imò nec dubias; & cum videat Bullam cœnæ in multis locis non acceptatam, eſſe dubiæ authoritatis in aliis, ab omni erit liber ſcrupulo. *Tertiò*, Epiſcopo reſervata cuicumque ſeculari Sacerdoti notificantur; & Religioſi ſua privilegia ignorare non volunt; ſciunt enim eorumdem ratione multa ſibi concedi, quæ Epiſcopis ſolent negari. Quam ob rem, qui Theologus ſit, non hærebit in reſervationis materiâ.

MCCCXC Cœleſtini zelum laudo; *Nulli Sacerdotum*, inquit ipſe, *liceat Canones ignorare: nec quidquam facere, quod Patrum poſſit Regulis obviare.* & hodie id ipſum

licere

Digitized by Google

licere plurimis Sacerdotibus, & quod miſerabilius eſt, multis Epiſcopis, multis Cardinalibus, nemo ignorat. De majoribus aliquid eram dicturus; ſed in Verbo, & mea verba, & quàm ipſa fuerint vera etiam vides. Pono calamũ; non enim libenter de ſummorum Sacerdotũ murmurabo doctrinâ, dicuntur enim utrumq; Teſtamentum ſcire, Canones in pectoris ſcrinio ſe habere, & quî illa ſint, vera non video. Fortè non quales ſunt, ſed quales deberent, nominantur, nam & Ego Regularis dicor, & nihilominus multa ex Eccleſiæ diſpenſatione contra Regulam, ut reliquis convivam, factito.

An omnes Epiſcopi ſciant utrumque Teſtam. an ſaltem Canonic. Ius?

MCCCXCI.

An Legiſtæ Iuris canonici notitia carere poſſint?

Ad paragraphum ſequentem venio, ubi *de Studioſis Iuris Civilis* agis, quibus Canonum notitiam utilem ſcio, eſſe neceſſariam non video, præcipuè in caſibus à Te aſſignatis.

Tibi eſt prima ratio, *Quòd ſcilicet exploratum habeant quæ à Iure Civili de perſonis & rebus Eccleſiaſticis prodita ſunt, ea jam pridem antiquata, & ad Eccleſiaſticas Conſtitutiones rejecta.* Et ô utinam id exploratum hodie, ut ſupponis, haberẽt. Alij errant, alij excedunt; Eccleſiaſticos ſeculares quà poſſunt vel non poſſunt frequenter opprimunt; nec Canonibus in hac materia credunt. Ad rationem & Theologiam confugiunt; territorium Pontificis ab aliis Provinciis diſtinguunt, retorſionum jura ingeminant, conſuetudines, non acceptationes, proteſtationes; aliaq; argumenta, quibus ſolvendis non ſufficiunt Canones; agi enim ſolent ipſi Canones rei, & ſententia à ſuperiore tribunali expectatur, nimirùm, probabilis à Doctorum judicio, & infallibilis ab Eccleſiæ Catholicâ definitione. Scio in nonnullis Provinciis dici à ſummis Principibus, *Concilium Tridentinum, non eſt in Tabulis Regni.* & hodie meum ipſum Monaſterium litem evicit in Archiepiſcopali Tribunali, nec adhuc proficit, quod *Canonicum Ius* dicatur *in Tabulis Regni non eſſe.* Unde diſſimulato Jure Canonico cogar rem ab ovo diducere & apud Regni Tabulas juxta Regni Leges ſecundo labore procedere. Et tamen Principes Auſtriaci ſub quibus vivimus, non Catholici ſolùm ſed & pij ſunt, & ſibi ſummam injuriam fieri putant cùm temporalia juxta Leges Canonicas dijudicamus. Et Galli, qui Chriſtianiſſimi ſunt, & Eccleſiæ Romanæ Primogeniti, manu Mancipij publici (ſic carnificem appellant) igni mandant quoſcumque libros, qui docent Reges in temporalium rerum gubernatione ſubeſſe Eccleſiaſticis Canonibus, ut videre eſt apud Bartholomæũ Gramondum *in Hiſtoria Ludovici XIII. ad annum 1626. pag. 655.* ubi videbis immunitati Politicæ contra immunitatem Eccleſiaſticam Parlamentum Pariſienſe, Sorbonam, Clerum Gallicanum, & PP. Jeſuitas Gallos ſubſcripſiſſe.

An omnia infallibilia ſunt, quæ in Iure Canon.

Nota hoc.

An Reges in temporalibus ſupremi ſint?

MCCCXCII.

An Principes impedimenta Matrimonii conſtituant? an etiam profeſſionis ſolennis?

Secunda ratio tibi eſt, quia *quæ de matrimonio contrahendo vel diſtrahendo vano conatu conſtituit Ius Civile, ea ſimiliter redacta ſunt ad Regulas Sacrorum Canonum.* Lego & hæreo; nec volo Judex eſſe in re ardua. Et tamen Te cum Gallis diſputare permittam. Hodie enim in Gallia, regione Chriſtianiſſima, impedimenta ſolennis Profeſſionis & Matrimonij ponit Reſpublica, & Eccleſia vix ponit. Clandeſtina Matrimonia cõdemnat & annullat Tridentinum Concilium, ipſi illorum valorem ſuſtinent, annullationis valorem non admittunt; contracta ſine Parentum aut etiam Tutorum conſcientia Tridentinum admittit, illi ſæpè dirimunt, & in hac & ſimilibus materijs ſuam ſequun-

Digitized by Google

ſequuntur à natura conceſſam libertatem, nec *tam vano conatu*, ut exiſtimas; nemo enim audebit dicere Gallorum filios in clandeſtino matrimonio ſuſceptos eſſe ſpurios, copulas fornicarias, divortia legitima, non eſſe violationem adulteram, & licere alterutri ad novas nuptias transvolare. Legi Senatusconſulta *(arreſt)* in quibus exponitur irrita ſolennis profeſſio, quæ vel fiat contra mandatum Principis, aut talibus qualitatibus careat. Quæ omnia ſive ſint vero-ſimilia & probabilia, ſive falſa, non poterunt à Canoniſta impugnari, ſed debent à Theologo, vel à nullo; non enim ipſi negant hæc eſſe contra Canonum aut etiam Tridentini Sanctiones; ſed vel dicunt obligare in territorio Eccleſiæ, vel non eſſe acceptatas in Gallia, vel aliquid aliud habere, unde in conſcientia practicari non poſſint. Vano igitur conatu Canoniſtæ cum Gallis agent, ſed totam quæſtionem, quanta eſt, debebunt remittere ad Theologos, qui quæſtionem hanc dirimant.

MCCCXCIII. *De concubinis.*

Porrò Clericorum aut etiam Sæcularium concubinatum Jura civilia non præcipiunt, ſed tolerant, cùm conſideratâ hominum fragilitate ipſamet interdictio majora inconvenientia paritura dignoſcitur. Antequam Carolus (tunc Walleſiæ Princeps, poſteà Angliæ Rex, jam à ſuo Parlamento plexus capite) adveniret Hiſpaniam, publica ibi Lupanaria permiſſa, imò & domus fornicariæ publicis expenſis conſervatæ; & in ipſis minora mala permiſſa, ut evitarentur majora Poſteà ob Calvinianiſtarum obloquia & rationes aliquas gravis momenti meretrices proſcriptæ; nec tamen proſcriptio ipſa à doctis univerſis laudatur. Multa habet inconvenientia meretricum permiſſio, habet multa interdictio, & multorum opinione majora.

De lupanaribus.

MCCCXCIV. *De uſuris.*

Uſuras etiam non approbat publica res, tolerat tamen, ne videat ſuos gravia perpeti damna præſentium pecuniarum defectu. At jam in pluribus locis uſurariis abactis, Montes pietatis aut admiſſi aut erecti, qui æquè vel duriùs gravant pauperes, tutâ tamen conſcientiâ. Audiar obſecro. puto enim pietatis montes eſſe licitos, at utiles eſſe non puto. Bruxellæ ante Montis erectionem erat uſurarius, qui ut habeo à viris doctis & harum rerum ſcijs, volebat habere decimam partem ſupra ſortem, & pecunias quas pendebat Principi. recipiebat enim quindecim in centum, ſed quina aut plura Principi. ut toleraretur pendebat. Ut obviam iretur uſuris, magnis expenſis erectus fuit pietatis mons. Fructus? liberè dicâ. Olim pauper, qui mille ab Uſurario acceperat, mille, centum quinquaginta poſt annum ſolvebat, & quia uſuræ ſunt omninò illicitæ, illa centum quinquaginta, aut ſaltem illa centum (quinque enim in centum ſunt permiſſa) ſe aliquando recepturum ſperabat. Monti verò pietatis tantundem aut ferè addit ſupra ſortem, & quia in illo omnia tutâ recipiuntur conſcientia, nihil ſe recuperaturum ſperat. vide fructum.

De Montibus pietatis.

In Monte pietatis Bruxellēſi ſolvebātur 12. in 100. anno 1635.

Montium fructus.

MCCCXCV. *Quomodo mutentur dominia?*

De præſcriptione cum mala fide jam ſuperiùs nonnihil, modò addo vel repeto poſſe ſuperiores ex causâ rerum mutare dominia; ſuperiores & inferiores ſimul ex communi conſenſu (talis eſt ubi lex pronuntiatur & acceptatur) etiam ſine causa; ſubjungo præſcriptionem cum mala fide admitti à Jure Canon. ſaltē in uno caſu (vide n. 595.) poſſe in multis, nec eſſe cur in re facili tempus perdamus. Hanc tamen Concluſionē ſubjungo. *Iudex, qui Frideric. qui*

juxta

Digitized by Google

Cùm agitur de rerũ civilium dominio, ſtandum eſt Iuri Civili.

iuxta Civile Ius præſcripſerat, condemnat, & ex Canonico rem alteri adjudicat, peccat mortaliter & tenetur ad reſtitutionem. Peccatum mortale ex eo conſtat, quòd Iudex non poſſit ad phantaſiam, ſed ad leges civiles iudicare; & reſtitutionis obligatio ex eo, quòd Fridericus ubi vi legum Civilium præſcripſerit, fiat verus illius rei dominus, & exſpoliatur authoritate privatâ, adeoque in integrum debet reſtitui; ubi ſi debeam tecũ, Caniſi mi, ſincerè loqui, cùm dicis, *Illa etenim lacuna Iuris Civilis Chriſtiano homine indigna neceſſariò reſtituuntur ex Iure Canonico*, ſtyli acrimoniam demiror, nec volo Chriſtiano homine illam indignam dicere, ſed indiſcreto zelo adfingo, & ſcholaſticæ Theologiæ ignorantiæ: Chriſtiani enim fuerunt & ſunt milleni homines, qui Iura Civilia pronuntiarunt & profitentur in Academiis excellentiſſimis, quos tuetur ratio evidentiſſima, quique non debent ideò minùs Chriſtiani dici, quod illa non placuerit Caniſio.

MCCCXCVI. *An ſint alendi ſpurÿ?*

Non alendos filios à parentibus ex inceſtu, vel aliàs à legibus damnato concubitu natis Imperator Iuſtinianus conſtituit. Ita ne? contra omnem pietatis rationem? Parciùs hîc, amice, & rem audi. Non iubet Iuſtinianus ſpurios occidi; non vult illos non ali; ſolùm enim præcipit, ſi verè præcipit, eos non ali à parentibus, ſed ut alii pauperes & orphani ſolent. Et verè cur hoc non poſſit jubere non video: illi enim, cùm moraliter filii non ſint, non habent ius petendi alimenta à parentibus: ſed illa poſſunt ab hominibus; homines enim phyſicè ſunt, & tenemur homines juvare in neceſſitate conſtitutos. Porrò Principis filius ſpurius, ſi alatur à Patre ceu filius multa millia conſumet, ſi ut homo, ut orphanus, ut pauper pauciſſimis erit contentus. Quod ipſum hodie apud Germanos eſt in uſu, noſco enim ſpurium, qui maximi Principis filius dicitur, & tamen uni Eccleſiaſtico ſervit à pedibus, nempe hic Pragæ hoc Anno 1650.

MCCCXCVII. *An Pater poſſit filiã occidere?*

In quo ulteriùs peccavit Iuſtinianus? *Dum comprobat*, inquis, *leges Iuriſconſultorum, quibus Patri permittitur, ut is filiam ſuam in adulterio deprehenſam poſſit unà cum adultero impunè & ſine ſcelere occidere. l. patri. 20. & l. 4. ait. ff. ad l. Iuliam de adulterÿs.* At Imperatorem defendo.

An Maritus uxorẽ?

Nam videris concedere poſſe maritum uxorem comprehenſam in adulterio interficere: & ego in Decalogo tam uxoricidium, quàm filiicidium interdictum reperio. Porro à te uxoricidium licitum eſſe in tali caſu credi, vel inde colligo, quòd cùm illud admittat Iuſtinianus *l. meritο. ff. de adulterÿs & l. Gracchus. eodem titul.* & tu ſpicas interlegas, quæ poſſis carpere, illud omittis.

An hæc homicidia leges foveant, an tolerent tantum?

Quid, ſi dicamus Civiles leges non jam id præcipere, nec licitum declarare, ſed tantùm tolerare ad majora mala vitanda: nam & Romæ, Pragæ, & in multis urbibus Catholiciſſimis ad vitanda majora mala & boni majoris intuitu Meretrices & Iudæi permittuntur? Huc enim videtur reſpexiſſe Pontius *libr. 9. de matrim. cap. 15. num.* 20.

Quid, ſi dicamus poſſe Rempublicã condemnare ſententiâ ultimâ adulteros, & executionem ſententiæ committere lictori, & ſi velit, aut parenti aut marito? Porrò in tali caſu illis daretur authoritas, ut non nomine proprio, ſed nomine Reipublicæ, ut miniſtri authoritate publicâ inſtituti, comprehenſos in adulterio liberè & impunè confodiant. Et hoc licere docet Caſtillus *in l. 82. Tauri. num. 6.* cujus opinioni probabiliter ſubſcribit Leſſius, *libr. 2. cap. 9. dub.*

dub. 5. *num.* 16. quam neſcio ab alio quàm à ſolo Baſilio Pontio *ubi ſupra* improbabilem dici: me enim Iudice, ſtando authoritati, eſt probabilis; & ſtando rationi, quam debuiſſet percallere Baſilius, certa & evidens.

MCCCXCVIII. *Obiectio.* Si obiicias Nicolaum Pontificem ſummum *cap. inter hæc* dicentem, non licere ſecundum leges Eccleſiaſticas uxorem adulteram interficere: Reſpondebimus id non militare contra Iuſtinianum; non enim ipſe dicit id licere ſecundum Eccleſiaſticas leges, ſed ſecundum ſuas. Addemus id non militare contra Caſtellum, Leſſium, aut etiam nos, qui illorum ſententiæ ſubſcribimus, non enim aſſerimus id licere ſecundum Canonicas, ſed ſecundum Civiles; ſicut multa alia, in quibus non ſolùm leges Eccleſiaſticæ differunt à Cæſareis, ſed etiam Cæſareæ à Regalibus in diverſis provinciis. Unde ad intelligendum hanc ſolutionem Lectori proderit videre Appendicem de differentiis Iuris Canonici & Civilis, quæ Tuæ ſummæ his annis ultimis acceſſit.

Leges Canonicæ Cæſareæ & Regiæ differunt: multa licent ſecundum alias, quæ ſecundum alias ſunt illicita.

De Arbitris. Unde, ut unum exemplum ſolùm ponam, inquiram, An ſi in tres arbitros Petrus & Paulus compromittant, & tamen unus ex illis noluerit comparere, duo alii arbitri poſſint in cauſâ procedere? & reſpondebitur iuxta Canones poſſe *cap. 2. de arbitris, libr. 6.* at iuxta leges Cæſareas non poſſe, *l. ſi in tres. 20. ff de receptis arbitris* adeoque inter Eccleſiaſticos ſtandum eſſe Iuri Canonico, inter ſæculares Civili. Unde ad uxoricidium & filiicidium deveniendo, puto, *Nullum Eccleſiaſticum poſſe ſuam uxorem, aut filiam in adulterio comprehenſam occidere*; & ratio eſt, quia ad Canones eſt iudicandus. Quam ob rem, ſi duo coniugati communi conſenſu ad religionē tranſirent, vel ſacerdotes uxores ducerent, tunc nec Eccleſiaſticus uxorem, nec Pater ſæcularis filiam Religioſam, nec Eccleſiaſticus ſæcularem, nec Eccleſiaſticus Religioſam poſſet occidere, tametſi in actuali adulterio repertā; poſſet tamen ſæcularis ſæcularem, ſi Eccleſiæ ſæculariter non ſit ſubjectus.

De filiabus & uxoribus Eccleſiaſticorum.

MCCCIC. *Iuſtiniani obedientia & ſinceritas.* Illa verba, *Sancimus igitur vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas Regulas quæ à ſanctis quatuor Conciliis (videlicet, Niceno, Conſtantinopolitano Epheſino, & Chalcedonenſi) expoſitæ ſunt, aut firmatæ; Prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, ſicut ſacras ſcripturas accipimus, & Regulas ſicut leges obſervamus.* Novel. 131. de Eccleſiaſticis titul. 6. r. Iuſtiniani obedientiam & humilitatem commendant; qui admittere dogmata, hoc eſt, Canones, Definitiones, aut Fidei articulos debuit, eſſet enim hæreticus, ſi diſſentiret; Regulas ſeu Leges potuit, nam & Concilii Tridentini Canones, à ſolis Hæreticis negatos videmus; leges verò à Gallis & aliis multis Orthodoxis non admiſſas; Leges enim, (ut inquiunt) Eccleſiaſticæ, ſi non acceptentur, in conſcientiâ non obligant; quod totîus Europæ praxi, & communi teſtimonio confirmant.

His poſitis Tuam Ego Præfationem relego, meam reſponſionem recognoſco, & has Concluſiones ſubjungo.

MCCCC. *De Iuris Canonici utilitate & neceſſitate.* PRIMA. *Canonici Iuris notitia valde utilis eſt Iuriſtæ; valde etiam utilis Theologo; non tamen ſimpliciter neceſſaria, ſed ad melius.* Utilitatem demonſtro; quoniam multa ſunt in altero Iure omiſſa, multa obſcuriùs poſita, quæ collatione ſupplentur & illuſtrantur. Non eſſe ſimpliciter neceſſariā oſtendo, quoniā magnos Theologos & Iuris Profeſſores vidimus ſolâ ſcholaſticâ ſuæ facultatis ſpeculatione cōtentos, quos eſſe neceſſarios Reipublicæ nemo literatus ignorat.

Hæc

Hæc tuam mentem Concluſio, exponit omninò, & dilucidat; ſed quia Tu, quantum Theologus aut etiam Legiſta egeat Iure Canonico eruditè expoſuiſti, non tamen quantum Canoniſta Theologiæ aut Legum indigeat cognitione; paucas has lineas addo. Sit igitur Concluſio

De Iuris Civilis utilitate & neceſsitate

SECUNDA. *Iuris Cæſarei notitia eſt Canoniſtæ neceſſaria; non ſimpliciter quidem, ſed ad melius* Et eadem ſubſiſtit ratione, quâ utilitas Iuris Canonici perſuadebatur: & firmatur verbis Lucii III. *c. 1. ext. de novi op. nunciat.* dicentis, *ſicut Leges non dedignantur ſacros Canones imitari* (Ecce Canones Lucii ſunt Legibus) *ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtutionibus adiuvantur.* (Ecce Leges ad Canonum intelligentiam penitiorem conducunt)

MCCCCI. *De Theologia Scholaſtica utilitate & neceſsitate.*

TERTIA. *Eſt ſummis erroribus expoſitus Canoniſta, qui Theologia Scholaſtica careat.* Et ratio eſt manifeſta; quoniam omnis textuum Intelligentia Theologicis fundamentis ſubſtruitur; videmuſque verſatiſſimos nonnullos Canoniſtas interdum defectu Metaphyſicæ & Scholaſticæ Theologiæ claudicare, ita enim exponendi ſunt textus, ne expoſitio ſit rationi contraria; rationem autem non diſcutit, climat, aut examinat Patrum authoritas, ſed ſcholaſtica & rationalis mentium magnarum concertatio.

Hæc eſſe vera, Caniſi mi, multis ego verbis pronuntio, multis ſcribo & tamē cœcutio in rebus claris. Tu omnia clarè diſtinctèque in uno Verbo, ſed divino, intuēris (ſic ſpero) ſciſque Theologiam Canoneſque ita concatenari, ut qui illam neſciat, iſtos etiam ignoret. Ora Deum, ut qui divinitate & brevitate ingenii tui docemur, tibi olim in empyreo ſiſtamur, Deo gloriam & Tibi laudum minerval ſoluturi, & convicturi æternis annis.

Sic Ego olim Caniſio, ut Iuris utriuſque notitiam & ſpeculatrivam Theologiam eſſe concatenatas demonſtrarem. Tu ſubſcribe, & quà poſſis Canones Theologiæ coniunge, illos ab Articulis Fidei diſtingue, & in doctiſſimū virum evades.

SECTIO III.

De Authoris Mente & Voluntate.

MCCCCII. *De ignorātia Authoris.*

DUo ſunt, Candide Lector, quæ adverſus ignorantias meas ab Æmulis objici ſolent alterum, Cur non debeam intelligere, quæ nemo imperitus ignorat? alterum, Cur meâ debeā ignorantiâ abuti, & accuſare aliquos, quos multi tolerant; & excuſare alios, quos torrens Theologorum condemnat? Quibus ut reſpondere exactè poſſim, debebo mente alienâ uti, ne etiamnum dicar propriâ abuti. Recenſebo igitur unum aut alterum Apophthegma, cujus cooptatione iuvabor.

Patris Antolines laus.

Patri Antolines ordinis Eremitarum S. Auguſtini Provinciali, Theologiæ Doctori profundiſſimo, & in Salmanticenſi Univerſitate profeſſore primario, qui fuit poſteà Compoſtellanus Archiepiſcopus, ſerviebat Frater Ioannes, Laicus ſenex & diligens, ſed analphabeticus & literarum omnium expers. Hunc exercebat aliquando P. Mendoza, qui Cathedram veſpertinam ibidem tenuit; ſinceritate enim hominis ſummopere delectabatur. Et cùm ſemel frater Ioannes tranſiret, *Eus tu,* inquit, *accede, & redde villicationis tuæ rationem, Tu adſiſtis Patri Antolines tota die: homini nimirùm doctiſſimo & inter Theologos Europæ Principi:*

Digitized by Google

eius lectiones audis quotidie iam à quindecim annis: alij condiſcipuli tui triennio abſolvunt, & in viros magnos evadunt Omnes, qui hodie in Ordine noſtro Philoſophiam, aut Theologiam profitentur, omnes qui concionantur, omnes qui excipiunt confeſſiones; omnes tecum audiverunt duobus aut tribus annis hoc ſcientiarum prodigium, quod tu quindecim; & interim illi ſunt doctiſſimi; & tu hæres & hæres in primâ Abecedarij lineâ, & nondum internoſcis Vocales. Redde rationem perditi temporis Frater Ioannes Quid Reſpondere Chriſto poteris judicaturo vivos mortuoſque? Quid es, quæſo, dicturus, cùm tandem aliquando rogeris, cur omnia ignores, cùm tamen habueris tempus & locum, ut omnia addiſceres? Putabat Mendoza nihil reponi à Ioanne poſſe: hærebant circumſtantes, & quid ille reſponderet ſummâ animi ſuſpenſione expectabāt. Tunc ille ex tēpore. *Si mihi,* ait, *Dominus Ieſus Chriſtus talia dixerit, paucis me expediam. Quâ ratione, inquam Ego, à me rationem exiges Domine Deus, de ratione quam mihi negaſti? Si volebas me evadere in Virum doctiſſimum, cur me creaſti tam ſtupidum barbarumque? Hæc eſt ratio villicationis meæ.* Homines & iumenta ſalvabis Domine. *Homines quia Antotines, Mendozam, aliosque: iumenta, quia Ioannem, & alios laicos illi ſimiles, qui ſerviunt huic ſancto Collegio.* Reſpectabant univerſi Mendozam, & ille hac inexpectatâ ſolutione perculſus, neſciebat quid laico reſponderet. Hæret paululùm; & in ſe ſeductus, dicit omnibus. *Per Deum, quòd non ſcio replicare; nec occurrit quid replicare Chriſtus poſſit, Ioannes evicit ſuum intentum.*

Hac doctrinâ Ego inſtructus reſpondeo illis, qui ignorantiæ heri, & jam hodie benignius me arguūt ſcientiæ. Scientiæ quidem; quamdiu enim putarunt æmuli, de ſcientiâ me vane gloriari, omni niſu conati ſunt errores meos & ignorantias propalare: at quia jam meam ego ignorantiam profiteor, jurant dejerant mihi nota illa omnia, quæ ignota aſſi mo, & quid reſpōdebit Deo, inquiunt Caramuel in tremēdâ illâ die, quâ cogetur reddere rationis ſuæ rationem? Et illis confidenter Caramuel. *Si Dominus Deus, quod nō faciet, talem à me rationem exigat, paucis me expediam. Nemo eſt, inquam hodie in terrarum orbe, quem ſciam, Domine Deus, qui ab infantiâ tam aſſiduè libris impalluerit, quàm Ego. Hoc tu ſcis. Cùm fui puer, nullum luſum amavi; nullum exercui; nullum ſcivi; nullum etiamnum ſcio: mihi libri ſtudio & recreationi ſemper fuerunt; quod tu etiam ſcis. Si ſim in rhedâ, ſi in equo, ſi in mēſâ, ſi in lecto: [& quod cum pudore dicturus ſum; ſi in choro, ſi in meditatione, ſi in horarum lectione (puto enim me ad attentionē internā non teneri: puto me ad impoſſibile non obligari; mihi autem ex quacunque propoſitione ad centenas alias non diſcurrere impoſſibile eſt: puto Deum ſcholaſticè meditari, ejuſque attributa in creaturis rimari, quod facit in Pſalmis omnibus aut ferè David, eſſe bonam attentionem habere, etiam in illorum ſententiâ, qui internam poſtulant) ſi in labore, aut alijs actibus Communitatis] ſemper ſtudeo: & ſi ſtudere eſt orare, ſemper oro: & hoc etiam tu ſcis, & tamen illa, aut pleraque neſcio, quæ in hoc libro alijs reſolvenda propono. Ergo ſi volebas illa à me ſciri, cur me creaſti tam ſtupidum & rudem: nam, qui diligentiam omnem adhibeo nec proficio, cogor in mentis tenuitatem, ignorantiæ culpam exonerare. Scio*, quod homines & jumenta ſalvabis Domine: *Sunto homines, qui nati docti, & omnia ſciunt, cùm genio indulgeant, potitationibus & comeſſationibus totâ die vacent, & nihil omninò didicerint; adhuc ego in ignorantiâ mea apud te ſum, & ſi poſſum doceri, laborem &*

Digitized by Google

rem & diligentiam non recuſo. Et quid contra Æmulus? Si doctus, ſi ſincerus ſit; quod Mendoza: non enim aliud, quod poſſit reſponderi, ſuccurrit.

Sed hæ ipſæ Caramuelis ignorantiæ, inquis, ſunt multis miræ, omnibus pernitioſæ; Nam dum ſubtiliter dialecticatur, multa alterat in expoſitione præceptorum Decalogi. Multa circa hæreſin materialem inſinuat; multa circa juramenta & vota; multa dicit de faſtorum obſervantiâ; de cultu Parentum non-nulla, quæ negant reliqui: homicidia ob defenſionẽ famæ; & duella admittit; ſuicidum auſu temerario proponit: in genere Luxuriæ multa inutiliter ſpeculatur: multas uſuras & ſimonias excuſat; multas æquivocationes etiam quæ mendacia videntur, licet deteſtari ſe dicat Reſtrictiones mentales nomine *politicæ veritatis* colorat; & expunctis reſtrictionibus mentalibus aliam viam init, quæ plures conſequentias & magis inconvenientes parturit: & ut verbo omnia dicas, Non manet in tota Theologiâ Morali veritas, quæ non arietetur à Caramuelis iſtis dubiis. Cohibenda igitur eſt hominis ignorantia, nec debet permitti ille impoſterùm tam multa ignorare aut neſcire.

Politica veritas differt toto cælo à Grammatica.

Permittendum eſt ut indocti conſulant doctos.

Sed hoc ipſum me judice in Veritatem & Ingenium ſævire eſt. Non errat, qui interrogat; non, qui dubitat, & ſcrupulos ſuos humili ſinceritate proponit. Non qui ſuam tenuitatem fatetur; & doctiores interrogat, erudiri & doceri paratus. Scripſi, quæ coram Deo putavi examine majore digna: quæ percallere cupio; quæ fortè à Majoribus diſcere potero. Non laxo, non contraho communes Theologorum ſententias, qui meam non prodo, qui meras obiectiones evulgo. Si ſenſum alicubi inſinuare me dicas; dicam te nimis perſpicacem videri, cùm proteſtor me ſingula Tibi proponere, nil definire. Tuo omnia ingenio imò arbitrio committo, & ut eruditiùs id poſſim, caſum ſubſequentem ſcribo.

Caſtroverde laudatus.

Inter centenos alios Illuſtriſſimos Homines, quos habuit Auguſtiniana Eremitarum Religio, Caſtroverde eſt ex primis. Apoſtolicus Concionator is fuit; ſummo fervore & ſpiritu rem ſacram agens, & declamationum ſuarum vi plurimos ſæculares ad Deum & ſtatum Regularem convertens. Cùm ſemel igitur Madriti in aulâ orationem haberet, Dei miſericordiam efferebat ſummo locorum ornatu & rationum vehementiâ, & ut colophonẽ adiiceret, ſic eſt profatus. *Tanta eſt Chriſti benignitas, ut Pontium Pilatum; illum, illum, iniquiſſimum Iudicem, qui ſe ultimâ condemnavit ſententia: qui contra juſtitiam & dictamen ſe cruci ſuffixit: multis licet gehennis digniſſimum; ulnis miſericordiæ & clementiæ complexus ad cælum tranſtulerit. Ecce Pilatus æternùm illo fruitur, quem crucifixit! O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ, inquit Apoſtolus: miſericordiæ & clementiæ, addam ego! nam eſt ſuavis & dulcis, non ſolùm diligentibus ſe, ſed etiam perſequentibus, imò cruci affigentibus ſe!* Audierunt ægro animo hanc doctrinam nonnulli, & apud ordinis Superiores Concionatorem appellarunt. Nolunt illi propter eum Aulicis diſplicere, jubentque ut Regi & Summatibus ſcandalizatis ſatis ſiat; nempe, ut Caſtroverde totam hanc doctrinã recantet. Ille condẽnatus, antequam examinatus & auditus, ſuggeſtum init, atque heri dixerat, hodie his verbis retractat. *Ante menſem in hoc Regio ſacello evangelicè dixi; ut ut putatis aliquid quod militat contra Evangelium: videlicet Pontium Pilatum eſſe in cælo. Non dixi me teſtem oculatum: fateor*

An Pilatus ſit in inferno?

 enim

enim me non fuiſſe præſentem, cùm clementiſſima ille apotheoſi induerit Angelum. Me auritum dixi: & ſi eorum, quæ legimus, teſtes oculati dici poſſumus, etiã oculatũ hoc ſenſu. At, quia non vultis facultatẽ concedere ut in cœlis is ſit: coram univerſis declaro Pontium iſtum, nõ fuiſſe meum avum, non meũ cognatum, non mihi fœdere ſangvinis aut affinitatis devinctum, nec me habere ullam obligationem ejus perſonam defendẽdi: quam ob rem, quod me attinet, vobis omnibus & ſingulis concedo liberrimam copiam, ut eum reducatis ad orcum, & manu ultrici ab illo debita ſupplicia reſumatis.

Sed quorſum hæc? ut ſi quid alicubi ſinceriùs dixi, humili confeſſione retractem. Raró aut nullibi me eſſe teſtem oculatum aſſerui, cum moralia tractavi: non enim Linceus ſum, & qui poſſim intuitivè videre, quæ oculis viatoris etſi doctiſſimi, exactè videre non poſſum. Auritum dixi, quia ſæpè diſputavi ad alienam doctrinam mentemque: & ſi probabiliter loqui, ſit veritatem, quà humanitùs licet, intuitivè videre, cur non dixerim me intuitivè diſcernere Moralia; ſed hoc ſenſu? At ægrè fertis: & indignabundi reos à vobis accuſatos, à nobis defendi: à vobis abſolutos, à nobis condemnari non vultis. An vobis univerſis reſtitero? Nõ ita amens ſum, ut meum ingenium veſtro, meamque doctrinam veſtræ ſcientiæ antepo nam. Quid faciam igitur? in Theologiæ templum ingrediar, aſcendam cathedram, & alloquar univerſos his verbis. *Quandoquidem nõ vultis facultatem concedere, ut nonnullæ opiniones quæ benignæ ſunt, & mihi & multis Doctoribus videtur veræ, ſint probabiles, proteſtor Atheos, Hæreticos, Blaſphemos, votiruptiones, Paſtorum contemptores, parricidas, Inceſtuoſos, Molles, Adulteros, propudioſa venere pollutos, Homicidas, Vſurarios, ſimoniacos, Mendaces, & alios ſceleratos homines, quorum aliqua crimina viſus ſum diminuere, aliqua ſeveriùs incriminari quàm ſoletis, non eſſe meos cognatos, non affines, non mihi aliquo ſangvinis fœdere aut unione devinctos, nec me ullam habere obligationem eorumdem defendendi perſonas: quam ob rem, quod me attinet, vobis & ſingulis liberimam copiam concedo ut pro arbitrio ſi ſtare rationi nolitis, eos damnetis, aut etiam abſolvatis: quod eſt permittere ut diſgregativa viſûs* Nigra, *& congregativa* Alba, *ſi velitis, vocetis.* Cæterùm, quia ſpero vos non puris affectibus, quòd hucuſque fecerunt valde multi, ducẽdos, confido hos meos ſcrupulos tantâ urbanitate & ſinceritate examinandos fore, quantâ & ipſi ſcribuntur: & quia paratus ſum veſtram ſententiam ſequi, ſi demonſtraveritis veram ſecuramque: non dubito, quin diſſimulatâ meæ perſonæ tenuitate, rationes à me poſitas conſiderabitis, & adquieſcetis ſicubi convincant intellectũ: fruſtra enim inſiſtitis antiquorum veſtigiis, ſi fortè illos erraſſe evidenter probamus. Conſultò illud *fortè* interpoſui, nam hæc ipſa dubitando & non reſolvendo propono; & ſiquidem meum fuit ad veſtram clementiam recurrere: veſtrum erit Eximij ac Sapientiſſimi Domini Magiſtri, me iuvare: veſtrum me docere & inſtruere: veſtrumque poſitis dubiis reſpondere. Pragæ maneo ad veſtra obſequia paratiſſimus: & apud Montemſerratum veſtras doctiſſimas & humaniſſimas reſponſiones expecto.

***

QVÆ-

QUÆSTIO

THEOLOGICA.

De peccatorum contranaturalium diſtinctione.

AMo literas; & quia meditando & ſcribendo diſco, ſemper meditor, ſemper ſcribo, nec patior quieſcat animus, qui deſiderat Eccleſiæ & Imperio ſervire, Quæ non parva olim diligentia & ſtudio (aut etiam ingenio, ſi velis) inveni, dixi, ſcripſi: reiecerunt nonnulli, injuriis meris Theſium mearum probabilitatem oppugnantes. Subriſi: qui enim ad probra & ſcommata confugit, impotentiam & paupertatem ſuam teſtatam facit. nam ut cuidam Anticaramueli alibi dixiſſe me memini,

Qui ratione gravi fulcitur, ſcommata omittit:
Nam ratio multis fortior una iocis, &c.
Si demonſtretis, quod demonſtratio noſtra
Claudicat, hæc vobis gloria ſola ſatis, &c.

Solos æmulos & imperitos homines iniuriis Viros ſtudioſos laceſſere putabam heri: at jam hodie erraviſſe me video; nam Boſſius, Vir bonus, doctuſque, me omnium Barnabitarum, quos cognovi, amiciſsimum; ſuæ perſonæ & ingenii cultorem; ſuorum librorum Lectorem & admiratorem aſsiduum; crudeliter petit aut excipit; & quia magni Virum facio plus dolent directa ab illo vulnera, quàm à centenis Anticaramuelibus aliis inflicta. *Directa inquam ab illo:* nam qui affectum cum effectu confundunt, me vulneratum clamant: at ego ſcopum, quo-

uſque

uſque à Sagittatio tangatur, conqueri imprudenter pronuntio; ille ergo tertio Moralium ſuorum Tomo, duos Tractatus contra Caramuelem evulgat. In priori impugnat opinionem, quam ſuam confitetur Caramuel: at in poſteriori, neſcio quo fato, ita fuit hallucinatus Sanctus Vir, ut illi adfinxerit ſtupidiſſimum errorem, quem nunquam ſomniavit Caramuel. Igitur ad ſecundum Tractatum facillima reſponſio eſt, *Boſſium, quia doctus eſt, & quia eſt bonus debere ſumere calamum, & à prima linea ad ultimam omnia delere, quæ Andabatarum inſtar conglomerat: quæ enim ibi impugnatur Aſſertio, antequam in Boſſio legiſſet, nunquam viderat, aut audierat Caramuel.* Fatebitur & Boſſius, velit nolit, multa poſſe Caramuelem incipere contra Tractatum illum, multa etiam contra Authorem, qui tanquam corruptorem morũ ſe traducit; ſed quoniã amat Boſsiũ, & generoſus eſt, non vult ſe propugnare Boſsii damno: ut enim putat, apud viros doctos, qui neminem illectum aut inauditum damnant, nihil perdidit: & apud vulgus & imperitos homines, doctrinæ gloriam non affectat. Omiſſo igitur poſteriori Tractatu tanquam embryone nondùm nato, concipiendo & parturiendo iterum ſucceſſu temporis, ſi fortè olim ſit aliquis qui illa aſſerat, quæ magno molimine impugnat; priori ego reſpondere tenebor; & quia occupationibus privatis & publicis obrutus, ad omnia ſtatim nequeo, dum calamum urbaniſsimum & fortiſſimum præparo, hanc Epiſtolam meo Boſſio ſcribo. Et quia multa ſunt exemplaria toto orbe terrarum ſparſa, quibus traducitur Caramuel, illam etiam in lucem vel invitus emitto, proteſtans duo. *Alterum* me perſonam Boſſii venerari & amare, nec neſcire cur ille tam acriter in ſuum & totius Ordinis ſui Amicum acuerit calamum. *Alterum,* me iniurias nullas repoſiturũ; ſed rationes ejus examinaturum tantummodò, quæ ab ſcommatibus præcisè, tam ſunt frivolæ, ut ſinceritas dictura ſit, *Hanc propoſitionem* Peccata contra naturam diſtinguuntur ſpecie, *eſſe probabilem: At eandem ipſam, ſi alias non haberet rationes quam à Boſſio productas, nec aliter eas poſſet conformare, quam Boſſius; omninò non fore probabilem.* Ergo candide Lector, tanquam interloquutoriam ſententiam dum definitiva concipitur & ſcribitur, has Epiſtolas perlege & uberiorem reſponſionem exſpecta.

EPIS-

EPISTOLA I.

Reverendo & eximio Patri Don Ioanni Angelo Boſſio, Clerico Regulari Barnabitæ, ex congregatione S. Pauli &c. Caramuel S. P.

Lego cum voluptate & fructu, Eximie Pater, MORALIA VARIA, quibus Orbem Literarium honores. Calamum ad Eccleſiæ Romanæ gloriam datum conſervet multis annis Deus, ut libros eruditos exaret. Prodierunt Tomi duo: & ſunt recepti magno applauſu: prodiit & tertius nuper, & utiliter legitur ab Univerſis. Proſtant in ipſo bini Tituli inſcripti *contrà Caramuelẽ*: alter de diſtinctione peccatorũ contra naturam: alter de fornicationis & mollitiei malitiâ intrinſecâ. Et quia utrobiq; fortiter & doctè diſcurris, ita vincis, ut vincias; ita oneras, ut etiã honores. Gaudeo mihi tam doctum oppugnatorem contigiſſe, quoniam qui veritatem quærimus, ſeu inveniamus nos, ſeu ab aliis inventam addiſcamus, triumphamus; qui enim divitiis congregandis ſtudet, ſive theſauros inveniat & effodiat, ſeu illos ab alienâ liberalitate recipiat, dives fit. Interim, quia cum Rmo. Domino Doſſena, Eminentiſſimi noſtri Principis Cardinalis ab Harrach, in Archiepiſcopali Conſiſtorio Aſſeſſore, intimam amicitiam profiteor, & ipſe tecum, patere, ut quæ ſunt eadem uni tertio, ſint eadem inter ſe, & quia ſummopere placet, tua in dictamine aperiendo libertas, (maximè cum teſteris num. 22. ſincerè & non animo mordendi, ſed ex amore veritatis, & Zelo publici boni fidelium contra me ſcribere) jure amicitiæ teneberis impoſterum impugnare liberrimè, ubi me erraviſſe credideris; nã & ego viciſſim, ſalva reverencia, quam debet Magiſtro diſcipulus, liberrimè ſum reſponſurus: aut dando manus, ſi quid tandem demonſtres; aut demonſtrando contrà, ſicubi videaris aliquid improbabile dicere. Interim, quia me tuo calamo in duabus materiis honorare cœpiſti, dicam aliquid breviter, quod tibi poterit aut prodeſſe aut ſervire. Aperiam igitur Tomum hunc tertium, & ſub initium ipſum ſeriem Titulorum inveniam, & undecimo numero Titulum *de diſtinctione peccatorum luxuriæ contra naturam adverſus Ioannem Caramuelem*. Et cur quæſo adversùs Ioannem Caramuelem, & non potius adversùs Angelicum Doctorem D. Thomam: quod enim abſolutè & claris verbis D. Tho-

Digitized by Google

Thomas edixit,hoc multò moderatiùs Caramuel :ille enim loquitur abſolutè , iſte verò intra terminos probabilitatis. Et ſanè D. Thomam tam loqui clarè , ut in oppoſitam opinionem torqueri non poſſit,nemo negare audebit , qui literam voluerit legere. In eiuſdem Indicis duodecimo numero reperio hunc Titulum, *De malitia mollitiei & ſimplici fornicatione intrinſeca, &c. adversùs eundem Caramuelem*, & cur hic iterum adverſus Caramuelem, & nō potiùs adversùs Scotum,& totam Scotiſtarum Scholam ? Et ſi contra hanc, contra rationem omnem : doctrina enim Scoti ſemper fuit illuſtriſſima & probabiliſſima ; & hodie Univerſitati Complutenſi jus dicit,cùm tamen vix alia in mundo ſchola,ſe inſinuet in fundamentalia Diplomata Univerſitatum.

Dico igitur PRIMÒ , *nihil eſſe facilius Scriptori Theologo, quàm alienas onerare conſcientias, & multiplicare peccata : præcipuè,ſi non tam veritatem quærat , quàm populi plauſum & laudem.* ADDO *hoc ævo nihil utilius eſſe* : qui enim ſeverus eſt,libentiùs auditur à vu'go , & liberiùs loqui poteſt , quàm qui rationem & doctrinam benigniorem ſectantur.

Dico SECUNDÒ, *Me non teneri contra mentem loqui : at nec teneri cum tanto damno mentem meam aperire,ut vel debeam propter D.Thomam traduci,vel debeat propter me D.Thomæ doctrina dici improbabilis & intolerabilis.* Hinc eſt quod cùm hoc ævo nati ſint multi,qui aliter,quam cæteri judicent, (malū iſtud omninò nō eſt) cæteros cenſuris inurant (& hoc intolerabile eſt) & ut illos crudeliùs tranſverberent, opiniones adfingant, (& hoc exſecrabile eſt) decreverim rem ita veneream tractare,ut à propria impoſterùm opinione præſcindam, & tantummodò rationes aliorum diſcutiam , & in re obſcura & dubia merum Logicum aut Dialecticum agam. Igitur (Boſſimi) peccata contra naturam eſſe ejuſdem ſpeciei , & modaliter tantùm diſtingui,dixit Doctor Angelicus,dixit Filliucius, Diana & plures quam triginta Doctores : dixi & ego. Iam ego nomen meum,tibi , ut video minùs gratum, delevi : igitur me intermiſſo D. Thomam & alios Theologos nobiliſſimos & ſapientiſſimos impugna,ipſoſque non exclamationibus,ſed rationibus & authoritatibus; tua enim pace dixerim , ut inferas *Ergo improbabilis eſt iſta ſententia,* nullam vel leviſſimam rationem habes. vel ſi ullam habere te putas , illam excerpe ; & quia Logicam oblivioni mandavi , adde in in quo illa formata ſit modo & figura. Et ſi hoc non poſſis , patere,

quod

quod demonſtrationes illas tuas paralogiſmorum cenſui adnumerem.

Dico Tertiò *Sodomia horrendum crimen, flammis omnibus dignum, à Deo, ab Eccleſia, à Republicâ condemnatum, graviſſimum ſcelus eſt.* Eſt certa; & à te num. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. benè probata: & revocari in dubium, à viro Chriſtiano non poteſt.

Dico Quartò *Probabile eſt Mollitiem tactibus alienis procuratam, à Sodomia puro modo differre ſpecie vera non differre: eam, quæ procuraretur proprijs tactibus complicis carere malitia, & ideo minus peccatum eſſe, non tamen ad ſpeciem inferiorem ſpectans.* Hanc tenet doctrinam Filliucius *tom. 2. tract. 30. cap. 8. nu. 141.* Diana *part. 4. tract. 4. de Sacramen. reſol.* 159 licet contrariam probabiliorem aſſerat: Caramuel *in Theolog. Morali num.* 1607. & *in Commentario in Regulam D. Benedicti num.* 983. & in *Syntheſib. quæ ſub finem eiuſdem Commentarij ponuntur:* ubi illam firmat ſpeciali multorum Doctorum & S. Theologiæ Profeſſorum cenſurâ, quibus multi alii ſelectiſſimi Viri acceſſerunt, quorũ nomina in alia ſyntheſeon editione dabuntur. Hanc ſententiam potuiſſet Caramuel abſolutè proferre: habet enim rationes clariſſimas, quibus per meras exclamationes reſpondetur; & habet pro ſe Doctorem Angelicum; quod ſufficeret, ne quis inurbanè & inciviliter contra Caramuelem procederet. Interim, quia videbat Caramuel opinionem contrariam authoritate non carere, voluit ita eſſe urbanus, ut eidem probabilitatem non negaret; ſed hæc ejus urbanitas lucrata eſt hanc cenſuram. *Satis clarè colligi videtur* (ais) *ſententiam Caramuelis & Filliucij non eſſe probabilem, Sed intolerabilem omninò; præſertim (ut etiam Oviedus num. 54. notavit) in praxi: cum habeat oppoſitam aliorum omnium Doctorum communem ſententiam: & prorſus ſit deſtituta authoritate alicujus Doctoris.* Ubi admiror, ita homines etiam doctos, præjudicio occupari, ut tam crudè loquantur, ubi eſt evidens & palpabile, quod à veritate declinant. Positio Caramuelis erat *Probabile eſt peccata contra naturam eſſe ejuſdem Speciei*: ei non opponitur hæc, *Peccata contra naturam non ſunt ejuſdem ſpeciei.* Sed hæc, *Improbabile eſt illa eſſe ejuſdem ſpeciei.* Et hanc eſſe communem falſum eſt. Citet authores, quæſo, qui eam cõmunem affirmat, & videbit quàm ſit multos daturos, ſi ſinceritas adſit. Præterea evidens eſt multa à Boſſio congeri: ſed æque evidens, nullum aut teſtimonium aut ratiocinium poni, ex quo vel probabiliter ſequatur (hîc volo doctè legi) eandem ſententiam improbabilem eſſe. Fortè illa teſti-

monia aut ratiocinia probant poſitionem de ineſſe [nempe hanc, *Peccata contra naturam diſtinguuntur ſpecie.*] eſſe probabiliter falſam, ſed quid inde contrà Doctrinam Caramuelis; qui hoc ipſiſſimum ſtatuit, cùm pronunciat Modalem hanc *Probabile eſt ejuſmodi peccata non diſtingui ſpecie*, eſſe evidenter veram? Quod ſi tu poſitionem de ineſſe cum Modali, diverſa toto cœlo confundas, tibi imputes: qui enim Theologiam profiteris, exactè ſentire & loqui debes. DEINDE hæc conſequentia, *Huic ſententiæ opponitur ſententia communis: Ergo eſt improbabilis.* peccat cõtra prima Dialecticę Moralis principia; quia non ſolùm minùs cõmuni, aut æquè communi, ſed etiam magis cõmuni opponi poteſt ſoletque cõmunis ſententia: nec tamen minùs aut æq; aut magis cõmunes vocari poterunt improbabiles aut intolerabiles. Illa verba, *Caramuelis, (aut potiùs D. Thomæ) ſententia eſt prorſus destituta authoritate alicuius Doctoris*, falſa evidenter ſunt: nam D. Thomas ſolet æſtimari pro millibus: & inter eos, qui ſyntheſibus Caramuelis ſubſcribunt, ſunt aliqui, quibus nullos doctiores mundus habet.

His ergo poſitis aliquid de utilitate hujus doctrinæ, & aliquid de probabilitate uberiùs ſubſcribamus.

De utilitate.

UT examinem, *An iſta doctrina ſit utilis?* oportet falſa à veris diſcernere, & cum aliquibus ſanctis & doctis viris lugere miſerias noſtri ſæculi, in quo aliqui ſub ſpecie virtutis crimina exſecrabilia aut convertere in fumum, aut ſaltem excuſare videntur. Ut malo huic remedium adhibere poſſimus, quantum ſit malum ipſum, & quomodo proſcribi ab orbe queat, in particulari eſt explicandum. Dico igitur

Primò, *Mollitiem noſtro ævo eſſe crimen valde commune, & quod magnam partem Iuventutis abſorbet, & innumeros in infernum præcipitat: debereq; Theologos omni niſu morbo corruptæ Iuventutis ſuccurrere, & nullũ omittere medium, quod poſſit hanc peſtẽ avertere.* Hoc multis lachrymis Confeſſarii, hoc multis verbis & ſcriptis Theologi, hoc multis etiã revelationib. contẽplativi, qui Deo Magiſtro didicerunt, quæ debeant ætatibus ſingulis diligentiùs caveri, dilucidè & clarè probarunt.

Secundò, *Eſſe aptiſſimum medium, ut remedium ponatur, aperire Iuvenum oculos, & clarè oſtendere criminis, quod ſummæ ebullientis ætatis infamia fruſtrà præſcripſiſſe jam dicitur, gravitatem & malignitatem.* Et ut hoc

hoc exitum feliciorem ſortiatur, quantum Theologica permittat ſinceritas, augendo criminis deformitatem. Hinc eſt, quod prudenter ad eam opinionem, quæ peccata contra naturam non diſtinguit, tanquam ad daturam ſuppetias à viris ſanctis recurratur: quia cùm Beſtialitatem & ſodomiam, infanda ſcelera, vel ſolo horrenda nomine, Iuvenes deteſtentur, morique malint, quàm luto tam fœdo & immũdo inquinari, ſi ſemel apprehendant, mollitiem eſſe culpam infando facinori proximam, terrebuntur omninò, & huius doctrinæ ſaluberrimâ notitiâ perculſi deſiſtent à ſcelere, quod ſui Patroni excuſant ſpecioſo nomine fragilitatis.

At dices, ex hac doctrinâ ſequi debere abuſum: adeòque eam iterum intolerabilem cenſendam, non enim corrupta juventus, ſi audiat peccata omnia contra naturam ad eandem ſpeciem infimâ pertinere, credet ſe erraviſſe in mollitiei conceptu, & debere illam apprehendere tanquam infandum facinus: ſed potiùs contrà, quia pronus in malũ eſt fervor adoleſcentiæ, opinabitur ſe erraviſſe in Sodomiæ aut etiam Beſtialitatis conceptu, eas infandas exſecrabileſque judicando, & poſſe retentâ veteri de levitate Mollitiei ſententia illarum gravitatem remittere, ſub decentiſſimo nomine fragilitatis.

Cùm ſic argutantem aliquem Patronum Pollutionis ſubaudio, eiuſdem ego ratione utor; & illum Archangelum, qui ad cœlorum Imperatricem miſſus, expedivit noſtræ redemtionis initia, aut omninò condemno: & ſi hunc non, Pollutionis Patronos, qui ſic argutari dignantur. Meum conceptum explano [Homo eſt creatura, Deus creator: finitus & limitatus ille, infinitus iſte & immenſus. Et Archangelus vult docere mortales quànti facere univerſi debeant Angelorum Reginam, & ore inquit intrepido, *Inveniſti gratiam apud Deum.* Tace, inquam, Gabriel: quoniam ex iſtis verbis ſequetur abuſus certiſſimus: adeoque illa ego improbabilia & intolerabilia pronuntio. Non enim corrupta hominum mens, ſi audiat Mariam eſſe apud Deum, credet ſe erraviſſe in conceptu, quem habebat de illa, & debere illam apprehendere tanquam Divinam fœminam, omni exornatam gratia & plenam Deo: ſed potiùs contrà, quia prona in malum eſt generis humani inſolentia, opinabitur ſe erraviſſe in Divinitatis conceptu, eam immenſam & infinitam judicando, & debere tenere, Mariam eſſe fœminam, fœminaſque omnes leves inconſtantes corporeas: & hanc ob rem, ſi fœmina ſit af-

finis Deo, Deum fore affinē fœminæ, adeòque levē, inconſtantem, corporeum. Quæ omnia ſine blaſphemiâ Hæreſiarcha non dixit, & ſine horrore Orthodoxus non audiet.

Et quid ad iſtud ratiocinium Angelus? neminem dictur ū eſſe Deum corporeum? Minimè: multi enim olim Heterodoxi Deo, & nonnulli etiam hodie Angelis corpora adfingunt. Quid ergo? Debere diſtingvi ſcandalum receptum à dato: nec ideò verba ſua damnanda, quod abutantur illis pauculi, ſiquidem utilia ſunt plurimis: qui illis ad amorem & venerationem Cœlorum Reginæ excitantur, & quotidie in gratia & virtute proficiunt.

Ergo ex virgineo candore, quem in Angelos Natura poſuit, quem in Deiparam Virtus & Gratia, ad ſordidiſſimam naturam rediens, ponam Mollitiem apud Beſtialitatem, ut univerſi, ſiquidem horrent hunc, etiam illam abhorreant, & conſervantes animam puram & illibatam inveniant gratiam apud Deum. Vt igitur à veris falſa, & certa ab incertis ſejungam, ſupponam nemine contradicente, hæc duo crimina dicere inæquales malitias, & omniū Theologorum ſententia ſummè diſtantes: & quia numerum determinatum pro indeterminato placet ſumere, cùm neſciamus quanta determinatè ſit ſcelerum iſtorum malignitas, Pollutionem eſſe malam, ut decem, Beſtialitatem aut Sodomiam eſſe malam ut centum aſſeramus. At ſtante tota iſta varietate & diſtantia (inquam) adhuc poſſunt eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei, quia majus aut minus non inferunt ſpecierum diſcrimen. At inde ſequetur inquies aperiri malitiæ viam, & plura committi peccata. Parciùs quæſo: nam rationem inferendi non video. Quia ſi dicas, [Aliquis contrahet terminos, & poſita pollutione ut decem, Sodomiam ut viginti eſt dicturus] dicā ego, [oportet ut incutiatur terror juvenili fervori, & poſita Sodomia ut cētū ponatur ut quinquaginta aut etiā nonaginta Pollutio. Ergo vel ſic claudetur via fragilitati, & addetur horror crimini, quod dicitur valdè cōmune. Ergo ſatis eſt lubrica humana fragilitas, & nō eget Advocatis Pollutio, nec debet ita ſeparari à ſodomia, ut horror, quā imbibit natura violata, amittatur. Præſtat igitur Pollutionis materiā ultrà communem opinionē intendere & apud Sodomiā collocare; quàm ita removere, ut horrorē aut tollat, aut remittat diſtantia. Ergo qui Sodomiā à Mollitie ſpecie ſubſtantiali diſtinguunt, hanc fortè gloriam habent, quod tametſi formaliter ſanctè procedant, ſequentes impulſum dictaminis; materialiter errent, & contra deſiderium ſuum ſint Mollium advocati & patroni.

Maneat

Digitized by Google

Maneat igitur ſodomiam eſſe qualem & quantam communis exſecratio pronuntiat, & mollitiē tam eſſe formidabile crimen, ut à Sodomia ſpecie ſubſtantiali non differat, ſed ſolummodo modali, vel accidentali. Et maneat D. Thomæ ſententiam, quam probabilem dixi, oppoſita utiliorem eſſe.] Hæc fuit olim doctrina mea: quia cùm ſodomia ſit rariſſimum & fœdiſſimum crimen, quod ipſa natura humana abhorret, non videtur ex hac parte ullum eſſe periculum: & ex alia videtur utilitas relucere notabilis, ſi Pollutio apud eam collocata tam exſecrabilis ſit adoleſcentibus, quàm peccatum nefandum: tunc enim raro committeretur, quæ nunc dicitur valde communis. Puto iſti providentiæ & judicio reſpondere experientiam: quæ ſi fortè (quod non ſpero) doceat contrarium aliquando aut alicubi, pronuntio liberè D. Thomæ, Filliucii, Dianæ, & aliorum plurimorum ſententiam, quæ peccata contra naturam non diſtinguit ſpecie, eſſe quidem probabilem, ſed nocivam: adeòque in eo caſu (ſi nimirùm ille caſus daretur) non iſtam ſolam, ſed quamcumque aliam, benignam aut ſeveram, certam aut veroſimilem, per accidens interdici debere, at improbabilem dici non poſſe: nam & Biblia vulgata, etſi benè translata, meritò interdicit Eccleſia, quod per accidens nociva ſint: at illa eſſe falſa aut improbabilia non definit. Verùm enim verò, quia in noſtro caſu contrarium experientia perſuadet, D. Thomæ ſententia utiliter defendi poteſt: nam illi inſiſtens Confeſſarius his verbis aut ſimilibus aliis, mollem pœnitentem obiurgat. *Quid cogitabas miſer juvenis, quando in mollitiem, ſcelus exſecrandum es lapſus? Vt puto ignorantia laboras; ſed quia hæc tua ignorantia craſſa eſt, non te excuſat. Scis quid commiſeris? culpam peccato illi, quod pluvio ſulphure punivit Deus, & igne mundus expiat, valde affinem: culpam horrendam, & à peccato, quod exſecrantur ipſi Dæmones, modaliter tantùm diſtinctam. Virginea caſtitas eſt prærogativa puriſſima, quæ reperitur apud Deum: quæ in Deipara inveniri non poſſet, niſi & ipſa ex peculiari privilegio collocaretur apud Deum. Et Luxuries eſt ulcus fœdiſſimum & fœdiſſimum, quod reperitur apud Dæmones; nec enim in hominibus reperiretur, ni & ipſi apud Dæmones eſſent. Immundiſſimi ſunt, & infanda nihilominùs venere, ſe puriores occlamant: ergo & puriores molli: ſunt enim infanda & mollis venus proximæ, & ſordium affini aut cognata ignominia ſorores: altera enim ut plurimum ætate aut modo, non tamen eſſentia cedit alteri. Laſcive igitur Iuvenis, mentis oculos aperi, & qui infandi facinoris deteſtaris malitiam; ne quæſo, eidem infando ſceleri cognata, & proxima o-*

mnino,

Digitized by Google

mninò , *perverſitate maculeris.* Ergo hæc doctrina addit horrorem interioribus culpis, illas apud nefandam collocando. Ergo eſt utilis.

De Probabilitate.

INtolerabilis eſt, ais & improbabilis Caramuelis opinio, cum cōmuni opinatur, & ſit deſtituta alicujus Doctoris authoritate. Et quis hoc quęſo dicit? ſolus Boſſius, aut fortè etiā Oviedus: qui ſi vidiſſet multos eſſe Patres è ſocietate, qui ſubſcribūt, fuiſſet locutus moderatiùs. Anne Filliucius & Diana quos citas: & ante ipſos Armilla, Tabiena, Aſtenſis, Matthias Feliſius, Ioannes à Graphiis Navarrus; Henriquez, Angelus Fagundez &c. Et poſt ipſos P. Andreas à turri, P. Petrus Damaſus de Coninck. Patres, Adrianus Crōmius: Ioannes de Ionghe, Ignatius der-kennis; Ludovicus de Scildere, Franciſcus de cleyn: Pater Patricius Brenanus, P. Auguſtinus Eganus. P. Raymundus Caronus, qui omnes ſpecialiter conſulti ſubſcripſerunt doctrinæ quam impugnas : quos omnes ſub finem Commentarii in Reg. D. Benedicti inveniſti & citare debebas: An ne D. Thomas, qui teſte Filliucio. *tract.* 30. *in* 6. *præcip. cap.* 8. Armilla *verb. Luxuria. num.* 5. Tabiena *ibidem num.* 6. *libr.* 2. *tit.* 46: *cor.* 7. & Aſtenſis *lib.* 2 *tit.* 46. *art.* 7. Diana & aliis tantum modalem diſtinctionem admittit (ut omittam multos alios Doctores, quos non dedi, quos dabo aliàs cùm Syntheſes illas recudam) An-ne tandem Caramuel (ſi liceat tenuem calamum componere magnis) ſi non propter ſe, ſaltem propter illa verba quæ habentur in ſecunda Commentarii editione num. 983. videlicet: *Vide meam Moralem Theologiam in additionibus ſub finem, ubi viginti ſex Authores cito pro hac ſententia.* An-ne Doctores Duaceni, Colonienſes, Pragenſes, ſunt nullus Author? & quidem eſſet mirum, ſi à te dicatur improbabile, quod olim D. Thomas tam clarè aſſeruit, ut non aliter poſſit quàm collo obtorto in oppoſitam ſententiam trahi. Et quidquid de D. Thoma ſit, videretur mirabile, ſi diceres errare Arithmeticos omnes, cùm aſſerunt triginta eſſe triginta: & eſſet abſurdum procul dubio, ſi improbabilitatis nota inureres, quod triginta vel plures Doctores, aut S. Th. Profeſſores, quibus vix æquales in Europa reperies, ſuo nomine & approbatione confirmant.

Dico Quintò *Doctrinam, quam meritò Titulo XXIV. impugnas, quam etiam Diana (aliàs amicus meus) mihi adſingit, & fortè ſeveriùs condemnat: non eſſe meam: non enim ego tam rudis, ut contradictoria commiſce-*

Digitized by Google

miſceam. Corollarium. *Ergo omnia, quæ habentur in Tractatu XII. (omnia, omnia: à prima linea ad ultimam) poſſunt ab Authore deliri.* Domine mi; Caramuel locis à Te allegatis Scotum & ejus diſcipulos ſequitur, qui præſcindendo à divino præcepto nō in mollitie ſolùm, ſed etiam in aliis peccatis nullam omninò Theologicam malitiam admittunt: dicimus enim, quòd homicidia, fornicationes, immundiciæ, furta, &c. ſint peccata, quia à Deo prohibita, & quòd eadem, ſi non eſſent prohibita non eſſent peccata. Et quid tu contra? Interrogas primo paragrapho, *An mollities ſeu ſimplex pollutio ex ſui natura intrinſecè & iure naturali ſit moraliter mala, & peccatum, an verò ſolùm quia Iure divino poſitivo prohibita?* Quid hoc quæſo; quid hoc? Iam intelligo. Interrogas, An-ne Petrus, ut homo eſt, an verò ut eſt animal rationale, ſit diſcurſivus? Pulchra quæſtio! Idem eſt homo, quod animal rationale: idem lex naturalis, quod Ius divinum poſitivum: & qui hoc interrogat (pace tua dixerim) Thomam & Scotum ignorat, quem ſolent alii ſcire ſicut *Pater* & *Ave*. Ergo Caramuel, ut illum impugnes, debet dixiſſe, *Mollitiem eſſe peccatum, non quia opponitur legi naturali, ſed quia opponitur Iuri poſitivo divino.* Quod quia delirus nunquàm fuit, nunquam id cogitavit Caramuel. Sed quia res eſt magni momenti unum hominem ſcripto publico graviter accuſare: ubi quæſo, ita exorbitavit Caramuel? ubi hoc dixit? Ubi negavit illa, quæ legi naturali opponuntur, eſſe vera peccata? Lege obſecro ipſiſſimos locos, quos citas; & quia pius es, reſponde mihi, an qui penitùs innocenti crimen publicè adfingit & crimen tantū, nō teneatur publicè reſtituere? Hæc eſt doctrina mea. *Lex æterna eſt liberum Dei decretum circa creaturas gubernandas* (ago de libertate phyſica, nam de morali non poteſt ſtatui concluſio, niſi enodentur priùs graviſſimæ aliquæ difficultates.) *Lex naturalis moralis eſt pars entitativa (non poteſtativa) æternæ legis, hoc eſt Actus divinæ voluntatis non ſecundum totam ſuam latitudinem, ſed quà regulat humanam libertatem, cum intentione obligandi conſcientias ad tales actiones.* Clariùs & breviùs. *Lex naturalis eſt Ius poſitivum divinum.* Ita habeo in Commentario in Regulam S. Benedicti *lib.* 1. *diſp.* 2. *num.* 16, & *num.* 21. ubi hæc verba. [*Admitto dari res, quæ ſint phyſicè & realiter deordinatæ ante omnem legem moralem: nego autem poſſe moralem malitiam* (agimus de Theologica) *intelligi ſine præcepto: unde* (*ſive id poſſibile ſit, ſive non ſit*) *ſi tollerentur omnes leges, nihil remaneret, quod poſſet aſſeri malum moraliter.* Conſono mihi in Theologia morali, & in utroque libro mentem

Digitized by Google

meam elimo ad ſententiam Scoti, quam ubique Scotiſtæ tuentur: quam præcipuè in Provincialibus Comitiis defenderunt Patres Franciſcani Lovanii Anno 1643. Sub P. Simone Iordens (tunc Provinciale electo) erat Theſis IX. *Naturalis lex non eſt ipſa natura, ſed actus divinæ voluntatis, quo per impoſſibile ſublato nullum reſtat peccatum contra ipſam legem.* Nota illud *nullum reſtat peccatum.* Ergo ſi nullum, nec fornicatio, nec mollities eſſent peccata, ſi interdictæ non fuiſſent à Deo. Sub P. Antonio ab Oudenhoven erat Theſis IV. *Lex naturalis formaliter non eſt ipſa natura, aut aliquis habitus aut actus intellectûs, ſed actus divinæ voluntatis.* Erat V. *Cætera* (præcepta ſecundæ Tabulæ) *excepto illo, quod vetat mendacium, ſunt tantùm legis naturalis largè: adeoque in rigore Iuris poſitivi. In his Deus diſpenſare poteſt:* &c. Erat VI. *ſi per impoſſibile Deus non præcepiſſet ea, quæ ſunt legis naturalis, nullum committeretur peccatum in materia talis legis, licèt quis ſciret ſe agere contra naturalem honeſtatem.* Sic in Provinciali capitulo Patres illi; ſic in Lovanienſi Academia: unde ſi quis dicat, non eſſe hanc Scoti ſententiam, retundet illum Seraphici ordinis Comitia celebrantis authoritas: ſi verò admiſſo, eſſe Scoti & Scotiſtarum opinionem, eandem improbabilem dicat, retundet ejus temeritatem Scotiſticæ ſcholæ authoritas, & Academiæ Lovanienſis puritas & ſinceritas; non enim aut imprimi aut defendi concluſiones potuiſſent, quæ Doctoribus viderentur eſſe improbabiles.

Et quidquid de hoc ſit, hæc propoſitio, *Non ſufficit Scotus & totius ſuæ ſcholæ conſenſus, ut una opinio ſit probabilis*, toti orbi literario eſt intolerabilis & temeraria: quia ſi doctrina Scoti non eſt probabilis, nulla erit in mundo probabilis; poterunt enim rationes, quæ contra Scoti ſcholam militent, in aliquam quamcunque torqueri.

Hæc, Boſſi mi, tibi amicè inſinuanda putavi: & quia impugnatione tua honoror (non enim mihi contradici ægrè fero) ſiquidem ſub Te Iudice agor: rationem meorum ſtudiorum expono. Scripturus Commentarium in Regulam D. Benedicti, mentem meam aperui, & omnia quæ eram traditurus, & inter alia illam eandem doctrinam, quam impugnas, ad paucas poſitiones reduxi, quas vocavi ſyntheſes, & optimis totius Europæ Theologis cenſurandas propoſui. Scripturus de S. R. Imperii pace, undecim Theologico-Politicas Poſitiones Vniverſitatū Viennenſis, Græcenſis & Pragenſis Doctoribus cenſurandas præmiſi: non enim ita ſuperbus ſum, ut ſolus velim in Moralibus quidpiam aut negare aut aſſerere. Modò totam

Theo-

Digitized by Google

Theologiam Moralem editurus,integrum dubitationum Tomum toti orbi literario propono: ut ab amicis monitus,ſciã quid retinere debeã,quid alterare, quid firmare. Ergo impoſſibile eſt,ſi ſinceritas adſit,à me improbabilẽ protrudi:ſi enim probabilis ea eſt,quã quatuor docẽt(hoc enim omnes ſentiunt)illa quæ à triginta vel plurib. ſpecialiter conſultis admittitur,à nemine(te ſolo dempto, qui ſupra homines ſapis) improbabilis poteſt vocari. Quid ſi per impoſſibile aliquid improbabile docuiſſe Caramuelem contingeret? Condolere quidem illi & non inſultare deberes. Condolere quod poſt quadraginta annos ſtudii(nõ enim multò plures vixit,quam Scholis addixit) nec Philoſophus nec Theologus ſit,(hoc enim elogio eum exaltas *titulo 24.nu.19.*) condolere,quod ante annos triginta Complutenſium judicio primus fuerit,& tamen ſartori illi ſimilis,qui artem ſuam ſartiendo oblivioni mandavit, Philoſophiam aut etiam Theologiam ſtudendo,docendo,arguendo, legendo & ſcribendo dedidicerit: cõdolere, quod multis annis Theologiã in florentiſſimis academiis profeſſus,tã ſit ſtupidus,ut putaverit D. Thomæ clariſſimè loquẽtis,& aliorum triginta aut plurium Doctorum opinionem eſſe probabilem: condolere,quod tam alogus ſit,ut crediderit hanc eſſe illationem ſecuram: *Omnes aut fere dicunt quatuor Doctorum opinionem eſſe probabilem: Ego hanc antequàm volui illam docere, triginta aut pluribus pientiſſimis & doctiſſimis cenſurandam commiſi & probabilis fuit judicata à ſingulis.* Scio te non conſuluiſſe tam multos,ut me impugnares,quam ego ut affirmarem,quod impugnas. Et ſi tanta diligentia non ſufficit,ut culpa caream,judex ſeveriſſimus es.

Rogo igitur Eximie & Reverende admod. Domine,optime Patrone & amice,ut me reſponſione digneris, & ut te juvante melior & doctior ſim, velis Primò docere Quid ſit probabilis opinio, quid improbabilis? quantum enim me libri docuerunt & continuus longi temporis labor, quæ triginta Theologiæ Doctores & Profeſſores habet,improbabilis dici nõ poteſt. Secundò, An D. Thomam loco citato legeris? & ſi legeris, An non clariſſime teneat eandem ſententiam quam impugnas? Negas n.13 hanc eſſe D. Thomæ ſententiam; at ille loquitur clariſſimè de realibus modis & non de ſpeciebus peccati: & litera manet in libris & poterit recognoſci à quocumque. Et hîc nota obiter te ſæpe diſtinctionem modalem & ſpecificam mira turbatione confundere: quod non debet adfingi D. Thomæ, qui purè loquitur & omnia verborum adulteria peroſus, panem vocat *panem* vinum *vinum*: hoc eſt ſpeciem

uſque à Sagittario tangatur, conqueri imprudenter pronuntio; ille ergo tertio Moralium ſuorum Tomo, duos Tractatus contra Caramuelem evulgat. In priori impugnat opinionem, quam ſuam confitetur Caramuel: at in poſteriori, neſcio quo fato, ita fuit hallucinatus Sanctus Vir, ut illi adfinxerit ſtupidiſſimum errorem, quem nunquam ſomniavit Caramuel. Igitur ad ſecundum Tractatum facillima reſponſio eſt, *Boſſium, quia doctus eſt, & quia eſt bonus debere ſumere calamum, & à prima linea ad ultimam omnia delere, quæ Andabatarum inſtar conglomerat: quæ enim ibi impugnatur Aſſertio, antequam in Boſſio legiſſet, nunquam viderat, aut audierat Caramuel.* Fatebitur & Boſſius, velit nolit, multa poſſe Caramuelem incipere contra Tractatum illum, multa etiam contra Authorem, qui tanquam corruptorem morũ ſe traducit; ſed quoniã amat Boſsiũ, & generoſus eſt, non vult ſe propugnare Boſsii damno: ut enim putat, apud viros doctos, qui neminem illectum aut inauditum damnant, nihil perdidit: & apud vulgus & imperitos homines, doctrinæ gloriam non affectat. Omiſſo igitur poſteriori Tractatu tanquam embryone nondùm nato, concipiendo & parturiendo iterum ſucceſſu temporis, ſi fortè olim ſit aliquis qui illa aſſerat, quæ magno molimine impugnat; priori ego reſpondere tenebor; & quia occupationibus privatis & publicis obrutus, ad omnia ſtatim nequeo, dum calamum urbaniſsimum & fortiſſimum præparo, hanc Epiſtolam meo Boſſio ſcribo. Et quia multa ſunt exemplaria toto orbe terrarum ſparſa, quibus traducitur Caramuel, illam etiam in lucem vel invitus emitto, proteſtans duo. *Alterum* me perſonam Boſſii venerari & amare, nec neſcire cur ille tam acriter in ſuum & totius Ordinis ſui Amicum acuerit calamum. *Alterum*, me iniurias nullas repoſiturũ; ſed rationes ejus examinaturum tantummodò, quæ ab ſcommatibus præcisè, tam ſunt frivolæ, ut ſinceritas dictura ſit, *Hanc propoſitionem* Peccata contra naturam diſtinguuntur ſpecie, *eſſe probabilem: At eandem ipſam, ſi alias non haberet rationes quam à Boſſio productas, nec aliter eas poſſet conformare, quam Boſſius; omninò non fore probabilem.* Ergo candide Lector, tanquam interloquutoriam ſententiam dum definitiva concipitur & ſcribitur, has Epiſtolas perlege & uberiorem reſponſionem exſpecta.

EPIS-

EPISTOLA I.

Reverendo & eximio Patri Don Ioanni Angelo Boſſio, Clerico Regulari Barnabitæ, ex congregatione S. Pauli &c. Caramuel S. P.

LEgo cum voluptate & fructu, Eximie Pater, MORALIA VARIA, quibus Orbem Literarium honores. Calamum ad Eccleſiæ Romanæ gloriam datum conſervet multis annis Deus, ut libros eruditos exaret. Prodierunt Tomi duo: & ſunt recepti magno applauſu: prodiit & tertius nuper, & utiliter legitur ab Univerſis. Proſtant in ipſo bini Tituli inſcripti *contrà Caramuelē*: alter de diſtinctione peccatorū contra naturam: alter de fornicationis & mollitiei malitiâ intrinſecâ. Et quia utrobiq; fortiter & doctè diſcurris, ita vincis, ut vincias; ita oneras, ut etiā honores. Gaudeo mihi tam doctum oppugnatorem contigiſſe, quoniam qui veritatem quærimus, ſeu inveniamus nos, ſeu ab aliis inventam addiſcamus, triumphamus; qui enim divitiis congregandis ſtudet, ſive theſauros inveniat & effodiat, ſeu illos ab alienâ liberalitate recipiat, dives fit. Interim, quia cum Rmo. Domino Doſſena, Eminentiſſimi noſtri Principis Cardinalis ab Harrach, in Archiepiſcopali Conſiſtorio Aſſeſſore, intimam amicitiam profiteor, & ipſe tecum, patere, ut quæ ſunt eadem uni tertio, ſint eadem inter ſe, & quia ſummopere placet, tua in dictamine aperiendo libertas, (maximè cum teſteris num. 22. ſincerè & non animo mordendi, ſed ex amore veritatis, & Zelo publici boni fidelium contra me ſcribere) jure amicitiæ teneberis impoſterum impugnare liberrimè, ubi me erraviſſe credideris; nā & ego viciſſim, ſalva reverentia, quam debet Magiſtro diſcipulus, liberrimè ſum reſponſurus: aut dando manus, ſi quid tandem demonſtres; aut demonſtrando contrà, ſicubi videaris aliquid improbabile dicere. Interim, quia me tuo calamo in duabus materiis honorare cœpiſti, dicam aliquid breviter, quod tibi poterit aut prodeſſe aut ſervire. Aperiam igitur Tomum hunc tertium, & ſub initium ipſum ſeriem Titulorum inveniam, & undecimo numero Titulum *de diſtinctione peccatorum luxuriæ contra naturam adverſus Ioannem Caramuelem*. Et cur quæſo adversùs Ioannem Caramuelem, & non potius adversùs Angelicum Doctorem D. Thomam: quod enim abſolutè & claris verbis D.

Bbbbb Tho-

Thomas edixit, hoc multò moderatiùs Caramuel: ille enim loquitur abſolutè, iſte verò intra terminos probabilitatis. Et ſanè D. Thomam tam loqui clarè, ut in oppoſitam opinionem torqueri non poſſit, nemo negare audebit, qui literam voluerit legere. In eiuſdem Indicis duodecimo numero reperio hunc Titulum, *De malitia mollitiei & ſimplici fornicatione intrinſeca, &c. adversùs eundem Caramuelem*, & cur hic iterum adverſus Caramuelem, & nō potiùs adversùs Scotum, & totam Scotiſtarum Scholam? Et ſi contrà hanc, contra rationem omnem: doctrina enim Scoti ſemper fuit illuſtriſſima & probabiliſſima; & hodie Univerſitati Complutenſi jus dicit, cùm tamen vix alia in mundo ſchola, ſe inſinuet in fundamentalia Diplomata Univerſitatum.

Dico igitur PRIMÒ, *nihil eſſe facilius Scriptori Theologo, quàm alienas onerare conſcientias, & multiplicare peccata: præcipuè, ſi non tam veritatem quærat, quàm populi plauſum & laudem.* ADDO *hoc ævo nihil utilius eſſe*: qui enim ſeverus eſt, libentiùs auditur à vulgo, & liberiùs loqui poteſt, quàm qui rationem & doctrinam benigniorem ſectantur.

Dico SECUNDÒ, *Me non teneri contra mentem loqui: at nec teneri cum tanto damno mentem meam aperire, ut vel debeam propter D. Thomam traduci, vel debeat propter me D. Thomæ doctrina dici improbabilis & intolerabilis.* Hinc eſt quod cùm hoc ævo nati ſint multi, qui aliter, quam cæteri judicent, (malū iſtud omninò nō eſt) cæteros cenſuris inurant (& hoc intolerabile eſt) & ut illos crudeliùs tranſverberent, opiniones adfingant, (& hoc exſecrabile eſt) decreverim rem ita veneream tractare, ut à propria imposterùm opinione præſcindam, & tantummodò rationes aliorum diſcutiam, & in re obſcura & dubia merum Logicum aut Dialecticum agam. Igitur (Boſſimi) peccata contra naturam eſſe ejuſdem ſpeciei, & modaliter tantùm diſtingui, dixit Doctor Angelicus, dixit Filliucius, Diana & plures quam triginta Doctores: dixi & ego. Iam ego nomen meum, tibi, ut video minùs gratum, delevi: igitur me intermiſſo D. Thomam & alios Theologos nobiliſſimos & ſapientiſſimos impugna, ipſoſque non exclamationibus, ſed rationibus & authoritatibus; tua enim pace dixerim, ut inferas *Ergo improbabilis eſt iſta ſententia*, nullam vel leviſſimam rationem habes. vel ſi ullam habere te putas, illam excerpe; & quia Logicam oblivioni mandavi, adde in in quo illa formata ſit modo & figura. Et ſi hoc non poſſis, patere, quod

quod demonſtrationes illas tuas paralogiſmorum cenſui adnumerem.

Dico Tertiò *Sodomia horrendum crimen, flammis omnibus dignum, à Deo, ab Eccleſia, à Republicâ condemnatum, graviſſimum ſcelus eſt.* Eſt certa; & à te num.6.7.8.9.10.11.& 12. benè probata: & revocari in dubium, à viro Chriſtiano non poteſt.

Dico Quartò *Probabile eſt Mollitiem tactibus alienis procuratam, à Sodomia puro modo differre, ſpecie vera non differre: eam, quæ procuraretur propriis tactibus complicis carere malitia, & ideo minus peccatum eſſe, non tamen ad ſpeciem inferiorem ſpectans.* Hanc tenet doctrinam Filliucius *tom.2. tract.30.cap.8.nu.141.* Diana *part.4.tract.4.de Sacramen.reſol.159* licet contrariam probabiliorem aſſerat: Caramuel *in Theolog. Morali num.1607.* & *in Commentario in Regulam D.Benedicti num.983.* & in *Syntheſib. quæ ſub finem eiuſdem Commentarij ponuntur:* ubi illam firmat ſpeciali multorum Doctorum & S.Theologiæ Profeſſorum cenſurâ, quibus multi alii ſelectiſſimi Viri acceſſerunt, quorũ nomina in alia ſyntheſeon editione dabuntur. Hanc ſententiam potuiſſet Caramuel abſolutè proferre: habet enim rationes clariſſimas, quibus per meras exclamationes reſpondetur; & habet pro ſe Doctorem Angelicum; quod ſufficeret, ne quis inurbanè & inciviliter contra Caramuelem procederet. Interim, quia videbat Caramuel opinionem contrariam authoritate non carere, voluit ita eſſe urbanus, ut eidem probabilitatem non negaret; ſed hæc ejus urbanitas lucrata eſt hanc cenſuram. *Satis clarè colligi videtur* (ais) *ſententiam Caramuelis & Filliucij non eſſe probabilem, Sed intolerabilem omninò; præſertim (ut etiam Oviedus num.54.notavit) in praxi: cum habeat oppoſitam aliorum omnium Doctorum communem ſententiam: & prorſus ſit deſtituta authoritate alicujus Doctoris.* Ubi admiror, ita homines etiam doctos, præjudicio occupari, ut tam crudè loquantur, ubi eſt evidens & palpabile, quod à veritate declinant. Poſitio Caramuelis erat *Probabile eſt peccata contra naturam eſſe ejuſdem Speciei*: ei non opponitur hæc, *Peccata contra naturam non ſunt ejuſdem ſpeciei.* Sed hæc, *Improbabile eſt illa eſſe ejuſdem ſpeciei.* Et hanc eſſe communem falſum eſt. Citet authores, quæſo, qui eam cõmunem affirmat, & videbit quàm ſit multos daturos, ſi ſinceritas adſit. Præterea evidens eſt multa à Boſſio congeri: ſed æque evidens, nullum aut teſtimonium aut ratiocinium poni, ex quo vel probabiliter ſequatur (hîc volo doctè legi) eandem ſententiam improbabilem eſſe. Fortè illa teſti-

Digitized by Google

monia aut ratiocinia probant poſitionem de ineſſe [nempe hanc, *Peccata contra naturam diſtinguuntur ſpecie.*] eſſe probabilite. falſam, ſed quid inde contrà Doctrinam Caramuelis; qui hoc ipſiſſimum ſtatuit, cùm pronunciat Modalem hanc *Probabile eſt ejuſmodi peccata non diſtingui ſpecie*, eſſe evidenter veram? Quod ſi tu poſitionem de ineſſe cum Modali, diverſa toto cœlo confundas, tibi imputes: qui enim Theologiam profiteris, exactè ſentire & loqui debes. DEINDE hæc conſequentia, *Huic ſententiæ opponitur ſententia communis: Ergo eſt improbabilis.* peccat cōtra prima Dialecticę Moralis principia; quia non ſolùm minùs cōmuni, aut æquè communi, ſed etiam magis cōmuni opponi poteſt ſoletque cōmunis ſententia: nec tamen minùs aut æq; aut magis cōmunes vocari poterunt improbabiles aut intolerabiles. Illa verba, *Caramuelis, (aut potiùs D. Thomæ) ſententia eſt prorſus deſtituta authoritate alicuius Doctoris*, falſa evidenter ſunt: nam D. Thomas ſolet æſtimari pro millibus: & inter eos, qui ſyntheſibus Caramuelis ſubſcribunt, ſunt aliqui, quibus nullos doctiores mundus habet.

His ergo poſitis aliquid de utilitate hujus doctrinæ, & aliquid de probabilitate uberiùs ſubſcribamus.

De utilitate.

UT examinem, *An iſta doctrina ſit utilis?* oportet falſa à veris diſcernere, & cum aliquibus ſanctis & doctis viris lugere miſerias noſtri ſæculi, in quo aliqui ſub ſpecie virtutis crimina exſecrabilia aut convertere in fumum, aut ſaltem excuſare videntur. Ut malo huic remedium adhibere poſſimus, quantum ſit malum ipſum, & quomodo proſcribi ab orbe queat, in particulari eſt explicandum. Dico igitur

Primò, *Mollitiem noſtro ævo eſſe crimen valde commune, & quod magnam partem Iuventutis abſorbet, & innumeros in infernum præcipitat: debereq; Theologos omni niſu morbo corruptæ Iuventutis ſuccurrere, & nullū omittere medium, quod poſſit hanc peſtē avertere.* Hoc multis lachrymis Confeſſarii, hoc multis verbis & ſcriptis Theologi, hoc multis etiā revelationib. contēplativi, qui Deo Magiſtro didicerunt, quæ debeant ætatibus ſingulis diligentiùs caveri, dilucidè & clarè probarunt.

Secundò, *Eſſe aptiſſimum medium, ut remedium ponatur, aperire Iuvenum oculos, & clarè oſtendere criminis, quod ſummæ ebullientis ætatis infamia fruſtrà præſcripſiſſe jam dicitur, gravitatem & malignitatem.* Et ut hoc

hoc exitum feliciorem ſortiatur, quantum Theologica permittat ſinceritas, augendo criminis deformitatem. Hinc eſt, quod prudenter ad eam opinionem, quæ peccata contra naturam non diſtinguit, tanquam ad daturam ſuppetias à viris ſanctis recurratur: quia cùm Beſtialitatem & ſodomiam, infanda ſcelera, vel ſolo horrenda nomine, Iuvenes deteſtentur, morique malint, quàm luto tam fœdo & immũdo inquinari, ſi ſemel apprehendant, mollitiem eſſe culpam infando facinori proximam, terrebuntur omninò, & huius doctrinæ ſaluberrimâ notitiâ perculſi deſiſtent à ſcelere, quod ſui Patroni excuſant ſpecioſo nomine fragilitatis.

At dices, ex hac doctrinâ ſequi debere abuſum: adeòque eam iterum intolerabilem cenſendam, non enim corrupta juventus, ſi audiat peccata omnia contra naturam ad eandem ſpeciem infimam pertinere, credet ſe erraviſſe in mollitiei conceptu, & debere illam apprehendere tanquam infandum facinus: ſed potiùs contrà, quia pronus in malũ eſt fervor adoleſcentiæ, opinabitur ſe erraviſſe in Sodomiæ aut etiam Beſtialitatis conceptu, eas infandas exſecrabileſque judicando, & poſſe retentâ veteri de levitate Mollitiei ſententia illarum gravitatem remittere, ſub decentiſſimo nomine fragilitatis.

Cùm ſic argutantem aliquem Patronum Pollutionis ſubaudio, eiuſdem ego ratione utor; & illum Archangelum, qui ad cœlorum Imperatricem miſſus, expedivit noſtræ redemtionis initia, aut omninò condemno: & ſi hunc non, Pollutionis Patronos, qui ſic argutari dignantur. Meum conceptum explano [Homo eſt creatura, Deus creator: finitus & limitatus ille, infinitus iſte & immenſus. Et Archangelus vult docere mortales quanti facere univerſi debeant Angelorum Reginam, & ore inquit intrepido, *Inveniſti gratiam apud Deum.* Tace, inquam, Gabriel: quoniam ex iſtis verbis ſequetur abuſus certiſſimus: adeoque illa ego improbabilia & intolerabilia pronuntio. Non enim corrupta hominum mens, ſi audiat Mariam eſſe apud Deum, credet ſe erraviſſe in conceptu, quem habebat de illa, & debere illam apprehendere tanquam Divinam fœminam, omni exornatam gratia & plenam Deo: ſed potiùs contrà, quia prona in malum eſt generis humani inſolentia, opinabitur ſe erraviſſe in Divinitatis conceptu, eam immenſam & infinitam judicando, & debere tenere, Mariam eſſe fœminam, fœminaſque omnes leves inconſtantes corporeas; & hanc ob rem, ſi fœmina ſit af-

Digitized by Google

finis Deo, Deum fore affinẽ fœminæ, adeòque levẽ, inconſtantem, corporeum. Quæ omnia ſine blaſphemiâ Hæreſiarcha non dixit, & ſine horrore Orthodoxus non audiet.

Et quid ad iſtud ratiocinium Angelus? neminem dicturũ eſſe Deum corporeum? Minimè: multi enim olim Heterodoxi Deo, & nonnulli etiam hodie Angelis corpora adfingunt. Quid ergo? Debere diſtingvi ſcandalum receptum à dato: nec ideò verba ſua damnanda, quod abutantur illis pauculi, ſiquidem utilia ſunt plurimis: qui illis ad amorem & venerationem Cœlorum Reginæ excitantur, & quotidie in gratia & virtute proficiunt.

Ergo ex virgineo candore, quem in Angelos Natura poſuit, quem in Deiparam Virtus & Gratia, ad ſordidiſſimam naturam rediens, ponam Mollitiem apud Beſtialitatem, ut univerſi, ſiquidem horrent h nc, etiam illam abhorreant, & conſervantes animam puram & illibatam inveniant gratiam apud Deum. Vt igitur à veris falſa, & certa ab incertis ſejungam, ſupponam nemine contradicente, hæc duo crimina dicere inæquales malitias, & omniũ Theologorum ſententia ſummè diſtantes: & quia numerum determinatum pro indeterminato placet ſumere, cùm neſciamus quanta determinatè ſit ſcelerum iſtorum malignitas, Pollutionem eſſe malam, ut decem, Beſtialitatem aut Sodomiam eſſe malam ut centum aſſeramus. At ſtante tota iſta varietate & diſtantia (inquam) adhuc poſſunt eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei, quia majus aut minus non inferunt ſpecierum diſcrimen. At inde ſequetur inquies aperiri malitiæ viam, & plura committi peccata. Parciùs quæſo: nam rationem inferendi non video. Quia ſi dicas, [Aliquis contrahet terminos, & poſita pollutione ut decem, Sodomiam ut viginti eſt dicturus] dicã ego, [oportet ut incutiatur terror juvenili fervori, & poſita Sodomia ut cẽtũ ponatur ut quinquaginta aut etiã nonaginta Pollutio. Ergo vel ſic claudetur via fragilitati, & addetur horror crimini, quod dicitur valdè cõmune. Ergo ſatis eſt lubrica humana fragilitas, & nõ eget Advocatis Pollutio, nec debet ita ſeparari à ſodomia, ut horror, quã imb bit natura violata, amittatur. Præſtat igitur Pollutionis materiã ultrà communem opinionẽ intendere & apud Sodomiã collocare; quàm ita removere, ut horrorẽ aut tollat, aut remittat diſtantia. Ergo qui Sodomiã à Mollitie ſpecie ſubſtantiali diſtinguunt, hanc fortè gloriam habent, quod tametſi formaliter ſanctè procedant, ſequentes impulſum dictaminis; materialiter errent, & contra deſiderium ſuum ſint Mollium advocati & patroni.

Maneat

Digitized by Google

Maneat igitur ſodomiam eſſe qualem & quantam communis exſecratio pronuntiat, & mollitiē tam eſſe formidabile crimen, ut à Sodomia ſpecie ſubſtantiali non differat, ſed ſolummodo modali, vel accidentali. Et maneat D. Thomæ ſententiam, quam probabilem dixi, oppoſita utiliorem eſſe.] Hæc fuit olim doctrina mea: quia cùm ſodomia ſit rariſſimum & fœdiſſimum crimen, quod ipſa natura humana abhorret, non videtur ex hac parte ullum eſſe periculum: & ex alia videtur utilitas reluce e notabilis, ſi Pollutio apud eam collocata tam exſecrabilis ſit adoleſcentibus, quàm peccatum nefandum: tunc enim raro committe etur, quæ nunc dicitur valde communis. Puto iſti provident æ & judicio reſpondere experientiam: quæ ſi fortè (quod non ſpero) doceat contrarium aliquando aut alicubi, pronuntio liberè D. Thomæ, Filliucii, Dianæ, & aliorum plurimorum ſententiam, quæ peccata contra naturam non diſtinguit ſpecie, eſſe quidem probabilem, ſed nocivam: adeòque in eo caſu (ſi nimirùm ille caſus daretur) non iſtam ſolam, ſed quamcumque aliam, benignam aut ſeveram, certam aut veroſimilem, per accidens interdici debere, at improbabilem dici non poſſe: nam & Biblia vulgata, etſi benè translata, meritò interdicit Eccleſia, quod per accidens nociva ſint: at illa eſſe falſa aut improbabilia non definit. Verùm enim verò, quia in noſtro caſu contrarium experientia perſuadet, D. Thomæ ſententia utiliter defendi poteſt: nam illi inſiſtens Confeſſarius his verbis aut ſimilibus aliis, mollem pœnitentem obiurgat. *Quid cogitabas miſer juvenis, quando in mollitiem, ſcelus exſecrandum es lapſus? Vt puto ignorantia laboras; ſed quia hæc tua ignorantia craſſa eſt, non te excùſat. Scis quid commiſeris? culpam peccato illi, quod pluvio ſulphure punivit Deus, & igne mundus expiat, valde affinem: culpam horrendam, & à peccato, quod exſecrantur ipſi Dæmones, modaliter tantùm diſtinctam. Virginea caſtitas eſt prærogativa puriſſima, quæ reperitur apud Deum: quæ in Deipara inveniri non poſſet, niſi & ipſa ex peculiari privilegio collocaretur apud Deum. Et Luxuries eſt ulcus fœdiſſimum & fœdiſſimum, quod reperitur apud Dæmones; nec enim in hominibus reperiretur, ni & ipſi apud Dæmones eſſent. Immundiſſimi ſunt, & infanda nihilominùs venere, ſe puriores occlamant: ergo & puriores molli: ſunt enim infanda & mollis venus proximæ, & ſordium affini aut cognata ignominia ſorores: altera enim ut plurimum ætate aut modo, non tamen eſſentia cedit alteri. Laſcive igitur Iuvenis, mentis oculos aperi, & qui infandi facinoris deteſtaris malitiam; ne quæſo, eidem infando ſceleri cognata, & proxima omnino,*

mninò , perverſitate maculeris. Ergo hæc doctrina addit horrorem interioribus culpis, illas apud nefandam collocando. Ergo eſt utilis.

De Probabilitate.

INtolerabilis eſt, ais & improbabilis Caramuelis opinio, cum cõmuni opponatur, & ſit deſtituta alicujus Doctoris authoritate. Et quis hoc quæſo dicit? ſolus Boſſius, aut fortè etiã Oviedus: qui ſi vidiſſet multos eſſe Patres è ſocietate, qui ſubſcribũt, fuiſſet locutus moderatiùs. Anne Filliucius & Diana quos citas: & ante ipſos Armilla, Tabiena, Aſtenſis, Matthias Feliſius, Ioannes à Graphiis Navarrus; Henriquez, Angelus Fagundez &c. Et poſt ipſos P. Andreas à turri, P. Petrus Damaſus de Coninck, Patres, Adrianus Crõmius; Ioannes de Ionghe, Ignatius der-kennis; Ludovicus de Scildere, Franciſcus de cleyn: Pater Patricius Brenanus, P. Auguſtinus Eganus. P. Raymundus Caronus, qui omnes ſpecialiter conſulti ſubſcripſerunt doctrinæ quam impugnas : quos omnes ſub finem Commentarii in Reg. D. Benedicti inveniſti & citare debebas: An ne D. Thomas, qui teſte Filliucio. *tract.* 30. *in 6. præcip. cap.* 8. Armilla *verb. Luxuria. num.* 5. Tabiena *ibidem num. 6. libr. 2. tit.* 46: *cor.* 7. & Aſtenſis *lib. 2 tit.* 46. *art.* 7. Diana & aliis tantum modalem diſtinctionem admittit (ut omittam multos alios Doctores, quos non dedi, quos dabo aliàs cùm Syntheſes illas recudam) An-ne tandem Caramuel (ſi liceat tenuem calamum componere magnis) ſi non propter ſe, ſaltem propter illa verba quæ habentur in ſecunda Commentarii editione num. 985. videlicet: *Vide meam Moralem Theologiam in additionibus ſub finem, ubi viginti ſex Authores cito pro hac ſententia.* An-ne Doctores Duaceni, Colonienſes, Pragenſes, ſunt nullus Author? & quidem eſſet mirum, ſi à te dicatur improbabile, quod olim D. Thomas tam clarè aſſeruit, ut non aliter poſſit quàm collo obtorto in oppoſitam ſententiam trahi. Et quidquid de D. Thoma ſit, videretur mirabile, ſi diceres errare Arithmeticos omnes, cùm aſſerunt triginta eſſe triginta: & eſſet abſurdum procul dubio, ſi improbabilitatis nota inureres, quod triginta vel plures Doctores, aut S. Th. Profeſſores, quibus vix æquales in Europa reperies, ſuo nomine & approbatione confirmant.

Dico Quintò *Doctrinam, quam meritò Titulo XXIV. impugnas, quam etiam Diana (aliàs amicus meus) mihi adfingit, & fortè ſeveriùs condemnat: non eſſe meam: non enim ego tam rudis, ut contradictoria commiſce-*

Digitized by Google

miſceam. Corollarium. *Ergo omnia, quæ habentur in Tractatu XII. (omnia, omnia: à prima linea ad ultimam) poſſunt ab Authore deleri.* Domine mi; Caramuel locis à Te allegatis Scotum & ejus diſcipulos ſequitur, qui præſcindendo à divino præcepto nō in mollitie ſolùm, ſed etiam in aliis peccatis nullam omninò Theologicam malitiam admittunt: dicimus enim, quòd homicidia, fornicationes, immunditiæ, furta, &c. ſint peccata, quia à Deo prohibita, & quòd eadem, ſi non eſſent prohibita non eſſent peccata. Et quid tu contra? Interrogas primo paragrapho, *An mollities ſeu ſimplex pollutio ex ſui natura intrinſecè & iure naturali ſit moraliter mala, & peccatum, an verò ſolùm quia Iure divino poſitivo prohibita?* Quid hoc quæſo; quid hoc? Iam intelligo. Interrogas, An-ne Petrus, ut homo eſt, an verò ut eſt animal rationale, ſit diſcurſivus? Pulchra quæſtio! Idem eſt homo, quod animal rationale: idem lex naturalis, quod Ius divinum poſitivum: & qui hoc interrogat (pace tua dixerim) Thomam & Scotum ignorat, quem ſolent alii ſcire ſicut *Pater* & *Ave*. Ergo Caramuel, ut illum impugnes, debet dixiſſe, *Mollitiem eſſe peccatum, non quia opponitur legi naturali, ſed quia opponitur Iuri poſitivo divino.* Quod quia delirus nunquam fuit, nunquam id cogitavit Caramuel. Sed quia res eſt magni momenti unum hominem ſcripto publico graviter accuſare: ubi quæſo, ita exorbitavit Caramuel? ubi hoc dixit? Ubi negavit illa, quæ legi naturali opponuntur, eſſe vera peccata? Lege obſecro ipſiſſimos locos, quos citas; & quia pius es, reſponde mihi, an qui penitùs innocenti crimen publicè adfingit & crimen tantū, nō teneatur publicè reſtituere? Hæc eſt doctrina mea. *Lex æterna eſt liberum Dei decretum circa creaturas gubernandas* (ago de libertate phyſica, nam de morali non poteſt ſtatui concluſio, niſi enodentur priùs graviſſimæ aliquæ difficultates.) *Lex naturalis moralis eſt pars entitativa (non poteſtativa) æternæ legis, hoc eſt Actus divinæ voluntatis non ſecundum totam ſuam latitudinem, ſed quà regulat humanam libertatem, cum intentione obligandi conſcientias ad tales actiones.* Clariùs & breviùs. *Lex naturalis eſt Ius poſitivum divinum.* Ita habeo in Commentario in Regulam S. Benedicti *lib.*1. *diſp.*2. *num.*16. & *num.*21. ubi hæc verba. [*Admitto dari res, quæ ſint phyſicè & realiter deordinatæ ante omnem legem moralem: nego autem poſſe moralem malitiam* (agimus de Theologica) *intelligi ſine præcepto: unde (ſive id poſſibile ſit, ſive non ſit) ſi tollerentur omnes leges, nihil remaneret, quod poſſet aſſeri malum moraliter.* Conſono mihi in Theologia morali, & in utroque libro mentem

Digitized by Google

Theologiam Moralem editurus, integrum dubitationum Tomum toti orbi literario propono: ut ab amicis monitus, ſciã quid retinere debeã, quid alterare, quid firmare. Ergo impoſſibile eſt, ſi ſinceritas adſit, à me improbabilẽ protrudi: ſi enim probabilis ea eſt, quã quatuor docẽt (hoc enim omnes ſentiunt) illa quæ à triginta vel plurib. ſpecialiter conſultis admittitur, à nemine (te ſolo dempto, qui ſupra homines ſapis) improbabilis poteſt vocari. Quid ſi per impoſſibile aliquid improbabile docuiſſe Caramuelem contingeret? Condolere quidem illi & non inſultare deberes. Condolere quod poſt quadraginta annos ſtudii (nõ enim multò plures vixit, quam Scholis addixit) nec Philoſophus nec Theologus ſit, (hoc enim elogio eum exaltas *titulo 24. nu. 19.*) condolere, quod ante annos triginta Complutenſium judicio primus fuerit, & tamen ſartori illi ſimilis, qui artem ſuam ſartiendo oblivioni mandavit, Philoſophiam aut etiam Theologiam ſtudendo, docendo, arguendo, legendo & ſcribendo dedidicerit: cõdolere, quod multis annis Theologiã in florentiſſimis academiis profeſſus, tã ſit ſtupidus, ut putaverit D. Thomæ clariſſimè loquẽtis, & aliorum triginta aut plurium Doctorum opinionem eſſe probabilem: condolere, quod tam alogus ſit, ut crediderit hanc eſſe illationem ſecuram; *Omnes aut fere dicunt quatuor Doctorum opinionem eſſe probabilem: Ego hanc antequàm volui illam docere, triginta aut pluribus pientiſſimis & doctiſſimis cenſurandam commiſi & probabilis fuit judicata à ſingulis.* Scio te non conſuluiſſe tam multos, ut me impugnares, quam ego ut affirmarem, quod impugnas. Et ſi tanta diligentia non ſufficit, ut culpa caream, judex ſeveriſſimus es.

Rogo igitur Eximie & Reverende admod. Domine, optime Patrone & amice, ut me reſponſione digneris, & ut te juvante melior & doctior ſim, velis Primò docere Quid ſit probabilis opinio, quid improbabilis? quantum enim me libri docuerunt & continuus longi temporis labor, quæ triginta Theologiæ Doctores & Profeſſores habet, improbabilis dici nõ poteſt. Secundò, An D. Thomam loco citato legeris? & ſi legeris, An non clariſſime teneat eandem ſententiam quam impugnas? Negas n. 13 hanc eſſe D. Thomæ ſententiam; at ille loquitur clariſſimè de realibus modis & non de ſpeciebus peccati: & litera manet in libris & poterit recognoſci à quocumque. Et hîc nota obiter te ſæpe diſtinctionem modalem & ſpecificam mira turbatione confundere: quod non debet adfingi D. Thomæ, qui purè loquitur & omnia verborum adulteria peroſus, panem vocat *panem* vinum *vinum*: hoc eſt ſpeciem

Digitized by Google

EPISTOLA II.

Magnifico Domino P. Rectori: & Eximiįs DD. Magiſtris noſtris Patribus Vniverſitatis Pragenſis S. Th. Doctoribus & Profeſſoribus Caramuel S. P.

PEccata contra naturam (nempe Beſtialitas, Sodomia, & Mollities) non diſtinguuntur ſpecie: nimirùm intra lineam Luxuriæ, nam circumſtantia ſacrilegij, aut aliæ ſimiles ſunt extra lineam Luxuriæ, & addunt peccato novam ſpeciem.

Eſt expreſſa D. Thomæ, Doctoris ſanctiſſimi & doctiſſimi: cui nihil non deferimus nos: cui, (ſic putamus) ut minimùm concedere dignabuntur Adverſarij, quòd ſciverit ſpecificam, Accidentalem & Modalem diſtinctiones differre.

Hanc eſſe opinionem D. Thomæ, teſtantur Viri magni, qui illam certam aut ſaltem probabilem judicant, & ſe illam à D. Thoma didiciſſe fatentur. Et inter alios id teſtantur Armilla *verb. Luxuria num.* 1. Aſtenſis *lib.* 2. *tit.* 46. *art.* 7. Matthias Feliſius *in Decal. præcep.* 6. *cap.* 8. Ioannes à Graphiis *Deciſionum aurearum part.* 1. *libr.* 11. *cap.* 88. *nu.* 1. Navarrus *de præcept. VI. cap.* 16. Tabiena, *ibid. num.* 6. *lib.* 2. *num.* 46. *cor.* 6. Henriquez *ſumm. Theol. Moral. tom.* 1. *libr.* 11. *nu.* 6. Angelus *verb. Interrogationes. numer.* 1. Fagundez *præcep.* 2. *libr.* 4. *cap* 2 *numer.* 8. & Filliucius *tract* 30. *in* 6 *præceptum c.* 8. Hanc opinionem probabilem judicat Diana *part.* 4. *de Sacramen. Reſol.* 159. licet contrariam judicet probabiliorē: at quia *part.* 3. *t.* 4 *reſol* 9. Angeli verba *pulcra* appellat, videtur tunc ſententiam Angeli (ſed hoc non multum refert) probabiliorem iudicaſſe.

Recognovit hos Authores Caramuel anno 1638. & verbis ſingulis benè perpenſis reſolvit Angelicum Doctorem clarè loqui, & Filliucium hanc ſententiam tam forti ratione probare, ut neſciverit ei reſpondere: & ideò ſic cœpit diſcurrere. [*Illa eſt ratio probabilis, cui non datur ſolutio evidens: & illa eſt ratio evidens, cui nequidem probabilis ſolutio datur. At nemo erit in Mundo, qui daturus ſit ſolutionem evidentem Filliucio: & mihi diù cogitanti, libros legenti, & viros doctos conſulenti, non occurrit vel una ſolutio probabilis. Ergo ratio Filliucij aut eſt evidens, aut minimùm valdè probabilis. Ergo ſententia, quam illa perſuadet, ſi non ſit omninò certa, ſaltem erit probabilis.*] Et quia præter probabilitatem intrinſecam, quæ à rationibus oritur, etiam authentica & extrinſeca

ſummi ponderis eſt, ut viderem, an etiã ab extrinſeco poſſem deberem-vè huic ſententiæ ſubſcribere, diſcurrebam hoc modo: [*Opinio, quæ habet pro ſe quatuor Doctores, eſt probabilis. Hæc habet D. Thomam, Armillam, Tabienam, Angelum, Henriquez, Fagundez, Aſtenſem, Feliſium, Graphium, Navarrum, & Filliucium; habet etiam Dianam, & alios. Ergo eſt probabilis. Conſequentia eſt legitima: major hoc ævo videtur eſſe omniũ: minor eſt certa: Ergo conſequens debet admitti.*] Hinc ad contradictoriam tranſibam, & quia huic Aſſerto *Probabile eſt ea non diſtingui ſpecie,* nõ opponitur hoc, *Diſtinguũtur ſpecie:* Sed hoc *Improbabile eſt nõ diſtingui ſpecie, aut etiam hoc, Evidens eſt diſtingui ſpecie:* ut examinarem hanc etiam, ſic cœpi mecum argumentari: [*Illa eſt opinio improbabilis ab intrinſeco, quæ non habet pro ſe rationem aliquam ſaltem probabilem: At ego non ſcio formare unũ ſyllogiſmũ in forma & modo convenienti, cujus præmiſſæ ſint certa aut probabiles, & conſequens ſit*, Improbabile eſt peccata contra naturam, eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei: *Ergo hæc propoſitio*, Improbabile eſt peccata contra naturam eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei, *non eſt mihi à ratione probabilis.*] Et quia extrinſeca probabilitas à nemine contemni debet, proſequebar. [*Illa eſt opinio probabilis ab extrinſeco, quæ habet pro ſe quatuor Authores, pluresve. At iſta*, Improbabile eſt peccata contra naturam eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei, *non habet quatuor Authores. Ergo non eſt probabilis. Conſequentia eſt legitima, major omnium: minor certa: multos enim legi, at qui ante Boſſium annumque 1638. hanc eſſe improbabilem diceret, non legi.*]

Quid, ſi iſti Authores, qui nondum ſunt nati, darentur? Ex illis nihil omninò procederet quod D. Thomæ, Tabienæ, Armillæ, Angeli, Fagundez, Henriquez, Aſtenſis, Feliſii, Graphii, Navarri, Dianæ, & Filliucii improbaret doctrinam; ab illis ut plurimùm aborireretur iſtud monſtrum ex membris oppoſitis coalitum: videlicet, *Probabile eſt eſſe improbabile peccata contra naturam non diſtingui ſpecie:* quod tamen non deſtrueret hanc poſitionem, *Certum eſt eſſe probabile peccata eadem non diſtingui ſpecie.*

His motivis inductus judicavi eſſe probabilem illam ſententiam, quæ peccata contra naturam ad eandem ſpeciem infimam reducit, & modaliter (ut facit D. Thomas) diſtinguit. Sed quia mihi conſcius eram me eſſe hominem, non Angelum, & homines errare poſſe, & me interdum ſolere, hanc

& alias

& alias nonnullas opiniones Viris magnis cenſurandas commiſi.

Hanc ergo ſenſit eſſe probabilem Lovanii die Exaltationi S. Crucis ſacro anno 1640. P. Andreas à Turri S. Th. Doctor & Profeſſor ordinarius ordinis S. Dominici.

Idem ſenſit Brugis die 10. Iulii Anno 1640. P. Petrus Damaſus de Coninck ord. D. Auguſtini S. Th. Doctor & Profeſſor Lovanii.

Idem judicavit 14. Cal. Octobr. Anno. 1640. Henricus Loyens, I. V. Doctor in Academia eadem Decretorum Profeſſor Regius.

Ejuſdem opinionis fuerat Antverpiæ die 14. Apr. Anno. 1635. Gaſpar Eſtrix S.Th. Licentiatus, Canonicus & Plebanus ac Librorum Cenſor.

Profitebantur Theologiam Lovanii in ſocietatis Collegio tres doctiſſimi viri, quibus doctiores vel æquales illo tempore inferior non habebat Germania, videlicet P. Adrianus Crommius, P. Ioannes de Ionghe, & P. Ignatius Derkennis: & tamen omnes tres ſubſcripſerunt huius opinionis probabilitati.

Poſtquam multis annis duo Profeſſores ultimi pietate & ingenio Lovanienſem Univerſitatem honorarant, quieſcere juſſi, habuerunt ſucceſſores P. Ludovicum de Scildere, & P. Franciſcum de Cleyn, Viros etiam doctiſſimos, qui etiam eandem propoſitionem probabilem ſpeciali ſcripto judicarunt.

In Patrum Hibernorum Ord. S. Franciſci Collegio Lovanii, ſunt ſemper ſapientiſſimi Viri, & Anno 1642. eminebant præcipuè P. Patritius Brenanus, P. Auguſtinus Eganus, & P. Raymundus Caronus S. Theologiæ Profeſſores, qui etiam eandem propoſitionem probabilem eſſe dixerunt, ſenſumque ſuum ſubſcriptione firmarunt.

Conſultus fuit Duaci D. Ioannes de Eſpieres S. Theolog. Doctor & Profeſſor: qui ſuam & Collegæ etiam ſui ſubſcriptionem tranſmiſit.

Coloniæ etiam conſultus fuit R^{mus} D. Ioannes Blanquenberg.

Digitized by Google

berg. S. Theologiæ Doctor, & Veteris Montis Abbas digniſſimus, & huic & aliis ſyntheſibus nomen ſubſcripſit. Scio me habere aliorum Doctorum Colonienſium approbationes, quas addam, cùm primùm inveniam.

His poſitis vos accedo Magnifice Rector, & Eximii Domini Magiſtri noſtri Pragenſis Univerſitatis Doctores, & duo inquiro. ALTERUM, *An-non ratio, qua utitur Filliucius loco citato ſit probabilis? adeoque eius opinio ab intrinſeco probabilis ſit?* ego enim illi reſpondere non ſcio: & quia probabilem ſolutionem non auderem promittere, ab alio evidentem & certam libenter omninò docerer. ALTERUM, *An ab extrinſeco poſſit improbabilis dici ſententia, quam tot tantique Viri probabilem eſſe judicarunt?* nam ſi verum ſit illam eſſe probabilem ab extrinſeco, quæ quatuor viros doctos habet, quod omnes dicunt: vel ignoro Arithmeticam, vel viginti ſex, quorum memini in Commentario in Regulam S. Benedicti num 983. & alii, qui acceſſerunt poſteà plures ſunt quam petit doctrinæ ſecuritas. Hæc duo vos rogo, & maneo Vræ Magnific. & veſtrarum Eximiarum Paternitatum, &c. Dabam Pragæ apud Montem ſerratum die 8. Martii 1652.

****

EPISTOLA III.

Præcedentibus literis reſpondet Facultas Theologica.

Reverendiſſime & Eximie Domine.

PRoponit Reverendiſſima & Eximia Dominatio Vra noſtræ Facultati Theologicæ, an ſententia hæc: *Peccata contra naturam* (nempe Beſtialitas, ſodomia & Mollities) *non diſtinguantur ſpecie in ratione Luxuriæ*, non ſit probabilis non tantum ab extrinſeco, eò quod doceatur à D. Thoma, Tabiena, Armilla, Filliucio, Diana, aliis; ſed etiam ab intrinſeco, eò quod Filliucius eam probet ratione valdè probabili, & quæ hactenùs non videtur evidenter ab ullo refutata.

Reſpondet Facultas dubium non eſſe quin ab extrinſeco ſententia illa probabilis ſit, quæ tot tantoſque habet aſſertores; ab intrinſeco quoque probabilis eſt, cum rationes à Filliucio & aliis allatæ magnam habeant probabilitatem; licet enim ſententia contraria

traria judicio noſtro uti & Filliucii ac Dianæ videatur probabilior; & probabilis dari poſſit ſolutio rationis à Filliucio allatæ, nobis tamen non occurit adeò evidens, ut doctrina illa ideò etiam ab intrinſeco improbabilis debeat cenſeri.

Ita ſentio

Carolus de Grobendoncg ſac. ſanctæ Theologiæ Doctor & in Univerſitate Pragenſi pro tempore Decanus m. propria.

Maximilianus Reichenperger ſac. ſanctæ Theologiæ Doctor & in eadem Univerſitate eiuſdem Profeſſor Ordinarius m. propria.

Ioannes Molitoris ſac. ſanctæ Theologiæ Doctor & in eadem Univerſitate ejuſdem Theol. Profeſſor Ordinarius m. propria.

Theodorus Moretus ſac. ſanctæ Theologiæ Doctor & in eadem Univerſitate ſacrarum literarum Interpres ac Matheſeos Profeſſor m. propria.

Traditæ iſtæ fuerunt literæ die 13. Martij. 1652.

PRæter Univerſitatem Carolinam, olim à Carolo IV. Bohemorum Rege erecta, & Ferdinandæa erecta dudum à Ferdinando II. Romanorum Imperatore, floret Pragæ Archiepiſcopale Seminarium, & in ipſo multi Viri eruditi, quos conſului: Addam igitur meas ad ipſos literas, & eorundem ad me, ut Lector candidus eximiorum Virorum concordiam & conſonantiam admiretur.

EPISTOLA IV.

Eximiis & Eruditiſſimis Seminarii Archiepiſcopalis Profeſſoribus S. P.

QUàm ſint hominum ingenia varia, Eximii Viri, vel ex his literis colligetis. Syntheſes, quas tanquam lapides fundamentales jeceram, ut illis totam meam Moralem Theologiam firmarem, funditùs evertere conatur Boſſius, magno exclamationum apparatu: Omnes, quia unam: tanta enim doctrinæ conſequētiâ nectuntur, ut debeant omnes reuci aut approbari. Oppetit animosè, (aut fortè temere) illas ſyntheſes: ſed quæ fundatæ ſyllogiſmis, rationes evidentes deſiderant, vociferationes non morantur. *Evidentes*, inquam; nam Theſes illæ *probabiles*

tantùm dicuntur. & certum eſt probabiles non poſſe diſcurſus contra Theſeon probabilitatem militare. Didicerat à D. Thomâ Caramuel, *omnia peccata contra naturam eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei; ac proinde non diſtingui ſpecificè, ſed modaliter.* Et hoc ipſum nullibi eſſe certum & Evidens ab extrinſeco, ſed eſſe probabile dixerat; ſciebat enim eſſe Authores probos & doctos, qui docerent contrarium. Occlamat Boſſius, eſſe hoc ipſum improbabile & intolerabile. Ut igitur reſpondeam contrà, eximii Domini Magiſtri, à vobis inſtitui deſidero: & ut exactiùs poſſim, rogo Primò *Quot Doctores requirat ſinceritas, ut aliquam opinionem probabilem eſſe defendat?* mihi enim ea, quæ triginta Doctores habet, videtur evidenter probabilis. Secundò, *An occurrat ratio evidens, qua demonſtretur D. Thomam 2. 2. quæſt. 154. art. 11. non habuiſſe ſententiam, quam ex contextu, ejus fuiſſe teſtantur Filliucius, Tabiena, Aſtenſis, Matthias Fileſius, Ioannes Graphius, Navarrus, Henriquez, Angelus, Fagundez & alii?* ille enim diſtinguit peccata Luxuriæ in ſpecies, & contranaturalem luxuriæ ſpeciem, non in alias ſubalternas ſpecies, ſed in modos peccandi. Tertiò, *An opinio hæc (ſit D. Thomæ, aut non) ab intrinſeco poſſit dici probabilis?* libenter enim viderem, illam evidenti aliquo ſyllogiſmo impugnari. Quartò, *An eadem ab extrinſeco probabilis ſit?* hæc enim [Quatuor Doctores ad probabilitatem ſufficiunt: Ergo triginta aut plures non ſufficiunt] videtur mihi conſequentia, quæ ultra Arithmeticæ & Dialecticæ terminos poſita faciliùs rideri queat aut reiici, quàm probari. Hæc quatuor Puncta, ne patiar Theologiam peſſumdari ſinceram, Dominationibus veſtris propono, paratus veritatem doceri. Datum 10. Martij. 1652.

EPISTOLA V.

Reſpondent ſeminarij Archiepiſcopalis Profeſſores.

Reverendiſſime & eximie Domine.

Conſulere integras Univerſitates, & earundem conſilio fundamenta ſtatuere (quod in Theologia Regulari & libro de Pace feciſti: & modò ante evulgationem Theologiæ Moralis etiam facis) præter ſummum ingenium, pruden-

prudentiam innuit cùm humilitate conjunctam. Et quia quatuor nos rogas ad ſingula reſpondemus. Dicimus igitur *ad primum*, eſſe plurimos, qui unius viri docti teſtimonio contenti ſunt; ſed quia hoc non vis audire, ne fortè tibi adulari dicamur, addimus eſſe communem jam in Orbe literario ſententiam, quæ docet quatuor homines probos & doctos ad probabilitatem ſufficere. *Ad ſecundum* probabile eſſe de mente Angelici Doctoris, modorum nomine ſpecies eſſentiales non intelligi. *Ad tertium* & *quartum* affirmativè reſpondemus hanc nempe ſententiam tàm ab intrinſeco, quam ab extrinſeco probabilem eſſe, ac proinde nullius vociferationes in contrarium eſſe audiendas. Sic ſentimus & in veritatis teſtimonium præſentes literas noſtri nominis ſubſcriptione firmavimus. Datæ in ſeminario Archiepiſcopali Pragæ 22. Martii Anno 1652.

F. Hilgerus Burghoff. ſac. ord. Ciſterſienſis Monaſterij Campil. profeſſus ſac. ſanctæ Theologiæ Doctor & in ſeminario Archiepiſcopali Pragenſi Phiæ Profeſſor ordinarius.

Fr. Laur. de Fabris à Bononia. Collegij Ferdinand. Min. Conventualium Regens.

Fr. Bernardinus Clanchy ord. Min. S. Theologiæ in ſeminario Archiepiſcopali Profeſſor m. propria.

Fr. Bonaventura Brundinus S. Theologiæ Lector ac pro tempore in præfat. ſeminario Phiæ Profeſſor Ordinarius.

V*Idiſti quid contra Boſſium virum probum & doctum dixerim; ſed quia ſyntheſes olim illas etiam Viri indocti oppetierunt, proderit fortaſſis ſubjungere literas ſcriptas Anno 1645. & editas in Theologiæ Regularis folio ultimo, quibus cæco cuidam Oppugnatori reſpondebam.* Sit igitur

EPISTOLA VI.

D. Franciſco Penneman ſuo. S. P.

INter multos diſcipulos, quorum olim mihi formatio, & promotio hodie magnis curis ſtat, pauci reſpōdēt debito; ſed Te inter paucos video ingratitudinis notam diligenter effugere, & cùm poſſis Magiſtrum, velle apud Me non niſi diſcipulum agere. Sed & hoc ipſum laudo; oportet enim colere, per quos profecimus, & ego in hac materiâ amicorum ſententiâ nimius ſum.

Digitized by Google

Titio, viro apud Benedictinos Galles authoritatis eminentis ita diſplicuiſſe iſtas ſyntheſes, tametſi viginti aut plures Viri magni ſubſcripſerint, ut in illas ſævierit cenſuram crudelem evulgando, non miror, ſemper enim ignorantia eſt imprudens & audax. Noctua etiam, non infimæ magnitudinis inter aves, conqueſta olim in volucrum comitiis fuit, quod ſol eſſet nimis caliginoſus, nec tamen lego ſolem evulgaſſe pro lucis theſauris apologiam, ſed irriſiſſe cæcutientis calumniam, communi omnium ſuffragio & applauſu contentum. Sol, mi Franciſce, eſt veritas, nec minùs clarus ille quòd in eum blaſphemias noctua evomat; nec minus certa iſta, quòd in ipſam ignorantia præſumat. Hæc cum omni moderatione ſint dicta; ſed quoniam veritati, & eximiis hominibus pro eâ ſtantibus, quibus hæ ſtupidæ inſidiæ parantur, eſt favendum, urbanè, fortiter tamen ſunt urgenda. Sic diſcurro.

Has omnes & ſingulas Syntheſes eſſe probabiles dixi, & dico; negat ille, improbabiles, laxas, pernitioſas, ſcandaloſas (cur non etiam hæreticas?) affirmat. Furit, an docet, ſævit an cenſet? Ipſe loquitur, & in hoc nec à pſittaco differt. at ego ſoles Reipublicæ litterariæ propugno, & meum aſſumptum ſic demonſtro. *Quæcunque opinio habet viginti Authores pro ſe, eſt omninò probabilis. Nulla eſt in his ſyntheſibus, quæ plures non habeat. Ergo nulla, quæ verè probabilis non ſit.* Quid tuus ad iſtum ſyllogiſmum Titius? ſi neget formam, oſtendet ſe ignorare Dialecticã. Si majorẽ, ſe moralẽ Theologiã ne quidẽ à lõgè ſalutaſſe; ad probabilitatem enim non jam viginti, ſed etiã multò pauciores in omnium opinione ſufficiunt. Si minorem, ſe non ſcire legere, ibi enim proſtant ſubſcriptiones ſuperſtitum Virorum, quibus majores hodie in orbe Chriſtiano non dabit. Ergo quidquid ad ſyllogiſmum illum dicat, erit Noctua ſolem incuſans, quod audiat lucidus, cùm tamen tenebroſus ſit. Sed hæc de illo ſufficiant, cuius nomini parcere volui, tametſi non pepercerit meo; quia demonſtrationes dedignantur cum ſtupidâ ignorantiâ confligere. Nos igitur, qui nolumus ita loqui, ut non poſſimus apud doctos non vocari ignorantes, Theſes illas relegimus, & de illis iſtas etiam ſubiicimus.

PRIMA. *Quicunque opinionem, quam ſpecialiter conſulti, viginti illuſtriores illuſtriorum Univerſitatum Theologi probabilem judicant, iis non obſtantibus improbabilem dicit, oſtendit ſe, quid probabilitas ſit, ignorare.* Patet, quia nemo doctus eſt, qui neget opinionem octo aut decem Authorum, debere vocari probabilem.

SECUNDA,

Digitized by Google

SECUNDA. *Repugnat opinionem probabilem, in materia quæ de neceſſitate medij ad ſalutem æternam non eſt*, (quidquid de neceſſitate medii ſit, illam enim hujuſmodi theſes non tangunt) *eſſe periculoſam, temerariam, audacem, malè ſonantem, aut aures pias offendentem.* Conſtat ex probabilitatis definitione. Sanè probabilis opinio periculoſa non eſt: nulli enim ſe exponit periculo, qui non ſe exponit periculo peccandi; & eum, qui minùs probabili ſententiæ ſubſcribit, non peccare probabilior ſententia (adeoque communis) affirmat. Nec eſt temeraria, nam motivis gravibus ſubſiſtit, quibus-cum temeritas componi non poteſt. Si non ſit temeraria, nec erit audax; quoniam coincidere videntur, audacia & temeritas, aut ſaltem ſeparari non poſſe. Cùm igitur probabilis ſententia bona ſit, nec pernicioſa, nec ſcandaloſa ipſa eſt. Laxa dici non debet, ſed benigna. Et per conſequens, malè ſonare nequit, nec pias aures offendere, quod ſi aliquas offendat, non ſunt piæ. COROLLARIUM. *Repugnat aliquem eſſe vel mediocriter doctum, & tamen cum probabilitate has duriſſimas notas componere.*

TERTIA. *Nulla ex prædictis Syntheſibus liter poteſt ſua probabilitate privari, quàm ſi contradictoria tranſeat in articulum fidei.* Patet; quia opinio probabilis eſt, quæ à magnis & multis defenditur; & tamen humanitus fieri non poterit, quòd illi Doctores, qui ſubſcribunt, multi aut magni non ſint. Vel finge quemcumque caſum poſſibilem præter definitionem eccleſiæ. Congregentur univerſi Europæi, docti, magni, parvi, non tamen poterunt facere, aut verè definire, viginti non eſſe viginti, aut Viros eximios, & ſummarum Academiarum lumina non eſſe magnos.

Videas igitur quàm ſtupidè Titius, contra tot Academiarum illuſtriſſimarum ſoles fuerit auſus, & Invidiæ ignoranti condoleas, in poſterumq; ſyntheſes illas tanquam ſecuriſſimam baſin tutum omnium Reſolutionum ſtatue. Dedi Moguntiæ 4. Maii. Anno 1645.

Has ad meum Penneman literas ſubjunxi, ut doctrinam firmarem, non ut Boſſium cum Titio componerem: nam Boſſium eſſe virum doctum libri pulchri teſtantur, cùm tamen Titius, de quo agebam, in Theologicis aut etiam Philoſophicis nihil unquam ſcripſerit, imò nihil unquam oblivioni mandaverit.

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

Omnibus Viris doctis; de admodum Reverendi & eximii Patris Don Ioannis Angeli Boſſii litteris, quas Caramuel, & cum ipſo veræ Theologiæ Profeſſores exſpectant.

ILlas jam eſſe ſcriptas, aut etiam datas credimus: in eis nulla ſcommata aut probra (cur enim hæc, & quo ipſa fructu?) nos reperturos ſperamus. Ioannes eſt; ergo gratias & charites eruditè loquetur, non injurias. Angelus eſt; ergo gratiarũ ſuavitatem ingenii vivacitate condiet. Habebit igitur mentem & voluntatem bonam, nec eò cauſam principalem impellet, quò ſolent, qui carent ſyllogiſmis, & invidia non carent. Exſpectent igitur mecũm omnes Viri eruditi, modeſtam fortemque Reſponſionem; in qua nullus ſit informis ſyllogiſmus, nulla ratio illegitima, nulla exclamatio irregularis. In qua, inquam, omnes præmiſſæ ſint certæ evidentes & claræ, quin poſſint vel probabilem ſolutionem habere: quæ enim probabiliter elidi poſſint, ſunt Boſſio inutiles, & nobis omninò moleſtæ. Quis enim patienter ab illo probabiles aut falſas admittet, qui dare evidentes tenetur. Et quia magnæ molis eſt, demonſtrationem (phyſicam, vel ethicam) conſtruere; ne Candidi mirentur Lectores, ſi non poſſit ſtatim Boſſius obligationi ſuæ, & exſpectationi noſtræ ſatisfacere: ſi enim tot annos vitæ illi concedat Deus, quot ad hanc demonſtrationem conformandam & promovendam indiget, vivet æternis annis. Vel, ſi putet me decipi, liberet fidem ſuam, & quia coram toto literario Orbe tribus lineis poterit obtinere victoriam (ſi enim tribus non triumphet, centenis aut millenis non poterit) det ſyllogiſmum unicum, in forma & modo ab ſchola receptis, cujus præmiſſæ phyſicè aut moraliter ſint evidentes, & inferant hanc concluſionem, *Improbabile eſt peccata contra naturam non diſtingui ſpecie.* Cùm primùm iſte ſyllogiſmus, (quem Boſſius tenetur parturire, aut cauſa cadere) producatur, dabo manus, & gratias ſummas agam Boſſio, quod ubi cæteri poſt multos annos ſtudii & laboris homines ſumus, ipſe ſit Angelus, potueritque, quod omnes ignoramus, docere. Et interim in tali caſu non modò ego applaudam & congratulabor victoriam

& tri-

Digitized by Google

& triumphum meo Boſſio: ſed jure poſtulabo ab illo, ut mihi non ſolùm non inſultet, ſed etiam applaudat, & immortales gratias habeat; nam, ut apud Radam in ipſo Prologo, pronunciat Ariſtoteles, *Illis, qui opiniones falſas veritatis cupidi invexerunt* (N. B.) *& his qui eam adepti ſunt, agendæ ſunt gratiæ immortales.* Quod ſi Boſſius (id enim tandem erit) ad falſa, aut fortè probabilia fundamenta recurrat, appello Moralem Logicam, quam invadit; eſt enim evidens probabilitatem opinionum non opperti ſyllogiſmo probabili. Valete igitur Eximii & doctiſſimi Viri, Boſſiique, quem amatis & amo, demonſtrationem exſpectate: & interim condolete Boſſio & mihi: illi, quòd rem nimis certam & claram impugnandam aſſumpſerit: illi, quòd tantum virus in hominem ſibi amicum, & nemini inimicum effuderit, ſine ulla cauſa: illi, quòd vel invitum Caramuelem hoſtem habere velit: & mihi, quòd debeam in amicum ſcribere. Faciam tamen. Nihil contra eius perſonam dicam, cùm quia non volo, tum quia non poſſum: Nihil pro mea; ſciunt enim omnes, qui me norunt, eundem aliter ſcripturum, ſi me noviſſet: ſed quia eodem teſte, nec Philoſophus nec Theologus ſum, oſtendam me ut minimùm eſſe bonum Dialecticum, & nullum in utroque Titulo à Boſſio texi ſyllogiſmum, qui reprehenſione careat demonſtrabo. Et hoc ipſum cum tædio; neſcio enim quo fato, quia alia à Boſſio ſcripta cum fructu lego, etſi me iniuſtè vulnerantem, quantum patitur moderamen inculpatæ tutelæ, ſuſpicio & amo. Et hîc iterum mihi condolere debebitis: quòd moderamen, ab aliis iræ & furori adhibitum, ego debeam & velim amori & affectui adhibere, non ſemper ut ſtudeam virtuti, ſed interdum ut generoſæ aut fortè etiam ſuperbæ neceſſitati ſatisfaciam. Datum Pragæ apud Montem ſerratum die 25. Martii. Anno à partu Virgineo M.DC.LII.

ET ſiquidem nunc calamum pono, & omnia mea dubia vel pleraque in tuum ſinum profudi, boni omnia conſule ſincere Lector, & ita lege librum hunc, ut ſcias nihil in toto contineri aliud, quàm meras interrogationes. Iàm Boſſius ſuam Cenſuram ſcripſit (ſi eſſet ipſa vel urbanior, vel fortior) tu adjunge tuam; & à me, tuo ingenio & doctrina honorato & adiuto, aliquid, quod opinioni correſpondeat, exſpecta.

Ne ha

Digitized by Google

Ne hæ ultimæ paginæ manerent vacuæ hanc epiſtolam addimus, quæ lucem dabit difficultati gravi à Dianâ & ab aliis propoſitæ.

PERILLVSTRIS ET Reverende Domine.

MUlti ſunt anni, ex quo controvertere coepimus, *An, qui Officium de Reſurrectione in Quadrageſima aut Adventu legeret, ſatisfaceret præcepto quoad ſubſtantiam?* Non poſſe unum Officium pro altero legi probabiliſſimè docent nonnulli: & etiam alii probabiliſſimè poſſe affirmant. Stando primæ ſententiæ legere Officium de Reſurectione alio quocunque die mortiferum peccatum eſt: non tamen ſtando ſecundæ. At Diana, neſcio quali Dialectica, ſecundæ adhæret, & interim à generali regula Officium de Reſurrectione excipit ob duas rationes: prima eſt, quoniam eſt nimis breve. Secunda, quoniam eſt illi ſoli diei à ſancta Eccleſia deſtinatum. Priorem illam rationem nullius eſſe momenti rationibus multis evici, quas in aliis epiſtolis habes. Aut enim reficienda eſt ſecunda ſententia, & admittenda prima, aut quantitas non pertinet ad Officii ſubſtantiam. Accedit illud Officium, de quo agitur non eſſe minimum, ſed nonnullis aliis vel æquale vel majus: illud enim quod Ciſtertienſes ſingulis feriis tertiis recitant, brevius eſt. Poſteriorem elumbem iudicavi. Quoniam etiam Officium Dominicæ Palmarum eſt illi diei affixum, & tamen poteſt alia quacunque die ſine mortali recitari in tua, Dianæ, & aliorum ſententia. At quia iterum iterumque ad brevitatem recurris, & mihi perſuadere conaris, illam ipſam illi uni & ſoli diei adnexam; volo hîc ſubiungere quale & quantum ſit Officium Paſchale in Archidiœceſi Pragenſi: neſcio enim an alibi in toto Orbe Chriſtiano tam breviter poſſint expediri Divina. Utar Directorio, quod Anno hoc M.DC.LII. Patres ſocietatis evulgarunt in quo ſic inquiunt.

OFficium temporis Paſchalis habet tres *Pſalmos* & tres Lectiones ad matutinum, etiam diebus feſtis & Dominicis.

DOMI-

DOMINICA PASCHÆ Pſalmi ad matut. *Pſ.* 1. Beatus vir *Pſ.* 2. Quare fremuerunt. *Pſ.* 3. Domine quid.

Fer. II. *Pſ.* 4. Cum invocarem. *Pſ.* 5. Verba mea. *Pſ.* 6. Domine ne in furore.

Fer. III. *Pſ.* 7. Domine Deus meus. *Pſ.* 8. Domine Dominus noſt. *Pſ.* 10. In Domino confido.

Fer. IV. *Pſ.* 11. Salvum me fac. *Pſ.* 12. Vſquequo. *Pſ.* 13. Dixit inſipiens.

Fer. V. *Pſ.* 14. Domine quis habit. *Pſ.* 15. Conſerva. *Pſ.* 16. Exaudi Domine.

Fer. VI. *Pſ.* 18. Cœli. *Pſ.* 19. Exaudiat. *Pſ.* 20. Domine in virt.

Sabb. *Pſ.* 22. Dominus regit. *Pſ.* 23. Domini eſt terra. *Pſ.* 25. Judica me Domine. Ad Veſp. *Pſalmi* ex Veſperis Sabb.

DOM. IN ALB. P*ſalmi* ut in feſto Paſchæ, Lectiones primæ ſingulæ ex ſingulis nocturnis Breviarij Romani.

Fer. II. Pſ. 26. Dominus illuminatio. Pſ. 27. Ad te Domine clam. Pſ. 28. Afferte. Omnes ſub una Antiph.

Fer. III. Pſ. 38. Dixi cuſtodiam. Pſ. 39. Expectans. Pſ. 40. Beatus qui intelligit.

Fer. IV. Pſ. 52. Dixit inſipiens. Pſ. 54. Exaudi Deus orationem. Pſ. 55. Miſerere mei Deus, quoniam.

Fer. V. Pſ. 68. Salvum me fac Deus. Pſ. 69. Deus in adjutorium. Pſ. 70. In te Domine ſperavi.

Fer. VI. De Lancea Domini. Pſ. 2. Quare fremuerunt. Pſ. 62. Deus Deus meus. Pſ. 87. Domine Deus ſalutis.
Tres Antiphon. ex Offic. de S. Cruce, cum Hym. & Verſic. &c.

Sabb. Pſ. 149. Cantate Domino. Pſ. 98. Dominus regnavit, iraſcantur. Pſ. 100. Miſericordiam & judicium.

DOM. II. poſt Paſcha, P*ſalmi* ut in oct. Paſchæ. Lectio. primæ ex ſing. noct. Ro.

Fer. II. Pſ. 29. Exaltabo te. Pſ. 30. In te Domine. Pſ. 31. Beati quorum.

Fer. III. Pſ. 41. Quemadmodum. Pſ. 43. Deus auribus. Pſ. 44. Eructavit.

Fer. IV. Pſ. 56. Miſerere mei Deus, miſerere. Pſ. 57. Si verè. Pſ. 58. Eripe me.

Fer. V. Pſ. 71. Deus judicium. Pſ. 72. Quàm bonus. Pſ. 73. Vt quid Deus.

Digitized by Google

Fer.vi.Pſ.89.Quam dilecta.Pſ.84.Benedixiſti.Pſ.85.Inclina.

Sabb.Pſ.101.Domine exaudi.Pſ.102. Benedic anima. Pſ. 103. Benedic anima.

Dom.iii.poſt Paſcha.Pſal.ut in oct.Paſchæ.

Fer.ii.Pſ.32. Exultate juſti. Pſ.33. Benedicam Dominum. Pſ. 34.Judica Domine nocentes.

Fer.iii.Pſ.45.Deus noſter. Pſ.46. Omnes gentes, Pſ.47. Magnus Dominus.

Fer.iv.Pſ.59.Deus repuliſti.Pſ.60.Exaudi Deus deprec.Pſ.61. Nonne Deo.

Fer.v.Pſ.74.Confitebimur. Pſ.75.Notus in Judæa.Pſ.141. Voce mea.

Fer.vi Pſ.86.Fundamenta.Pſ.87.Domine Deus ſal.Pſ.88. Miſericordias.

Sabb. Pſ.104. Confitemini. 105. Confitemini. Pſ.106. Confitemini.

Dom.iv.Poſt Paſcha Pſalmi ut in octav. Paſchæ.Lect. primæ ex ſing. noct. Rom.

Fer.ii.Pſ.35.Dixit injuſtus.Pſ.36.Noli æmulari.Pſ.37. Domine ne in furore.

Fer.iii.Pſ.48.Audite hæc.Pſ.49.Deus Deorum.Pſ. 51. Quid gloriaris.

Fer.iv.Pſ.63.Exaudi Deus.Pſ.56. Jubilate.Pſ.67. Exurgat.

Fer.v.Pſ. 77. Attendite. Pſ. 78. Deus venerunt.Pſ.79. Qui regis.

Fer.vi.Pſ.93.Deus ultionum.Pſ.95.Cantate.Pſ.96. Dominus regnavit,exultet.

Sabb. Pſ.106.Confitemini.Pſ.107.Paratum.Pſ.108. Deus laudem.

Dom.v.Poſt Paſcha Pſal.ut in oct.Paſchæ.

Fer.ii.
Fer.iii.
Fer.iv. } (Lect.primæ ex ſingul.noct.Rom.Ut fer.2.3. & 4. poſt.8. Paſchæ.

Fer.v.Aſcens.Pſ.8.Domine Dominus noſter. Pſ.10. In Dom. confido.Pſ.18. Cœli enarrant. Ut in 1.nocturno Rom.cum tribus Antiph.ibi poſitis. Lectiones tres ex ſingulis nocturnis ſingulæ, cum reſponſoriis adjunctis.

Fer.

Fer.vi.*Pſ*.20. Domine in virtute. *Pſ*. 29. Exaltabo. *Pſ*.46. Omnes gentes. Vt in 2. Noct. Rom. cum. 3. Antiph. 3. Lectiones primæ ex ſingulis Noct. diei.

Sabb. Ex ſingul. Noct. Lectiones primæ.

DOM. infra Oct. Aſc. *Pſalmi* ut in die Aſc. Lect. primæ ex ſingulis Noct. Rom.

Fer. II. *Pſalmi* ut in die Aſc.	Lect. prim. ex ſingulis Nocturnis Rom.
Fer. III. Vt feria ſexta præc.	
Fer. IV. Vt Sabb. præc.	
Fer. V. Vt in die Aſcenſionis.	
Fer. VI. Vt fer. VI. præc.	
Sabb. Vig. Pent. *Pſalmi* ut Sabb. præc.	

De Sanctis tempore Paſchali aſſumuntur Antiphonæ & tres Pſalmi primi Nocturni, ſi feſtum incidat in Dominicam aut Feriam II. aut V. ex ſecundo nocturno: ſi in Feriam III. aut VI. ex tertio ſi in quartam aut Sabb.

Lectiones tres hoc modo ſumuntur. Prima ex ſcriptura propria occurrente. Secunda de Sancto. Tertia ex homilia. Eodem modo in Dominicis, ex tribus Nocturnis Breviarii Romani ſumuntur totidem lectiones, ſingulæ ex ſingulis, donec propriæ ex Bohemico reimprimantur.] *Hæc omnia in Directorio.*

HIs poſitis, Perilluſtris & Reverende admodum Domine, vide quæſo, an non cadat ratio illa Dianæ, quam tuam eſſe voluiſti? Illa inquis divini Officii brevitas, ille trium Pſalmorum numerus, illa lectionum trinitas affixa eſt ſolennitati illius diei, nec poteſt ad alios extendi? nego, nego. nam Bohemi magna parte totius anni (hoc eſt, toto tempore Paſchali) non niſi tres Pſalmos parvos & tres lectiones in matutinis habent.

Rem fatebor ſincerè, *Primò* eſſe peccatũ mortiferum, Officiũ pro Officio recitari ſumma cum facilitate defenderem: *Secundò* non eſſe mortiferum ſumma cum facilitate defendo, at verò *Tertiò* poſſe mutari Officium in aliud Officium & tamen in Officium de Reſurrectione non poſſe, nondum ſcirem defendere; videtur enim hæc doctrina has duas contradictorias, *Omne poteſt*: & *Aliquod non poteſt*. connectere, & quia mihi illud eſt probabile ab intrinſeco, quod ſcio defendere: illud improbabile ab intrinſeco, quod non ſcio defendere,

Quid ſit probabile ab intrinſeco?

dere, ex trib. his ſentẽtiis duas priores extremas probabiles iudico: tertiam non audeo. Ergo illam tu ratione aliqua maſcula firma, ut poſſit vocari probabilis. Vale. Dedi Pragæ apud Montem ſerratum pridie Nonas Ianuarias Anni M.DC.LII.

Plurima propoſui dubitans, mi Lector; in iſto
Nil docui toto, dedocui-ve Libro.
Omnia Iudicio Majorum ſubmitto. Docebor,
Doctior & potero nobiliora dare.
Quæ mea ſollicitus fuerit ſententia; poſcis?
Quod negat Editio prima, ſecunda dabit.

Spero magnum fructum ex hoc informi libro, multarum enim difficultatum diſſolutio dependet à magnorum hominum authoritate, Hac pauca lege: & plura ego cùm alii pro vel contra reſcribant, firmata aut impugnata dabo.

FINIS.

Digitized by Google